D. JOANNIS JUSTI

LANSPERGII

OPERA OMNIA

IMPRIMI POTEST.

Fr. Anselmus-Maria Prior Cartusiæ,

VIII Kal. Jul. MDCCCLXXXIX,

in Festo S. Joannis-Baptistæ.

IMPRIMATUR.

† Desideratus-Joseph, Episc. Atreb.,

Atreb., VI Non. Julii MDCCCLXXXIX,

in Festo Visitationis B. V. M.

D. JOANNIS JUSTI

LANSPERGII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA JUXTA EXEMPLAR COLONIENSE ANNI 1693

EDITIO NOVA ET EMENDATA

TOMUS SECUNDUS

OPERA MAJORA

ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
L293
Alma, California

MONSTEROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCLXXXIX

26378

SERMONES DE SANCTIS

IN FESTO

S. ANDREÆ APOSTOLI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

CORDE creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit autem Scriptura : Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi et Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient, sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur ? sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona : sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu. Auditus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. *Ad Rom. X.*

AD Romanos Paulus Apostolus scribens, ubi dixerat, eum qui Christi crederet resurrectionem, oreque confiteretur, salvum futurum, inde eam quæ hodie legitur lectionem continuat et quasi hujus rationem adjiciens : Corde, inquit, creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.

. 1, 17. Si enim justus ex fide vivit, et si ex fide justificatur homo, recte dicitur omnem illum, quisquis Deo et his quæ Scriptura Sancta tradit et quæ Ecclesia, corde præbuerit assensum, .crediderit que ac sese eis-

o quid- dem subjecerit, habere in se justitiam. debe- Compertissimum autem est nobis, quid- s. quid sumus, quidquid possumus, et quidquid habemus, habere nos a solo Deo. Unde ei obedientiam, laudem, gratitudinem, amorem et cultum debemus, et hoc corde, ore et opere. Non possumus autem magis Deo intellectum nostrum subdere, quam ut illum, hoc modo captivum, redigamus in obsequium Christi per fidem : puta ut Deo propter Deum, et Scripturæ Sanctæ propter eumdem credamus, in rebus etiam obscuris, arduis et intellectui repugnantibus, ubi plures nobis fortasse secundum naturalem rationis discursum obsistunt difficultates, adeo ut credendi nullam aliam inveniamus rationem, nisi quia Dominus dicit, Deus dicit, Veritas dicit, quæ fallere neque vult, neque potest. Eam ob rem fides tanti est meriti atque initium salutis nostræ, quia credimus quod nescimus, quod non capimus, cujus rationem denique investigare non possumus : et quia

Fides quanti sit meriti.

dignum et veracem habemus eum qui nobis hanc fidem et credendi formam tradidit.

Itaque corde creditur ad justitiam, quæ hominem hic justum facit, et ad salutem parat, ore autem fit confessio ad salutem. Unde credere Deo utique dat salutem, quia justitiam parit quæ salutis est causa, si tamen quod corde credit, ore confiteatur. Neque enim solo corde Deo subjecti sumus, sed omnia membra nostra, hoc est, quodvis membrum in officio et actu suo Domino confitebitur, atque suum officium faciens, Domino sese profitebitur subjectum, Dominique creatoris sui fatebitur servum.

Confiteri quid sit.

Quod autem ad oris attinet confessionem, hoc est confiteri, dicere quod habes in corde: si enim aliud habes in corde, aliud dicis, loqueris quidem, non autem confiteris. Quoniam vero triplex est confessio,

Confessio triplex quæ sit.

hic non accipitur confessio pro accusatione

Ps. XXXI, 5.

suorum delictorum, de qua Psalmus: *Dixi*, inquit, *confitebor adversum me injustitiam meam Domino:* nec pro confessione laudis, seu pro gratiarum actione, de qua Christus

Matth. XI, 25.

loquens: *Confitebor,* inquit, *tibi, Pater, Domine cœli et terræ.* Sed accipitur pro credendorum protestatione, vocalique as-

Confessio quid signet hoc loco.

sertione eorum quæ credenda sunt. Horum confessio, id est, manifesta oris asseveratio, parat salutem. Scriptum est enim: Quicumque credit in eum, sive gentilis sit is, sive Judæus, fidei et spei suæ in Christum non erubescet, nec hujus fidei probrum habebit, aut ignominiam. Non enim est distinctio Judæi et Græci: hoc est, non certa lex præscribitur de salvandis hominibus, sed indistincte propheta loquitur, dicens: Omnis, id est, quicumque in eum crediderit, sive Judæus fuerit, sive Paganus. Nihil enim distat inter credentes cujusmodi ante fuerint, modo saltem credant vere in Dominum Jesum Christum. Ex utroque namque populo quicumque sincera fide, justisque operibus adhæserit Deo, salvus esse potest. Quod Petrus testatur quoque, Apostolorum princeps, dicens:

Act. X, 34, 35.

In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi. Nam idem est Dominus omnium, tam Judæorum quam Gentilium, dives et liberalis, qui possit ditare omnes, qui invocant illum. Aliquid plus est invocare quam credere. Nemo enim illum invocat, in quem non credit. Credere enim dat remissionem peccatorum: invocare autem Deum, Dei quoque impetrat promissa. Itaque cum prope sit Dominus, juxta Psalmum, omnibus invocantibus eum: et Ecclesiasticus dicat: *Quis invocavit eum, et despexit illum?* magna fiducia ad thronum gratiæ ejus monemur accedere: Omnis enim *quicumque invocaverit nomen Domini* perseveranter, *salvus erit:* nunc quidem in spe per Christi gratiam, quæ tandem illum ducet quoque ad gloriam.

Invocare quid.

Eccli. II, 12.

Act. II, 21

Verum si invocatio Domini, ut propheta ait, salvet, primum necesse erit ei qui invocare debet, ut in eum qui invocandus est, credat. Nemo enim eum in quem non credit invocat. Ideo sequitur: Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? Neque enim nisi invocent, salvabuntur. Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? hoc est, cum illis nihil de Christo sit dictum. Credere enim est ex auditu. Quomodo enim audient sine prædicante? Haudquaquam enim audient, nisi sit qui Christum prædicet. Postremo, quis prædicet nisi missus? Contra rationem namque est Apostoli, ut prædicet non missus nuntius, præsertim cum suo ut quis ministerio dignus sit fructumque faciat, necesse sit ei virtutem ejus qui illum misit adesse. Hæc omnia Apostolus illuc refert, quo confutet eos, qui ad Gentes incircumcisas negabant mittendos esse præcones Christi: ostendens salutem per Dei gratiam non Judæis tantum, sed omnibus etiam advenisse Gentibus. Salus igitur, inquit, est ex invocatione, invocatio ex fide, fides ex auditu, auditus ex prædicatione, prædicatio ex missione: quo totum postremo emanat quidquid salutis est nostræ ex

fonte gratiæ, sicut scriptum est: Quam speciosi sunt (pulchritudine scilicet virtutum ornatuque miraculorum) pedes et gressus Apostolorum et Evangelistarum, pacem nuntiantium inter Deum et hominem, humanique generis reconciliationem in Christo factam, evangelizantiumque bona futura cœlestia credentibus promissa.

Apostoli itaque omnibus evangelizant. Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias
Is. LIII, 1. enim dicit: *Domine, quis credidit auditui nostro?* Quotus credidit? quam rarus vere credit? Ergo fides est ex auditu: auditus vero interior, quo quis ea quæ docentur, et quæ aure corporis perceperit, etiam intra cordis assensum et in affectu mentis recipit, est per verbum prædicationis Christi, quod intus mentem illuminat, invitat ac trahit. Et Isaias quidem dicit paucos credidisse. Ego vero dico: Numquid propterea hoc illis contigit, quod prædicatorem non audierunt? Numquid illis non prædicatum est? Prædicatum est utique. Audierunt quidem, sed credere noluerunt. Idcirco inexcusabiles sunt. Audierunt certe, non solum hi qui proximi, sed etiam qui longissime habitant. Quandoquidem in omnem terram exivit sonus prædicationis Apostolorum, et in fines orbis terræ audita sunt Apostolorum eorumdemque discipulorum verba, quemadmodum Christus jusserat, dicens: *Eritis mihi testes in* *Act.* I, 18. *omni Judæa, et Samaria, et Galilæa, et usque ad ultimum terræ.*

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, MATTHÆI IV.

ANDREAS Apostolus, omnium primus ex his qui futuri erant Apostoli credidit in Christum. Adeoque credidit, ut illi curæ quoque fuerit fratrem suum germanum quem amabat, ad Christum adducere. Quod haudquaquam fecisset, nisi fuisset magnæ fidei, et in Christo invenire se sensisset salutem, cujus fratrem suum optabat esse participem. Est autem adver-
Apostolorum quosdam tribus vicibus fuisse a Christo vocatos. tendum trina vocatione Andream, nonnullosque alios a Christo vocatos. Nam quum Joannis Baptistæ primo esset discipulus Andreas, accidit quadam post Christi baptismum die, stante Joanne cum duobus suis discipulis, quorum alter fuit Andreas; alterius nomen non exprimitur, fortasse quod parum fuerit illud insigne, aut quia Evangelista hic ipse Joannes fuit, qui in suo Evangelio suum ubique tacere solet nomen. Baptista itaque Joannes, qui superioribus diebus turbis testimonium perhibuerat Christo, quia ipse esset Agnus Dei tollens peccata mundi, nunc etiam videns Jesum juxta Jordanem ambulantem, suis de Jesu loquitur discipulis, dicens: *Ecce Agnus Dei.* Quasi diceret: Ecce inter *Joann.* I, 36. peccatores innocens, inter reprobos justus, inter impios sanctus, mansuetus inter crudeles, qui ad salvandos nos advenit medicus. Hic enim tollet peccata mundi: hic sicut agnus ad victimam ducetur, nec aperiet os suum, ut a peccatis nostris lavet nos in sanguine suo. Hæc enim suis dicebat discipulis Joannes, quo eos a zelo, quem ad se tanquam ad magistrum suum habebant, averteret, et ad Christi amorem pariter ac imitationem converteret. Ac si diceret, aut quasi eos intelligere verbis generalibus vellet: Vos, filii, cur me, qui pœnitentiam tantum peccatorum prædico, qui in aqua tantum baptizo, miramini? Cur non magis illum diligitis, illum sequimini, qui tollit peccata mundi, qui baptizat in Spiritu Sancto, qui causam nostram malam in se suscipiens, ad hoc in mundum venit, ut nos reconciliet Deo? Ecce Agnus

Dei, quem nos sequi convenit. Plus namque eos voluit Joannes intelligere quam se dicere. Nam optabat ut ad Christum se converterent, idque facerent sua sponte ex amore, et non alieno ex imperio, non quasi ut placerent Joanni, sed ex necessitate id facerent.

Idcirco Andreas et alius discipulus mox Christum secuti sunt, a Joanne abeuntes. Devotio Apostolorum Christum sequentium quanta. Quo mansuetudo, devotio atque humilitas eorum nobis insinuatur, qui tam cito verbis magistri acquiescentes, et non tam imperio ejus quam voluntati obedientes, fervore desiderii trahuntur ad Christum. Maluerunt namque relinquere Joannem magistrum suum, quam non audire et sequi Christum. Itaque relinquentes Joannem, non tam gressu corporis quam studio imitationis, secuti sunt Christum.

Quum itaque Christum Andreas cum alio discipulo sequeretur, Jesus qui eorum corda ad se trahebat, convertit se ad eos et perbenigne interrogans : *Quid*, inquit, *quæritis?* Nihil dubitans interrogat quod discere velit, sed ad familiaritatem eos nititur invitare, eorum sitiens salutem et perfectionem, et ut exhibeat cunctis ad se venire volentibus fiduciam accedendi, quoniam benignus et misericors est. Videbat discipulos hos verecundos ac timentes, devotos tamen. Quapropter ut illis animum adderet, prior eos alloquitur et dicit: Quid quæritis? Quasi diceret : Paratus sum, filii, ad voluntatem vestram. Novi enim cur venitis. Verumtamen, dicite ipsi, quid quæritis? Dicunt ei : *Rabbi, ubi habitas?* Ac si dicerent : Eruditionem tuam quærimus. Sed primum discere volumus ubi habitas, quo sæpius posthac te valeamus convenire. Et mox dicit illis Jesus: *Venite et videte*. Videte miram simplicitatem discipulorum Christi. Videte quam etiam a Christo procul absit omnis circumventio, fraus et impostura in vocatione discipulorum. Attendite tandem quid interrogent : Rabbi, inquiunt, ubi habitas? Non interrogant : Ubi est domus tua? Domum enim propriam non habuit Christus, sed habitavit ut viator in aliena domo. Sequebantur igitur illum, et manserunt cum illo die illa et nocte. Hæc prima fuit vocatio Andreæ ad notitiam Christi, ad quem illico quam primum potuit, fratrem quoque suum Simonem adduxit.

Interrogasse Christum Apostolos quid signet.

Simplicitas quorumdam Apostolorum quanta fuerit.

Secunda fuit vocatio Andreæ ad familiaritatem Christi, quando scilicet Christus ad stagnum Genesareth stabat, et turba præmente ac impellente navem unam intravit, quæ erat Simonis; qua a terra paululum abducta, ex navi docebat turbas. Tandem sermone finito, ut laxarent retia sua in capturam piscium jussi piscatores, Andreas et Simon Petrus ceperunt grandem multitudinem piscium. Subductis igitur ad terram navibus, relictisque omnibus, Christum reverentiæ gratia prosecuti sunt, animo tamen redeundi ad propria. Quod et fecerunt.

Apostolos quos quando Christus ad sui vocaverit familiaritatem.

Tertia vocatio est, de qua loquitur hodie Evangelium, ubi Christum Andreas, Simon, Jacobus et Joannes secuti sunt, posthac ad suos non redituri. Ait itaque Evangelista Matthæus :

> Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream, fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores). Et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

Piscatores cur Christus fecerit prædicatores.

Satis congruebat captores atque piscatores piscium, mutari in piscatores hominum. Verum, non minus erat mirabile simplices illitteratosque homines, innocentes et haudquaquam callidos, mutari in prædicatores et doctores mundi, qui mundi principes et sapientes ad fidem converterent, et doctissimos quosque facerent elingues. Adverte tamen, quod Dominus Jesus, futuro tempore promittens se illos facturum piscatores hominum, præmittit: Venite, inquiens, post me, hoc est, sequimini me affectu et imitatione, ambulate ut me videtis ambulantem, relinquendo omnia

Sequi Christum quid sit.

terrena, relinquendo etiam et abnegando vosipsos, et ad Evangelicam omnium perfectionem virtutum anhelando. Quod ubi feceritis, faciam vos piscatores non pecuniarum, non beneficiorum, non prælationum aut honorum, sed piscatores hominum. Per rete enim prædicationis sanctæ, pisces, id est, homines extrahuntur de profundo pelagi. Quid enim seculum ac vita præsens aliud est, quam pelagus aut matris profunditas? Ibi perturbationes multæ, ibi tentationes, ibi fluctuum procellæ et tempestates; quæ certe amanti Deum occurrunt omnia.

Seculum præsens cur mari comparetur.

Hæc itaque oportet sustinere et vincere omnia, eum qui vel transfretando duntaxat in mari navigat. Quanto magis adversa illum pati necesse est, qui ex hoc pelago pisces capere atque ad littus educere satagit, qui submersas animas in profundo peccatorum, involutasque mundi fluctibus extrahere, atque ad littus, hoc est, ad Christum contendit reducere? Hoc revera est negotium negotiorum, afflictio et angustia spiritus, pressura cordis, sollicitudo mentis et inopia consilii. Sed quibus? Deum timentibus, Dei honorem et animarum salutem zelantibus, agnoscentibus se animarum esse pastores, qui pro ovibus sibi creditis rationem sunt Deo reddituri: de quorum manibus si ovium quævis perierit, sanguis, mors damnatioque requiretur, si tamen ipsorum negligentia perierit. Solis igitur ambitiosis, Deum post tergum suum projicientibus, solis mundanis, et ut ex animo loquar, solis animalibus, ne dicam impiis, spiritum non habentibus, optabilis est prælatio, piscatio curaque animarum: quia hi soli sibi sufficere videntur, propterea quod nesciant quid sit animarum cura, nesciant compati afflictis, nesciant subvenire tentatis, nesciant consolari infirmos, nesciant oppressos liberare. Temporale dominium, lucra temporalia, honores et libertates solas diligunt: porro, oves custodiat, qui custodit Israel. Hi, inquam, ad prælationes et curas (rectius dicerem ad negligentias, imo ad corruptiones animarum) anhelant, quia mundi temporaliumque rerum amore, tanquam voragine absorpti, in quibus periculis versentur, nesciunt.

Negotium negotiorum quodnam sit.

Prælatio quibus solis optabilis sit.

At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.

Vide et admirare celerem obedientiam Andreæ, aliorumque Apostolorum Christum sequentium. Reliquerunt omnia, ut Christum lucrifacerent. Fortasse dicis: Quid reliquerunt? Parum habuerunt, quomodo, inquis, multum reliquerunt? Reliquerunt certe multum, quia omnia reliquerunt. Totum quod habuerunt, et quod habere potuerunt, reliquerunt. Quid his plus relinquere potest, qui centum etiam licet millia ducatorum relinquat? Nihil minus reliquit is qui solidum unum, si hunc solum habeat, propter Deum relinquat. Nonne et Dominus Jesus veritas ipsa idipsum testatur? Sedebat in templo aspiciens, quomodo in gazophylacium homines pii munera mitterent, singuli juxta aut facultatem, aut voluntatem, aut devotionem suam. Accessit quædam mulier vidua, quæ duo numismata sola habuit, et hæc in gazophylacium obtulit. Dixit igitur Dominus discipulis suis: Hæc vidua plus singulis his qui miserunt, hoc est, qui munera obtulerunt in gazophylacium, misit. Reliqui enim omnes de his quibus abundabant, obtulerunt. Parum igitur aut nihil læsi sunt. Porro, hæc mulier vidua quidquid habuit, obtulit. Duo minuta, aut duos obolos solos habuit, quos offerens prorsus egenam et se nihil habentem effecit. Dedit igitur Deo offerens duos obolos, plus quam Zachæus, qui dimidium suorum dedit bonorum pauperibus. Hoc modo tu quoque des Deo, aut pro Deo relinquas quidquid possides. Non enim pensatur quantum offeras, sed an totum relinquas, totum Deo offeras. Ille totum offert, qui nihil sibi servat, et habendi quoque aliquid animum sibi interdicit.

Obedientia Andreæ et sociorum ejus velox ut fuerit.

Luc. XXI, 3.

Offerre quænam Deo debeamus.

Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem,

fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua; et vocavit eos. Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum.

Magna obedientiæ commendatio, Christum conciti vocantem sequuntur, ea quæ habebant, et quod his dulcius erat, patrem, matrem propterea relinquentes.

Andreas quomodo secutus fuerit Christum, illique adhæserit.

Sed videamus quomodo Andreas secutus fuerit Christum. Nempe amando, quo non tam secutus Christum, quam Christo adhæsit. Compertissimum est, amantium neminem suaviter abesse posse amato. Volunt enim optantque semper amantes esse simul. Videmus hæc in carnali sensualique amore. Non possunt amantes separari. Accurrunt sibi vicissim, conveniunt, dividi nequeunt difficultate quacumque, quam præ amore contemnunt. Sic Andreas, postquam agnovit veritatem, ubi Christum amare didicit, neque de parentibus, neque de amicis, de domibus, aut de re ulla creata sollicitudinem curamve habuit. Inventum enim hunc thesaurum, cujus fratrem quoque suum esse participem voluit, Christum mundo, omnibusque quæ in mundo sunt, prætulit. Placuit ille Christo, Christus quoque placuit Andreæ: ideo amicitiæ hujus, mutuoque se amantium facilis fuit conventio. Propterea Jesum secutus est Andreas amore. Siquidem amor per spinas et tribulos, per ignem et aquam sequitur. Quare ei qui vere Christum amat, non potest tam durum aut molestum aliquid occurrere, quod non vincat amor, quod amor non penetret. Siquidem cuncta levia, imo suavia quoque facit amor, quæcumque alioqui gravia quis et gravate ferret.

Amor cuncta aspera levia reddit ac suavia.

Andreas uti Christum secutus sit imitatione virtutum.

Secundo secutus est Andreas Christum virtutum imitatione; quippe, qui vitæ Christi, ejusque conversationi devotissime studuit conformari. Sequebatur enim Christum, hoc est, imitabatur non aliter quam si quis artificem, pictorem, scriptoremve magistrum suum, pingendo, atque illius artem imitando in se conetur exprimere. Hoc modo beatus est Dominum imitatus Apostolus Andreas: quia virtutes quas in magistro virtutum didicerat, in se studebat exprimere. Quid enim contulisset Andreæ corporalis gressus ambulatioque post Christum, si virtutes illius non studuisset imitari? Aut si vitæ innocentiam, maturitatem morum, humilitatem mansuetudinemque Christi non studuisset assequi, quid profuisset post Dominum ire?

Passione uti S. Andreas sit Christum secutus.

Tertio, secutus est Christum passione, quia quemadmodum Christus pro Andreæ omniumque salute mortuus est, ita, ut testimonium ferret Christo, Andreas mortem lætus excepit.

Imitatio Christi triplex. *Luc.* IX, 23.

De triplici illa imitatione aut sequela, nempe corporis, virtutum et passionis, dicit Dominus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.* Si quis, inquit, post me vult venire; si me vult sequi, ut vadat quo ego vado, introeat ubi ego introeo, et vadat ubi ego sum, illic sit ipse quoque minister meus; itaque qui hoc primo cupit me sequi modo, secundum quoque adjiciat: Abneget semetipsum, ut in omni virtute, in omni mihi studeat sanctitate conformari: studeat mores vitæque meæ actus imitari: et tertio passione quoque mihi assimilari, ut tollat crucem suam. Tollat, inquam, id est, non coactus sumat, non invitus, sed ipse sua sponte tollat crucem suam, hoc est, omnem molestiam, tam internam quam externam, omnem tristitiam, omnem pressuram, omnem adversitatem, omnem persecutionem, penuriam, tentationem, laborem utriusque hominis, consolationis subtractionem, omnem postremo mortificationem, contemptum et infirmitatem, patienter æquanimiterque amplectatur et ferat. Hæc enim humiliter amplecti de manu mea et patienter ferre, est me sequi.

Crucem suam quomodo quisque post Christum portare debeat.

Itaque dum tentaris et cogeris repugnare, dum teipsum oportet abnegare, mortificare, tristia et molesta pati, dum alius te ridet, alius te odit, alius tua tibi tollit, alius contumeliam infert, alius tibi

invidens te impedit, para te ad crucem tollendam. Hæc enim tibi pro cruce sui amore portanda mittit imponitque Dominus. Hæc tamen crux salus tibi est, et porta introitusque regni cœlestis. Breviter, quidquid propter Deum toleras, sive in corpore, sive in mente, quod te gravat, ut sunt incongrui mores eorum inter quos habitas, durum imperium Prælati, aliena infirmitas, necessitasve quæ te gravat, crux est tua, quæ te mittat in regnum cœlorum. Quotquot enim Deus afflictionum cruces homini transmittit ac largitur, ea id ratione facit, ut per eas ad magnam eum perfectionem, suique sincerum amorem atque familiaritatem perducat. Idcirco ob afflictionum passionumque fructum cuncta homini contraria quasi constituit, voluitque fore molesta. Eadem certe facilitate panem illi producere poterat, qua frumentum ac triticum : sed ut in omnibus homo exerceretur et erudiretur, cum labore voluit illum ex frumento panem conficere. Eodem modo et alia quæque in æterna sapientia sua prævidit, præordinavit disposuitque.

Crux quid homini cuivis sit quove per eam ducatur.

Afflictiones qua ratione Deus homini transmittat.

Nemo ergo fallat semetipsum, nec in libertatem mentis false nimium solvatur, si unam aut alteram crucem ex humeris suis levari senserit, quasi non sit multo plures et subinde graviores exspectaturus afflictionum cruces. Aliæ enim, ut dixi, eveniunt nobis cruces a mundo, et aliæ a propriæ carnis incentivis, aliæ a dæmonibus, non modo graves at subinde importabiles propemodum, ni Deus adfuerit adjutor et confortator. Verum, sunt et aliæ cruces multo graviores, ut puta quæ mittuntur ab ipso Deo, qualescumque demum sint illæ, puta ut miseria vel afflictio gravis et intus et foris. Quas si quisque in ea dilectione, ex eoque fundo, unde Deus ipse eas elargitur, susciperet, mirum profecto gaudium, jucundaque essentia in ipso nasceretur. Quanta pax quantaque lætitia inde sentiretur, quantæ denique id nobilitatis foret, quis explicet? Minima sane æque ut maxima crux, quam Deus homini accidere sinit, ex ineffabilis dilectionis fundo procedit : tantæ, inquam, dilectionis, quantæ vel maximum quod præstare ei posset, vel præstitit unquam : quod tamen revera (si non negligenter crucem suam suscipiat) non minus ei utilitatis afferret, quam afflictio immensa. Æquumne ergo fuerit oculos mentis aperire, Deoque immensas agere gratias pro tanta ejus erga nos indignos misericordia, qua dignatur per tribulationes afflictionesque diversas, non modo purgare nos a peccatis, ornare sua gratia et virtutibus (si nosipsi saltem velimus tantam gratiam non negligere), verum unitissimos sibi constituere amicos?

Cruces hujusmodi ex quanta dilectione mittat Deus homini.

Quidquid igitur adversi molestiæve nobis acciderit, id ex puro amore de manibus ipsius Dei accipere, illique denuo offerre nos convenit, uti et sanctus Andreas eminus videns crucem in qua erat suscepturus mortem, in illius laudem prorupit, salutavit, atque cum gaudio eamdem suscepit. Et nos quoque æquanimiter, quidquid nobis crucis Dominus imposuerit, portemus : ut quemadmodum socii fuerimus passionis, ita et gloriæ consortes efficiamur, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in secula, Amen.

Tribulationes uti de manu Dei suscipiendæ.

SERMO IN EODEM FESTO

IN QUIBUS BEATUS ANDREAS FUERIT MAGNUS, A DEO NOBIS EXEMPLAR VITÆ BONÆ CONSTITUTUS.

MAGNIFICAVIT illum rex, et scripsit eum inter primos amicos. I. Machabæorum X, 65.

De Jonatha olim Machabæo hoc ad litteram scriptum est, quod rex Alexander illum inter præcipuos amicos magnum habuerit. Sunt autem non pauca quoque in beato Apostolo Andrea, quibus cognoscitur inter magnos præcipuosque Dei amicos constitutus. Fuit enim magnus fide. Primus enim in Christum credidit : quare primus dici potest Christianus. Fuit præterea, antequam Christum nosceret, discipulus Joannis, quo constat semper eum singulari fide ac devotione erga Deum enituisse. In hac autem fide usque ad mortem perseveravit, in hac fide Christum secutus est, in hac fide itinera incommodaque multa, tempore prædicationis, sustinuit, in hac fide miracula fecit. In hac postremo fide pro Christo martyrium sustinuit. Est igitur magnus beatus Andreas, quia fide et sanctitate est magnus. Erat enim forti, constanti et ingenti fide præditus.

Andreas in quibus fuerit magnus.

I. In fide.

Secundo, illum Christus magnum fecit in charitate. Christum enim adeo amavit, ut non difficile, sed impossibile etiam illi fieret, ab eodem separari. Ardentissimo namque illi amore copulatus, inseparabiliter eidem adhæsit. Charitatis ejus magnitudinem passio, ad quam tam alacer et desiderabundus accessit, manifestat. Neque enim Christum aliter sitivit, quam cervus sitiens ad fontem aquarum. Proximi quoque salutem diligenter zelans et procurans, variis in locis, maxime in Achaia, Christum prædicavit. Vide autem quanta charitate fervebat, qui reperto et agnito Christo, non quievit, donec fratrem suum Simonem inveniret, quem pariter ad Jesum adduceret. Inveniens enim Jesum, se credidit invenisse vitam : quare ne modicum quidem exspectare potuit quin bonum hoc communicaret suo fratri. Quod simili modo Philippus fecit Nathanaeli.

II. In charitate.

Hoc modo vestrum erit quoque posthac, filii, ut faciatis, ut si qua dona a Deo perceperitis, communicetis vicissim ad ædificationem corporis Christi. Non hoc satis vobis sit, ut ipsi recte vivatis agatisque : sed alios etiam, quoscumque potestis, Christo adducatis. Curate quantum in vobis est, ut nemo a salute æterna sit exors. Hoc verbis, hoc precibus, hoc persuasionibus, hoc minis, hoc promissionibus, hoc præcipue exemplo agite, urgete, ne quispiam, præsertim de his qui vobis commissi sunt, non Christum sequatur. Christum vocibus, Christum moribus, Christum vivendi exemplo prædicate. Hæc enim est charitas, ut alter alterum invitet, alteri alter persuadeat, alterum trahat ad Dei timorem, ad mundi contemptum, ad odium vanitatis, ad studia virtutum, ad devotionis exercitium, ad vitæ sanctitatem, et ad Dei amorem. Hæc est, inquam, charitas, qua mutuo nobis et corporalia terrenaque et spiritualia bona communicemus, et vicissim nos juvemus, quo omnes, diaboli insidiis superatis, cœlestem hæreditatem possideamus. Hæc enim est dilectio quam Dominus mandat, dicens : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quomodo enim, aut ad quid nos aliud Christus dilexit, nisi ut beatos regnique sui cœlestis nos participes faceret ?

Dona Dei quomodo communicanda sint

Charitas erga proximum quo pacto sit exercenda.

Joann. XV, 21.

Nam qui se in peccatis, aut qui in

Quidam uti pueri sese diligant potiusque odiant.

similitudine conformitateque malæ voluntatis se diligunt, haudquaquam se diligunt quia in Deo, et quemadmodum nos Christus, se mutuo non diligunt. Vides duos conspirantes ad odium et homicidium, aliudve flagitium, fidem sibi mutuam spondentes, in sceleribus socios. Vides comessantes, bibones, helluones, parique studio ventri et carni servientes. Vides in lenocinio se amantes. Numquid hi Dei præceptum de amando proximo implent? Minime. Quomodo enim implerent, aut quomodo in Deo se diligerent, qui charitatem non habent? Neque enim ubi mala est voluntas, ibi esse charitas potest. Nec is diligere dicendus est, qui non secundum Deum, nec propter Deum, sed contra Deum diligit. Charitas igitur non est simul peccare, non est ejusdem malæ voluntatis uniformes esse, non est studiis pravis esse pares : sed est mutuo se diligere sancto amore, ad Dei honorem sese mutuis sanctis colloquiis excitare, amoris divini incendium sibi vicissim exsufflare, ad justitiæ opera et exercitia sancta alterutrum se roborare, propter Deum proximorum infirmitates et aliena onera portare et proximos consolari, aliena peccata humiliter et mansuete arguere, a vitiis spiritu languidos extrahere, proximorum ærumnis compati, bonisque congaudere. Hæc, inquam, sunt charitatis et signa et opera, quibus magnum fecit Dominus S. Andream inter amicos suos. Ad quæ vos quoque, filii, mecum simul hortor invitoque omnes.

Charitas vera quomodo a falsa discernatur.

III. In virtute.

Tertio, fuit virtute magnus factus B. Andreas. Neque enim verbo tantum prædicavit Evangelium, sed etiam vita. Quandoquidem humilitatem, mititatem, patientiam, paupertatem spiritus obedientiamque tota ejus vita clamat. Quarto magnum sanctumque Andream fecit Christus passione. Similitudine enim suæ passionis hunc conformavit sibi, atque amicum ostendit, quia crucis passionem, genus scilicet idem suæ mortis, illum sustinere fecit. Quinto, magnum illum fecit constantia. Cum enim turbæ Andream liberare niterentur a passione, ipse quibus potuit viribus et precibus turbas sedavit, compescivit, et ne liberaretur impedivit. Avidior namque ad sustinendam fuit mortem, quam Ægeas proconsul erat ad inferendam. Sexto, magnificavit Andream inter amicos cœlesti gloria. Coronavit enim illum cœlesti corona, apostolatus et martyris honore, principemque illum assidere sibi fecit. In novissimo enim die, B. Andreas cum Jesu judice est venturus, et judicis sententiam assidendo confirmaturus.

IV. In passione.

V. In constantia.

VI. In gloria cœlesti.

In his autem jam dictis hæc præstantiora atque præcipua sunt, quod vocavit illum Dominus ad apostolatum, quæ summa est dignitas : deinde quod vocavit eum ad consortium passionis. Majorem enim charitatem erga Christum non potuisset ostendere, quam quod tam admirabili fervore cucurrerit ad passionem, tam lætus alacerque sustinuerit crucem ac mortem, Christi morti ac ejusdem charitati quasi vicem redditurus, quamvis non a se, sed ex dono Dei hoc habuerit. Putabat enim indignum absurdumque fore, si non pro magistro suo, si non pro Deo suo, qui pro omnibus est mortuus, ipse quoque suam vitam impenderet. Sciebat præterea servum non esse majorem domino suo, neque super magistrum esse discipulum. Audierat a piissimo Jesu, tam sibi quam aliis Apostolis dictum : Sicut misit me Pater (puta ad passionem), ita et ego mitto vos, ut eadem quæ sustinui ego, toleretis. Exspectate a mundo ea quæ ego recepi, quia non ad delicias corporum sed animarum, non ad pacem temporis, sed ad pacem pectoris, non ad otium, sed ad laborem, ad crucem, ad mortem, ad molestias et adversitates mitto vos. Inde ergo sanctus Andreas Jesu voluntatem doctus, summopere in hoc Christo satagebat servire obedireque, quod eidem jam noverat placere. Idcirco passionem crucemque, charitate succensus divina, sitiebat vehementer anhelabatque ad martyrium. Inde

Dignitas summa ut fuerit Christi Apostolatus.

ad proconsulem ipsum terrere volentem ejus vox est mirum in modum laudanda : Si crucis, inquiens, patibulum timerem, crucis gloriam non prædicarem. Inde charitate constantissima fortissimaque hæc edidit ad eumdem verba : Quidquid in suppliciis majus tibi videtur, excogita. Tanto namque regi meo ero acceptior, quanto pro ipso pertulero duriora, quantoque in pœnis fuero constantior.

Verum, non verbis tantum constantiam prætendit, sed animo etiam exhibuit, atque pœnas patientissime toleravit. Siquidem, proconsule jubente, a viginti hominibus dure est verberatus. Quod patientissime sustinuit. Porro cum educeretur ad crucem, numquid, ut aliis solet evenire morituris, facies ejus expalluit ? Numquid membra obriguerunt, vox faucibus hæsit, cor palpitavit ? Aut numquid videns paratam sibi crucem, tremuit ? Minime, quin potius visa cruce, quando cæteri solent exangues fieri præ nimio horrore, beatus Andreas ingenti perfunditur gaudio, atque in sancta prorumpens verba, crucem hoc modo affatur : Salve, crux sancta, quæ in Christi es corpore dedicata, et ex ejus membris non aliter quam margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus terrenum timorem habuisti, nunc vero cœlestem habes lætitiam, quandoquidem ex desiderio susciperis ; securus igitur venio ad te, ita ut tu quoque exultans suscipias me , nempe discipulum ejus qui pependit in te. Amator tui namque semper fui, et desideravi amplecti te. O crux bona, quæ pulchritudinem et decorem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et tandem nunc concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. Beatus quoque Bernardus mirum in modum extollit hanc Andreæ patiendi exultationem, moriendique fiduciam, dicens : Andreas homo erat similis nobis, passibilis, et tam vehementi ardore spiritus crucem sitiebat, tam inaudito e seculis gaudio tripudiabat, cum paratum sibi eminus patibulum conspexisset : O crux, inquit, diu desiderata et jam concupiscenti animo præparata, securus et gaudens venio ad te, ita ut et tu exultans suscipias me. Videtis quia non capit se præ magnitudine gaudii ? Ita enim inquit : Ut et tu exultans suscipias me. Ergone tanta est exultatio, ut exultet et ipsa crux, nec lethi, hoc est, mortis, quidquam habeat crux, sed totum lætitiæ sit ?

Amor B. Andreæ erga crucem quantus fuerit.

Bernard.

Videte, charissimi, quomodo hic vir Dei omnino mundum et carnem vicerat, videte quam omnino aliter quam amicorum mundi in se quispiam, sentiebat. Quis amicorum mundi, quis præsentium bonorum amator ad crucem, ad mortemve adeo, ut beatus Andreas anhelaret ? Certe carnalis amor et amor sanctus spiritualis ex diametro simul pugnant : ideo nihil mirum est, ut fructus dissimiles generent. Gaudere in tribulationibus, exultare in pœnis, anhelare ad mortem, Dei amor sanctus, non mundi amor facit. Carnalis amor quærit sua commoda, sua lucra, suas recreationes, suam quietem, suum honorem : Dei amor in nulla re quærit seipsum, sed Deum solum.

Amor D. et amor carnalis quomodo contra se pugnent.

Accipiamus igitur sancti Andreæ vitam ut speculum, aut ut exemplar vivendi, juxta quod nostros mores, actus et studia dirigamus. Idcirco enim ejus a nobis memoria celebratur festiva, ut discamus in ejus vita quid in ea sit nobis imitandum. Sanctus namque Andreas studiosissimus fuit imitator Christi. Nos igitur dum Andream imitamur, Christi vitam imitamur, propter quem solum Andream honoramus, quia Dei servus erat : diligimus, quia Dei amicus erat : imitamur, quia Christi vitæ imitator erat. Sed dicit quis : Ego Christum imitabor, non in Andream respiciam. Bene facis Christum imitaturus. Sed vide ne ore hoc tantum loquaris (quomodo novi Evangelici neochristianique seu Lutherani loquuntur), revera autem neque in opera Christi, neque in Andreæ

Vita B. Andreæ cujusmodi sit nobis speculum.

Sancti cur sint honorandi, diligendi ac imitandi.

vitam respicias. Quomodo enim respiceres ut imitareris, quandoquidem opera bona nihil asseris tibi prodesse? Si itaque opera bona nihil tibi conducunt, ut tu putas, quomodo tu ea frequentares, quæ derides et persequeris in aliis ? Hortor tamen ut Christum imiteris, sive in ejusdem sive in Andreæ vitam prospiciens. Neque enim quando Paulus Apostolus dicebat : Imitatores mei estote, abstrahere nos aut eos quibus scribebat separare voluit a Christo, sed se jubebat proponebatque imitandum, ne deviarent ab imitatione Christi. Propterea imitatores mei, inquit, estote, sicut et ego Christi, quasi diceret : Ego qui per infirmitatem Christo infirmior sum, vilior, utpote peccator, homo tantum, vobis per omnia similis, me vobis imitandum offero in his, quibus et ego imitator sum Christi, ut si fortasse in lucem solis oculos figere non valetis, certe vel lunam, vel stellam, vel candelam me intueamini. Ne dicatis : Christus Deus fuit et homo, sine vitio et fomite peccati ; quomodo illum possem imitari? Ecce me peccatorem hominem similem vobis imitemini, qui ex me nihil, sed Dei gratia sum id quod sum. Me enim imitando imitamini Christum. Siquidem ego sum imitator Christi. Quomodo ergo me dum auditis prædicantem, Christum prædicantem auditis, quia ea quæ Christus docuit et jubet, prædico : ita me si imitemini, Christum imitamini, quem ego imitor. Dico igitur : Sanctorum ideo legimus vitas, ut eorumdem operibus nos conformemus, ipsorum imitemur virtutes : imo cum ipsis Christum imitemur, propter quem operamur bonum, et in cujus quidquid agimus gloriam referimus.

Christum sequimur dum Sanctos ejus imitamur.

I. *Cor.* xv, 10.

Sanctorum vitæ qua ratione legantur.

Quando ergo Andream legimus primo se tradidisse in discipulum Joanni Baptistæ, deinde cognita majori Christi perfectione, et ex consilio Joannis eumdem fuisse secutum Christum, discamus nos quoque oportet devotionis fore studiosi, et de bono semper ad meliora progredi. Discamus non sufficere charitati, nos solos esse bonos, nisi alios ad Christum duxerimus, nisi ut et alii boni sint quoque curaverimus. Idcirco bonis exhortationibus, operumque bonorum provocationibus et exemplo, alios quoque erudiamus trahamusque nobiscum ad Deum. Quod si quid hujus rei gratia aut occasione alia propter Deum nobis occurrerit patiendum, id si non tam exultabundi ut S. Andreas, saltem patienter et æquanimiter toleremus. Quod vero legimus de Andrea qui Ægeam proconsulem durioribus arguit verbis, idque sapienti ac forti animo, docemur nulli peccato consentire, nec homini cuicumque adulari aut morem gerere (sive propter ejus favorem, beneficia, munera, sive propter minas, damna et pericula quæcumque) contra Dei voluntatem ; sed quomodo Apostolus nos monet : *Unusquisque fratri suo placeat in bonum ad ædificationem.* Deinde quomodo Sanctus Andreas nec minis nec verberibus cessit, sed perseverantia constantissima veritati inhæsit, pro veritateque mortem excepit, ita nos quoque oportet domum nostram interiorem, non super arenam aut sine fundamento ædificare, quam levis aut tempestas aut ventus evertat, sed super petram constantissimæ voluntatis in Christo fundatam. Sanctus Andreas postremo hanc vitam miserrimam et ærumnis plenam commutavit felicitate æterna, ideo libenter hanc præsentem propter Christum vitam exuit ac reliquit, ut æternam per eumdem inveniret, ejusque gloriam intraret, qui cum Patre et Spiritu Sancto est Deus benedictus in secula, Amen.

Rom. xv, 11.

In quibus B. Andreas imitandus sit nobis.

IN FESTO

SANCTÆ BARBARÆ

REGINÆ, VIRG. MART. ET SPONSÆ CHRISTI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

CONFITEBOR tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione; a laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium; et in conspectu adstantium factus es mihi adjutor, et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui, a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum, quæ circumdederunt me; a pressura flammæ, quæ circumdedit me: et in medio ignis non sum æstuata. De altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii. A rege iniquo, et a lingua injusta liberasti me. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de omni angustia, Domine Deus noster. *Eccli. LI.*

LECTIO hæc, fratres et filii charissimi, ex Ecclesiastico desumpta est, qua sancta Barbara ac quævis alia virgo et martyr Christi introducitur, gratias Deo suo agens pro præcipuis beneficiis sibi exhibitis: maxime autem pro hoc, quod felici consummatione, victima Deo digna, oblata est per passionem et mortem, in qua ab omni ærumna ab omnique alia futura adversitate erepta et liberata est. Dicit igitur sancta hæc martyr: Confitebor tibi, Domine Rex, te confiteor, te laudo, qui universorum Dominus es, quandoquidem omnia creasti, et tua sunt omnia. Es quoque eorumdem omnium, quæ in cœlis et quæ in terris sunt, rector et gubernator sapientissimus: qui tua providentia omnes nos pascis foves, et protegis. Confitebor itaque tibi, et collaudabo te Deum Salvatorem meum, non sola, sed cum omnibus Sanctis te laudabo Deum Salvatorem meum, qui ab innumeris periculis me liberatam duxisti ad perpetuam beatitudinem. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi. Adjutor quidem es, ne originale me absorbeat peccatum, a quo per te liberatam continue adjuvas quoque, et in tentationibus protegis, ne peream: idque per gratiam tuam, qui gratis propter temetipsum omnia facis. Et liberasti corpus meum a perditione. *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam,* et ad gulam fornicationemque suapte corruptione pronum, nunquam non per desiderium ad hæc anhelat. Quapropter a vitiis gulæ, ab æstu luxuriæ me servans, liberasti corpus meum a perditione. *Qui enim fornicatur,* teste Apostolo, *Sap.* IX, 15

I. *Cor.* VI, 18.

in proprium *corpus suum peccat.* Qui ergo te, ne pecces, servat, hic a perditione, quam pro peccato passurus (si cecidisses) eras, te liberat. In corpore enim solvemus, quidquid in corpore mali, quod hic per pœnitentiam non est deletum, gesserimus. A laqueo linguæ iniquæ, tam propriæ quam alienæ, liberasti me, ne male loquendo, aut per ostentationem, aut per invidiam peccarem, aut ne linguæ adulanti assentirem, aut detrahenti linguæ vindictam meditarer, seu desiderarem. Utrobique enim lingua est iniqua. Et a labiis operantium mendacium liberasti me : et in conspectu adstantium factus es mihi adjutor. Adstantium conspectus aut intelligitur hominum, qui passionibus sanctarum adstiterunt virginum, earumdem finem contemplantium, quæ raro visæ sunt absque miraculo aliquo aut prodigio mori. Viderunt enim adstantes divam Catharinam, rota divinitus confracta, liberari : Agnetem et Barbaram, virgines pudicissimas nudatas, stolis cœlitus missis, contegi : aliarum flammas rogumque paratum exstingui ; ferventissimum æs, et adipem, quibus quædam sanctæ erant immergendæ, infrigidari, tortorum manus arefieri, aut lassari, feras indomitas non solum mansuescere, sed etiam sanctis blandiri : aliaque multa adstantes, non sine admiratione magna, viderunt. Potest nihilominus de Angelis hoc intelligi, quorum millia millium Domino ministrant, et decies centena millia eidem assistunt. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui. Liberasti, inquam, me, ne consentirem hosti, ne timerem adversarium, ne falleret me mundus, ne diabolus vinceret : et ut minas tyrannorum æque ut blanditias rideam. Hoc autem fecisti secundum multitudinem misericordiæ nominis tui. *Multæ enim sunt misericordiæ tuæ, Domine.* Liberasti quoque me a rugientibus præparatis ad escam, et de manibus quærentium animam meam, hoc est a diaboli rugitu, qui tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret, tyrannorumque principum diaboli membris : et de portis tribulationum, quæ circumdederunt me. Portæ tribulationum sunt introitus tentationum atque adversitatum. Sæpenumero autem Deus electos suos portas sinit intrare tribulationum : quas tamen, ubi ostenderit illis imminentes, ubi se aut Deo resignaverint, aut mala imminentia deprecari ceperint, ab eisdem mox liberat. De omnibus igitur hic Domino confitetur hæc Christi sponsa et martyr, gratiasque illi agens, narrat a quibus sit liberata : A pressura flammæ, hoc est, ab urentis tentationis, quæ carnem urit aut spiritum perturbat, fervore scilicet liberasti me, juxta illud : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Et in medio ignis, hoc est, in medio ferventissimæ vehementissimæque tentationis non sum æstuata, nec succubui. Ducit enim electos suos Deus, ut per Zachariam loquitur, per ignem, et probat eos, sicut probatur aurum. De altitudine, hoc est, de profunditate ventris inferi, qui omnes deglutire et absorbere molitur. Itaque de profunditate ventris infernalis, in quem mortale dejicit peccatum. Nec ab inferno tantum liberavit me, sed etiam a lingua coinquinata et a verbo mendacii quoque, ne aliena me polluta lingua inquinaret, neve mendacium falleret : et ne ego alium loquendo, scandalizarem, ne verbis mendacii cuipiam imponerem. Sic sanctam Barbaram, sanctam Luciam, sanctam Catharinam, fereque omnes sanctas virgines Christus liberavit, ne tyrannis ad carnalia opera illas invitantibus consentirent : sed mortem potius sustinere quam virginitatem amittere consentirent. Deinde veritati adhærentes, hanc inter pœnas ac gravissima tormenta quoque sunt confessæ, nec verbis mendaciorum, quæ falso seductorieque illis a tyrannis promittebantur, si Christum negarent, motæ. Propterea sequitur : A rege iniquo, hoc est, a crudelitate Imperatorum, regum, principum et præfectorum, ne eorum formidarem minas, liberasti me : aut a diabolo, qui rex

Lingua iniqua quæ dicatur.

Virgines martyres sine miraculo uti raro visæ sint mori.

Dan. VII, 10.

Ps. CXVIII, 156.

I. *Petr.* V, 8.

Portæ tribulationum quænam dicantur.

Ps. LXV, 12.

Zach. XIII, 9.

Virgines suas sanctas uti Christus contra tyrannorum blanditias confortaverit.

Job XLI, 25. est super omnes filios superbiæ : et a lingua injusta, quæ minabatur, inferrique jubebat innocentibus pœnas, ita me liberasti, non ut non paterer, sed ut non solum patienter, sed desideranter etiam ac amanter, tui contemplatione, paterer. Non autem nunc solum laudo, sed laudabit etiam usque ad mortem anima mea Dominum. Major enim est omni laude, sicut *Eccli.* XLIII, 32. Ecclesiasticus dicit : *Glorificate Dominum quantumcumque poteritis. Supervalebit adhuc. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis. Major enim est* *Ps.* XXXIII, 2. *omni laude.* Et, *exaltantes eum, replemini virtute. Ne laboretis, non enim comprehendetis.* Itaque, *benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* *Ps.* CXI 2. *Psallam Deo meo quamdiu fuero.* Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum : quoniam eruis sustinentes te, et longanimiter auxilium exspectantes misericordiæ tuæ : et liberas eos de omni angustia, Domine Deus noster. Sufferentiam Job audivimus, charissimi, et finem Domini vidimus per fidem et lectionem, sanctarum virginum martyrumque celebramus memorias. *Ecce beatificamus eos, qui sustinue-* *Jac.* V, 1 *runt.* Nihil igitur restat, nisi ut nos quoque inter quæcumque adversa exspectemus Dominum, sperantes ut nobis subveniat tanquam clementissimus Pater et adjutor in tempore opportuno.

EXEGESIS EVANGELII

IN FESTO S. BARBARÆ, ALIARUMQUE VIRGINUM ET MARTYRUM, MATTHÆI XIII.

RECTE in festo Sanctarum Virginum hoc sequens legitur Evangelium, in quo narratur quomodo pro amore temporalis thesauri, omnia venderent homines, ut agrum, in quo thesaurus temporalis absconditus jaceret, compararent. Quod sanctæ quoque virgines fecerunt. Nam cœlestem thesaurum, hoc est, regnum cœleste, aut sponsum cœlestem, quomodocumque hunc intelligas, a Deo concupierunt, ut pro illo obtinendo, quæcumque carni blandiuntur, quæcumque delectant, quæcumque sunt jucunda, et in hominum æstimatione mundanorum pretiosa aut gloriosa traderent, corpora quoque sua variis exponerent pœnis, ut thesaurum sibi hunc cœlestem compararent. Nam sanctæ virgines teneræque puellæ, quanto desiderio hujus sponsi sui cœlestis, quanto hujus thesauri cœlestis amore fervebant, quæ passæ sunt se cædi, exungulari, suspendi et (quod virginali pudicitiæ morte non inferius est) vestibus nudari, ac capitibus truncari, ut ad cupitum venirent thesaurum. Dicit igitur Evangelista Matthæus :

Virginum tenerarum desiderium quantum fuerit erga cœlestem sponsum.

> Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit omnia quæ habet, et emit agrum illum.

Per regnum cœlorum hic beatitudinem cœlestem intelligimus, quæ assimilatur thesauro. Revera enim hæc thesaurus est incomparabilis. *Oculus* enim, *non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* *ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Thesaurum itaque cœlestis regni vult dici, amorem, quia ut thesaurus, debet desiderari, quæri, diligi et conservari. Ibi enim sunt divitiæ immarcescibiles, quæ non putrescunt, neque marcescunt, neque veterascunt. Thesaurum hunc jubet nos Dominus thesaurizare in cœlo. Hic in cœlo sibi thesaurum constituit, qui omnia in Dei gloriam, quem solum amat, facit : qui

Regnum cœlorum quid hoc loco significet. I. *Cor.* II 9.

Thesaurus quid hic significet.

omnia in Dei destinat honorem, qui etiam tam voluptates quam voluntates suas sibi propter Dei beneplacitum, et propter cœlestis regni bona, interdicit. *Thesaurizate,* inquit Dominus, *vobis thesauros in cœlo, ubi fur non appropiat, ubi neque ærugo consumit, neque tinea hunc demolitur* ut *ibi* sit quoque *cor tuum, ubi* fuerit *thesaurus tuus*. Hic thesaurus tanto locupletius cumulatur, quo thesaurum opesque terrenas abundantius in Dei honorem, et in sustentationes pauperum erogaveris. Hos præsentes thesauros, terrena puta omnia, propter Deum expende, et pauperibus tribue, et habebis non modo thesaurum in cœlo, sed tuum etiam erit regnum cœlorum. Thesaurum hunc comparandum hoc modo suadet Dominus dicens : *Vade et vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni, sequere me.* De hoc thesauro loquens beatissimus Gregorius : Thesaurus, inquit, cœleste est desiderium. Ager vero, in quo thesaurus absconditur, disciplina est cœlestis studii. Quem profecto agrum venditis omnibus comparat, quisquis voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat, ut nihil jam, quod carni blanditur, libeat, nihil quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat. Invenitur autem hic thesaurus per sacram eruditionem prædicationemque Evangelii : absconditur autem, si quis hoc, quod fide credit, corde diligit, ejusque nunquam obliviscitur. Divus Gregorius iterum dicit : Inventus thesaurus absconditur, ut servetur ; quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita, quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via. Quod tamen ita intelligendum quoque est, (ut ibidem D. Gregorius plenius elucidat) non ut proximi nostri opera nostra bona non videant, quando Dominus dicit : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est,* sed ut, quantum laudem nostram attinet, ea potius velimus abscondi quam prædicari. Hoc est, ut quantum in nobis est, malimus latere et non agnosci : imo etiam contemni, quam reputari, aut honorari : et per hoc quod agimus, externas laudes haudquaquam quæramus. Sic autem sit opus in publico, ut intentio maneat in occulto, quo proximi nostri quidem ex operibus nostris, quæ vident, ædificentur : nos autem Dei solius gloriam quærentes, per studium humilitatis, vitium evadamus vanitatis. Ad hoc namque Christus hortatur alibi dicens : *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua.* Hoc est, adeo nihil gloriæ aut vanitatis usurpes tibi de opere virtutis, ut intentio sinistra nesciat pervertere quod facit dextra justitiæ. Potest etiam per agrum, Sacra Scriptura, aut conversatio sancta ac virtuosa intelligi : in quo thesaurus sive cœlestis regni amor desideriumve invenitur. Hunc enim thesaurum ut obtineas necesse est vendere omnia quæ habes, et emere agrum illum. Oportet te, inquam, abnegare omnia, quæ privato cupis diligisve amore, quo cœleste desiderium in te introducatur. Nisi enim teipsum et omnia reliqueris, thesaurum hunc non possidebis. Vide, quia non dicit, illum emisse thesaurum, sed agrum in quo situs est thesaurus. Non enim sunt condignæ passiones, quomodo nec labores sufficiunt nostri ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Sed emit, inquit, agrum illum. Desideriis enim carnalibus abnegatis, spiritualia cœlestiaque succedunt : et mortificata carne, reflorescit spiritus. Itaque quantum a terrenis disjungimur, tanto cœlestibus donis, quibus felicitatis æternæ efficiamur digni, magis ditamur. Potest hic quoque virginibus sanctis applicari parabola hæc, ut sit thesaurus in agro, virginitas in carne. Est enim revera nobilissimus thesaurus præclara virginitas, Angelorum soror et co-

Matth. VI, 20, 21.

Thesaurus cœlestis quomodo hic obtinetur.

Matth. XIX, 21.

Gregor.

Thesaurus uti cœleste sit desiderium.

Thesaurus cœlestis quomodo inveniatur.

Gregor.

Thesaurum abscondi quid sit.

Matth. V, 16.

Matth. VI, 3.

Ager mystice quid sit.

Ager quomodo mystice comparetur.

Rom. VIII, 18.

Virginitas in carne quatenus vocetur thesaurus in agro.

gnata quamvis speciosior, juxta Ambrosium et Hieronymum, sit virginum victoria ac corona, quam Angelorum. Angeli enim sine carne vivunt, virgines vero in carne etiam triumphant. Narrantur autem hic tria de thesauro, virginitati congruentia, imo et necessaria. Refertur enim hic thesaurus inventus, absconditus, et bonis aliis, quæ propter illum distrahuntur, seu venduntur, prælatus. Non potest autem thesaurus hic inveniri in luxuriosis, nec potest abscondi in superbis, ac inaniter gloriosis, nec præfertur bonis temporalibus in avaris. Quot enim superantur, ut nubant, concupiscentia carnis? Quot puellas ad matrimonium, relicta virginitate, trahit superbia, ut maritos obtineant honoratos ac nobiles? Quot denique virginitatem contemnunt, temporalia amantes bona, si maritos sperant opulentos : Virginitas igitur, pudicitiaque casta, thesaurum novit invenire, humilitas hunc novit abscondere. Paupertas, hoc est, paupertatis amor novit thesaurum hunc bonis omnibus terrenis præferre. Hoc modo Barbara, Agnes, Agatha, Margaretha, aliæque Virgines sanctæ thesaurum invenerunt, absconderunt, et terrenis omnibus prætulerunt.

Virginitati sacræ quænam stulte a stultis præferantur.

Iterum, simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.

Hic regnum accipitur cœlorum pro militante Ecclesia, quasi diceret : Negotium agitur in Ecclesia, quasi negotiatoris qui bonas margaritas requirit. Per negotiatorem, quilibet homo Christianus intelligitur, qui vilia cuncta a se abdicat, puta caduca, transitoria, temporalia, terrena et carnalia : hæc dat, hoc est, Dei amore se illis privat, ut virtutes, Dei dona, spiritualia æternaque a Deo munera recipiat. Vendere enim illius, est terrena pro cœlestibus commutare. Una autem pretiosior aliis margaritis, est paupertas spiritus, cui deest amor privatus, superbia, invidia, avaritia, propria voluntas, et hujusmodi. Pro hac obtinenda, multa sunt deserenda atque abjicienda, quibus comparetur. Potest autem in festo virginum applicari ad virginitatem, quæ pretiosissima est margarita. Pro cujus adoptione quoque ut ematur multa sunt eroganda, multis carendum, multa subtrahenda. Neque enim omnis virginitas, pretiosissima hic margarita dicitur. Sunt enim virgines carne, sed non voluntate, quæ optarent maritos, aut quæ aliquando, si fortuna arriserit, meditantur nubere. Harum integritas non ad modum præferenda est, ut dici possit margarita. Neque enim virginitas a Deo coronatur, nisi ea quæ Dei servatur amore. Quæ si Deo dicata fuerit, ut omnis truncetur nubendi voluntas, et virginitatis placeat perseverantia, roboreturque sic permanendi propositum, ut arridentibus quibuscumque mundi felicitatibus aut conditionibus, nolit mulier a virginitatis proposito discedere : sed Christo tanquam sponso innupta virgo permanere, jam virginitas dicitur pretiosa margarita : quæ non ideo tantum placet Deo, quia virginitas, nec propterea solum aureola a Deo coronanda, quia servata est : sed idcirco magis quia Deo dicata est, cum proposito semper ita manendi, ut Ambrosius et Augustinus asserunt, et Dei amore servata. Hujusmodi virgines fuerunt, hæc sancta martyr Barbara aliæque multæ, quæ spretis divitiis, spretis honoribus, spretis denique nuptiis regum, cunctisque mundi promissionibus, maluerunt Christo Domino desponsari, ac in virginitate vivere, mortemque ac cruciatus maximos sustinere, quam carnis pollutionibus, fœdisque delectationibus contaminari. Potest nihilominus in pretiosa margarita intelligi æterna increataque Dei sapientia, Jesus Dei Filius Christus Dominus noster : cujus amore vendit omnia quæ habet, hoc est, omnia contemnit, etiam seipsum, omnia, quomodo Paulus ait, arbitrans ut stercora, *Phil.* III, 8.

Regnum cœlorum significari hic Ecclesiam militantem.

Negociator quisnam dicatur mystice.

Marg uti si spirit paupe tem.

Virg tas ca quand catur tiosa garita.

Aur quand virgini coron da.

Amb Aug

Sapie æterna sus C stus ut minetu margar pretios

ut Christum lucrifaciat. Et hæc expositio iterum optime sanctis quadrat virginibus, quæ pro Christi abrenuntiant amore, carni, mundo cunctisque desideriis. Nisi enim renuntiarent, non solum omnibus quæ possident, sed etiam sibi ipsis, quomodo prætiosam illam unam, cui nulla est alia æqualis, margaritam compararent, aut quomodo pro Christo corpore consentirent occidi, si vitiis concupiscentiisque malis non ante voluissent mori? Quod si per margaritam pretiosam, beatitudinem aut regnum intelligimus cœlorum, omnibus applicatur Christianis. Est autem adeo pretiosa hæc margarita, ut nisi venditis omnibus, non possit emi. Tam vilis quoque, ut sola valeat bona voluntate comparari. Solent autem negotiatores, non pericula latronum formidare, non maris horrere tempestates, non famem, non sitim laboremve ullum. Si enim illa fugerent, negotiari non possent. Et Christianus pro Dei amore, et pro æterna beatitudine nullum debet refugere laborem, nullam recusare adversitatem, non probrum, non contemptum laboremve, aut incommodum ullum. Hujusmodi fuit negotiator beatus Paulus, qui dixit : *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?... Certus sum autem, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.*

Margaritam pretiosam significare æternam beatitudinem.

Negotiari probe quænam debeat quivis Christianus pro pretiosa margarita.

Rom. VIII, 35.

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua : malos autem foras miserunt.

Tertiam hic contexit parabolam, de sagena missa in mare. Mare seculum intelligitur, in quo perinde ac in mari semper tempestates, creberrimaque pericula versantur. Piscatores autem qui sagenam in mare mittunt, sunt prædicatores sancti, qui sagenam prædicationis verbi Dei expandunt, et ad capiendos extrahendosque de profundo maris, hoc est, seculi, pisces, id est, homines, divini verbi auditores, mittunt. Est igitur, inquit, simile regnum cœlorum sagenæ missæ in mari. Regnum cœlorum, ut supra dixi, ecclesia militans dicitur. Hæc sagenam prædicationis divinæ expandit, qua pisces cujuscumque generis, seu omne genus hominum, id est, tam bonos quam malos in profundo seculi demersos capit, ad littusque perducit. Congregat enim hic tam electos quam non electos : sed ubi impleta fuerit sagena, puta circa mundi finem, tunc extrahetur, piscesque educet omnes ad littus, ut segregentur boni a malis. Itaque Ecclesia triumphans, quæ est in cœlo, solos recipit bonos. Porro Ecclesia militans tam bonos quam malos recipit : sed in fine discernens, dividit. Siquidem bonos reponet in vasa sua, id est, in cœlestes mansiones, malos in gehennam.

Mare uti significat seculum præsens.

Piscatores ut sint prædicatores veritatis.

Sagena mystice quid sit.

Littus maris ut signet finem mundi.

Sic erit in consummatione seculi. Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, et stridor dentium.

Hoc idem alibi dicit : *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes : et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, etc.* Et alibi : *Sinite utraque,* id est, triticum cum zizania, *crescere usque ad messem. Et tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum ; triticum autem congregate in horreum meum.* Separatio namque erit electorum a reprobis, ut illi a dextris, hi constituantur a sinistris : et tunc illis qui a dextris sunt, dicturus est :

Matth. XXV, 31.

Ibid. XIII, 30.

Separatio electorum a reprobis quomodo fiet.

Matth. xxv, 34. *Venite, benedicti Patris mei, etc.* His vero qui a sinistris erunt, dicet : *Ite, maledicti, in ignem æternum, etc.* De similibus quoque hic dicitur: Exibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. Quamvis enim resurrectio mortuorum, retributioque æterna non fiat, nisi auctoritate virtuteque divina : multa tamen hic fient Angelorum ministerio, qui suscitandorum cineres creduntur collecturi, ab impiis justos segregaturi, prolataque sententia, ac terra os suum aperiente, reprobos involuturi, igneque conflagrationis in infernum præcipitaturi: ubi erit fletus et stridor dentium. Fletus quidem propter intolerabiles supplíciorum infernalium dolores: sed stridor dentium propter vehementissimum frigus. Erit enim in inferno ardentissimus incendii æstus, et vehementissimum frigus, ut de uno transeant in aliud, non per remissionem aut defectionem alterius : sed de vehementissimo calore subito ad vehementissimum frigus, quomodo scriptum est : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Hæc audientes, filii, cogitate modo, quamdiu estis in itinere, quid vobis eventurum sit in termino viæ, hoc est, in fine vitæ vestræ. Modo laborate, modo sudate et contendite per angustam portam intrare, ne infructuose vobis contingat sero pœnitere, nimium ardere, flere ac stridere dentibus.

Angelorum ministerium in extremo judicio cujusmodi erit.

Fletus stridorque dentium quomodo intelligatur.

Job xxiv, 19.

Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

Postquam parabolas has dixerat Dominus, interrogavit Apostolos, an omnia quæ dixerat, intellexissent, non nesciens quid intellexissent aut non intellexissent : sed occasionem quærens, ad eorum verba inferendi ea quæ sequuntur. Nam cum se intellexisse hæc omnia responderent: Ideo, inquit, dico vobis, quod omnis Scriba doctus in regno cœlorum, similis, etc. Apostolos, Scribas et doctos, utpote Christi (ut ita dicam) notarios vocat, qui legem Dei in mentibus audientium scribebant, quos similes vult esse homini patrifamilias, qui suæ familiæ de thesauro suo profert et nova et vetera, hoc est, pecunias, vasa, vestes, cæteraque id genus, quæ curare habet, producit, juxta exigentiam cujuscumque consolandi aut fovendi. Ita prædicator aut Apostolus quoque de thesauro Sacrarum Scripturarum quidquid noverit utile fore aut congruum, proferre debet, sive id fuerit ex veteri Testamento, sive ex novo. Quomodo enim paterfamilias omnia in refectionem et consolationem et in utilitatem suæ ordinat familiæ, ita prædicator apostolusve non ignorare debet, quid Christi conveniat familiæ, unde regatur, et quibus sustentetur: ideoque ad manum sunt ei necessaria, ut habeat promptam utramque Scripturam, notitiamque tam veteris quam novi Testamenti, unde queat producere ea quæ hominibus docendis sint utilia de Christo Jesu Domino nostro, qui est benedictus in secula, Amen.

Scribæ doc cti et no tarii Chr sti uti fu erint Apo stoli san cti.

SERMO IN EODEM FESTO

QUIBUS EXTOLLENDA SIT DIVA SPONSA CHRISTI BARBARA ENCOMIIS, QUOMODOVE SANCTI PRO SIBI DEVOTIS JUDICEM INTERPELLENT.

LAUDABIT usque ad mortem anima mea Dominum : quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de omni angustia, Domine Deus noster. Ecclesiastici LI, 8, 12.

Hæc verba, fratres et filii charissimi, optime in Christi sponsam quadrant sanctam Barbaram: quandoquidem mira Dei beneficia ipsa in conversione, in vita, in passione denique et in morte sua experta est. Quæ omnia (quia nihil sibi eorum usurpavit, in laudem suam nihil arrogavit, nihil tribuit sibi: in Deum vero retulit omnia) illius esse dona, nihilque ibi suum, perfectissima humilitate cognoscens, propterea dixit: Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, et cætera.

In conversione divæ Barbaræ quam fuerit admirabilis Deus et laudandus.

In conversione namque illius quis Dei bonitatem digne collaudet, qui absque hominis eruditione illam prævenies, illuminavit adeo ut naturali quoque lumine simulacrorum, Deorumque multiformium deprehenderet vanitatem: adeo namque rationis lumen in ea prævaluit, ut ea quæ facta sunt, quæ instituta sunt, quæ aliquando non fuerunt, viliora crederet esse iis qui cultum venerationemque illis instituerunt. Quamobrem eos quoque deos qui ab hominibus colebantur (quandoquidem homines olim fuere), judicabat prorsus nihil posse numinis habere, sed necessarium fore, ut aliqua virtus sit omnipotens, omnia sciens, omnia creans ac regens, infinita, sine tempore, numero et mensura, quæ ante omnia sempiterna ac indeficiens fuerit, a qua omnia reliqua, quæ habent esse, inceperint, quæ justius divinitatis et rem et nomen habeat quam ea, quorum nomen ac honor (sine virtute) ex aliorum pendet voluntate et institutione. Pro hac itaque sui illuminatione laudat te, Jesu bone, sancta Barbara puella sapientissima, qua deorum tum vanitatem, tum stultitiam deprehendens, illos respuit, et in tui desiderium amoremque (licet nondum te perfecte cognosceret) tua illustrata gratia exarsit. Tu enim ipsam, ut te quæreret, tu ut perfectius te recuperet et cognosceret et amaret, eam excitasti. Tu inveniendum ei te obtulisti. Nam ubi servum tuum Origenem veræ divinitatis audisset Alexandriæ doctorem, confestim illi litteras scribens, et tui veræque fidei sibi petiit notitiam inferri. Quod, te cuncta dirigente, quomodo petivit, ab Origenis quodam discipulo clam ad se misso edocta impetravit. Pro iis, inquam, præclaræ sponsæ tuæ Barbaræ anima laudabit usque ad mortem te Dominum, quoniam eruis sustinentes te a caligine perfidiæ et errorum tenebris, ad veri luminis tui notitiam, quod in mundum venit illuminare eos, qui in tenebris et in umbra mortis sunt, ad dirigendos pedes suos in viam pacis. Itaque in sanctæ Barbaræ vita mirabilis valde atque laudandus apparuit Dominus. Siquidem in turri, quam pater ejus paganus illi construxerat, lectioni sanctorum librorum, quos Origenes illi miserat, abstinentiæ, jejuniis, orationi atque vigiliis devotissime solitaria insudabat. Super omnia autem, favente etiam patre, qui ob sui dilectionem putabat id fieri, et propterea turrim pulcherrimam ei fecit ædificari, pretiosissimum virginitatis thesaurum Christo, quem toto amabat corde, custodiebat. Videns vero in turri sibi constructa duas tantum esse fenestras, his tertiam adjici contra patris mandatum jussit, ut exercitium pariter et occasionem sanctæ Trinitatis adorandæ colendæque inde sumeret. Progrediens deinde longius, lavacrum sibi a patre paratum invenit sculptum, miroque artificio ornatum. Quod introiens, dum aqua abesset, Dominum rogavit, et mox aqua usque ad ejus umbilicum impletum est: in quo a præcursore Domini Baptista Joanne baptizata est. Pro iis aliisque multis in vita sua acceptis beneficiis, quæ prætergrediens ad ejus vitam legendam vos mitto, inquit beata Barbara: Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, etc. Cognovit enim omnia Dei esse dona gratis sibi collata, pro quibus ita gratias agendas Deo sciebat, quomodo eadem dona cognovit haud esse negligenda.

Luc. 1, 79.

In vita sanctæ Barbaræ quam fuerit Deus admirabilis et laudandus.

Barbara a quo quomodoque fuerit baptizata.

In passione vero sua benignitatem Dei clementissimam experta est. A quibusdam enim gravibus tormentis illam eripuit, in quibusdam fortitudinem dedit et tolerantiam: charitate quoque constantissima ac

In passione S. Barbaræ uti Deus fuerit admirabilis et laudandus.

ignea cor ejus succendit ut non solum tolerabilia, verum desiderabilia, quæ patiebatur etiam redderentur, licet naturæ alioqui horrida erant. Cæterum, inquis, si naturæ erant horribilia, quomodo desiderabilia facta sunt? Id patiendi fecit causa. Haudquaquam enim pro se, sed pro Christo passa est, cujus amor adeo pectori ejus erat impressus, adeo erat fervens, adeo suavis, ut dulcia ac levia ei viderentur, quæcumque in ejus gloriam ferre potuisset. Itaque gaudebat ansam occasionemque sibi præberi, quo suum Christo amorem posset ostendere. Proinde, patre demum redeunte (longius enim absens fuerat) postquam tertiam vidit in turri fenestram contra suum mandatum factam, a filia hujus rationem sciscitatur. Quæ nihil metuens patrem, veram divinitatem, eamdemque unam in personarum trinitate prædicabat: fallentem vero ac vanam esse simulacrorum imposturam. Iratus itaque pater, per seipsum primo licet eam flagellasset, tamen Martiano præsidi, qui nulla miseratione commotus, nervis jubet taurinis eam expoliatam cædi, obtulit. Ibi dum fuso sanguine lividas acerbasque sustineret plagas (utpote quibus sal crepitans injectum fuerat) atque in teterrimum carcerem reducta foret, Jesus illi apparuit, ejus amator sponsusque piissimus, dicens: Præelecta filia mea ac sponsa Barbara, confide atque confortare, quoniam copiosum magnumque gaudium fit in cœlo super tua passione. Quo hæc dicente, ejus plagæ omnes sanatæ sunt. Pro hoc quoque laudavit te, dulcis Jesu, Barbaræ anima usque ad mortem, quoniam non solum a pœnis his liberasti sponsam tuam, verum etiam fortitudinem animique constantiam illi indidisti, ut sermonibus veritatis confutaret, torqueretque et tyrannos et quoscumque veritatis ac fidei tuæ hostes. Nam quum postea in equuleo esset, jubente Martiano, pedibus sursum erectis, suspensa, et arpaginibus latera ejus lacerarentur, lampadarumque, hoc est, facium ardentium applicatione urerentur, laminæque ferreæ ignitæ adhiberentur, quæ vulnera, unde sanguis ubertim fluebat, carnemque torrerent, quis eam, ut ferre hæc posset, interea etiam psallentem ac te laudantem confortavit, nisi tu, qui eruis sustinentes te, et liberas de omni angustia, Domine Deus noster? Deinde cum equuleo deposita, versoque capite in stipite esset ligata, et caput ejus malleis ferreis tunderetur, atque subinde mammillæ ejus gladiis desecarentur obtusis, quis ei hanc dedit fortitudinem, ut tyrannum etiam ludens objurgaret, dicens: Quid, in me secas femineum decus? Vis me virum efficere? et reliqua, quæ nonnisi Spiritu Sancto charitateque Dei plena potuit dicere? profecto tu solus. Ad hæc cum furiosus Martianus nudam vulneribusque sauciatam per provinciam jusserat ignominiose duci, dolet quidem Barbara sancta ac pudicissima virgo propter pudicitiam virginalem, quæ in virginibus valde est tenera ac verecunda: sustinet tamen. At vero, quia morte ac omnibus erat illi pœnis hæc ignominia atque honestatis denudatio gravior, pudicitiæ gerit curam, atque pro tegumento suæ nuditatis tibi sponso suo supplicat. Qua oratione fusa mox adest Angelus, qui stola candidissima eam induit: signansque illam, omnia simul ejus vulnera et dolores adeo abstulit, ut decorem etiam adderet, quam olim habuerat, majorem. Dulcis Jesu, pro hoc laudat te sponsæ tuæ anima usque ad mortem, quoniam eruis sustinentes te, etc.

Jesus suam sponsam Barbaram in pœnis constitutam confortat ac sanat.

Virginali pudicitia quantæ fuerit in beata Barbara teneritudinis.

Postremo, circa mortem quoque, quam dictata sententia genitor ei suus intulit, quem alium laudaret, cui gratias alteri, quam tibi, benignissime Jesu, hæc dignissima tua sponsa Barbara ageret, quod in hanc usque horam varia ei dedisti pro tui amore tormenta sustinere: ubi in omnibus etiam eidem adfuisti doloribus, atque patiendi virtutem administrasti? Cæterum quantæ virtutis, quantæ charitatis fuit id, quod hæc gloriosa virgo Barbara in extremis jam vitæ constituta, utpote jam jamque gladio trucidanda, proximorum non

In morte sanctæ Barbaræ quam fuerit Deus mirabilis.

S. Barbara orat pro sui memoriam facientibus eamque invocantibus.

fuit immemor, pro quorum tam diligenter orans salute, etiam hoc plena fide abs te impetravit, ut quicumque sui egerit memoriam invocaveritve: hoc est, quicumque ipsam advocaverit ad orandum pro se, illiusque, hoc est, gratiæ ac misericordiæ sibi multiplicis abs te factæ fuerit memor, a te suorum peccatorum obtineat veniam, et ante mortem suam Sacramenti venerabilis recipiat munitionem? Quod quia tu, benignissime Jesu, exaudire hancque sponsam tuam consolatione hujusmodi dignatus es, ut sciret et se pro aliis exauditam et ad thronum gloriæ tuæ seipsam vocatam, laudabit non solum ipsa, verumetiam et universa Ecclesia te Dominum, quoniam eruis sustinentes te, etc. Ceterum, quia multi addubitant de hoc, an juste hoc debeat credi de sancta Barbara, vel Catharina, vel Margaretha, aliisve sanctis, qui singulares habentur intercessores (tametsi omnes sancti intercedere pro nobis possint) ut ipsi in hac vita ita pro sui memoriam agentibus oraverint, quandoquidem quibusdam id superbia, illicitum atque incongruum videtur. De superbia certe nemo habet judicare, aut in suspicionem trahere sanctos, præsertim in illa hora, qua Christo pro ejusdem amore suscipientes mortem, spiritum suum reddiderunt: nec quis debet juxta suas passiones vitiosas (si fortasse ipse absque superbia id non posset, quomodo etiam fortasse alia non potest multo minora) de sanctis impie sentire, quoniam in hac oratione inventi sunt hujusmodi sancti humillimi, a superbia prorsus alieni, atque pro Dei honore maxime zelosi, cujus honoris zelo duntaxat inducti hæc oraverunt, et de hoc infra dicemus plura. Verum discutiamus primum an, aut quare incongruum fuerit sanctam Barbaram, Catharinam aliosve sanctos id orasse, aut quare verisimile non sit id eos orasse, sed scriptor id quispiam assuerit mendacii ad historiæ reliquæ veritatem? Sed et hoc ante videatur quomodo oraverunt hujusmodi sancti. Sancta Barbara certe hoc modo orasse legitur. Ut primum pro se

Sancti quinam pro sui devotis oraverint.

oraverat, Domino sese agonemque, quem ultimum esset subitura, suum commendans, humilibus atque supplicibus tandem verbis adjunxit pro suis orans proximis, hoc modo: Domine Jesu Christe, concede misericorditer ancillæ tuæ gratiam hanc, ut omnes, qui in necessitatibus seu angustiis suis mei memoriam agentes, fideliter te invocaverint, largiflua tua pietate consolentur: et præcipue passionis meæ diem annua devotione ad laudem tuam recolentes, quatenus morte non præveniantur improvisa, sed vera confessione conterantur cum munimine perceptionis sacrosancti Corporis et Sanguinis tui, ne a diabolo illaqueati, faciali gloria tua priventur. Domine, ne memineris peccata eorum in die judicii, sed propitiare eis. Scis enim, omnium benignissime conditor, quia caro sumus. Hæc sunt beatæ Barbaræ orantis verba, quomodo in ejus gestis invenitur. Cujusmodi leguntur de quibusdam aliis, quæ parum in verbis differunt, quia spiritu orandique intentione consentiunt. Jam ergo interrogo, quid hic absurdum, quid incongruum quidve illicitum sit in hac oratione? Primo, quod oraverit pro aliis, non potest non laudari, tantum abest ut reprehendi possit, quandoquidem jubemur alter pro altero orare, et Paulus pro aliis orans, aliorum rursus pro se petivit orationes. Quod vero oravit pro iis, qui sui acturi essent memoriam, nihil video quid contineat illicitum. Si mihi licet: imo si a Christo jubeor orare pro calumniantibus et persequentibus me, quare non licet orare pro iis, qui amant me, aut qui mihi gratulantur aut favent? Certe puto legem naturæ quoque hoc jubere. Jam si hic amor, aut favor, aut gratulatio proximi est erga me, propterea quia Christi sum, aut quia existimor esse Christi, ut Christus causa sit, quare mihi hic honor aut gratulatio fiat, quis legens illud Evangelicum: *Amen dico vobis, si quis vos receperit,* quia Christi estis, etc. Et illud: *Si quis calicem aquæ frigidæ sitienti dederit in nomine meo, etc.* dicet aut illius amorem, favorem aut

Oratio sanctæ Barbaræ pro sibi devotis.

Orare sanctos pro aliis quomodo intelligendum.

Matth. x, 40.

Ibid. 42.

gratulationem erga me non summopere commendabilem, dignamque Christo, cui idem retribuat, qui omnibus retribuit iis, quicumque suo nomine, hoc est, ad sui honorem, aut sui contemplatione amoreve aliquid egerint aut sustinuerint? Et quare non liceat mihi pro iis, qui propter Christum me amant aut gratulantur mihi, orare Deum? Sed quæro ultra, an liceat mihi Deum orare pro iis, qui me invocant, licet ignorem ipse an odio amoreve dignus sim? Non video cur non liceat humiliter orare, propter fidem præsertim illius, qui bene de me sentit, et orationibus se meis committit, licet fortasse erret, et plus de me sentiat quam est sentiendum. Cur enim non liceret mihi Domino Deo dicere: Domine Deus meus, da illis, qui me invocant (licet adhuc mortalem), hoc est, qui pro se postulant a me orari, hæc et illa salutaria, propter humilitatem eorum? Neque enim propter me orationem meam scio tibi placituram. Scis enim tu quia ego nullius sum virtutis coram te: et ideo tu pro bonitate tua, non sinas eos falli; nam etsi errent in me, tamen quomodo debent, bene sentiunt de proximo. Da igitur illis salutem, qui me ad orandum invocant, aut qui mihi bene faciunt, aut qui mihi bene facturi sunt, aut qui mihi tua beneficia favent, mihique gratulantur aut gratulabuntur unquam: præsertim cum tu sis finis omnium et causa, cur hæc faciant. Quare, inquam, hæc oratio foret illicita? imo quare ego ex charitatis debito, non obliger orare pro hujusmodi? Non quod præstare aliquid possem, sed quod ego nequeo præstare, valeo et debeo emendicare pro illis a magno illo largissimoque donatore atque omni benefactore Deo, ipsum cum Psalmista rogando, ut ipsa Dominus retribuat pro me. Quare non debeam orare pro ejusmodi, qui ex charitate mihi Dei gratiam, Deique beneficia favent, qui mihi gratulantur, qui bene faciunt, cum horum omnium, quod dixi, ut fiant, solus est causa, scopus finisque Deus? Quomodo non debeo eos redamare, a quibus intuitu Christi solius me scio amari? Si hoc illicitum foret, peccasset Paulus, et aliis peccandi occasionem ansamque præbuisset, quos ipse viventes adhuc in carne, et de salute propria incertos invocavit, ut pro se orent. Quare mihi non liceret, quod illis licuit, et quod Paulus, ut pro se fieret, flagitavit? Id est, quare non licet mihi orare pro iis, qui a me hoc ipsum postulant, qui favent mihi Dei beneficia et gratiam, qui gratulantur meo profectui? maxime si propterea per hoc nihil desidero, ut habear sanctus talisve qui possit orare aut aliquid impetrare: nec locum habeat ambitio hujusmodi in me aliquid, ut cupiam nonnihil æstimari: sed potius erubesco, et in me ipso confundor, quo de me melius sentiunt homines, quam ipse me invenio? Atque illorum pio errori compatiens, Deum quomodo debeo, rogo, ut ille suppleat pro me, ut quamvis indignus sim ego audiri, ipse tamen faciat illos non indignos propter fidem et suam humilitatem exaudiri. Jam igitur ad sanctam Barbaram transeamus, ejusque similes sanctos. Ipsa non petivit (vide illius verba) se ad interpellandum invocari, nec sibi petiit festum, honorem, memoriamve statui: sed rogavit, ut si quis sui memoriam agens, Deum invocaverit, hoc vel illud obtineat. Quid hic absurdi auditur? Non petivit se invocari, nec petivit, ut qui se invocaturi sunt, exaudiantur, quamvis etsi ita orasset (quod fortasse in sanctorum aliorum vita legitur) nequaquam orasse perperam putanda foret. Nihil enim orasset aliud, quam isti (quos Paulus invocavit) oraverunt: qui utique Deum rogaverunt, ut is, qui se invocaverat Paulus exaudiretur. Hoc modo sancta Barbara quoque orasset (etiam si dixisset: Qui me invocaverint, hoc est, qui me pro se ut orem, flagitaverint) ut daretur illis hoc, quod illorum conduceret saluti. Jam vero non dixit, qui me, sed, qui te, Christe, invocaverint mei habentes memoriam, id est, misericordiæ tuæ in me fulgentis, da tu, etc. ridiculum est id esse illicitum cogitare. Deinde (quod fortasse

Oratio hominum mutua quid valeat.

Oratio S. Barbaræ pro aliis quomodo intelligenda sit.

sciolos hos magis torquet) quod oravit pro his, qui suæ passionis forent memoriam acturi, etc. volunt quidam mox judicare, quasi corona se martyrii dignam habuerit. Certe, et si de misericordia etiam divina hoc sensisset, cui omnes alias suas adscripsit victorias, eidemque soli propterea gratias egit, ut se martyrii corona dignam faceret, qui fecerat sui amore ut pateretur dignam, nihil superbi egisset, nec præsumptionis propterea foret arguenda. Tantam enim in se, tamque mirabilem ac exuberantissimam experta jam fuerat in omni vita ac passione sua Dei tum misericordiam, tum munificentiam, ut desperare non posset dignam se (non dico ex se fieri) sed dignam per misericordiam divinam haberi: atque faciente id dignatione divina, tanquam dignam se martyrio misericorditer acceptari. Permulta enim jam a Deo cœlitus dona, auxilia et beneficia receperat, unde æternæ salutis confidenter se sperare potuit absque ulla hæsitatione fore participem.

Contra blasphemos in sanctos Deique amicos.

Hæc si omnia legissent hi, qui modo temere obganniunt, ori silentium imponerent. Neque enim spes firmior atque maxima confidentia de Deo impedit, sed perficit humilitatem. Volunt enim et ipsi omnes homines salutem a Deo sperare, et quodammodo certos fore, et tamen divam Barbaram de sua reddunt salute non securam, quasi quæ adeo sibi timere debuerat, ut licet in vita adhuc constituta, quod bonis malisque commune est, orare pro aliis propterea non debuisset. Jam vero omnino ne verbum quidem habetur in illius oratione, quod id sonaret, quasi martyrii corona, aut sanctitatis nomine, aut ut festivitas sibi institueretur, dignam se æstimasset, tametsi merito a Domino id sperare potuit, ut inter martyres haberetur apud Deum, quæ jam jamque pro ejus amore genua flectens, gladium post alios multos passionum agones, quas Domino confortante vicerat, erat susceptura. Certe tam ipsa, quam alii tunc sancti non ignorabant, quomodo martyrum tunc fiebant memoriæ (quod ex multis quoque sanctorum vita facile colligitur) nempe ut ad sepulchra martyrum, aut ad martyrii loca conveniebant pii homines, et jejunio orationique vacantes, Deum laudabant, qui pro magnificentia sua, pro fideique suæ exaltatione gratiam huic dedisset martyrii atque victoriam, qua adjutus et tyrannos, et mundum, et amicos, et carnem suam contempsisset, atque illi, hoc est, Christo non absque sui effusione sanguinis testimonium fidele (quod ipse cum Patre et Spiritu Sancto verus unusque esset Deus) reddidisset. Jam vide quid fuerit piaculi, vel sanctam Barbaram, vel alium quemvis sanctorum orasse se pro iis, qui diem passionis suæ cum aliqua sui memoria observaverunt, ut propterea a Domino misericordiam consequantur. Nam quid aliud sic orans orat, quam : Rogo te, Domine Jesu, pro iis, qui diem hunc meæ recolunt passionis, in qua tu tua me gratia, tuique amore, pati ac mortem sustinere fecisti et adjuvisti? Qui fragilitatis, inquam, meæ fuerint memores simul ac tuæ virtutis, qui hanc misericordiam tuam mihi faverint, qua tanta me dignatus es gratia, ut dares et animum et voluntatem pro tuo nomine patiendi. Qui denique hujus diei reminiscuntur mihi gratulantes, qua ex innumeris me periculis eripuisti, et qui te, dona tua misericordiamque tuam in me honoraverint, quive pro me tibi gratias egerint, atque qui te pro misericordiis tuis in me relucentibus laudaverint, quandoquidem nunquam ego te satis laudare queo, licet ad mortem usque te anima mea laudet, Domine, da eis, quidquid a te salutare petierint. Quid, quæso, illicitum est sic orasse? Si tibi displicet oratio sanctæ Barbaræ, Deo non displicuit, qui libenter annuit ejus supplicationi. Nam et quod promisit, innumeris postea per S. Barbaræ sponsæ interpositam memoriam se invocantibus misericorditer est largitus, et in hodiernum usque diem, licet te murmurante, largitur. Vana igitur omnino est illorum calumnia, vel qui sanctos ita orasse non

Memoria martyrum quomodo olim fiebat.

Blasphemiæ contra invocationem et merita sanctorum unde originem sumpserint.

credunt, aut si ita oraverint, modo eos illicito orasse credunt. Siquidem omnia eorum objecta inde oriuntur, quod sanctorum gesta vitioso corde, quemadmodum seipsos sentiunt (utpote spiritualium rerum atque verarum virtutum prorsus inexperti), dijudicant. Dicunt enim temerarium fuisse, quod sancti oraverint pro aliis quando ipsi adhuc nesciebant se salvandos. Hæc eorum indoctissima est justitia, et stulta omnino objectio. Nam si propterea non foret orandum pro aliis, nemini tunc liceret orare (quod contra Christi est præceptum) pro suo proximo, quandoquidem *nemo scit an amore odiove dignus sit*. Sed dicunt: Oravit Barbara pro iis, qui adhuc post mortem suam forent sui memores. Et hoc vanum est, inaniterque objicitur. Ubi enim scriptum est, pro iis tantum qui nobiscum adhuc vivunt, orari debere, non pro futuris neque pro præteritis? Si ante viginti annos audirem aliquem deliquisse, non orabo pro eo quia ante multos annos hoc peccatum factum est? Bona verba. Item, si aliqua conjectura æstimo futuros, qui post mortem meam in bono, atque ex charitate, et dulci christianoque affectu mei recordabuntur, num quamdiu superstes sum, non licebit mihi pro ejusmodi orare? Num in vita (quomodo oro pro iis, qui modo per charitatem me diligunt, aut mihi bonum favent) non possum orare pro iis, qui post mortem aut mihi favebunt, aut me excusabunt, aut charitatis aliquid defuncto impendent, aut saltem Christi intuitu diligent, atque suaviter, hoc est, cum affectu charitatis mei recordabuntur? Neminem vix ita desipere puto, qui hoc nefas esse judicet: imo qui hoc non laudet. Si igitur licet hoc, et laude dignum est, quomodo tunc sunt arguendi sancti, qui leguntur pro sui memoriam habituris orasse? Respondes: Non hoc modo negamus, ut illicitum sit orari pro sui memoriam facturis, sed hoc reprehendimus, quod aras, sacrificia, memorias solemnesque invocationes sibi statuendas putarunt. Dico omnino id fictum atque falsum esse.

Eccl. IX, 1.

In cavillosos hæreticos.

Memorias sui instituendas quonam modo sancti optaverint.

Nullus hoc sanctorum optavit, licet quibusdam hoc futurum a Deo in vita revelatum sit, paucis tamen et humillimis, qui non poterant inde fieri deteriores, sed fundati in humilitate, inde magis humiliabantur, ex tam magna admirabilique dignatione Dei erga se, quam essent in terris etiam post hanc vitam ab eodem recepturi: quod tamen omnino illis absurdum videbatur ut fieret sibi, utpote tam indignis, licet non haberent, quo promissiones divinas aut arguere, aut illis obstrepere, seu non credere deberent. Quomodo enim post mortem (ut inique nonnulli calumniantur) sibi hoc fieri appeterent sancti, aut quomodo honoribus sibi futuris oblectarentur, quando in vita omnia hæc radicitus a se extirparunt? hoc est, et honores et honoris appetitum? Absit hoc ab illis, absit etiam a nobis, ut putemus eos vel unam cogitatiunculam admisisse, qua se fuissent consolati, exultassent, sperassent desiderassentve sibi honores institui, celebrarique nomina sua post mortem. Haudquaquam de illis hoc est sentiendum. Hoc enim omnino commiserunt Deo, quid post mortem sibi fieret in terris, quandoquidem ne ea quidem quæ viventibus occurrebant, aliter quam de manu Domini acceperunt, in illius gloriam omnia referentes. Non tamen inficias eundum puto, optasse etiam eos et in vita, et in morte, et post mortem suam, ut haberent qui Deum pro se laudarent, qui benedicerent, qui gratias agerent: quandoquidem impares atque minores se omni vita sua fuisse agnoscebant, ut pro tot beneficiis gratiisque ac Dei donis dignas Deo egissent agereve possent gratias. Idcirco per alios hoc cupiebant expleri, atque in Deo laudando se optabant adjuvari, ut Dei laus, quam ipsi minus extulissent, per alios suppleretur. Erat autem hoc non arrogantiæ, sed profundissimæ humilitatis, qua Dei bonitatem beneficiaque in se, et e regione suam vilitatem indignitatemque perfecte agnoscebant. Inde enim videntes se ad gratias Deo agendas omnino non sufficere, suaque

Sancti quidnam potissimum pro sui memoria et veneratione a Deo desiderarint.

omnia nihil æstimantes, cupiebant per quoscumque Deo laudes fieri pro illius beneficiis, quæ in se tanto clariora atque majora videbant, quanto ea indignioribus sibi præ cæteris (ut putabant) hominibus, qui fuissent magis grati, essent collata beneficia. Hoc modo desiderare, vel usque in finem mundi haberi memoriam mei, unde Deo gratiæ agantur et laudes pro me, mihi quoque peccatori, quare non liceat? Omnino enim cupio per alios suppleri, quod ipse negligo: quanto magis id licuit, imo laudari debet in beata Barbara? Absit, absit igitur, ut dixi, in sui honorem, aras aut monumenta sibi beatissimam Barbaram optasse fieri post mortem, quæ in vita propter Christum omnia contempsit, neque seipsam, neque aliud quid diligens aliter quam propter Deum. Quomodo ergo post mortem aliquid posset desiderare, quod in Dei gloriam et laudem non dirigeret, aut quod propter Deum non concupisceret? Tanti enim tunc faciebat Christum, ut non modo pro exaltatione et honore illius sanguinem funderet, verum etiam ad tradendam in mortem animam suam pro ejusdem gloria genua sua jam jamque moritura flectebat. Quomodo igitur tunc adeo potuisset esse cæca, ut ambiret aliquid in illa hora, quo omnes alias virtutes suas obumbraret, aut Christi gratiam amitteret? Nec propterea in hac parte censenda est falsa esse historia, qua ipsa vel alii nonnulli pro sui memoriam agentibus orasse leguntur: quandoquidem et in vita et post mortem, nihil quam Dei gloriam aliud quæsierunt. Quamobrem, quomodo licuit illis orare, ita licuit etiam scriptori eorumdem orationem manifestando scribere.

Historia sanctæ Barbaræ cur non possit nisi vera haberi.

Cogitetur de sanctis, quam pure dilexerint Deum, adeo ut nec seipsos amaverint, nec ullam creaturam, nisi quantum in Deo et propter Deum amare tenebantur; Dei autem gloriam pure in se et in omnibus quæsierunt: propter quam et se et reliqua omnia spreverunt, et secundum hanc normam ea quæ dixisse egisseve leguntur, intelligantur; tunc non erit quod objiciant ii, qui cuncta semper in deteriorem judicant partem, ad hoc nati, ut quævis aliena, quum ipsi nihil agant laudandum, carpant. Dominus Jesus illis posthac saniorem tribuat mentem, qui est cum Patre et Spiritu Sancto benedictus in secula, Amen.

Amor sanctorum erga Deum quantus fuerit.

IN FESTO

S. NICOLAI EPISCOPI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

ECCE Sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput ejus. Cognovit eum in benedictionibus suis, conservavit illi misericordiam suam, et invenit gratiam coram oculis Domini. Magnificavit eum in conspectu regum, et dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum sempiternum, et dedit illi sacerdotium magnum, et beaficavit illum in gloria, fungi sacerdotio, et habere laudem in nomine ipsius. Et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis. *Eccli. XLIV et XLV.*

LECTIO hæc ex Ecclesiastico sumpta est, ex duobus puto capitibus, a quibus ea quæ sanctis confessoribus congrua erant, adunata sunt, nonnullis verbis aut sententiis, interim quæ minus videbantur huc idonea, intermissis. Itaque lectionem Ecclesiæ secuturi ac textum sic legimus: Ecce sacerdos magnus. In veteri Testamento sacerdos dicebatur magnus, qui erat pontifex, aut princeps sacerdotum. Porro, in novo Testamento pro pontifice aut episcopo sumitur. Fuit autem sacerdos magnus beatus Nicolaus, beatus Augustinus, beatus Ambrosius, beatus Martinus, aliique innumeri, qui non solum dignitate præeminentiaque, sed etiam virtute, sapientia, charitate, atque omnium virtutum genere fuere præclari. Sequitur : Qui in diebus suis, dum hic viveret, dum in luce gratiæ ambularet, placuit Deo, quia immaculatum se custodivit ab hoc seculo, aut innocentiam servans, aut per pœnitentiam eamdem reparans, Dei misericordia et gratia super illum coruscante. Placuit Deo, et erga proximum inventus est justus, reddens unicuique quod suum est, ita ut nulli quid deberet, non solutum aut non impletum relinqueret. Et in tempore iracundiæ, dum ad iram, dumque ad vindictam Deum excitasset plebs, ipse factus inter Deum et populum arbiter, hoc est, se medium exhibens, et lacrymas, preces oblationemque sacram pro populo Deo offerens, factus est plebis ad Deum reconciliatio. Hoc namque non raro sancti fecere episcopi, qui iram Dei avertentes a populo, et ultionem deprecantes divinam, plebem quoque ad pœnitentiam induxerunt suorum peccatorum. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Non comparatione aliorum sanctorum hoc dictum est, nec ut reliquis contemptis, unus præferatur omnibus. Solus enim spirituum ponderator est, ut Salomon ait; Dominus *Prov.* 2.

Sacerdos magnus quis in veteri, et quis in novo Testamento dictus fuerit.

enim est, qui novit solus quid sit in homine. Nam sanctorum unicuique hoc ad laudem ipsius dicitur, quod non fuerit similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Varia namque sunt dona Dei, et juxta Apostolum: Unusquisque proprium donum habet a Deo. Quo fit, ut in hoc unus, in alio alius præemineat: et qui in una virtute est inferior, in alia e diverso sit præclarior. Eam ob rem jurejurando, hoc est, tam firmo decreto, quod jusjurandum dici valeat, fecit illum Dominus crescere et dilatari perfectione charitatis, omniumque virtutum in ædificationem plebis suæ, cujus est doctor, pater, pastor et episcopus. Benedictionem omnium gentium dedit illi, hoc est, tanta gratiarum perfectione et donorum circumvallavit eum, ut beatus dicatur inter omnes gentes, dicaturque ab omnibus favorem et gratiam apud omnes invenisse. Itaque benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum suum confirmavit super caput ejus, hoc est, in mente illius testamentum legis Evangelicæ confirmavit. Sacerdotum enim est docere populum, explanareque legem. Quod quomodo quis recte fecerit, si in lege Domini non sit ejus voluntas, nec in lege ejus meditetur die ac nocte? Cognovit eum Dominus in benedictionibus suis, tam varia sua in illo dona multiplicans, ut ostenderit se illum cognoscere, diligere et approbare. Conservavit illi misericordiam suam, servans eum misericorditer a ruina peccati, ne a Deo excidat. Nam ut tanta illi præstaret Deus, id inde fuit, quod invenit sanctus iste gratiam coram oculis Domini. Magnificavit præterea Dominus eum in conspectu regum. Siquidem S. Nicolaum ut coram Constantino, Ambrosium coram Theodosio, Martinum coram Maximo et Valentiniano, Hugonem coram Angliæ rege Henrico, virtute, sanctitate, scientia et opinione claros ac magnos fecit. Et dedit illi coronam gloriæ, ut hic quoque apud homines auctoritate et gloria præemineret. Sanctis enim episcopis multi admodum reges se humiliaverunt. Aut coronavit eum corona gloriæ, hoc est, mitra episcopali, quo ut præstantior plebe devota fuit merito, ita etiam esset insignior sacro ornatu. Aut de corona gloriæ sempiterna intelligitur, quam sanctis prædicatoribus Ecclesiæque doctoribus, martyribus ac virginibus Deus dabit, quæ aurea et aureola dicitur, singularem. Statuit ei testamentum, Evangelium juxta quod viveret, sempiternum. Illi enim aliud non succedet, sed in patria cœlesti perficietur. Et dedit illi sacerdotium magnum, puta ut pontificis fungeretur officio. Et beatum illum fecit in gloria cœlesti, in morte eum consolans et dicens: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Itaque dedit illi Dominus fungi sacerdotio, et habere laudem non ex seipso, quia nihil unde laudetur a seipso habet: sed dedit illi in nomine ipsius, id est, Dei habere laudem, quo in Domino laudetur, exultetque anima ipsius, nec aliam laudem optet aut sentiat, quam ut laudetur Deus. Postremo, illi quoque dedit Deo offerre incensum dignum, hoc est, ferventissimam orationem, quæ ut fumus aromatum ante Deum ascendat Deo digna in odorem suavitatis.

I. *Cor.* II, 7.

Aureolam deberi martyribus, doctoribus et virginibus.

Matth. XXV, 21.

S. Nicolaum apud Deus magnificavit.

EXEGESIS EVANGELII

DE S. NICOLAO EPISCOPO, SIVE QUOVIS ALIO CONFESSORE PONTIFICE, MATTHÆI XXV.

DOMINUS noster Jesus Christus parabola nos instructurus memorabili, fratres ac filii charissimi, non hoc vult, ut peccatis malisque operibus abstinentes, vivamus reliquo tempore otiosi : sed docet nos hic, tametsi mala non faciamus opera alia, ipsum otium, ipsam acediam nobis esse imputarique in peccatum : propterea quod donis a Deo ad bene operandum acceptis, non fuerimus ad Dei gloriam usi. Vult igitur nos pigritiæ et negligentiæ damnare, si non, ubi convenit aut oportet, Dei ad ipsius gloriam dona expenderimus.

Quo pacto quis strenuus fiat miles.

Strenuos nos igitur et ferventes Christi decet esse milites, non pigros aut negligentes, qui Christi honorem, animarum quoque quærant lucra. Cujus gratia nullis se subtrahant oportet laboribus, nulli indulgeant otio, non sibi ipsis parcant : sed in omni tempore ad glorificandum Dominum nostrum Jesum Christum, ad ejus cultum promovendum, ad ejus honorem procurandum, ad animarumque ædificationem, impigri et alacres currant. Hoc SS. Pontifices olim ferventissima perfecerunt charitate, operibus pietatis, studiisque sanctis continuis intenti. Cujusmodi

Talenta sibi commissa quomodo sibi duplicaverint.

sanctus fuit Nicolaus, sanctus Martinus, sanctus Augustinus, et innumeri alii, qui animarum corporumque necessitatibus subvenientes alienis, talenta a Deo accepta duplicarunt. Siquidem hi verbo doctrinæ reficiebant auditorum animas, et corpora beneficiis ad hæc necessariis nihilominus pascebant. Duplicabant igitur eleemosynam, duplicabant charitatis beneficium, quando non tam corporibus quam animabus subveniunt proximorum. Alii oratione redimebant carceribus captivos, et ex diaboli faucibus nihilominus eripuerunt animas prædicatione, quas miserunt ad Christum. Proinde de Confessoribus sanctis Pontificibus legitur in Ecclesia hoc Evangelium : qui dona a Deo potiora ad regendam docendamque plebem acceperunt, quare illis vigilandum hæc parabola docet, ne dona hæc sibi credita negligant, ne hæc otiosa sinant et absque fructu, neve in quæstum humanæ laudis aut lucri temporalis, non in Dei honorem ac cultum, sed in opprobrium improperiumque Jesu Christi eadem expendant. Dicit igitur Evangelista :

Homo quidam peregre proficiscens.

Hominem, ut revera erat, se dicit Dominus Jesus Christus, qui quamvis Deus erat, *in similitudinem* tamen *hominum factus, et habitu inventus est ut homo.* Itaque homo hic peregre proficiscens, electis suis formam conversationemque suam, quam aliquanto tempore in mundo exhibuerat humanam, iterum ad Patrem cœlos ascendens, subtraxit : donec aliquando exacturus rationem de singulis operibus nostris donisque nobis collatis, redeat in eadem forma, qua abierat in cœlum. Ita enim Apostolis dictum est : *Hic Jesus qui a vobis assumptus est in cœlum, sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum.* Dicitur autem peregre profectus, secundum B. Gregorii sententiam, ideo, quia cum terra proprius sit carni locus ab eo tempore quo Adæ dictum est : Terra es, et in terram ibis, Christus ab hoc loco humanæ naturæ olim deputato, dum suum corpus in cœlum levans abduxit, quasi in alienum locum peregre profectus est. Caro enim quam assumpserat Dominus Jesus, non ita in terram ivit, ut videret corru-

Ho[illegible] cur [illegible] voce[illegible] Chri[illegible]

Phil. [illegible] 9.

Act. [illegible]

Quo[illegible] Chris[illegible] dicatu[illegible] regre[illegible] fectus

ptionem, sed e sepulchro resurgens, abiit in cœlum. Verum quum potius Christus hic in mundo peregrinus fuerit, et tanquam advena seu colonus, nihil habens proprium in mundo, habitaverit, quomodo dicendus est peregre in cœlum, ubi locus proprius est beatorum, potissimum corporis gloriosi Domini nostri Jesu Christi, abiisse? Respondendum, juxta Chrysostomum, Christum suam quam ad electos habet charitatem hic commendasse: ad regna enim cœlestia, et ad Patrem iturus suum unde descenderat, peregre se profecturum dicit propter charitatem sanctorum, quam ad sanctos suos habebat, quos relinquebat in terris. In mundum enim veniens peregrinabatur, quando neminem habebat, qui nomen suum confiteretur. At ubi discipulos habuit, jam paterfamilias factus est: de mundoque proficiscens, et a suis recedens, jam quasi peregre proficiscebatur. Ut igitur, quantum suos qui erant in mundo diligeret, ostenderet, peregre se abiturum insinuat. De quo Chrysostomus sic loquitur: Vis scire quantum diligat Deus fideles suos? Considera quid passus est pro eis. Si enim magis quam gloriam suam illos amavit, quasi homo moriens pro eis, quid mirum, si majori dilectione tenebatur sanctorum quos relinquebat in terris, quam dilectione gloriæ, quam habebat in cœlis.

hrysost. *haritatis hristi ommen- atio.*

Vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.

Servi risti inam vo- atur.

Qui sunt hominis hujus servi? Quoniam de Prælatis præcipue, puta animarum custodibus atque rectoribus, parabolam hanc affert Dominus, qui plena potioraque, quam alii multi a Domino recipiunt munera, quibus alios dirigere, fovere atque pascere debent: primo quidem hi intelliguntur, qui curam animarum susceperunt. Nihilominus tamen omnibus ac singulis hæc parabola dicitur a Christo, qua monentur non negligere gratiam et dona sibi divinitus collata. Sunt itaque Dei aut hominis illius Evangelici, hoc est, Jesu Christi servi, quotquot Christus in sui nominis agnitionem vocavit. Hujus hominis servitus, vera est libertas ac gloria. Hujus servitutem nemo sanctorum erubuit, sed pro magna gloria esse se Dei servos omnes habuerunt. Inde est, quod fere singulis Epistolis se præscribendum servum Jesu Christi Apostolus Paulus dixit. Et Psalmista ait: *Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ.* Bona quæ tradidit servis suis, spiritualia sunt munera quæ nobis contulit gratiarum: puta, animæ virtutes, sacramenta, eorumdemque dispensationem, gratiasque gratis datas: imo et merita nostra, illius sunt munera. Quæ ita distribuit, ut non tanquam parcus aut invidus, nec tanquam acceptor personarum, sed pro fide suscipientium, pro diversitate quoque officiorum uni plus, alteri minus commiserit. Ideo sequitur:

Servitus Dei quam sit gloriosa.

Ps. CXV, 16.

Bona quænam servis suis Deus tradiderit.

Et uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum. Unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim.

Quod uni quinque, alteri duo, alteri vero unum commisit, hoc fecit, ut juxta cujusque capacitatem meritumque atque officium dona sua distribueret. Idem enim Dominus omnium, idemque Spiritus dona sua distribuens unicuique sicut vult. Alii enim datur per Spiritum, ut Apostolus ait, sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu, alii genera linguarum, alii operatio virtutum et alia multa quæ enumerat. Hæc itaque dona commisit servis suis, ut in his negotientur, atque ad lucra, id est, ad divini honoris augmentum, ad animarumque ædificationem his utantur. Per quinque igitur talenta, secundum Gregorium, dona quinque sensuum corporis intelliguntur, quibus homo exterior regitur. Ei vero qui duo talenta accepit, datus est intellectus et operatio, seu intellectus et voluntas, ut quæ agenda sunt homo intelligat, et quæ intellexerit, etiam velit. Quo liquet plura juxta hunc intellectum accepisse dona eum qui duo, quam illum, qui quin-

I. *Cor.* XII, 8-10.

Talentis quinque, duobus et uno, quidnam diversim insinuetur.

Talentorum parabola quid Dominus insinuare voluerit.

que talenta accepit. Minus namque recipit, qui exteriorum tantum accipit cognitionem, quæ quinque sensibus agitur, quam is qui intellectum, id est, interiorum scientiam simul, ac in exterioribus operationem seu prudentiam accipit. Alteri vero, inquit, commisit unum, id est, solam intelligentiam Scripturæ, quo talento seipsum regeret, et alios erudiret. Quomodocumque autem exponantur hæc secundum numerum talenta, aut quinque, aut duo, aut unum, hoc Dominus vult nobis dictum, neminem esse qui non aliquod aut plura receperit a Deo talenta, in quo, aut quibus operari unumquemque vult, et ea ad incrementa virtutum, ad justitiæ profectum, ad proximorum subsidium, et in gloriam Dei convertere, expendere ac dispensare quisque debeat.

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.

Uterque servus, et qui duo et qui quinque acceperat talenta, abiit in operationem, et dona sua seu gratiam quam accepit, in alios, juxta admonitionem Apostoli, administravit: duplicavitque talenta, dum donis a Deo acceptis, et pie usus est in se, et eisdem quoque proximis serviens utilis fuit. At vero qui unum duntaxat talentum acceperat, abiens illud non studuit multiplicare: cujusmodi sunt qui scientiam Scripturarum, intellectumque percipiunt, nec tamen se, nec alios recta docent. Hoc autem ideo illis contingit, ut ex talento quod acceperunt (sive sit illud gratia eruditionis aut prædicationis donum, aut aliud quodcum quemunus a Deo), nullum referant lucrum, quia illud in terram abscondunt. Qui sunt, inquis, qui talentum suum in terram abscondunt? Qui terrena sapiunt, qui terrena diligunt, puta honores, opes, hominum favores ac laudes, aut alia quæcumque caduca et terrena: unde eorum affectiones adeo inquinantur, adeo opplentur, adeo abstrahuntur, adeo etenim hujusmodi caducis impleti sunt, ut nihil illis interim divinum libeat, sed donum quod a Deo receperunt, interim in terra jaceat sepultum: hoc est, per terrenas concupiscentias maneat neglectum ac absque fructu. Juxta Chrysostomum, ille qui fodit talentum suum in terram, similis est fatuis virginibus, quæ habentes lampades, oleum non habebant. Tam enim ille quam istæ putabant sibi ad salutem, hoc solum, quod credebant in Christum, sufficere. Neque enim vere talentum Domini sui perdidit, sed in terram abscondit. Quamvis autem non perdiderit, reus tamen est damni. Non enim propter hoc solum unusquisque fit Christianus, ut sit Christianus servans fidei suæ talentum, sed operetur justitiam Christo. Sicut enim, qui seminandi causa accipiens semen, tempore seminationis non seminaverit, damnum facit domino suo: et si non perdiderit semen, est tamen damnum tantum, quantum poterat lucrum facere, si opportuno tempore seminasset: sic qui accipit fidem Christi, et in hoc seculo seminationis non fuerit operatus justitiam, et si fidem suam non perdiderit, tamen tantum videtur peccasse, quantum potuit justitiam facere, si non neglexisset. Hæc Chrysostomus. Qui bene intellectus, non reor ut in hoc aliisque locis similibus placeat Lutheranis.

Talentum in terram abscondentes qui sint.

Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.

Post multum temporis, puta ab ascensione Domini usque ad judicium ultimum (grande enim tempus interest), quando Dominus revertetur, atque ad rationem audiendam, judex sedebit. Sed quia supradictum est, Christum propterea peregre dici profectum, quod familiam hic in terris sanctorum, hoc est, Ecclesiam sibi adscíverat, quam diligens ab ea discedebat, mirari quis possit, quare ad tempus ab electis

suis Dominus, si adeo eos amabat, hinc in cœlos discessit, aliquando rediturus, et semper cum sanctis futurus? Hoc pariter ex amore fecit, ut electi in illius absentia per fidem operarentur, crescerentque in gratia ipsius ac probarentur, et gloriam vitamque sempiternam sibi acquirerent : hoc est, se idoneos æternæ vitæ exhiberent. Præsente enim Christo fideles probari non poterant, an vere essent fideles, quoniam quod præsens est non creditur, sed cernitur. Porro quod absens est, non cernitur, sed creditur, quando illius offensio cavetur, aut ira ejus timetur. Itaque Christo præsente si fideles tentationem aliquam propter eumdem sustinerent, aut justum aliquid operarentur, opus illud non videbatur agi ex fide, sed esse in oculis. Servus enim fidelisne sit, absente domino, probatur : præsente autem domino, quidquid fecerit, non laus est servi, sed domini. Ut igitur electi Christi crescerent in fide, crescerent in justitia bonorum operum, redderentque se idoneos vitæ æternæ, expediebat Christum eis ab oculis subtrahi. Quod Christus quoque eos præmonuit et prædixit, dicens : Expedit vobis, ut ad Patrem a vobis abeam. Alioqui Paracletus non veniet ad vos. Liquet igitur Christum non tam propter suam utilitatem, quam propter utilitatem electorum suorum ad cœlos ascendisse. Itaque post multum temporis, rediit dominus servorum illorum, et posuit cum eis rationem. Tunc enim ratio cum servis ponitur, quando districte a nobis exigit dona sua Deus, quæ tam misericorditer quam libenter nobis tribuit. Tunc, inquam, exiget, quando ante tribunal (ut Apostolus ait) adstabimus, Christo rationem pro his quæ gessimus, reddituri.

bsentia
risti
id fide-
us pro-
erit.

ann. XVI.

ationem
ando po-
t Deus
m servis
is.

Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens : Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus ejus : Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium domini tui.

Accedit ad dominum fiducia fultus servus ille, qui quinque acceperat talenta, quoniam testabatur illum conscientia innoxium atque fidelem domino suo fuisse. Cujus manifestum habuit argumentum, quoniam quinque talenta accepta, domino duplicata retulit. Eam ob rem a domino laudatur, quod in his quæ in comparatione æternorum modica sunt, fidelis fuerit. Gratiæ enim dona quinque quæ a domino receperat, ad Dei honorem erogavit in sui ac proximorum salutem, eaque per dilectionem Dei et proximi duplicavit : quod est duplicasse talentum. Gratulatur autem dominus servo, atque ob illius exultans fidelitatem : Euge, inquit, serve bone, et qui justitiam operatus es, et fuisti fidelis, qui meum quærens honorem, quæcumque egisti, ad meam retulisti gloriam, non teipsum, sed in te et in proximo tuo meum beneplacitum es zelatus. Quia autem super pauca tibi commissa fuisti fidelis, super multa te constituam. Ut autem Hieronymus ait, quamlibet omnia quæ in præsenti habemus, magna videantur et plurima : comparatione tamen futurorum parva et pauca sunt. Hic igitur servus quoniam terrena fideliter dispensavit, pro temporalibus transitoriisque rebus æternam recipit mercedem, ut sequitur : Intra in gaudium domini tui. Vide, quia non dicit : intra ad gaudium domini tui ; sed : intra in gaudium domini tui. Suscipe nunc, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Hoc gaudium intra, hoc est, gaudio undique circumseptus esto, et quasi in gaudiorum medio consiste, quo omni ex parte tibi sit gaudium, sursum ex visione Dei, deorsum ex consideratione inferni aut supplicii quod evaseris, interne ex gloria conscientiæ, externe ex omnium creaturarum decore.

Gratulari dominum servo quid sit.

Hieron.

I. *Cor.* II, 9.

Gaudium Domini intrare quid sit.

Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait : Domine, duo talenta

tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.

Vide domini bonitatem, quod non juxta hoc quod plura pauciorave talenta commisit, præmium statuit, sed quia utrique æque dicit: Intra in gaudium domini tui. Quo vult indicare, non propterea te majorem habiturum mercedem, quia multorum fuisti dispensator bonorum: sed illud apud Deum respicitur, illud ad præmium, mensuram et differentiam coronarum tribuendarum, inter eos qui pariter una sunt felicitate beati, discernitur ac examinatur, unusquisque qua Domini talenta dispensaverit charitate, qua animi devotione, et qua Domino servierit tum fidelitate tum alacritate. Inde enim orietur differentia præmiorum, unde disparitas generata est meritorum. Dicitur igitur illi quoque, ut intret in gaudium domini sui. Glorioso namque certaminis cursu consummato, laborumque præsentis vitæ studiis atque conatu finitis, gaudium domini sui intrabit, qui licet quinque hominum millibus prædicaverit, unam tamen duntaxat animam fuerit lucratus, aut fortasse nullam, non minus tamen sui studii laborisque ac charitatis, quam si multas convertisset animas, meritum præmiumque habebit. Siquidem miles qui strenue fortiterque pugnat, non qui feliciter, commendatur. Postremo, de servo pigro adjicit, quomodo suum quoque talentum, sed sine lucro is retulerit, nec absque injuria et contumelia Domini se excusaverit: quem propter pigritiam atque inutilitatem, quia laborare noluit (tametsi nulla mala de eo opera alia nuntientur) ad Domini sui gloriam, projici in tenebras exteriores jussit. A quibus tam internis quam externis nos servet Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in secula. Amen.

Serv
dien
lentu
terra
na q

SERMO IN EODEM FESTO

VERA DEVOTIO AD DEUM, VERAQUE PERFECTIO VITÆ CHRISTIANÆ, QUARE HOC CALAMITOSISSIMO SECULO SINT TAM IN PARVO PRETIO AC USU.

DOMINE, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Psalmo XX, 4.

Ad bonorum ac pie mœrentium consolationem, ad nonnullorum quoque excitationem, filii charissimi, tacere nequeo, quomodo fiat ut tanta olim perfectio, tam vehemens Dei amor, et tam frequens studium apud multos inveniretur serviendi Deo: hodie vero raro apud homines inveniatur sanctitas. Hoc, scio, non paucos vestrum contristat, qui licet bonæ sint voluntatis, nihil tamen inveniunt in seipsis hujusmodi, quod de pristinis sanctis et legunt et mirantur. Cumque eadem imitari gestiant, si in se nihil, quod studium hoc feliciter promoveat, inveniant, nullum consilium, nullumque auxilium illis restare putant, adeo ut videatur eis (quamvis ita non sit) omnis conatus suus impendi frustra.

Possunt igitur dari rationes nonnullæ, quare non tanta hodie ut olim inveniatur sanctitas in mundo. Prima est, quod olim crebrius Deus ortum sanctorum mirificaverit, hoc est, in benedictionibus gratiarum prævenerit, ut Psalmista ait, quæ in pueris, infantibus, aut etiam in necdum natis comperta sint signa quædam, quæ non solum supra ætatem, sed etiam supra naturam divinæ gratiæ benedictionem, atque donorum Dei exuberantiam hujusmodi ho-

Sanc
cur ta
hodie
inveni
ut oli

minibus, aut a puero, aut in baptismo, quam cæteris, datam indicant esse cœlitus largiorem. Inter illos sunt Jeremias, Joannes Baptista, sanctus Nicolaus, aliique item multi, quos legimus benedictionibus Domini prævenitos. Cæterum, quot qui Deo soli inter electos noti, nobis incogniti, a pueritia, baptismi, quam semel receperunt gratiam, nunquam postea amiserunt? Verum ut de sancto Nicolao modo loquamur, cum paulo ante natus esset infans, et baptizaretur, erectus stetit in pelvi. Quis illum hoc docuit, ut in sacramenti hujus perceptione Deo reverentiam faceret, atque tanquam ad fidei confessionem se erigens supra naturam ætatis ut Dei miles staret? Deinde cum quarta et sexta feria infantulus jejunaret, semel tantum in die matris ubera sugens, num hoc humanæ prudentiæ aut infantilis ingenii fuit? Haudquaquam: sed indicabant hæc signa illum adhuc infantem a Spiritu regi. Itaque qui hujusmodi sunt, qui Domini benedictione præveniuntur, nihil mirum est, ut anteeant alios in virtutum perfectione. Secundum est, quare hodie non tam perfecti ut olim inveniuntur sancti, quia idem zelus, eadem charitas, idem fervor, idemque studium et conatus pro assequenda perfectione nobis, ut olim, hodie non est. Omnia enim deficiunt, atque a sua avita virtute degenerant. Nihil in ea nobilitate integritateque hodie, in qua olim, perseverat. Quomodo ergo charitas multorum refrigescit, ita necesse est quoque virtutes alias extenuari. Solebant magnopere antiqui peccata, non modo magna lethaliaque, verumetiam modica levissimaque, quæ nos non ut peccata plangimus, sed honestates, civilitates necessitatesque arbitramur, imo ut ea quæ caveri non possint: ita, inquam, levissima quæque planxerunt sancti, quomodo nos ne gravissima quidem delicta lugemus. Non enim illis ardenter Deum amantibus videri poterat quidquam esse leve aut parvum, quod a Deo non probatum iri haud ignorabant. Non videbatur esse peccatum aliquod illis veniale, sed gravius dolorosiusque plangebant, quam nos hodie lethale quodvis peccatum, quamlibet veniale aut exiguum illud foret. Hic fervor, hæc devotio, qua minima vel suspecta ne Deo fortasse non placeant, cavebant, et ad arduissima ac molestissima quæque toleranda se offerebant, paravit Deo locum in illis, quem donis suis, virtutumque perfectione multifaria illustraret. Hic fervor charitatis et devotio si esset pariter in nobis, nihil eorum nobis negaret Christus, quæ illis est largitus ad profectum. Verum, ut de sancto Nicolao nonnihil dicamus, S. Nicolaus licet esset Deo devotissimis parentibus ortus (puta ex his qui post primam prolem Nicolaum conjugii sancti fructum, cœlebem deinceps ducebant vitam), mundum tamen mundique gaudia toto pectore respuit Dei amicus, mundo, carni et diabolo perpetuus hostis. Idcirco immaculatus ab hoc seculo vixit, orationi et pietatis operibus die ac nocte vacans. Nam orationi continue vacasse, vel inde eum liquet, quod legimus illum mane præ foribus templi excubias orationum servasse.

Siquidem ubi Myrorum eligendus foret episcopus, et pro eadem re jejunia supplicationesque fierent (alio namque tunc modo episcopi eligebantur atque hodie), inter episcopos uni auctoritate et pietate potiori a Deo dictum est, ut mane exspectarent, et quem ante alios primo in oratione excubantem ad fores templi invenirent, hunc ordinarent episcopum. Quem dum Nicolaum esse invenissent, licet renitentem, ordinaverunt Myrorum episcopum. Vixit autem episcopus ex innocente innocentior, ex simplice simplicior, ex sobrio abstinentior, et ex humili humilior factus. Quum enim singulis præfulgeret virtutibus, nescires quid in sanctissimo viro primum, aut tanquam potissimum foret mirandum laudandumve. Erat totus pietati deditus. Unde in cujusdam domum qui ex inopia suas filias lupanaribus prostituere cogitarat, cum etiam nondum foret episcopus, ter auri massam non parvam projecit, quo filias dotaret, et honeste viveret pauper. Capti-

S. Nicolaus quo tacto præ-entus fuit Deo in enedictionibus gratarum.

Zelus piritualis rofectus uam sit odie moicus.

Peccata uælibet uanto lutu olim eplanxeint santi.

Sanctitas parentum S. Nicolai quanta.

Devotio S. Nicolai quanta fuerit.

Episcopos eligendi quis mos olim servari solitus.

S. Nicolai vita quibus fuerit virtutibus ornata.

Pietas et misericordia S. Nicolai quanta.

vos multos invocatus liberavit. Nam licet absens corpore, in visione tamen ac spiritu tyrannis regibusque apparens, eos terruit, eis nisi innoxios absolverent, minabatur. Virum misericordiarum eum mundus agnovit, ideo illo adhuc superstite; Deum homines afflicti per sancti Nicolai merita, quæ Christus ipse in eo et cum eo operabatur, invocabant atque liberabantur. Quod vero Nicolaus sæpenumero dum Myræ foret in oratione constitutus, narratur alibi in locis remotissimis periclitantibus adfuisse, aut præcepisse, aut captos liberasse, non opinandus est corporis mole inde translatus, aut duobus, quod impossibile est, locis eodem simul tempore interfuisse: sed credendus est corpore uno in loco fuisse: animo vero aut spiritu, seu mente alibi interim fuisse, ubi Angelo interim in speciem Nicolai agente et loquente, creditus sit adfuisse Nicolaus, et formasse verba. Hoc namque modo etiam in veteri Testamento sæpe auditur Dominus loqui, aut Moysi, aut alteri, quamvis non Dominus Deus loquatur, sed Angelus in persona Domini loquitur: *Ego sum Dominus Deus tuus*. Ita hic credenda ac intelligenda sunt quoque, si quæ hujusmodi in vitis legimus Sanctorum: puta quosdam sanctos corpore in oculis omnium uno in loco sedisse inter Missarum solemnia, et alio interim loco simul eodemque tempore adfuisse, ubi mortuum sepeliebant, aut captivum redimebant, aut aliud quid simile inter pietatis opera faciebant. Hujusmodi namque non raro contigerunt S. Nicolao, qui variis ac multis visus est adesse in mari, in carceribus, aut inter alia pericula constitutis, ipsiusque nomen, hoc est, Nicolai, ut intercessor apud Deum illis fieret, invocantibus. Qui putandus tamen non est de loco in locum translatus, sed si alibi per consolationem et subventionem adesse visus est, hoc credendum est per Angelum in Nicolai specie factum. Eam tamen ob rem vir misericordiarum universo mundo est agnitus, prædicatorque veritatis, Deo ejus eruditioni veræ, ac sanctæ et incontaminatæ vitæ testimonium, signis et miraculis tam in vita quam in illius morte, perhibente. Siquidem post multos sanctos labores, post certamina, post lacrymas, post agones denique multos contra diabolum, contra mundumque pro Christi gloria, pro animarumque salute exantlatos, S. Nicolaus dum spiritum Deo reddidisset, sepultusque corpore fuisset, circa ejus caput fons cœpit scaturire olei, quo in vita misericordiarum virum fuisse illum Deus palam omnibus faceret, atque in necessitatibus ac tribulationibus nostris se per illius interventionem invocandum doceret. Congruum namque est misericordiam a misericordissimo Deo, interventione aut intercessione viri misericordiarum impetrari.

Nicolaus absens quonam modo præsens sentiebatur.

Exod. xx, 2.

Fons circas chrum Nicol quid gnet.

Tertium est, cur pauciores modo, aut non in tanta ut olim perfectione inveniuntur sancti. In initio namque nascentis Ecclesiæ, et post tempora persecutionum multi sancti vixerunt episcopi, monachi plures, quos claritate signorum et mira sanctitate Dominus illustravit, cum hodie sanctus defecisse omnis credatur. Quod tamen ut tunc ita fieret necessarium erat, quo intelligeretur sine martyrio posse ad sanctitatis perfectionem veniri: disceretur quoque quam foret utile ac salubre, in statu monastico vivere, cujus institutor una cum tot sanctis viris status hujusmodi professoribus atque vitæ hujuscemodi alumnis, tam mira polleret excellentia sanctitatis. Itaque cum in initio multi variique status Ecclesiæ testimoniis indigerent divinis, quibus certum fieret hujusmodi statuum observatores Dei esse amicos, Deus in singulis statibus licitis, ac bene vivendi ordinibus nonnullos sanctos variis donis et miraculis reddidit illustres, quos posteri non in miraculis, sed in virtutibus imitandis, sequerentur. Cum igitur miracula non faciunt, sed ostendunt sanctum, quis dubitet his temporibus, cum nullis sit miraculis nunc opus (satis namque confirmata tum miraculis, tum sanctorum exemplis est omnis religio), nec a Deo soleant absque necessitate fieri: quis, inquam,

Mona cam vi olim ne sario F miraću nutrita

Mira quam faciant ostenda sanctita tem.

Sanctitas ujus se- uli homi- um indi- iis quibus eclaratur.

dubitet esse in mundo multos adhuc sanctos, qui licet signis aut miraculis non fulgeant, vitiorum tamen mortificatione, adversitatum perpessione, plenissima sui ipsius ad Deum resignatione, et in tentationum pressurarumque patientissima tolerantia creduntur placere Deo, et coram eodem, licet sine externa evidentique manifestatione testimoniove sanctitatis, inter sanctos annumerari? Verum est igitur hodie, non admodum multos ut olim, nec admodum illustres cum testimonio signorum ac miraculorum ut olim, inveniri sanctos. Non tamen usque adeo mundo deesse sanctos crediderim et amicos Dei secretos, qui licet non usque adeo aliis videantur sancti, propterea quod sæpe in miseriis hic magnis humiliati, indigni ac viliores aliis videantur hominibus, nec sibi ipsis sint manifesti, utpote in suam vilitatem imperfectionemque suos oculos semper habentes apertos: Deo tamen cogniti sunt, et tempore manifestationis ac revelationis filiorum Dei ab aliis, quoque cognoscentur fuisse esseque filii dilecti et amici Dei. Hos dicere hodie quoque possemus sanctos, licet non in illa sint evidentia sanctitatis a Deo manifestati, ut priores antiqui. Verumtamen, charissimi, nostra sanctitas, nostra perfectio nostraque mensura sit (qui opera non habemus virtutum) in agnitione nostræ vilitatis, indignitatis ac pravitatis, quæ nos humiliet ac deprimat. Sit quoque in desideriis atque exercitiis continuis virtutum amorisque divini, quæ depressos non prosternant, sed ad spem exspectationemque erectos roborent.

Sanctitas perfectio- que nostra n quo sita.

Perfectio- ni acqui- rendæ duo necessaria quæ.

Duo autem sunt quæ ad sanctitatem seu ad perfectionem multum conferunt. Primum sagax prudensque discussio ac investigatio occasionum et circumstantiarum circa peccata nostra, quo deprehendamus, quid nobis fuerit causa ruinæ, quidve labendi occasio. Nisi enim hæc prudenter investigemus, nunquam emendabimus, sed ambulabimus ut cæci, qui nesciunt, nisi læsi, ubi impingant, festinamusque læti ad perditionem euntes. Quid enim emendaremus, quando quid in nobis deforme corrigendumve sit, non videmus? Sagacissimo igitur conatu interiora nostra, motus intentionesque animorum nostrorum exploremus, et quidquid in nobis deprehenderimus vitiosum, non relinquatur illud non ejiciendum, non castigandum, non mutandum: sed illico tollatur, eradatur atque sancta importunitate corrigatur. Nihil in nobisipsis dissimulemus, tametsi emendare nostris id viribus solis non valeamus: possumus tamen omnia quæ Deus nobis præcepit, auxilio divino, quod nunquam requirentibus illud deest. Idcirco quod secundo est necessarium, est opportuna, importuna, humilis, jugis, indeficiens fervensque ad Deum oratio, qua perpetuos nos mendicos exhibeamus ante Deum. Solent alii mendici divitibus, si crebro veniant crebroque petant, esse molesti. Deum quantumlibet roges, quantumlibet pro te et pro aliis illum, ut ita dicam, orando fatiges, fatigare non potes, nec illi molestus esse: sed quo frequentior es in oratione, quo sæpius obsecras, quo plura petis, eo propterea magis places eidem. Neque enim dando fit pauperior, nec tribuendo laborat, nec audiendo gravatur, nec mendicitatem nostram fastidit: quin potius avaritia hæc sancta, virtutum spiritualiumque bonorum nostra esuries illum præcipue delectat. Quapropter in omni re qua tu pro te, vel pro aliis indiges, ubi humana usus fueris industria, ubive non spreveris aut neglexeris naturæ auxilium, non alio quam ad Deum curras atque confugias. Hic omnium curarum et sollicitudinum, hic omnium timorum et periculorum tuorum unicum sit asylum, securum refugium, plena consolatio, adjutorium certum: nec de assiduitate accedendi, aut sæpius pro pluribus orandi sit tibi verecundia: quin etiam inde major sit tibi ad Deum fiducia. Quantum autem confidis, tantum impetras. Ubicumque igitur tibi deesse aliquid percipis, concitus ad Deum recurre, ejusque ab eo consilium et auxilium implora. Hæc duo si diligenti

Discussio ui homini roficere olenti ne- essaria quæ sit.

Mendicos quomodo nos ante Deum per- petuos ex- hibeamus.

Asylum omnium periculo- rum, ten- tationum, timorum et necessi- tatum no- strarum uti Deum con- stituamus.

exercitio frequentaveris, atque in usum consuetudinemque duxeris, proficies quotidie ad meliora. Itaque, filii charissimi, provocet vos devotio et innocentia S. Nicolai ad amorem virtutis. Incepit ille in infantia adhuc matris ubera sugens, jejunare. Subtrahite, quæso, vos pari modo vobisipsis superflua, et quædam delicata non necessaria. Obsecro autem vos per Dominum nostrum Jesum Christum non permittatis vos seduci a carnalibus Lutheranis, qui jejunia et castigationes carnis rident, idque propterea quia cum vita eorum tota in carne sit, ne vilis habeatur hæc atque carnalis, si quempiam abstinentem viderint, papisticum mox calumniantur, et operum suorum bonorum negotiatorem nugantur, regnique cœlorum mercatorem. Iterum rogo vos, filii, non permittatis vos decipi. Christus quæ carni sunt duriora elegit. Quod sancti ad unum omnes imitati sunt et docuerunt, maxime Paulus, monens ubique mortificationem membrorum nostrorum, crucifixionem corporis, mortificationem exutionemque veteris hominis, abnegationem desideriorum nostrorum, atque secundum spiritum conversationem sanctam internam, non carnalem. Christus quoque nonne abnegationem et crucis suæ acceptionem docet? Ideo dico, quomodo Christus quæ duriora carni erant, elegit, quomodo sancti austera quoque omnia omnes sibi intulerunt, sic tu, fili, saltem vitiosa, saltem superflua, saltem non necessaria tua desideria reseca et proscinde. Sub amissione enim salutis meæ, unicuique dico vestrum: Quoties vel minimum quid desideratum, atque a te cupitum optatumve tibi negaveris subtraxerisve, idque Dei feceris amore, qui amarissima quæque toleravit, toties Christi vulneribus, quasi is qui medicinam aut unctionem apponeret, consolationem affers; toties, inquam, pro bona hac voluntate, pro tui abnegatione, pro intentionis directione ad Deum (qui propter Dei amorem rem alioqui dilectam tibi interdixisti), coronam a Deo recipies æternam. Quid dubitas? Nonne benedicto ore suo Veritas dixit, eum qui calicem aquæ dederit frigidæ egenti, habiturum in cœlo mercedem? Quanto magis si rei cupitæ in te delectationem tibi negaveris, hancque Deo in sacrificium obtuleris, Deum tibi concilias, ac propitium amicumque tibi facis? Ut igitur dixi, si necessaria vobis subtrahere non potestis, saltem subtrahatis superflua innecessariaque vobis, ut eadem consecretis Deo. Fuit præterea sanctissimus Nicolaus pudicus, sobrius, et in opera pietatis promptissimus et misericordissimus. Vos quoque caste, sobrie ac pie vivatis in hoc seculo, et omnem humanitatem, omnem misericordiam, omnem charitatem in omnes egenos ac pauperes dilatatione spiritus ac cordis vestri extendite. Injuriam vobis putate fieri, si egenus aut miser quispiam sine vobis juvetur ab homine alio. Tu quisquis es, debitorem omnibus crede, tibi derelictum esse pauperem æstima, cui tu subvenias. Quia diligit te Dominus Deus tuus, ideo merendi, placendi ei atque coronandi te, pro ejusmodi bonis, occasiones tibi mittit. Imitare igitur misericordiam sanctissimi Nicolai, ut invenias tu quoque misericordiam Christi, qui est cum Patre et Spiritu Sancto benedictus in secula, Amen.

Abstinentia S. Nicolai quomodo cuilibet imitanda sit.

Lutherani cur jejunia castigationesque carnis rideant.

Christum sanctosque omnes ea quæ carni duriora sunt elegisse ac docuisse.

Desideriis vitiosis et superfluis renuntiare quam sit Deo gratum.

Vulneribus Christi quando medicina consolati adhibet sit.

Misericordia Nicolai quomodo imitanda.

IN SOLEMNITATE

CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

EGO quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes seculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me vitam æternam habebunt. *Eccli. XXIV.*

VERBA hujus lectionis, charissimi, quamvis de increata, æternaque sapientia scripta sint et intelligantur, applicantur tamen per spiritualem significationem Beatissimæ semper Virginis Mariæ, idque usu et auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, quæ non errat nec fallitur, quia doctorem et rectorem sui habet Spiritum Sanctum, qui idem auctor est totius Sacræ Scripturæ, cujus varia esse sensa multiplicesque intelligentias nemo nescit, qui vel aliquid norit. Itaque et nos matris Ecclesiæ irrefragabili auctoritate subnixi, sanctosque Patres divinorum scriptorum interpretes vel tractatores, secure sectantes, licet hodie improbi quidam vel alioqui nimium rudes putent quæ de Christo scribuntur, aliis applicari non debere, totam hanc lectionem Matri Virgini libenter applicabimus : siquidem et sancta mater Ecclesia in divinis officiis, multa de Christo scripta nedum Matri, sed et cæteris Christi membris scienter sapienterque accommodare non dubitat, certa quæ capiti conveniant, ea facile posse etiam membris adjungi, quamvis aliter capiti, aliter membris congruant. Si quis hac de re dubitat, legat sanctorum Patrum monumenta, et illorum testimoniis verum nos dicere probabit. Sed his propter improbos aut insulsos quosdam obiter præmissis, ad ipsius lectionis interpretationem nos accingamus. Dicit itaque B. Maria, qua nullus omnino innocentia, sanctitate puritateque ad æternam et increatam sapientiam propius accedit : Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Ego produxi fructum suavitatis Christum Dei Filium, qui suavitas est odoris, utpote olfactum spiritualem interioris hominis suaviter recreans, potenter

Maria quam recte comparetur viti.

alliciens, ac vehementer oblectans. Quomodo enim fructum suavem, bonum ac viridem profert vitis odorifera vel dum floret, vel dum uvas producit, vel dum vino inebriat, ita ego ancilla Domini, ad hoc a Deo, ejus misericordia me præveniente, electa, Christum, qui flos est in incarnatione, botrus in passione torculari crucis expressus, vinoquê inebrians cœlicæ suavitatis, genui. Aut ita : Ego quasi vitis fructificavi, id est, fructum dedi aut produxi odoriferum suavemque : qui fructus est odor bonæ famæ (quia evulgata sum Dei vera esse Mater) et innocentis vitæ meæ, dispergens se circumquaque, et neminem non excitans, quin ex tam ingenti beneficio intelligat potissima et præeminentissima gratiarum dona propterea mihi divinitus concessa. Quis enim non videt quanta sit bonitas et misericordia Dei, qui Matrem sibi elegit, eam dignam fecit, tot tantisque gratiis eamdem dotavit, propterea quod ex ea vellet nasci ? Est enim locutionis modus quidam, quo et Paulus utitur Corinthiis scribens : *Gratias Deo, qui per nos odorem notitiæ suæ manifestat.* Et in Canticis : *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Itaque, ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, aut ex bona fama et virtute, aut quia odoriferum fructum Christum peperi. Et flores mei fructus honoris et honestatis. Florem præcedere fructum nemo ignorat. Maria autem hic dicit, flores quoque suos esse quosdam fructus sanctissimæ et lucidissimæ contemplationis, affectiones purissimas ac ferventissimas, venustissimos denique mores, actiones ædificatorias, verba sapientissima : postremo, omnia signa, motus ac gestus virginalis verecundiæ in Maria Beatissima Virgine ita erant flores, ut nihilominus essent fructus quoque honoris et honestatis. Ita enim omnia in Deum erecta, ita Deo suaviter erant placentia, ita denique ad Dei amorem, ad virtutum quoque studium erant singula Beatæ Mariæ conversa, ita vel minima quæque erant, sive in moribus, sive in verbis Beatæ Mariæ ad Dei amorem excitativa ædificatoriaque, ut merito ea, quæ in aliis sanctis dicerentur flores, in hac dicantur electissima Dei Virgine fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. Ex Maria Virgine tanquam ex origine virtutum hæc in nobis non generant, nec infunduntur (quia Dei solius hoc opus est), sed quia ipsa hæc filiis Dei impetrat, impetrataque dispensat, tanquam ea cui regnum misericordiæ suæ Deus commisit, ut sit ipsa Dei nomine in omnes qui invocant Deum, aut qui etiam invocant ipsam propter Deum, tanquam Dei, ejusque donorum dispensatrix, Mater, hoc est, impetratrix pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. Aut ita : Ego mater sum pulchræ dilectionis, id est, ego sum mater ipsa ejus, in quo est, et a quo procedit pulchra dilectio. Ego sum quæ genui eum in quo fons est et scaturigo pulchræ dilectionis. In me, ex collatione et ex auctoritate Filii mei, est potestas impetrandi gratiam omnem vitæ et veritatis, hoc est, spiritualis virtuosæque vitæ. In me ex commissione est Filii mei, tanquam in dispensatrice, omnis spes vitæ et virtutis. Transite ab affectu rerum mundanarum, ad amorem virtutum, et venite ad me omnes qui concupiscitis me, id est, qui ex desiderio diligitis me, qui meam interventionem intercessionemque et opem desideratis : et a generationibus meis implemini. Generationes suas Beatissima Virgo Maria, vocat operationes suas sanctas, quæ ex ea veluti fructus prodierunt, nos reficientes. Spiritus enim meus super mel dulcis est in seipso, suavis ac quietus, quoniam gustantibus me, ac dona mihi a Deo collata participantibus mentem exhibeo affectuosam, piam ac suavem. Et hæreditas mea, id est, spiritualia bona gratiarum quæ Deum amantibus hæreditas sunt, quippe qui terrena contemnunt, hæc super mel et favum dulcia sunt. Memoria mea nunquam peribit, sed manebit in generatione seculorum. Qui edunt me, adhuc

II. *Cor.* II, 14.

Cant. I, 3.

Flores B. Mariæ quales fuerint fructus.

Quo
Maria
telligc
sit pul
dilecti
esse n

Gene
tiones
Mariæ
ritualit
quæ si

Hæred
tas De
amanti
quæ si

esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. Hoc est, qui gustant experiunturque meam benignitatem, benevolentiam, amorem, qui experiuntur meam, hoc est, eam per me tanquam per gratiarum dominicarum dispensatricem, elargitionem clementissimam, non satiabuntur, nec fastidium bonorum divinorum, sed magis famem et sitim habebunt. Qui meis exhortationibus atque consiliis obtemperans, audit me ad timorem et amorem Filii mei, tam verbo, quam exemplo invitantem, non confundetur, sed consequetur salutem. Qui operantur in me, id est, juxta meam conversationem exemplarem viventes, non peccabunt, in eo scilicet quod me imitantur. Qui elucidant me, hoc est, qui gloriam meam, qui gratias et dona mihi a Deo collata aliis insinuant ac manifestant, vitam æternam habebunt.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, MATTHÆI I.

FILIUS Dei, qui de honorandis parentibus legem tulit, Matrem suam nedum in triumphante, sed etiam militante Ecclesia mirifice exaltavit, reddiditque eam summe venerabilem, multosque per anni circulum solemnes dies in ejus honorem fecit institui et celebrari, idque adeo, ut etiam diem Conceptionis ejus non sine nutu divino colat Ecclesia Catholica, nihil dubitans, quin sicut Omnipotens Deus facile potuerit pro sua virtute, ita et optime noverit pro sua sapientia, et convenientissime ac libentissime voluerit pro sua bonitate eam, quæ futura erat Dei veri vera Genitrix, præ cunctis creaturis singulariter ac præcipue honorare, et ab omni omnino præservatam cujuslibet culpæ macula, summis et excellentissimis decorare charismatibus. Itaque hodie festum agimus diem Conceptionis Virginis sacratæ, in quo Evangelium recitatur ex Matthæi primo capite desumptum, quod nos modo exponemus.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.

Scripturus generationem Jesu Christi Evangelista, librum vocat generationis Evangelium suum, quamvis non sola generatio Christi, verumetiam totius vitæ ejus decursus, passio et resurrectio describatur. Hoc autem eam ob rem fecisse creditur, quod caput principiumque nostræ redemptionis nostræque salutis fuerit incarnatio Christi. Juste igitur ab incarnatione, seu a Christi generatione liber Evangelii inscribitur, quia omni admiratione plenissimum est, quod Deus homo factus est. Nominat autem Christum primo filium David, quam Abrahæ, licet generatione et ordine Abraham prior fuerit quam David, quia vulgatissimum erat apud omnes, Christum ex semine David esse nasciturum. Unde Pharisæos cum interrogaret Dominus de Christo, cujus filius esset, dicunt ei : David. In omnium itaque ore versabatur, Christum filium esse ex David nasciturum, adeo ut mulier quoque Chananæa de finibus suis egressa, dum salutem posceret filiæ suæ, diceret : *Miserere mei, fili David, quoniam filia mea male a dæmonio vexatur* ; pueri quoque in templo cantarent : *Hosanna filio David.* Multo namque vicinior recentiorque erat promissio David quam Abrahæ facta. His autem ex omnibus certior, et præcipua de Christo est facta promissio. Siquidem Abrahæ dictum est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* In semine non immediate ex Abraham nato sed derivato, et ex filia

Evangelium suum cur Matthæus librum vocet generationis Jesu Christi.

Christus uti habitus fuerit ab omnibus pene filius David.

Matth. XV, 22.

Ibid. XXI, 9.

Gen. XXII, 18.

Abrahæ immaculatissima Virgine Maria nato. Porro, Davidi promissus est Chri-
Ps. CXXXI, 11. stus, quando dictum est illi : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Dixi autem potissime his duobus promissionem factam, tanquam his qui opinatissimæ præ cæteris fuerint sanctitatis et dignitatis.
Abraham et Isaac quo ritu fuerint sacerdotes. Nam Abraham primogenitus Thare fuit sacerdos Altissimi, non eo ritu, ut postea in lege scripta : sed quomodo sub lege naturæ eo tempore usque ad Isaac perhibentur primogeniti fuisse sacerdotes, benedictionem a patribus præ aliis præcipuam accipientes. Hoc modo Abraham et Isaac in lineâ generationis Domini sacerdotes fuerunt. David vero rex præ aliis nominatur.

Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus.

Abraham Isaac genuit supernaturaliter ex Sara conjuge, ideo dicitur per repromissionem genitus Isaac. Fecunditatis namque duplex habuit ejus mater impedimentum. Erat natura sterilis : erat præterea jam ex senio infecunda atque inepta ad conceptum. Quocirca divina effectum est virtute, ut fecunda efficeretur Sara Isaac filium conceptura : quo clarius intelligeretur Christum figurare, quo grandiori miraculo fuisset conceptus. Hoc modo Jacob quoque ex sterili natus est. Scriptum namque est, quod Isaac ad precandum Dominum se contulerit pro uxore infecunda, ut conciperet. Unde Isaac, quem generavit
Isaac et Jacob cur repromissionis vocentur filii. Abraham, et Jacob quem Isaac genuerat, filii sunt non solum carnis, sed etiam repromissionis, non ob hoc tantum, quod hæreditatem terræ repromissionis (dicente
Gen. XII, 7. Domino ad Abraham : *Tibi dabo terram hanc et semini tuo*) susceperunt, quæ significabat cœlestem repromissionem, terram videlicet viventium, in qua bona Domini se visurum sanctus propheta quoque credidit : sed etiam ob hoc filii promissionis vocantur, quod non tam usu humano, quam dono cœlesti, quod geniti sint, provenerit. Isaac quoque genuit Jacob. Et hic Jacob sacerdos fuisse creditur, indutus vestibus Esau valde bonis, dum benedictionem a Patre acciperet Esau primogeniti : cui, si non vendidisset, jura primogenituræ debebantur. Fuit autem Jacob vir simplex et innocens, visionem crebro habens angelorum, qui nominis mutatione ab Angelo sancto vocatus est Israel. Hic moriturus de Christo multa prophetavit, filiosque suos benedicens, sanctissimum vitæ finem habuit. Esau autem nulla hic mentio fit, quia nihil erant ejus posteri cum Israelitarum gente ac genere, e quo Christi generationis linea derivatur, habituri commune. Quod genus in sequenti mox generatione exprimitur, quando dicit : Jacob autem genuit Judam et fratres ejus, duodecim scilicet patriarchas. Judas iste non primogenitus fuit, sed quartus filius Jacob, hic tamen fratribus suis præponitur, propterea quod ex ejus semine Christus fuerit natus. Habuit nihilominus tribus ex Juda nata præ aliis hanc claritatem, quod ex ea reges orti sint, cultusque Dei devotior perseveraverit in tribu Judæ quam in reliquis tribubus.

Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson.

Quomodo Judæ Phares et Zaram pepererit Thamar, liber indicat Geneseos. Nar-
Gen. XXXVIII rat enim Thamar nurum Judæ mutatis vestibus meretricem existimatam, et a socero cognitam concepisse. Quia cum Judas dare nollet Selam filium suum Thamar in maritum, qui fratrum suorum sine prolibus defunctorum semen suscitaret, Thamar in via, qua Judam scivit transiturum mutato habitu sedit (desiderabat enim de sanctorum semine prolem concipere). Ille igitur nesciens hanc nurum suam esse, concubuit cum ea et geminos hos generavit. Itaque Thamar hos quidem ex forni-

catione accepit ; non tamen hæc nebula fornicationis claritatem generationis obfuscat Christi, sed illustrat magis, et misericordissimam ejus prædicat erga nos dignationem quod non solum pro peccatoribus incarnari, sed etiam de peccatoribus nasci dignatus est. Idcirco cum nullam, ut Hieronymus ait, sanctarum potuisset mulierum in linea generationis Matthæus, non erubuit tamen nomina earum matrum inserere, quas Scriptura reprehendit. Nam ut ex posterioribus erit manifestum, Rahab quoque ponitur, et Bethsabee, et Ruth Moabitis, quæ mulier licet esset virtutis, alienigena tamen erat, quam in Ecclesia Domini intrare etiam post decimam generationem lex prohibebat. Quapropter D. *Chrysost.* Chrysostomus ait : Si nudi tantum hominis genus describeretur, merito has Evangelista reticuisset. Quia vero de incarnati mysterio Dei scribitur, non modo non tacere, verumetiam ostentare debemus. Venit enim non ut nostra effugeret opprobria, sed ut ea potius extingueret. Quare omnia opprobria quæ propter eos sustinuit, illum nobis non modo non reddunt probrosum, sed magis gloriosum ex misericordia. Docet quoque in ipso Evangelii vestibulo nobis non gloriandum in parentibus, sed propriis virtutibus. Itaque Judas genuit Phares. Hic Phares cum patre suo Juda ingressus est Ægyptum, ubi genuit Esron. Esron quoque ibidem genuit Aram, et Aram Aminadab. Aminadab quoque in Ægypto genuit Naasson. Sed uterque tam pater quam filius cum Moyse Ægyptum egressus est. Hic est Aminadab, de quo referunt Hebræi quod mari rubro diviso, cum Moyses ingrederetur, nemo aliarum tribuum mox sequi ausus fuerit, donec Aminadab cum tribu sua, in qua præcipuus erat, secutus sit, deinde etiam aliæ tribus sint secutæ.

Aminadab delitas et agnanitas.

Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse.

Naasson princeps fuit tribus Judæ, de quo in Numeris legimus, cujus soror Elisabeth uxor fuit Aaron sacerdotis. Salmon autem genuit Booz de Rahab : et Booz genuit Obed ex Ruth. Hic est Salmon qui cum Josue terram intravit promissionis. Porro, Rahab meretrix erat urbis Jericho, quæ exploratores a Josue missos suscepit et abscondit, atque per fenestram domus quæ hærebat muro, ex civitate Jericho emisit. Deinde capta urbe cum propinquis amicisque suis omnibus quotquot illa salvari voluit, et in domo sua continuit, mansit ex omnibus incolis oppidi illius salva. Hinc ad Judaismum relicta gentilitate conversa fuit, probatæque vitæ ; ob quam rem a Salmone creditur desponsata. Sunt qui Rahab meretricem non fuisse putant, licet sic cognominata fuerit. Aiunt enim in Hebræo poni hospitatricem. De Booz in historia Ruth legitur, ubi quod vir sincerus, justus castusque ac timoratus fuerit, insinuatur. Ruth vero Moabitis alium habuerat maritum filium Nohemi ; quæ Nohemi, ob famem extra Judæos ad alienigenas peregrinata fuerat. Ruth itaque socrum suam marito defuncto diligens, eidemque adhærens revertentem ad terram Judæ comitata est. Ibique cum mulier esset virtutis, a Booz opulento in uxorem ducta est. Erat autem, ut dictum est, alienigena, utpote Moabitis. Quare non tam pro se, quam etiam contra se legem habuit Domini. Nam lex Mosaica, Ammonites et Moabites excludebat ab Ecclesia Judæorum penitus. Ex hac parte non erat recipienda in societatem aut communionem filiorum Israel. Ex alia autem parte, quoniam ex terra Judæ priorem habuerit maritum absque prole defunctum, ei hoc concedebatur. Lex enim prioris mariti fratrem aut propinquum in maritum ad suscitandum defuncti fratris aut propinqui semen concessit. Hæc igitur lex iterum succurrit, ut non solum in Ecclesiam Domini intraret, sed etiam in consanguinitatem Christi, utpote quæ secunda generatione genuerat David Regem. Est ita-

Rahab non fuisse meretricem.

Ruth contra legem uti mater regum Judæorum effecta sit.

que non solum in Ecclesiam Judæorum ingressa, sed etiam mater regum effecta. Hujus autem gratiæ se fecit dignam, puta ut tali nobilitaretur connubio, quia patriam, cognatos, amicos, parentes et domum suam reliquit, ad Deum Israel cum sua socru confugiens. De his duabus matribus Rahab et Ruth Chrysostomus ait: Vides, inquit, quia non frustra Rahab et Ruth Evangelista intulit mentionem? quarum unam alienigenam, alteram etiam meretricem fuisse constat: sed ut disceres idcirco venisse Christum, ut mala nostra deleret omnia. Non enim quasi judex, sed quasi medicus advenit. Sicut igitur illi de quibus secundum carnem natus est, conjuges suscepere meretrices: sic etiam ille fornicatricem hominum naturam sibi copulavit.

Chrysost.

Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat.

Supra dictum est Booz ex Ruth Moabitide Obed generasse: Obed vero Jesse, qui David genuit regem. Est autem Jesse trinomius. Siquidem vocatus est Isai in primo libro Regum, et vocatur hic Jesse, de quo Isaias loquitur propheta: *Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet.* Fuit alio quoque nomine vocatus Nahas. Hic itaque genuit David regem omnium filiorum minimum. David iste mira fuit pietate in Deum devotus, vir Evangelica perfectione insignis. Nam persecutori suo ac hosti Sauli, cum illum in manus suas tradidisset Dominus, David non semel pepercit, vitam donavit, omni injuria abstinuit, illum adoravit, humillimeque honoravit, se pulicem, canem mortuum ac perdicem nominans. Imo postquam in duo crimina gravia labi permissus est, homicidii scilicet et adulterii, et pœnitens Deo reconciliatus est, quantum humiliavit se erga blasphemum Semei, sibi, hoc est, Davidi regi insultantem? Certe quamvis rex esset, nullam tamen maledicentiæ vicem in illum retulit, sed ne militem quidem ulcisci regis injuriam volentem permisit, sed eumdem compescens: Dimitte, inquit, ut maledicat David. Forsan Dominus respiciet humilitatem meam, et reddet mihi benedictionem pro maledictione hac hodierna. Denique Absalonem filium fugiens, cum arcam Domini sacerdos sumere cum David vellet, qua devotissimus vir magis solaretur fugam suam, non est passus rex sanctus ut educeretur arca, sed dimittite, inquit, eam. Si propitius est mihi Dominus, ostendet eam mihi iterum. Quod si me rejecerit, dicens: Non places, Dominus est, quod bonum in conspectu suo videbitur, faciat. Vide igitur quam humilis et mansuetus, quam pius et Deo devotus vir fuerit, adeo ut Dominus de eo dixisse legatur: *Inveni virum secundum cor meum.* Hic itaque genuit Salomonem ex ea quæ fuerat uxor Uriæ, hoc est, ex Bethsabee. Non tamen hic erat puer, qui per adulterium natus est, Salomon (siquidem puer ille infans obiit), sed omnibus fuit filiis David ex Bethsabee (ut quidam volunt) junior. Post mortem namque Uriæ, David Bethsabee accepit uxorem. Ex qua quatuor filios recepit, puta Samma, Sobab, Nathan et Salomonem. Fuit itaque Salomon omnium junior, fratrem habens Nathan ex utroque parente per generationem carnis, non ut quidam mentiuntur per adoptionem Davidis, qui illum filium Uriæ cum Bethsabee ejus matre, dum conjugem sibi copularat eamdem, in filium sumpsisset adoptivum.

Jesse nomen triplex.

Is. xi, 1.

David regem evangelica fuisse perfectione insignem.

Quin potius (ut Philo asserit, cuique Hieronymus consentit) Nathan frater fuit Salomonis ex utroque parente. Nam nisi fuisset, quomodo Christus fuisset filius David, posteritate Salomonis deficiente, quam Lucas ascendendo per lineam Nathan ducit usque ad David? David namque cum primogenitus ejus Amnon fuisset occisus, Absalon quoque interemptus, subsecutaque esset discordia filiorum discer-

tantium, in regno quis patri succederet, juravit, hoc est, decreto firmavit, quod minimus ex Bethsabee post se regnare inciperet cum sua posteritate, si quam haberet. Ea autem deficiente, succederet posteritas Nathan qui proximus natu fuerat Salomoni, utpote præter Salomonem inter fratres suos ex matre Bethsabee junior. Quod et Bethsabee David postea promisit, se non revocaturum, quando Adoniam a præsumpto propterea regno
II. *Reg.* 1, o. deposuit, sic dicens : *Sicut juravi tibi per Dominum*. Per Dominum, inquit, quo intelligas Domino hoc juramentum Davidis placuisse, atque non ex amore carnali Bethsabee, sed ex beneplacito atque constituto divino emissum. Ergo sicut juravi tibi, inquit, per Dominum Deum Israel, ita fiet: utpote id quod juravi, et quod tu desideras impleri, ut Salomon filius tuus regnet super solio meo. Nam divina jussione hoc gestum in Paralipomenon primo libro David testatur, dum moriturus prin-
I. *Paral.* XVIII, 13. cipibus loquitur, dicens : *Dominus elegit Salomonem filium meum*, ut sederet super solium meum. Hujus posteritas Salomonis defecit in Ochozia, qui filium naturalem non habuit. Itaque Ochozias ex sola po-
Salomonis osteritas uando de- ecerit. steritate relictus erat Salomonis. Quo non habente filium, eoque interempto, Athalia conata est omne semen regium occidere, puta quod ex linea Nathan fratris Salomonis supererat, et illius stirpi regiæque dignitati in regno succedere debebat. Servatus est tamen Elich aut Eliakim ex Ahrasarim ex stirpe Nathan ortus : qui sic dicebatur, utpote donati lege ac jure successionis in regno vocabantur filii ac fratres principis. Vide Breviarium Philonis. Hic autem Elich aut Eliakim cognominatus est Joas a Jozabeth sorore Ochoziæ. Nam persecutioni Athaliæ fuit subtractus, et servatus. Hic primus (ut dixi) ex catena seu linea Nathan filii David descendens (non tamen putes illum fuisse Nathan, qui propheta dicitur et sacerdos, sed filium David), rex Judæ est institutus, juxta decretum David. Itaque David genuit Salomonem, qui regnavit sapiens, pius atque devotus Deo in principio : in fine tamen per mulieres depravatum est cor ejus. Ex Salomone natus est Roboam, qui dure loquens plebi, atque cum austeritate imperans, decem tribus ut a se deficerent, ansam præbuit. Ex Roboam Abias : ex Abia Asa : ex Asa vero Josaphat natus est. Hi duo reges Asa et Josaphat inter pios et bonos reges numerantur, licet reprehensione non careant.

Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen.

Josaphat genuit Joram virum pravum qui filiam Achab et Jezabel pessimæ ac Gentilis feminæ accepit uxorem, qui fratres suos occidit : nec Heliæ est increpationibus correctus. Hic Joram dicitur hic genuisse Oziam, licet secundum historiæ veritatem, ut Regum libri testantur, genuerit immediate Ochoziam. Ochozias vero genuit Joas. Et Joas genuit Amasiam. Amasias vero genuit Oziam. Tres igitur reges intermedii ab Evangelista intermissi sunt. Cujus rationem Hieronymus, Hilarius et Chrysostomus assignant, quod hoc propterea factum sit, quia Joram semini miscuit se impiissimæ Jezabel, cujus filiam acceperat uxorem : ideo ejus posteritas usque ad quartam generationem abjicitur, ne in Christi sanctæ generationis ordine collocetur. Hic Ozias tumidus, cum sibi officium niteretur usurpare sacerdotum a Deo lepra in fronte percussus est. Sentiens autem lepram mox de templo festinavit exire, quia intelligebat Domini plagam : idcirco creditur pœnituisse. Genuit is autem Joatham, qui patre vivente seorsum propter lepram, gubernavit interea palatium vir justus. Hic genuit Achaz, virum reprobum. Achaz autem genuit Ezechiam virum optimum, religiosum ac Deum ti-

mentem, adeo ut de illo quartus Regum liber dicat, quod nec ante, nec post eum aliquis fuerit Regum ei similis. Hic genuit Manassen. Postquam infirmus lecto decubuerat flens et Dominum orans (nam oranti adjecit ei ad vivendum Dominus quindecim annos) interim genuit Manassen. Unde volunt Ezechiam non horrore mortis aut metu flevisse, sed propterea tantum, quod non relicto semine mori deberet, quo fieret ut e semine suo non nasceretur Christus, frustrareturque spe promissionis patribus olim a Deo factæ.

Ezechias rex propter quam causam fleverit.

Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.

Manasses iste vir fuit flagitiosus, quamvis ex sancto patre genitus, et Jerusalem sanguine replevisse usque ad os scribitur. Captus tamen a rege Assyriorum et in carcerem conjectus, inter vincula vehementer pœnituit, Deumque invocans liberatur, et regno restituitur. Hic genuit Amon, qui patrem suum in sceleribus, non in pœnitentia delictorum est imitatus. Hic virum sanctissimum Josiam genuit. Siquidem cum octo duntaxat esset annorum Josias, cœpit quærere Dominum. Sub hoc Jeremias quoque orsus est vaticinari. De hoc Josia Ecclesiasticus loquens, dicit : *Memoria Josiæ in compositione odoris, facta opus pigmentarii, in omnium ore quasi mel indulcorabitur, et ut musica in convivio vini.* Hic Josias, inquit Matthæus, genuit Jechoniam et illius fratres in transmigratione Babylonis, hoc est, imminente transmigratione Judæorum in Chaldæam, cujus fuit regia ac metropolis Babylon. Hic Jechonias filius Josiæ, pater est alterius Jechoniæ, qui post transmigrationem genuit Salathiel. Unde secundum Hieronymum, intermissa est hic generatio, scriptorum vitio, quod ex quarto Regum et secundo Paralipomenon libris probatur. Ubi is, qui Jechonias nominatur, natus in transmigratione Babylonis vocatur Joakim. Quapropter Hieronymus : Scimus, inquit, Jechoniam priorem ipsum esse quem et Joakim : secundum vero filium, non patrem. Quorum prior per k et m, hoc est, Joakim : sequens vero, per ch et n, hoc est, Joachin scribitur. Fuit itaque Jechonias idem qui et Joakim, qui filium genuit Joachin post se regnantem. Hic tandem sponte se tradidit Nabuchodonosor, abductus in Babylonem. Ubi contra jusjurandum, hoc est, contra datam fidem Nabuchodonosor, cum eum posuisset in carcerem, post annos multos tandem a filio hujus magni Nabuchodonosor Evilmerodach est liberatus et honoratus valde. Fuit autem et aliud ei nomen, quo vocatus est Elich : sed post liberationem ejus ex carcere, vocatus est Neri, quomodo a Luca quoque nominatur. Timebatur autem lucernam ex stirpe David exstingui in Israel. Ideo dum in carcere esset, æditus pro eo fertur et cantatur Psalmus octuagesimus septimus : *Domine Deus salutis meæ*. Dum vero esset liberatus, in gratiarum actionem, teste Philone, æditus est et decantatus Psalmus qui sequitur octuagesimus octavus. *Misericordias Domini, etc.* Cui ex carcere liberato mox datus est a Deo filius proprio nomine vocatus Mezisebeel, cognomine vero Salathiel, qui genuit filium Barachiam, qui dictus est a principatu Zorobabel, id est, princeps captivitatis Babel. Hic Zorobabel genuit Resa quem Lucas nominat. Observandum enim est, quod fere omnes qui post Joas primum regem ex linea Nathan, deficiente stirpe Salomonis, regnarunt, atque ipse Joas aut binomii aut trinomii fuere. Nam et hic in vicinioribus idem est qui Joachin : et a Philone Elich : et Neri, tam a Philone quam a Luca : et hic in Matthæo Jechonias nominatus est. Item et Mesizebeel aut Mesizehel et Salathiel. Barachias quoque et Zorobabel idem est vir.

Jeremias quo tempore orsus sit prophetare. *Eccli.* XLIX, 1.

Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.

Deficiente nobis Scriptura Sacra ac certissima historia, unde probari possint hæ generationes, nihil a nobis dici potest, nisi quomodo Evangelista dicit, et intelligi voluit generationes has sibi invicem fuisse succedentes. Scripsit enim his qui illo tempore vivebant, quibus ignotum non erat, qua linea quorumque nominibus Maria ex semine David deduceretur. Hoc enim erat necessarium, si vere recteque Christus natus ex semine David deberet dici. Hoc, inquam, necessarium est Mariam fuisse ex Davidica stirpe natam; alioqui Christus non esset filius David. Neque enim satis foret Joseph ex David deductum, si non Maria quoque fuerit filia Davidis, ex qua sola Jesus Dei Filius carnem suscepit. Itaque minor fuit sollicitudo, quam ut clare scriberetur Mariæ genealogia : quandoquidem tunc, puta in initio fidei, nemini ex fidelibus erat hæc ignota.

atthæus
bus su-
Evan-
ium
ipserit.

ariam
bari
am Da-
.

Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Ut paulo ante dixi, satis probatur hic et aliis Evangelicis testimoniis, Joseph esse filium David. Sed quid hoc ad Christum, qui ex Joseph non est natus? Oportebat igitur Mariæ genus deduci, quo unde Christi veniret genealogia, constaret. Verum Hieronymus, omnesque alii tradunt consuetudinem non esse Scripturarum, ut mulierum generationis ordo contexatur. Ideo omissis aliorum opinionibus, quæ in variis auctoribus aliæ atque aliæ reperiuntur, unius dicam opinionem, qui dicit, Matthæum carnalem generationem naturalemque descripsisse. Idcirco posuerit, ait, patrem naturalem Joseph Jacob : cæterum, Lucas alio posuerit respectu patrem Joseph Eli, seu Elich. Syris namque et Ægyptiis idem esse nomen volunt Elich, et Eliakin, et Joachin. Dicit itaque auctor ille testimonio utens Philonis, Eli sive Elich eumdem fuisse quem et nos Joachin patrem naturalem Beatissimæ Mariæ dicimus Virginis : dictum vero a Luca patrem Joseph, non quidem secundum carnem, sex juxta legem seu consuetudinem quia Joachin sive Eli pater fuit Mariæ conjugis Joseph. In eodem autem tibi attinet gradu pater conjugis tuæ, aliusve consanguineus, qui attinet tuæ conjugi. Pater itaque conjugis tuæ, pater est tuus. Si igitur Eli, qui idem est, quem nos vocamus Joachin, propterea dictus est pater Joseph a Luca quia ille pater fuit carnalis conjugis Joseph Beatæ Mariæ : tunc certum fit, quomodo Maria ex David per Nathan descenderit, Joseph vero per Salomonem : quorum uterque de tribu est Judæ, et filius ex semine David. Testatur autem Ambrosius quoque vere Christum descendisse per Nathan qui legitimus filius fuit naturalisque David et Bethsabee, non sacerdos, sed cui ut principi ejusque successoribus commissus erat ordo sacerdotum, haberetque respectum super eos, ne quid iniqui molirentur contra regem.

Hieron.

Generationem qualem Matthæus explicet in genealogia Christi.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

QUID ORIGINALE SIT PECCATUM, QUANTUMVE NOCEAT : A QUO BEATA EST VIRGO MARIA PRÆSERVATA.

TOTA pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Canticorum IV, 7.

Nemini verba hæc justius applicantur, quam Beatissimæ Virgini Mariæ. Quippe, quæ sola inter omnes creaturas tota pulchra est, sola ex omni parte candida, adeo ut nulla sit in ea macula. Leguntur igitur hodie merito de ea in illius laudem hæc verba. Siquidem hodie concepta est : quæ conceptio in omnibus hominibus aliis est immunda. Omnes enim concipimur filii iræ et in peccato originali : a quo nisi mundemur, non videbimus Deum nec ejus beatitudine perfruemur. Ab hoc tamen defectu singulari divinoque privilegio exempta præservataque fuit Beatissima Virgo Maria, ne incideret. Et hæc ratio nobis est, et causa jucunditatis hodiernæ, qua illi decorem hunc, pulchritudinem puritatemque post Deum excellentissimam gratulamur, Deoque pro hac re gratias agimus. Itaque, charissimi filii, cum nunc dicendum nobis sit, cujusmodi hoc fuerit beneficium, præservari ab originali peccato divinitus, ea propter quid originale peccatum sit, est primo investigandum. Quapropter sciendum, quod benedictus Deus hominem creavit rectum, quem secundum imaginem suam creans, secundum se etiam eumdem vestivit virtute : quia inferiores animæ vires et concupiscentias omnes plene fecit obedire rationi. Ea propter si Adam non peccasset, nulla fuisset neque in eo, neque in aliquo homine concupiscentia prava, nulla rebellio carnis, nulla denique inordinata commotio sensualitatis adversus spiritum, aut rationi contraria. Non fuisset denique in homine alicujus mali cogitatio, nulla mala voluntas qua læderetur proximus, aut ex alio alius offenderetur, nulla quoque repugnantia membrorum. Ideo ex nuditate etiam nulla erat erubescentia, quia ibi inobedientiæ deerat turpitudo et concupiscentiæ, unde erubescentia posset generari, libido. Et quamvis nemo famem sitimve sensisset, nihilominus tamen suo quisque tempore edens, servante hac originali justitia, nec perturbationem sensisset, nec ægritudinem. Neminem ulla creatura læsisset, non aer, non ignis, non aqua, non bestia, aut quodcumque aliud. Omnia enim obedissent homini, et homo obedisset in omnibus Deo.

Conceptionis festum celebrandi ratio quænam sit.

Justitia originalis primo homini data quam præclarum fuerit donum.

Hoc itaque præclarum donum originalis justitiæ acceperat Adam pro se et pro posteris suis. Quod quomodo pro se suisque successoribus cunctis accepit, ita prævaricando præceptum divinum, pro se, pro suisque omnibus iterum amisit, non aliter quam si quis comitum immunitate aliqua aut privilegio donatus fuerit pro se suisque hæredibus : sed si postea domino suo perfidus fuerit inventus, amittit iterum pro se suisque hæredibus privilegium quo fuerat donatus. Quapropter peccatum transgressionis in Adam licet actuale fuerit peccatum, in nobis tamen illud non est actuale, sed originale, quod per generationem in nos, hoc est, de uno in unum transfunditur, omnesque illius efficimur peccati, quantum ad privationem originalis justitiæ attinet, participes, quotquot humanæ sumus naturæ consortes. In hoc peccato concipimur omnes, ut David testatur : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Est igitur originale peccatum, defectus aut privatio originalis justitiæ, quam

habere debet homo, et non habet : hoc est, quam natura humana quidem acceperat, sed demerito suo, hoc est, per primum peccatum in natura humana commissum, iterum amisit. Quotquot enim nascimur communi lege, nascimur filii iræ, non habentes originalem justitiam, quam deberemus habere, ut puta in Adam nobis, hoc est, naturæ humanæ datam. Itaque non habere quod debemus habere, idipsum dici potest originale peccatum. Quod licet ex privatione sit originalis (ut dixi) justitiæ, non tamen peccatum originale hunc solum nominat defectum originalis justitiæ, qua caremus, sed affectionem etiam nominat malam, pronitatem ad malum, peccandi libidinem, tarditatem gravitatemque ad bonum, atque concupiscentiarum et vitiorum omnium fontem omniumque malorum scaturiginem, quæ in carne nostra latentia inde promanant atque pullulant, ob originalis justitiæ defectum, seu originale peccatum. Quod quidem peccatum nobis in baptismo ita remittitur, ut non imputetur a Deo parvulo, aut alteri baptizato, quod justitia careat originali, aut quod infirmitatem, rebellionemque carnis, concupiscentiarumque sentiat importunitatem. Quo fit, ut non solum nihil damnationis propterea sit his, qui sunt in Christo Jesu baptizati, sed etiam gratiam Dei, innocentiæque recipiant vestem, submersis deletisque omnibus peccatis eorumdem in baptismo : ibi enim omnes Christi redemptionis efficimur participes : ibi filii adoptionis efficimur Dei, filii gratiæ, filii lucis, membra Christi, hæredes Dei. Non ergo nobis in Christo baptizatis nocet, quod defectus in nobis manet originalis justitiæ, quem defectum originale peccatum vocamus; quodve inordinatarum concupiscentiarum vitiorumque sentimus multitudinem, motuumque indomitorum rebellionem : quæ tamen nos a Deo separarent, si in peccato illo originali, puta non baptizati, aut non in Christum credentes moreremur.

Secundo, sciendum, ex peccato originali nobis evenire gravia. Primum est, obligatio ad damnationem perpetuam. Quicumque enim in peccato mortuus fuerit originali, huic clausum est regnum cœlorum, æternaque damnatione separatur a Deo. Proinde Paulus : *Eramus,* inquit, *natura filii iræ sicut cæteri.* Porro, filii iræ quid sunt nisi filii perditionis? Hoc malum tollitur nobis per baptismum. Tollebatur quoque in veteri lege per circumcisionem, et in lege naturæ per sacrificia et per fidem. Nunquam enim defuit mundo remedium contra originale peccatum, quo efficerentur homines filii gratiæ atque amici Dei. Nullum tamen erat ante Christi passionem remedium quod reconciliaret Deo naturam humanam, nec Beatæ Virgini quidem (quæ sine peccato concepta est originali, quia præservata est ex dono Dei singulari ab originali peccato, quod, nisi præservaretur, incidisset), nec cuivis sanctorum pateret regnum cœlorum, antequam Christus debitum omne per Adam, pro nobis et pro universa natura humana, in qua peccatum erat, solvisset. Non debet autem cuipiam hoc injustum videri. Siquidem si Adam non peccasset, profuisset nobis etiam omnibus ad servandam originalem justitiam, illius bona voluntas. Idcirco pari ratione nobis quotidie obest peccantibus Adæ mala voluntas, non secus atque exhæredato patre necesse est filium exhæredari. Habet autem hoc locum in originali peccato tantum. Siquidem de aliis peccatis, neque parentes pro filiis, nisi criminum sint eorum participes : quia anima quæ peccatum commiserit in ipso morietur. Pater enim non portabit iniquitatem filii, neque filius portabit iniquitatem patris. Verum, ut dixi, in originali peccato, hoc est, in exhæredatione originalis justitiæ, filii pati habent in parentibus. Secundum malum, quod ex peccato nobis relinquitur originali, concupiscentia est carnis adversus spiritum. Hæc etsi peccatum non sit, Jacobo tamen teste, ex peccato est, et ad peccatum provocat, imo peccatum, si ei consentiatur, gignit. Quo

Mala quænam homini ex originali evenerint peccato.

Eph. II, 3.

Circumcisio legis ut fuerit contra peccatum originale, sicut fides in lege naturæ.

Concupiscentia carnis ex peccato originali.

fit ut in Scriptura non raro peccatum nominetur. Sic enim Paulus hunc carnis languorem, non semel peccatum vocat. Augustinus quoque concupiscentiam ait nobis dimitti, non ut non sit, sed ut non imputetur. Ex hac autem concupiscentia prava, oritur continua ad mortem usque hæc nobis pugna quæ est inter carnem et spiritum, de qua Apostolus conqueritur

Rom. VII, 23. dicens : *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et ca-*

Gal. V, 17. *ptivantem me in lege peccati.* Et ad Galatas: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Hæc concupiscentia non tollitur nobis usquequaque, sed minuitur bene, et Dei gratiæ adjutorio confortamur, ne vim nobis possit inferre, nec sine voluntatis nostræ assensu nobis nocere.

Ignorantia ex peccato originis. Tertium est malum, ignorantia. In magna enim scientia creatus fuit Adam, omniumque rerum notitia plenus, quippe qui juxta proprietates singulorum animalibus nomina posuit. Nos vero a sublimi scientia illa excidentes, parum novimus. Nullam enim substantiam in propria essentia, sed ex accidentibus tantum cognovimus.

Mors et corruptio hominis unde. Quartum malum est, ex originali peccato manans, mors, et post mortem corruptio incineratioque. Nam ut Sapiens

Sap. I, 13. ait : Non fecit mortem Deus, nec lætatur in perditione vivorum. Si ergo Deus non fecit mortem, unde nisi ex peccato, venit? Inducit itaque originale peccatum non solum mortem, sed et pœnas infirmitatesque, famem, sitim, fatigationem, dolorem tristitiamque inordinatam, et id genus incommoda multa : post mortem vero putre-

Gen. III, 19. factionem, et incinerationem, juxta Dei maledictionem Adæ datam, dicentis : *Quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Tertio, mirandum non est hominem baptizatum, et a peccato originali mundatum, concipere gignereve in peccato originali : quia quod pater aut mater gignit, non est ex substantia gratiæ sed ex substantia naturæ vitiatæ. Quare, hæres sicut efficitur per patrem naturæ (ut ita dicam), ita non potest esse aliter de lege communi, quam hæres naturæ vitiatæ. Quod enim caret pater originali peccato per baptismum, est divinæ gratiæ, quod vero ex eo nascitur filius est naturæ : hoc autem locum non habet (ut supra dixi) in solo originali peccato. Quomodo enim personalis virtus probitasve patris non derivatur in filium, ita nec iniquitas personalis, puta furtum aut homicidium. Contra vero, si originalem justitiam Adam tenuisset, hanc in omnem posteritatem transfudisset. Nunc vero quia amisit, non sibi tantum sed omnibus quoque nobis, hoc est, universæ posteritati suæ amisit. Generat igitur regeneratus in baptismo filium in originali peccato, ut dixi, quia ut Augustinus ait, Judæus circumcisus generat filium non circumcisum. Et palea licet magno sit labore separata a grano tritici, si tamen in terram projiciatur tritici granum, non triticum producit sine palea sed cum palea. Sic aliud est, tam pater quam mater per Dei gratiam, juxta quam non ex illis nascitur proles, aliud est per naturam, juxta quam generat prolem. Quarto, quia ex omnibus divina bonitas elicit bonum, noluit per baptismum nos ita ab originali liberari peccato, ut nullæ hujus in nobis molestiæ, nullæ reliquiæ manerent, sed, quæ dixi mala superiora, primo excepto, in nobis reliquit ad virtutis exercitium, ut inde coronaremur a Deo : unde astutia invidiaque serpentis sibi voluit nos subjicere, cœlestique privare hæreditate. Quinto, sentiendum est firmiterque tenendum, Beatissimam Virginem Mariam conceptam esse sine originali peccato. Sanctus namque Joannes Baptista, S. Jeremias concepti quidem sunt in originali peccato, sed in utero ante sunt purgati seu sanctificati, quam nati. Quare Beatissimam Dei Matrem singulari atque majori privilegio decuit sanctitatis ac puritatis illustrari, non ut purgaretur ab originali peccato, sed quo ne contraheret illud, præservaretur. Dixerat enim Dominus de Bea-

tissima hac Virgine serpenti, hoc est, diabolo : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quomodo Beatissima hæc Virgo contrivisset caput serpentis hujus, si vel ad momentum serpenti, hoc est, diabolo per originale peccatum subjacuisset? Absit, absit, ut Beatissimam Dei Matrem, ne ad momentum quidem filiam dicamus aliquando fuisse diaboli, filiamque iræ. Quomodo enim dici posset in Matrem Dei ab æterno electa, si aliquando diaboli fuisset ancilla? Non hoc passus est, in sua dilectissima Matre Deus, Dei et Virginis Filius. Propterea B. Hieronymus de Beatissima Virgine loquens, ait : Nulli dubium est de Matre Domini, quia talis debuit esse, quæ non posset argui de peccato : quandoquidem ad ignominiam non modicam id vergeret Christi : quin potius decebat maxime (ut verbis Divi utar Anselmi) ea sanctitate, ea puritate nitere hanc Virginem, quæ Christum Dei Filium conceptura erat et paritura, qua major sub Deo non posset intelligi. Nequaquam igitur Dei Mater, nequaquam regina cœlorum, Angelorum domina, nec ea quæ dæmonibus est terrori ac formidini, existimanda est in originali fuisse peccato concepta. Eva in sua creatione omnis maculæ expers fuit ac vitii. Num Eva inferiorem putabimus Mariam, ut illam dicamus sanctam, hanc dicamus in originali peccato conceptam? Aut quomodo eam præ cæteris dicemus mulieribus benedictam, si eam cæteris æquamus? Quomodo est, inquam, præ omnibus benedicta Maria, si in peccato concepta est, aut si ejus ortus, quam Evæ fuerit immundior? Absit igitur, ut in Eva præferamus imaginem ac figuram veritati. Nihil enim nisi figura Beatissimæ Mariæ fuit Eva. Sed quomodo quis dubitare possit de Beatissima Virgine ab initio et ante secula in Dei Matrem electa, quin illius conceptio munda fuerit et sine peccato? An plus non valet gratia, quam natura? Sunt sanctorum, sunt quoque Scripturæ Sacræ sententiæ quædam generales, quod nemo nascatur, nemo vivat sine peccato. Esto, lex communis est. An Deus non potuit quem voluit, a lege communi eximere? An Matrem suam non potuit privilegio singulari honorare? Si eam in multis aliis exemit, quomodo hic eam neglexit? Naturæ usitatum non est nec consentaneum, virginem concipere et parere : præstitum tamen hoc divinitus est Mariæ. Nonne cunctis mulieribus dictum est a Deo : *In dolore paries filios?* Maria tamen peperit virgo, non in partu dolorem, tristitiamve sensit. Nonne homini dictum est, universoque generi humano : *Quia pulvis es, et in pulverem reverteris?* Maria tamen non sensit corruptionem. Ejus namque sacratissimum corpus non decuit incinerari, nec etiam putrefieri potuit, quæ neque conceptu, neque partu est violata. Si igitur in aliis multis a communi lege aliorum sanctorum est exempta, et decorata privilegio singulari, quare non etiam præservata est a peccato originali præ aliis? Nihil enim Deus intermisit in ea, quod ad venerationem, ad cultum, ad honoremque spectaret suæ sanctissimæ Matris. Si igitur non præservasset eam, hoc ideo esset, vel quia nollet, vel quia non posset, aut quia non congrueret. Nullum horum hic habet locum. Congruit maxime dignissimam omnium creaturarum, proximam post Christum Deum, honore singulari atque excellentiori affici. Decebat quoque Christum innocentissimam immaculatissimamque matrem habere. Congruebat eamdem quoque (quibus potuit creatura modis ornari) virtutum puritatisque excellentia, omnique genere sanctitatis honorari a Filio : quæ tanta esset, ut non posset esse in creatura præstantior, nec sub Deo intelligi major. Congruit igitur non solum hoc Christo, ut Matrem suam servaret mundam ac sanctam, verum etiam ita suæ Matri facere debuit, ita facere potuit, ita voluit : et quod nostrum est constanter credere, ita fecit. Nos igitur, filii charissimi, veneremur hanc Virginem, ipsam

Gen. III, 15.

Nec ad omen- um qui- em Bea- m Ma- am sub- cuisse eccato iginis.

Hieron.

Evam isse figu- m Bea- m Mariæ irginis.

Mariam matrem suam quibus privilegiis singularibus Deus honoraverit.

Gen. III, 16.

Ibid. 19.

Mariam Virginem ab originali peccato præservari quam bene congruerit.

Quomodo filii efficiamur B. Virginis Mariæ.

diligamus, imitemurque ejus puritatem ac sanctitatem. Scimus enim Christum dixisse, dum a quodam illi nuntiaretur, matrem ipsius et fratres foris stare : Qui sunt fratres mei, et quæ est mater mea? Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, hic meus frater et mater et soror est. Si ergo qui voluntatem Dei faciunt, Christi sunt fratres, sorores et mater, videte quomodo non solum filii Mariæ efficimur, ipsius vitam imitando, nec filii tantum sumus Christi nos conformando vitæ Christi, sed esse possumus etiam Christo et soror et frater et mater, si fecerimus quæ beneplacita sunt ejus Patri. Quo manifestum fit, Christum non tam amare conjunctionem sanguinis quam voluntatis. Studeamus igitur virtutes Beatissimæ Virginis imitari, et eisdem quibus ipsa placuit Deo placere, puta humilitate profundissima. Ipsa enim de excellentissimis multifariisque donis Dei nihil sibi adscripsit, nihil sibi arrogavit, sed liberam ab omni se gloriatione continuit, patientia mitissima et constanti. Ipsa enim patientissimam mansuetissimamque se exhibuit, et ab omni rancore et amaritudine alienam erga eos, qui Filium suum persequebantur aut crucifigebant, se servabat. Charitate denique et temperantia, paupertate quoque spiritus, et virtute discretionis emicuit. In quibus omnibus se speculum exhibuit sine macula quod imitemur, in quo Christum contemplemur, in quo Christum laudemus, Christo gratias agamus, qui nobis hujusmodi matrem dedit, reginam misericordiæ piissimam clementissimamque : cui sit honor, laus, virtus et gloria in secula seculorum, Amen.

Virtutes B. Mariæ nobis imitandæ quæ sint.

IN FESTO

S. THOMÆ APOSTOLI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

SCIMUS quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit. Et quos vocavit, hos et justificavit. Quos autem justificavit, illos et magnificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat; quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei: qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Ad Rom. VIII.*

IN festis quorumdam Apostolorum hæc non immerito legitur Epistola, in qua perfectissima charitas describitur, qua decebat Apostolos, qui primitias habebant Spiritus, præeminere aliis. Itaque dicit divus Paulus Apostolus: *Scimus,* per revelationem, indubitataque fide tenemus, *quoniam diligentibus Deum* charitate seu dilectione quæ Domini custodit mandata intuitu placendi Deo, *cooperantur in bonum omnia* ac convertuntur illis ad profectum: adeo ut non solum adversa et tristia, verumetiam si illos hallucinari ac deviare aliquando contingat, hoc ipsum illis proficiat in bonum, quia humiliores inde redeunt, doctiores prudentioresque, et bonis actibus ferventiores deinceps insistunt. His scilicet, qui secundum propositum divinæ prædestinationis, in quo perseverabunt, tametsi aliquando ad tempus aberrent, redeunt tamen, ut propositum Dei in eis impleatur. Proposuit enim, hoc est, prædestinavit eos ad vitam venire: quod mutari non potest. Secundum hoc igitur propositum, non secundum meritum, vocati sunt sancti. Nam quos præscivit sal-

Quomodo eum diligentibus nnia cooerentur bonum.

Propositum Dei salvatione hominum quomodo intelligendum.

vandos, hos ut essent prædestinavit quoque conformes fieri imaginis Filii ejus. Hoc est, hos ut fierent imitatores Christi prædestinavit, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, et primatum tenens in collegio sanctorum. Itaque quos ab æterno scivit conformes fieri imaginis Filii sui, etiam prædestinavit, hoc est, per oppositam gratiam illos præparavit, ut verbo crederent prædicationis. Omnis prædestinatio est etiam præscientia : non autem omnis præscientia est etiam prædestinatio. Prædestinatio enim divina solorum est bonorum, quæ præparat ad gratiam : et est causa salutis nostræ. Prædestinat namque ea quæ est facturus. Præscientia vero est bonorum et malorum. Præscit autem Deus multa, quæ ipse non est facturus. Siquidem malorum præscit damnationem, cujus tamen ipse damnationis nequaquam est causa. Igitur quos præscivit salvos fieri, hos et prædestinavit, quos autem prædestinavit, hos et vocavit ad fidem et gratiam suam, per inspirationem et illuminationem internam, per prædicationem externam, per angelicam custodiam et directionem. Et quos vocavit, puta secundum suum propositum prædestinationis suæ (sunt enim vocati alii quoque qui ad tempus credunt ac diligunt, sed non electi, nec perseverant), hos et justificavit. Quomodo imperator quempiam diligens, si promovere ex plebeo genere illum vellet ad comitatum, daret illi ante opes, honores, officia, dignitates, quibus illum dignum tandem redderet comitatu illo, et propter quæ comes futurus idoneus æstimaretur : quæ tamen omnia prædicta, quibus dignus fieret comitatu, et ipsum comitatum ab imperatore suscepisset. Hoc modo, quos Deus prædestinavit et vocavit ad gloriam suam, hos et justificavit, idoneosque facit ac dignos cœlesti præmio. Quapropter merita nostra ac præmia, dona sunt Dei : nec aliud in nobis Deus coronat, quam dona sua. Itaque quos vocavit, hos et justificavit, peccata eis dimittens, et gratiam infundens. Quos autem justificavit, illos et magnificavit, id est, illos et magnos fecit, hic in sanctitate, et postea in gloria et felicitate æterna. Juxta divum Augustinum, prædestinatio præparatio est gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Vocatio gratiam offert et retrahit a peccato. Justificatio gratiam confert. Magnificatio gratiam consummat in gloria. Quid ergo dicemus ad hæc tanta Dei nobis collata beneficia ac dona? Numquid adhuc aliqua ex nobis habere putabimus? Haudquaquam : sed omnia adscribamus gratiæ. Si ergo Deus est pro nobis, nos prædestinans, vocans, justificans et glorificans, quis contra nos erit? Itaque Deo in his omnibus pro nobis constituto, qui nobis in his voluerit adversari, paret se, si bellare potuerit contra Deum. Adeo namque is diligit nos, ut Filio suo non adoptivo, sed proprio ac naturali non pepercerit, sed in mortem pro nobis omnibus tradiderit illum. Quia ergo quod maximum et sibi charissimum est dedit nobis, quomodo quidquam negare nobis poterit? imo quomodo non omnia cum illo donavit? Quis accusabit, seu accusationem afferre poterit ullam adversus electos Dei, puta ut privare eos his, quæ Deus illis gratis donavit, possit? Nemo prorsus. Accusant quidem in hac vita proximi, damnant et puniunt Prælati, sed non ut bonis æternis nos spolient : quin potius, ut ad bona æterna nos dignos reddant ac parent. Diabolus quoque accusat, sed non electis nocebit, quin beatitudinem ultimam assequantur. Quis ergo accusabit? Numquid Deus? Non. Quia ille est qui justificat, idcirco non accusare, sed accusatis solet misereri. Homo hic seipsum salubriter coram Deo et coram sacerdote accusat. Sed hæc accusatio non facit ut electum peccata gravent, sed ut deleantur ac non sint. Nemine igitur accusante, quis est qui condemnet? Num condemnabit electos Jesus Christus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis? Minime. Neque enim nos cupit condemnare, qui ad

Prædestinatio quid sit.

Præscientia quænam signet.

Deus quomodo prædestinat vocatve ad gloriam.

salvandos nos Deus homo factus ad nos venit, et pro nobis apud Patrem interpellat. Interpellare Christi, est seipsum cæterno Patri hominem commonstrare. Ostendit enim Patri in seipso, quid damnari in electis nolit; nempe id quod suscipiendo liberaverit. Quum ergo nos Christus adeo diligat, quis nos separabit a charitate Christi, ut Christum non diligamus? Nemo. Num faciet hoc tribulatio corporis? Num angustia mentis? Minime. Num faciet hoc persecutio, ut relinquamus Christum? An fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Hoc est, num pœna aliqua aut persecutio, num mors timorve mortis, a Christi nos charitate separabit? Et hoc dico, sicut scriptum est de nobis, et hæc nostra vox est : *Quoniam propter te mortificamur tota die,* id est, propter te variis pœnis afficimur, idcirco te non deserimus. Æstimati sumus sicut oves occisionis. Existimant enim nos sine ullo respectu misericordiæ debere occidi, cum nemini resistamus, sed parati simus in simplicitate et mansuetudine nostra mori. Hæc omnia pro Christo patimur, sed non superamur. Quin potius in his omnibus superamus, victoresque efficimur : non tamen propter vires nostras, sed propter eum qui dilexit nos. Dum enim illius amore inebriamur, sensum doloris amittimus; si enim vere ejus nos charitas rapuerit, si vere nos absorpserit, et nostrum in se affectum abduxerit cruciatum corporis, et dolorem nos sentire non sinit. Certus sum enim quia neque mors, seu moriendi timor, neque vita, scilicet voluptuosa quæ appetitur, et in qua est amor delectatioque vivendi, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes juxta distinctiones quascumque Hierarchiarum ordinumque beatorum spirituum, neque quæ instant præsentia, neque quæ exspectantur futura, neque violentia aliqua aut fortitudo, neque altitudo, seu potentia seculi, neque profundum astutiæ prudentiæque secularis, neque cratura alia poterit nos separare a charitate Dei qui melior est omnibus : quæ charitas Dei Patris erga nos manifestata est et exhibita in Christo Jesu Domino nostro, quem tradidit pro nobis in mortem, nos per eum et in eo suæ constituens adoptionis filios.

Interpellare quo-odo dicitur Christus pro obis.

Ps. XLIII, 23.

Dolores nostros quænam non sentire nos faciant.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, JOANNIS XX.

HOC præsens Evangelium in octavis Paschæ legitur, quoniam quod tunc gestum fuit, narrat. Huic tamen festo congruit æque, quare etiam legitur hodie. Narrata namque apparitione prima, quæ Christi Apostolis simul constitutis facta est in festo Paschæ, sequitur quod hodie legitur Evangelium de sancto Thoma.

Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus.

Unus ex duodecim Apostolis Thomas fuit. Siquidem duodecimum numerum tenere voluit Apostolorum Dominus Jesus. Dicit namque: *Nonne duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Duodecim elegit Christus, sed Judas diabolus fuit, participando diaboli malitiam, non naturam. Fuit autem Apostolus Judas vere, et ad Apostolatum a Christo electus, id est, institutus, atque ex aliis discipulis desumptus, non tamen prædestinatione adoptioneque filiorum a Deo fuit electus. In hac

Joann. VI, 71.

Judas quomodo fuerit diabolus vocatus.

enim gratia Judæ successit Matthias, qui duodecimum numerum implevit, qui adeptus est Apostolatum, a quo prævaricatus est Judas, et electionem adoptivorum, quam haudquaquam Judas creditur adeptus. Hoc ideo dico quoniam numerus mansit Apostolorum duodenarius, subrogato Matthia. Et hic ab Evangelista dictus est Thomas unus ex duodecim licet tempore resurrectionis Christi, Apostoli tantum fuerit undecim : paulo post tamen resarcitus est in Matthia numerus duodenarius. Itaque Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, hoc est (ut veteres ex Hebræo interpretati sunt) dubitator, licet recentiores quidam dicant geminum. Quo subindicatur naturali fortasse vitio Thomam inclinatum, quo tardiuscule, nec facile credere aliis solebat. Permiserat autem hic Dominus illum naturali inclinationi non sine vitio succumbere ac vinci : sed hoc tamen non absque dispensatione singulari. Voluit enim Dominus prædilectum sibi Apostolum Thomam dubitare, ne nos dubitaremus. Aut si dubitemus, vera illius experientia instruamur. Dubitavit enim ipse propter nos, et ea in quibus nos hæsitare possemus, ipse hæsitans exploravit, et de veritate nos certiores reddidit. Quamobrem, ut Beda ait, plus mihi Thomas qui dubitavit, profuit, quam Magdalena, quæ cito credidit. Igitur cum sero una sabbatorum Apostoli essent simul, foresque essent clausæ propter metum Judæorum (quod contigit in die Dominicæ resurrectionis) venit Jesus et stetit in medio eorum, et dixit : Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus et latus. Discipulis itaque viso Domino gavisis, insufflando tradidit Spiritum Sanctum Christus. In quo consessu Apostolorum, Domino apparente, abfuit Apostolus Thomas.

Didymus cur fuerit sic vocatus Thomas Apostolus.

Dubitare cur Dominus permiserit Thomam.

Beda.

Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Ex præcedentibus fortasse oritur quæstio, quomodo hic Thomas dicatur abfuisse, cum Lucas referat discipulos illos duos, qui in Emmaus abierant, sero rediisse Jerosolymam, et undecim simul ibi invenisse : quibus narraverunt quomodo Dominum cognovissent in fractione panis. Ergo illo sero adfuit Thomas : qui nisi adfuisset, non simul fuisse dixisset Lucas undecim, sed decem tantum. Cui objectioni, juxta Augustinum respondetur, Thomam tunc adfuisse, quando adveniebant discipuli duo ex Emmaus redeuntes. Sed illis colloquentibus dum abiret paululum, interim venit Jesus januis clausis in medio discipulorum stans, et dicens : Pax vobis. Non igitur absque ratione erat, quod Thomas abierat, vel Domino propter nos hoc permittente, quo ex illius dubitatione et certificatione nos erudiremur, stabiliremurque in veritate, vel Thoma se indignum faciente, propter duritiam et tarditatem credendi ; siquidem a culpa excusatur Thomas, propter hanc duritiam ; licet enim Christus aliis quoque, quando ascensurus erat in cœlum, duritiam et incredulitatem exprobraverit, propterea quod his qui viderant eum resurrexisse, non crediderant. Thomam tamen hic singulariter, ut sequitur, arguit, quando post dies octo propter ipsum solum apparens sanandum ei dicit : Noli esse incredulus, sed fidelis : modeste illum arguens incredulitatis præteritæ. Quocirca verisimile est cum Thomas mulieres de sepulchro venientes audisset, et Petrum sibi factam apparitionem narrantem, tertioque discipulos ex Emmaus redeuntes, longa tristitia ex passione ac morte Domini perturbatus, omnes illorum sermones pertesus, propterea quod rem novam nec faciliter (ut sibi videbatur) credendam narrarent, abiit ex loco quo simul erant discipuli. Quo absente interim aliis simul residentibus apparuit Jesus. Quod cum Thomæ postea redeunti significarent discipuli, respondens : Nisi, inquit,

Aug.

Thom Apost cur ab ex coll Apost rum.

Marc. 14.

videro fixuram clavorum, etc. Unde conjicitur, quod nuntiatum illi clare fuerat, quod Dominus ostenderat Apostolis latus et manus, invitando eos ad tangendum.

c. XXIV, Videte, inquiens, et palpate manus et pedes. Quamobrem Thomas respondit : Nisi videro fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Et post dies octo, iterum erant discipuli intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis.

Vides hic benignitatem Domini Jesu, qui nobis omnibus, ne de ejus resurrectione dubitaremus, voluit succurrere. Atque ideo prædilectum discipulum permisit (ut prædixi) in dubitationem venire. Quem tamen nequaquam in hac fluctuatione seu duritia reliquit, sed propter illum rediens, omnem de ejus corde dubietatem sustulit. Nam post dies octo Dominus rediit, cum iterum simul essent discipuli, et Thomas cum eis. Januis igitur clausis stans Jesus in medio discipulorum, dicit eis : Pax vobis. Quia vero Thomas cæteris fuit durior, ideo illum Dominus præ aliis quoque humiliavit. Octo namque dies illum emendare distulit, ut interea ab aliis Apostolis instrueretur, idoneusque magis efficeretur ad credendum. Nam salutaris in universum omnibus, mox Thomæ ostensurus, cujus gratia advenisset (nempe ut illius desiderio acquiescens, sese tangendum præberet) fecit, quod sequitur :

Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas : et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.

Ex ordine verborum indicat Thomæ, ad satisfaciendum ipsius desiderio sese venire, nec se latere verba, quæ aliis dixerat discipulis : Nisi videro fixuram clavorum, etc. Quo simul Thomas vere agnosceret adesse Christum, quem frequenter audierat Pharisæorum cogitationes arcanas et secreta cordium revelasse. Et vide benignitatem Domini, pro una anima advenientis, et vulnera sua ostendentis. Adverte quoque quod diebus nihilominus octo Dominus resipiscentiam exspectavit. Quo admonentur qui a Deo ad regimen sunt animarum constituti, quanta benignitate suorum exorbitantias ad tempus dissimulent, donec præstita occasione, utilius admoneantur. Prodest interdum homini tentato mox ubi periculum sentitur, moneri et corripi : interdum prodest ad aliquam moram dierum dissimulari. Quando enim delinquentis animus ad excedendum pronus, paulatim ex mora iterum a peccandi voluntate defervescit, utilius est ipsum ad reditum jam se parantem exspectare, ut tunc moneatur, quando id melius ferre potest. Si vero ex mora vulnus timetur ingravescere, præsenti quantocius occurrendum est remedio. Natura igitur hominis peccatoris corripiendi exploranda est, an duriora in eo plus valeant verba, an benigna mansuetudo. Omnia igitur tentanda, et quod ex multis congruentius videtur remedium est apponendum, ita ut in omnibus Dei potissimum quæratur honor, et proximi salus atque profectus.

Delinquentis corruptionem quandoque differendam certa ratione.

Naturam peccatoris explorandam.

Est autem hic advertendum, non otiose factum, ut Dominus in suo servaret corpore vulnerum cicatrices. Erat enim primo hoc necessarium, ad instruendam veritatem resurrectionis. Hoc enim vehementer testatur nos eodem corpore quo hic vivimus, quo delectamur aut patimur, resurgere, quando veritatem identitatemque sui corporis post resurrectionem ostendit Christus, et cicatricibus vulnerum, et tactu devotorum. Non enim Thomas solus tetigit, sed tetigerunt etiam mulieres devotæ pedes ejus. Hoc enim uno Thomam ad fidem adduxit, discipulos quoque alios in fide plene instruxit ac roboravit, quod scilicet ostenderit eis latus et manus. Et, ut Lucas habet, dixit discipulis suis : *Videte* *Luc.* XXIV, 39.

Vulnerum cicatrices cur Christus post resurrectionem servaverit.

manus meas et pedes. Secundo servavit vulnerum cicatrices, quo Patri quid pro nobis esset passus ostenderet, easque pro nobis Patri offerret. De quo Joannes ait in Epi-
I. *Joann.* II, 1. stola : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Tertio, ad ostendendam suæ dilectionis erga nos magnitudinem. Si enim plagarum cicatrices, quas nostri toleraverat amore voluit vel post resurrectionem servare, quanto majori cura nos non vult perdere, aut, nisi nos obedire noluerimus, non amittere ? Ad consolationem igitur nostram, vehementer hoc facit, quod suæ dilectionis, suæ passionis, suæ mortis, ipse quoque non obliviscitur : quandoquidem vulnerum et suæ passionis signa suo in corpore servat. Quocirca in Isaia loqui-
Is. XLIX, 16. tur : *Ego tui non obliviscar : ecce in manibus meis descripsi te*. Quarto, ut nos ad redamandum se, ad confugiendum ad se, ad commorandum quoque in se provocaret. Est enim ille probatica piscina, quinque porticus habens, quinque scilicet vulnera, in quibus languidi immergimur sanguine ejus a peccatis nostris lavandi, et ab omni
Apoc. I, 5. sanandi infirmitate. *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo,* ut nos quoque illum redamemus, et stolas nostras lavemus in sanguine Agni.

Quinto, ad electorum gloriam, et impiorum ignominiam et damnationem servavit quinque vulnera. In judicio enim exhibebit hæc, ostendens quid pro hominibus passus sit, et quam juste hi qui grati fuerunt inde consolentur : qui vero ingrati, suppliciis involvantur.

Respondit Thomas, et dixit : Dominus meus, et Deus meus.

Mox ubi Dominus Thomam solum alloquebatur, credendus est toto corpore contremuisse, credidisse perfecte, atque in excellentissimam hanc confessionem prorupisse : Dominus meus, et Deus meus. Tanta nullius Apostolorum confessio fuit aliorum. Quocirca, sicut præ aliis dubitavit et fide fuit tardior, ita in confessione quoque aliis fuit sublimior. Et qui per dubitationem fuerat humiliatus, per devotissimam confessionem iterum est exaltatus. Tu, inquit, es Dominus meus, magister meus, qui me redemisti. Tu quoque es Deus meus, qui me creasti, qui pro me carnem assumpsisti, quam ut me a morte liberares, cruci affixisti. Sunt qui putant Thomam præ reverentia gloriosi corporis Christi exhorruisse tactum et immersionem digitorum in cicatrices benedicti illius corporis, cujus putant indicium, quod Dominus postea respondit: Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Non enim dicit, quia tetigisti me, credidisti. Sed aliis videtur benigne Dominum nobis consulere voluisse, ut pro nobis non solum visu, sed etiam tactu gloriosum ejus corpus ex mortuis resurgens exploraretur. Unde creditur Thomas ante tactum perfecte credidisse, tactum libenter præ reverentia corporis benedicti subtrahere voluisse: verum propter Domini mandatum, non jam ex curiositate, sed ex devotione et obedientia paruisse. Cognovit enim Domini in hoc esse voluntatem : quare hac in re non sibi, jam non dubitanti, sed plene credenti satisfacere habuit, quin potius Christo obedire.

Dicit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, et crediderunt.

Quia vidisti me, quia sensisti, quia intellexisti me esse, qui pro te pependi in cruce, credidisti. Beati autem magis sunt illi, qui non viderunt, et crediderunt. Quia vidisti me, inquit, credidisti. Quomodo potuit Thomas credere quæ vidit ? Quæ enim videmus, non credimus, sed scimus. Sed dicendum est, aliud Thomam vidisse, aliud credidisse. Christum namque vidit, corpus ejus tetigit : Dominum vero et Deum suum exclamans, id quod videre non potuit, puta Deum suum esse Christum, credidit. Corpus ejus tetigit et cicatrices, quia sic Christus tangi voluit: quo Apostolis omnibus, simulque

nobis manifestaretur eumdem resurrexisse, qui fuerat crucifixus, neminemque pro eo alium suspicemur suscitatum. Idcirco cum signis crucis resurrexit Christus, coramque discipulis manducavit. Quod signum permagni fecerunt Apostoli in Actis, dicentes: *Qui cum eo simul manducavimus et bibimus.* Et Joannes: *Quod audivimus, quod vidimus, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.* Dicit fortasse quis, quare Thomam Dominus non solum a tactu corporis sui non prohibuit, sed ad tangendum etiam invitavit, quum Mariam Magdalenam a tactu prohiberet, causam hujus inferens: Nondum enim, inquit, ascendi ad Patrem meum. Quæ quidem ratio, non minus in Thoma locum habuit. Dicendum, Magdalenam idcirco prohibitam, quia præ lætitia cordis cogitabunda ac præceps, ut solebat juxta pristinam consuetudinem familiariter eum tangere aut (ut quidam volunt) amplecti voluit, nihil de majestate tunc ipsius cogitans sublime aut magnum. Unde quod illi dictum est: Nondum ascendi ad Patrem meum, non de corporali gloriosaque ascensione Dominus dixit, sed loquebatur de ascensu suo per fidem veram in corde Mariæ. Hæc enim ascensio in cœlum ibi significat Christum sedere ad dexteram Patris, hoc est, æqualem esse Deo Patri. Hoc in illa subita perturbatione juxta ac exultatione nondum capiebat B. Magdalena. Quærebat enim corpus ejus sublatum ut illius haberet curam; quod non fecisset si perfecte credidisset. At Thomas Apostolus perfecte credidit, ideo tangere meruit. In illius enim corde ad Patrem ascenderat Dominus, Patri credebatur æqualis, quando dicebat: Dominus meus, et Deus meus. Deinde ad consolationem futurorum: Beati, inquit, qui non viderunt, et crediderunt. Quasi diceret: Non opus est, ut quisquam conqueratur tristeturve, quod me non viderit in carne resurrexisse; major est enim horum fides potiorque, qui me non videntes crediderunt, atque hi sunt propterea beatiores. Maximum enim, aut inter maxima unum quo mereri nos facit Deus, est fides. Et videmus quomodo propter nos, ad utilitatemque nostram Deus omnia abscondit et revelat per fidem. Parum hic, aut propemodum nihil scimus de futuris, sed credimus ea tantum: quod multo nobis est fructuosius, quam scire. Scire enim quid habet laudis aut meriti, cujus habes experimentum? Porro, fides difficultatem habet credendi quod non vides, quod non intelligis, quod denique non capis: sed ideo credis, quia Deo summo maximo et optimo te et tua cuncta subjicis, captivans intellectum tuum in obsequium Christi. Nisi enim credere difficultatem haberet, non tanti esset meriti fides. Jam vero quo majorem habet difficultatem ut possit credi, minusque de persuasione humana, puta cum res sit tam ardua, ut humano non possit persuaderi ingenio, nisi per fidem crederetur Dei verbo, eo magis est meritum fidei. Quam integram firmamque nobis largiatur Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in secula, Amen.

Fides vera quanti sit meriti.

Fides vera cur apud Deum sit tanti meriti.

N. B. *Evangeliun hoc idem reperies, studiose Lector, etiam elucidatum cum egregio de pace multiplici Sermone, in secunda Parte de Tempore, scilicet, in octavis Paschæ.*

SERMO IN EODEM FESTO

CUJUSMODI FUERIT FIDES IN B. THOMA SALUTARIS.

NOLI esse incredulus, sed fidelis. Joannis XXI, 27.

Hebr. XI, 6.

Si Paulo credimus, sine fide impossibile esse placere Deo, non debemus mirari, si vel Thomæ sancto Apostolo, vel nostrum cuilibet præcipiatur : Noli incredulus esse, sed fidelis. Hoc enim præcipitur, quod adeo nobis est necessarium, ut absque illo salvari potuerit nemo. Est igitur fides omnibus necessaria, non tamen quælibet fides salvare potest, sed ea tantum, quæ charitate ardet, et quæ per dilectionem operatur. Si enim credis Christum propter te natum, propter te mortuum, propter te resurrexisse, et non obedieris ejus voluntati, nec ea vitaveris, quæ prohibet, non potest hæc te fides salvare. Quare ? Quia charitati non est conjuncta. Neque enim sola fides tibi est necessaria, sed etiam spes et charitas. Unde si credis, et non diligis, nihil tibi blandiaris de fide : quia fides hæc absque charitate mortua est, neque lucens neque ardens. Est enim similis candelæ ardenti fides charitati conjuncta, quæ lucet, tibi viam ostendens in tenebris, ne offendas. At vero, si candela exsufflata fuerit, manet primo quidem quasi favilla in elychnio quædam ignea, sed non calefacit, nec lucet, qua videas aut discernas. Ita fides, quam exsufflat amor privatus, aut mundanus, exstinguitur, ut ibi non sit fidei adjuncta charitas, sed nuda fides tantum, quæ neque luceat aut ardeat ad præbendum calorem. Hæc fides otiosa est, mortua est et informis, quæ stat cum peccato mortali. De hac dicit Jacobus in Epistola : *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Tu credis, quia unus est Deus ; bene facis, et dæmones credunt, et contremiscunt :* non tamen ex hac proficiunt ad salutem, quia non diligunt. Non diligentes autem nec operari possunt opera ad beatitudinem fructuosa. Quomodo igitur corpus mortuum est, quod spiritu caret et vita, ita fides mortua est, quæ charitate caret in opera movente. Vivat igitur fides per charitatem, et charitas prodat operationem necesse est. Operationem hic voco actionem et conatum, sive in operatione bonorum operum, sive in abstinentia malorum operum, sive in confessione ac luctu peccatorum, sive in Dei laude, operumque ejus ac beneficiorum, gratiarumque actione ac confessione. Hujusmodi fidem vivam, charitatique conjunctam, Christus Thomam habere voluit, quando dixit : Noli esse incredulus, sed fidelis. Quod intelligens Thomas quoque, in actum fidei mox prorupit, hoc est, in confessionem, dicens : Dominus meus, et Deus meus. Deinde quoque post Domini ascensionem ac Spiritus Sancti missionem, cum Thomas esset in Cæsarea, illumque Dominus mitteret in Indiam, quamvis Indos ægre accederet, propter Domini tamen voluntatem libenter obedivit. Siquidem Christo illi apparente et dicente : Rex Indiæ misit quæsitum architectum, quo volo ut accedas. Cui Thomas : Quocumque, inquit, Domine, volueris mitte me, præterquam ad Indos. Cui cum respondisset Dominus : Vade securus, quia ero tecum (nam cum Indos converteris, cum palma martyrii venies ad me). Thomas quantocius respondit : Dominus meus es tu, et ego servus tuus : fiat voluntas tua. Vide hic cujusmodi in Thoma fuerit fides. Num ut otio vacaret, nemini-

Fides ad salutem necessaria quæ.

Fides vera quomodo candelæ ardenti comparetur.

Fidem veram quænam exsufflent.

Fides mortua et informis quæ sit.

Jac. II, 14, 19.

que prodesset? Num ut duntaxat credens Jesum, juxta suum affectum sive delectum deinceps viveret? Minime. Sed fuit in eo fides, ut dixi, vera, vivens, ardensque atque impellens, qua credidit Deum, Deique Filium Dominum Jesum. Hæc docuit illum, hæc illum excitavit stimulavitque, ut quem crederet Deum ac Dei Filium, adoraret ut Deum, coleret ut Deum, honoraret diligeretque ut Deum, obtemperaret quoque ut Deo. Hæc fides vera fuit fides et salutaris. Vide igitur jam in S. Thoma quomodo ipse credens Dei Filio obedivit. Vide ad quæ opera Domino se resignaverit. Nempe ad exilium inter barbaros, ad famem, sitim, labores, derisiones, pœnas et ad mortem. Hæc enim illi omnia evenerunt inter prædicandum. Hæc pertulit alacer et lætus, quia non solum fide, sed etiam charitate plenus erat. Gaudebat in tribulationibus, gaudebat pro nomine Jesu contumeliam pati, exultabat pro Christo mori: non ob aliud, quam quia amabat eum in quem credebat, in quem sperabat. Hoc porro desiderium moriendi pro Christo Thomæ non fuit novum, sed quando hic Christum sequebatur in terris ambulantem, nihilominus cum Christo cupiebat mori. Siquidem ægrotante Lazaro, miserunt sorores duæ Martha et Maria ad Jesum nuntiantes: *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Itaque Domino dicente: *Eamus in Judæam iterum*, dixerunt Apostoli trepidantes: *Domine, jam quærebant te Judæi lapidare, et tu iterum vadis illuc?* Porro Apostolus Thomas alios exhortans roboransque Apostolos: *Eamus,* inquit, *et nos, et moriamur cum illo.* Quo quid aliud ostendit, quam propositum voluntatemque resignatam ad commoriendum Christo? Secundo fuit in Thoma fides zelans. Nam hortabatur alios Apostolos (ut dixi) ad commoriendum cum Christo. Non illi erat satis, ut Christo solus hunc deferret honorem. Cupiebat enim etiam ab aliis honorari, quomodo fidelis servus Domini sui debet zelari honorem et servientium fidelitatem, ad quod cuncti tenentur Christiani: puta execrari, odisse et persequi irreverentiam, probrum, contemptum inobedientiamque Dei, ejusdemque agnitionem, cultum, laudem, honorem ac gloriam procurare et promovere. Quod Psalmista faciens, dixit: *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Honorem Dei zelans, ejusdem detestabatur in hoc irreverentiam, quam ægre ferebat in malis: deinde illius honorem promovere quoque cupiens: *Docebo,* inquit, *iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.* Hoc modo S. Thomas quoque Domini zelabatur honorem. Dolebat Indorum animas a sui Conditoris agnitione aberrare et perire. Dolebat diabolo honorem, qui Dei erat solius, offerri. Conabatur eos Creatori suo adducere. Idcirco illis prædicans, Dei veri notitiam infudit. Nam abstinere a peccatis, credere in Christum, orareque Deum in omni loco docuit. Biennio autem Indis prædicabat. Sed, proh dolor! quanta vidit interea blasphemiarum portenta, quantas idololatriæ insanias, quot abominationes paganorum et diabolica sacrificia? Quæ omnia, quia ad Dei fiebant injuriam, Thomas non potuit non animo vulnerari contuens. Hæc autem arguebat, hæc demoliebatur, hæc deprecabatur, et ut ad Christum converterentur, obnixe etiam rogando, eos invitabat. Hæccine fides est charitate zelans et ardens, quæ proximos pariter, non se tantum salvari satagit. Pro hac re in laboribus continuis constitutus, docendo, palam prædicando, increpando, consolando, miracula faciendo, sanitatumque præstando beneficia, occupabatur. Quid, quod pecuniam maximam ad constructionem palatii a rege Indorum sibi traditam Thomas in pauperes erogavit? Nonne regem diligens, ei qui terrenam cupiebat sibi domum ædificari, Thomas nobilissimam fabricavit domum non manufactam in cœlis? Vides, quam credulus fuerit, tenaxque Evangelici consilii a Christo traditi, quo Christus monuerat non thesaurizare nos super terram, ubi fur appropinquat, ærugo consumit, tineaque demolitur, sed thesaurizate, inquit,

Ps. CXVIII, 139.

Ib. L, 15.

Zelo quanto B. Thomas honorem Dei animarumque salutem zelatus sit.

Palatium quo pacto ædificaverit Indorum regi B. Thomas in cœlis.

Matth VI, 20.

vobis thesaurum in cœlis. Curabat igitur regi nobilius palatium, quam putarat ille, per pauperes ædificari, curabat pauperum manibus thesauros in cœlum portari, illuc regi ædificaturus præmittebat thesaurum, simulque interea egenorum levabat inopiam, in eadem re bis misericors, bis providus. Ubi estis vos, divites, qui palatia et paradisos vobis hic ædificatis? Quamdiu possidebitis? an semper habitabitis super terram? Sed dicitis: Non habemus in his delectationem. Bona verba. Gratis ergo in lutum tot aureorum millia projicitis. Si non delectat vos fastus ille, et ædificiorum superbia, quare non dedistis egenis pecuniam, qui reciperent vos in æterna tabernacula? Heu! quomodo fallimini, et vosipsos fallitis. Aliter regi Thomas consultum voluit. Nam etiam ignoranti palatium in cœlo constituere, curavit. Aberat per id temporis rex Indiæ a regno, Gundaphorus vocatus. Atque ideo Thomæ copia erat major populo prædicandi, Ecclesias construendi, et ministros constituendi sacramentorum. Rediens autem rex, ut nihil vidit ædificatum, Thomam simul ac Abianem præfectum, qui Thomam adduxerat, in carcerem conjecit, mente tractans, quo genere eos mortis perimeret. Verum, interea frater regis moritur, atque post triduum nondum sepultus, a Deo resuscitatur, narrans quam augustum viderit palatium, quod regi fratri suo Thomas in cœlo construxisset: prædicansque sanctitatem Apostoli, fecit ut rex Apostolum e vinculis educeret, veniamque humiliter ab Apostolo peteret. Sanavit autem Apostolus omnes infirmos qui adducti fuerant, et multa hominum millia baptizabantur. Dixi igitur Thomam fidem habuisse zelantem. Cupiebat namque Deo reddi honorem suum, cupiebat animas recuperare statum cœlestis paradisi, ad quem creatæ fuerant.

Ædificia pretiosa et curiosa divitum quam execranda.

Pari modo autem, quod hic laudamus in sancto Thoma, debemus imitari omnes. Nemo enim non tenetur ex lege charitatis, sui proximi salutem, bonum ac commodum zelari. Magnopere enim nobis curandum est, summoque studio conandum, ut nihil proximis nostris, quidquid in nobis est officii obsequii auxiliive ad salutem eorum pertinentis negemus, nihil subtrahamus: sed in omni genere misericordiæ succurramus proximis, quomodo Christus monet, dicens: *Omni petenti te tribue:* hoc est, *Luc.* quacumque re indiguerit frater tuus, illam, si habes et communicare potes, mox impartire. Vide autem quam pulchre Thomas eos quoque, qui se honoraverant, zelo divini honoris pro temporali honore illis æternæ salutis beneficia impetravit: et iterum, quomodo eum, qui contumelia sanctum affecerat Apostolum atque injuria, Deus ultus est? Ut discas Deum quidquid servis suis viderit exhibitum, aut coronare aut punire, perinde ac si sibiipsi esset factum. Nam ubi Thomas Apostolus a Domino missus ex Cæsarea, ut supra dixeram, cum Abane Indiæ præfecto demigraret ad Indiam, in via venerunt Andronopolim: ibi tunc accidit, ut rex illius civitatis nuptias servaret filio suo Dionysio, desponsata illi puella nobilissima Pelagia. Quibus nuptiis interesse rex præceperat omnes. Itaque cum ibi esset quoque Abanes cum Thoma, puella quædam unicuique laudes aut comendationem illius aliquam canebat. Erat autem Hebræa, fortasse tum captiva illuc abducta puella. Videns igitur hæc Apostolum Thomam non manducantem, sed oculos in cœlum levantem, intellexit illum adorare Deum cœli, virumque esse Hebræum. Cantavit igitur, quod libentius illum scivit auditurum, ipsi in Hebræa lingua blandiens: Deus unus qui fecit cœlum et terram, et fundavit maria. Quod audiens Apostolus, attentius auscultavit. Videns autem quidam mensis præpositus, quia Thomas non manducaret, in maxillam Apostolum percussit. Quamobrem nihil indignatus Apostolus, nec meditatus ultionem, sed Deum pro illo rogavit, ut in hac vita, non in futura, mereretur propter hanc culpam puniri.

Zelandum quomodo sit unicuique pro proximo suo.

Prænuntiavit igitur Hebræo sermone

(quem puella intelligebat) se non discessurum ante de hoc loco convivii, quam canis manum hanc, qua fuerat percussus, per locum convivii circumferret. Quod protinus secutum est. Illum enim pro aqua recente abeuntem leo offendens, occidit, et sanguinem lambuit. Cujus corpus canes laceraverunt : quorum unus confestim cum manu e cadavere avulsa aufugiens, convivium intravit, et percussoris circumtulit manum. Puella autem Hebræa, quæ audierat Apostolum loquentem , ubi id evenisse, quomodo ab Apostolo fuerat prædictum, sensit, ad pedes Apostoli procidit, ejusque laudes evulgavit. Porro rex illius civitatis Apostolum rogavit, ut sponso sponsæque benediceret. Quod annuens Apostolus, utrumque benedixit, et ad servandam virginitatem hortatus est. Est quoque illis sequenti nocte caste obdormientibus illata hujusmodi visio. Siquidem apparuit illis quasi rex gemmatus, eosque circumplectens, et dicens : Apostolus meus benedixit vos, ut vitæ æternæ efficiamini participes. Post hæc iterum illos conveniens Apostolus ait : Rex meus in visione vobis locutus est, vultque ut mea in vobis benedictio fructificet. Habete carnis integritatem, quæ omnium est regina virtutum et fructus salutis perpetuæ. Virginitas soror est Angelorum, victoria libidinum, fidei trophæum, expurgatio dæmonum, æternorum securitas gaudiorum et omnium bonorum possessio. Illis itaque baptizatis, et per discipulum sancti Thomæ illuc missum multis conversis, Dionysius regis filius ibi Episcopus factus est : qui sponsam suam Pelagiam sacro velamine consecravit. Tertio, fuit in sancto Thoma fides pertingens ad veram charitatem, perducensque ad illum, quem credebat. Nam sicut Thomæ fides nunquam fuit mortua, nec otiosa post Domini ascensionem nec dubia, ita operans quoque per charitatem nequaquam otiose, gratis, frustra aut inutiliter operabatur : sed hoc credidit quod docuit, quod quæsivit, ad quod anhelavit, aliosque docuit et perduxit, hoc ipse assecutus est. Quid, inquis, est illud? Corona profecto regni cœlestis, vita immortalis, æternitas beata, quam aliis prædicavit, aliisque ex ore Domini promisit, hanc ipse hodie Apostolus et martyr gloriosus assecutus est. Nam ubi eos quos ad Deum conversos baptizaverat, instruxerat ad pietatem, unitatemque ac pacem, tandem omnia repetens, eo modo quo Ephesios Paulus Apostolus docebat simul et admonuit, dicens : *Obsecro vos in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate ac mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate : solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Quod revera est præstare Christianum, germaneque Christum imitari. Exhortatione igitur finita, concessit ad superiorem Indiam, cupiens ibi quoque Domino populum lucrari : propter quod assecutus est etiam coronam martyrii. Ut enim ex diaboli faucibus gentem illam extraheret, morti vitam suam exposuit : sciens hanc esse Christi charitatem, ut quomodo ipse pro nobis animam suam posuit, ita nos quoque pro fratribus debeamus animas ponere. Pluris enim facere debemus animas fratrum nostrorum, quam corpora nostra. Quapropter ut illas a morte eripiamus, ultro (quod et Thomas fecit Apostolus) vitam nostram seu corpora nostra tradere nos decet in mortem. Igitur illuc ubi Thomas pervenit, magnam cito populi turbam, reginam quoque Synthicem ac ejus sororem Migdoniam Charysii uxorem ad Christum convertit. Quo nomine tam a rege quam a Charysio multis pœnis affectus est. Primum enim supra ferrum ignitum, seu super laminas ferreas candentes (ut in ejus gestis legitur) stare jussus est, sed non læsus : deinde in fornacem ardentem conjectus, aut, sicut gesta ejus habent, in thermas æstuantes. Postremo ad templum Solis ductus, oratione ad Deum fusa, diabolo præcepit ut idolum desereret, contereret et abscederet. Quod ubi factum est, sacerdotibus in furorem versis, ab uno

Ephes. IV, 1.

I. *Joann.* III, 16.

Animas proximorum pluris esse faciendas quam corpora nostra.

Martyrium S. Thomæ quam fuerit horrificum.

illorum gladio, seu quod Isidoro magis placet, lancea perfossus est. Hac itaque gloria, puta martyrii, Apostolus coronatus transivit ad Christum. Nos igitur ejus gratulemur lætitiæ : quandoquidem superatis omnibus hujus vitæ laboribus, pœnis et incommodis quibuscumque, plenus nunc gaudio intravit in gloriam a Christo illi donatam. Imitemur ergo nos ejus devotionem, fervorem ac constantiam. Recolamus quanto fuerit robore Christi verbis mox in fide confirmatus, dicentis : *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Quibus verbis vos quoque, o filii, admonitos volo, ut articulos fidei, hoc est, Symbolum Apostolorum expresse articulatimque credatis. Ea vero quæ in Scriptura Sancta habentur, et quæ credit Ecclesia ad minus implicite credatis. Symbolum enim Apostolorum nemini Christiano licet ignorare, nec ignorantem decet ad Eucharistiæ sanctæ accedere Sacramentum, donec illud discat. Videant hic parentes quomodo instruant proles suas, orationem puta Dominicam, Angelicam salutationem et fidei confessionem. Quod si neglexerint, gravissimam inde habebunt damnationem. Patrini quoque coram Deo reddent rationem, qui in baptismo pro infantibus baptizandis in fide spoponderunt, illorum nomine respondentes, Credo, Abrenuntio, etc. quomodo instituerint filios, quorum in regeneratione hac spirituali facti sunt patres aut matres.

S. Thomas Apostolus in quibus sit nobis imitandus.

Credere quænam quilibet teneatur Christianus.

Parentes quid proles suas docere debeant.

Patrinorum negligentia periculum quantum instet.

Nam hoc ipsum mandatur in Jure Canonico, ut patet (*de Consecratione dist. 4. c. Vos*), ubi sic dicitur : Vos ante omnia tam viros quam mulieres, qui filios in baptismo suscepistis, moneo, ut cognoscatis vos fidejussores apud Deum pro illis extitisse, quos de sacro fonte suscepistis. Ideo semper eos admonete, ut custodiant castitatem, justitiam diligant, charitatem teneant : et ante omnia Symbolum Apostolicum et orationem Dominicam addiscant. Et vos ipsi tenete, et illis quos de sacro fonte accepistis, ostendite. Postremo, non putetis Deo tunc satisfactum, si corde credideritis, nisi (ubi opus fuerit) etiam ore confiteamini. Ad omnem enim Christianum necessario pertinet, paratum habere semper animum pro loco et tempore fidem palam profiteri. Prius enim debet auferri vita, quæ potius est etiam amittenda quam fides, et interrogatum de fide tacere non licet. Qui enim interrogatur Christianus an sit, si tacuerit, Christum negat. Nunquam pariter licet tempore persecutionis fidem clam in corde tenere, et ore negare : sed recordari oportet Christi dicentis : Qui me erubuerit, id est, confiteri timuerit coram hominibus, hunc Filius hominis erubescet coram Patre et Angelis Dei. Quod Deus a nobis avertat : sed in fide, spe et charitate perseverantiam nobis concedat Dominus noster Jesus Christus, in secula benedictus, Amen.

IN SOLEMNITATE

NATIVITATIS DOMINI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

MULTIFARIE multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio suo, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula. Qui, quum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu ; ego hodie genui te ? Et rursum : Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in filium ? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit : Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem : Thronus tuus, Deus, in seculum seculi : virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. Et : Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur. Tu idem ipse es, et anni tui non deficient. *Ad Hebr. I.*

tivitas isti exquæ

TRIPLICEM esse Domini nativitatem scire oportet. Unam quæ est æterna, ex Deo Patre ; alteram quæ temporaria est, ex Virgine Matre ; tertiam, quæ fit in hominis mente. Has tres nativitates expedit non ignorare, quandoquidem in hac Epistola de una nativitate, quandoque interdum de alia necesse est intelligantur verba Apostoli, aut Sacræ Scripturæ, si recte omnia debeant intelligi. Dicit igitur Paulus Apostolus : Multis variisque modis olim locutus est Dominus Deus Patribus ac Prophetis. Hoc est, per varia quidem genera loquendi Patribus futura, aut salutis necessaria locutus est, interdum manifeste, interdum obscure, aliquando per figuras, aliquando nude, quandoque per Angelum manifeste, et nunc iterum per inspirationem : sed et aliquando blandiens, aliquando terrens. At, novissime diebus istis, jam quando alia Dei non sequitur locutio, locutus est nobis in Filio. Filius enim de

Joann. XIV, 10. seipso dicebat Judæis : *Verba quæ ego loquor, a meipso non loquor.* Locutus itaque nobis est Deus in Filio, quem ne vilem putemus, sciamus oportet hunc esse Filium, quem Pater hæredem constituit universorum, secundum humanam naturam assumptam, juxta quam etiam Dominus est omnium constitutus a Patre : per quem, juxta hoc, quod est Verbum Dei, et ejusdem naturæ ac potestatis cum Patre, fecit et secula, hoc est, omnia hæc visibilia et mutabilia. Qui Filius Patri coæternus et coæqualis cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, utpote in quo perfecte resplendet tota perfectio Patris et similitudo, sicut Philippo Christus di-

Ibid. 9. cebat : *Qui videt me, videt et Patrem.* Quantus enim est Pater, tantus est et Filius. Et qualis est Pater, talis est etiam Filius, puta coæternus, sicut est soli splendor coævus, consubstantialis, ejusdemque virtutis et potentiæ. Qui portat omnia ne in nihilum revertantur, sustentans, conservans ac gubernans tam visibilia quam invisibilia, absque suo labore, sed verbo virtutis suæ, hoc est, solo imperio suo, sola voluntate sua, quæ in eo virtus est et omnipotentia; et purgationem peccatorum faciens in sua passione, ubi a peccatis nostris nos lavit in sanguine suo : qui nihilominus, juxta hoc quod est Deus, peccata nobis dimittit, sedetque ad dexteram Patris, cui majestate par est et æqualis in excelsis, seu in cœlo empyreo : tanto melior Angelis effectus, ac Angelis secundum humanitatem prælatus per unionem cum Verbo hypostaticam, qua ab initio suæ incarnationis tanquam dignior tanto Angelis prælatus est, quanto differentius excellentiusque hæreditavit nomen, quod est super omne nomen, puta ut modo sit, voceturque unigenitus Dei Filius ac verus Deus : quod nomen ex generatione habet æterna, qua similitudinem divinitatis accepit a Patre, quamvis, quantum attinebat hic ad mortalitatem, passibilitatem ac sepulturam carnis, dicatur paulo minor Angelis factus. Verumtamen propter unitatem personæ ut ejus intelligatur excellentia clarius, sequitur : Cui enim Angelorum aliquando dixit, quod Filio dixit Christo suo unigenito : *Filius meus es tu, ego hodie,* id est, in die æternitatis, ubi neque præteritum est, neque futurum, *genui te?* Quamvis enim Angeli per adoptionem gratiæ consummatæ in Scriptura vocentur filii Dei, ut est illud in Job : *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* non tamen ex Deo sunt geniti, sed a Deo creati. Soli igitur Filio dicitur : Ego hodie genui te. Non dicit : Hodie gigno te, ne hodie videatur initium sumpsisse, ac Deus videatur recens : sed cum die æternitatis posuit præteritum, quia semper genuit. Et rursus Pater loquitur : Ego ero illi homini, cui unietur meum Verbum, hoc est, ego ero Christo in Patrem, et ipse erit mihi in Filium. Verbum enim caro factum est in duabus naturis una in persona. Quasi Paulus dicere vellet : Antequam Dei Filius homo fieret, promisit Deus eidem se fore homini in Patrem. Et cum iterum introducit primogenitum suum in orbem terræ, id est, cum introducendum promittit, seu prænuntiat visibilem in carne assumpta, qui tum erat in mundo invisibilis (secundum divinitatem namque est Patri unigenitus, quia fratres non habet : secundum humanitatem vero primogenitus est, quoniam electorum multorum dignatus est esse frater), admonentur Angeli adorare eum. Hoc autem juxta translationem Septuaginta legitur in cantico Deuteronomii hoc modo : *Lætamini cœli simul cum eo, et adorent eum omnes Angeli Dei.* Inde enim citat verba : quandoquidem auctoritas major erat apud Hebræos translationis juxta Septuaginta. Et ad Angelos quidem, hoc est, de conditione Angelorum loquens, dicit : *Qui facit Angelos suos spiritus,* hoc est, eos *Ps.* qui sunt spiritus cœlestes, facit Dei Angelos seu nuntios. Ut qui semper quidem spiritus sunt ex officio, fiant Angeli, id est, nuntii vocentur. Et ministros suos flammam ignis. Hoc est, eos spiritus qui ar-

dent Dei amore ut flamma ignis, puta Seraphim, facit ministros suos Deus Pater sive Christus. Ad Filium autem Pater loquitur per Prophetam : Thronus tuus, id est, judiciaria potestas, regia dignitas, imo regnum tuum (o Deus Fili) stabit ac manebit in seculum seculi, seu perpetuo. Virga regni tui, hoc est, scriptum judiciariæ potestatis, censura ac disciplina tua judiciaria, est virga et regula æquitatis. Nec mirum. Dilexisti enim justitiam omneque bonum, et odisti iniquitatem ac omne malum. Quapropter non immerito unxit te, o Deus Fili, Deus tuus. Unxit te secundum humanam naturam oleo exultationis, dono videlicet et gratia Spiritus Sancti, conscientiam tuam exhilarantis : idque præ participibus tuis : perfectiore nimirum unctione quam ungit electos alios tibi cohæredes. Illi enim posteaquam concepti sunt aut nati, unguntur oleo Spiritus Sancti, ac postquam in peccatis fuerunt sanctificantur. Christus vero qui de Spiritu Sancto conceptus est, non ante conceptus est, deinde unctus : sed hoc ipsum concipi de Spiritu Sancto et incarnari in utero Virginis fuit a Spiritu Sancto ungi. Prosequitur autem Paulus ejus æternitatem insinuans : Et tu, Domine Fili mi, in principio mundi ac temporis, fundasti ac esse fecisti terram, qui eras ante omne principium, et ante omne tempus : et opera manuum tuarum sunt cœli, utpote virtute voluntatis ac jussionis tuæ facti. Ipsi peribunt, quatenus ad modum (ut ita dicam) essendi attinet, quem nunc habent, et quantum ad accidentia, non tamen quantum ad substantiam. Tu autem, Christe, permanebis. Et omnes cœli veterascent sicut vestimentum, quod longævitate deterius fit. Ita cœli, præsertim aerii, quantum ad accidentia veterascent, ut virtute influentiaque languescant. Et æque faciliter ut quis mutaverit amictum, mutabis eos, et a solito cursu influxuque cessabunt, et mutabuntur in melius, sicut in Apocalypsi vidisse se Joannes testatur, dicens : *Vidi cœlum novum et terram novam.* Tu autem idem es et immutabilis, quomodo in Propheta dixisti : *Ego Dominus, et non mutor.* Item : *Ego sum qui sum.* Et anni tui non deficient. Anni tui non sicut nostri anni sunt, qui transeunt et deficient. Porro annus tuus stat, nec transit. Annus tuus dies est, qui semper stat, semper lucet, nunquam finitur, utpote ipsa æternitas.

Apoc. XXI, 1.

Malach. III, 6.

Exod. III, 14.

Anni Christi non defecturi qui sint.

EXEGESIS EVANGELII

IN NOCTE SACRATISSIMA NATIVITATIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, LUCÆ II.

HOC præsens Evangelium, quod in nocte hujus solemnitatis in prima legitur Missa, Lucas scribit, Christi nobis Nativitatem explicans et tempus. Et hoc jam nobis explanandum videtur. Quare? Quia diei huic magis congruum est, clariusque potest et enarrari et intelligi : ideo prædicandum illud vobis duxi. Nam si Evangelium vobis dixero Joannis, tametsi tribus diebus prædicavero, non tamen faciam, ut ita intelligatis illud, ut ædificati recedatis doctiores devotioresve. Itaque dicit Lucas :

Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.

Post longa multaque Romanorum prælia, post strages multas, post victorias denique crebras adeptas, tandem sub Octaviano Augusto, tanta est pax universo orbi reddita, ut unus homo quiete universo imperaret mundo, essetque tempus,

quod tam Isaias quam Michæas prophetarat, dicens : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium.* Tanta, inquam, per orbem universum erat pax, tanta quies, ut describeretur universus orbis, quo scire posset Augustus quot provinciæ, quot civitates, quot pagi, quot denique homines sibi forent subjecti. Hanc autem pacem Dominus mundo tunc concessit cum ipse vellet nasci, quo agnosceretur natus, qui terrena cœlestibus, homines Deo pacificaret reconciliaretque. Nascebatur, inquam, hoc pacis tempore, qui pacem amat, pacem quærit, pacem præcipit, pacem largitur, in pace sola habitat. Signa autem pacis certissimumque indicium erat, quod totus describebatur orbis. Observa autem quod ne ipsa quidem descriptio hæc mysterio significationeque mystica vacat. Quam B. Gregorius explicans : Quid, inquit, est, quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate ? Quotquot enim ab æterno sunt ad vitam prædestinati æternam, modo temporaliter a Spiritu Sancto consignantur, atque in Dei familiam adscribuntur. De quo Isaias dicit : *Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.* Et Daniel: *In tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro.* De hac inscriptione Christus loquitur Apostolis, quando dicit : *Gaudete et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Itaque tempus illud impletum erat, quo ablato sceptro de Juda duceque de stirpe ejus, ubique dominantibus Romanis, venturus erat Messias, qui erat exspectatio gentium. Igitur edicto promulgato, præsidium quilibet ex pagis, villis ac oppidis sibi subjectis subditos ad civitatem suam præcipuam, unde erant nati, convocabat, quo unusquisque Imperatori censum solveret, Romanoque sese profiteretur subjectum imperio, descriptionesque et pecuniæ ad Imperatorem mitterentur. Scire enim Augustus voluit, cujusmodi tributum, quod tolerandum plebi foret, imponeret.

Is. II, 4.

Pacis tempore cur nasci Christus voluerit.

Gregor.

Descriptio hæc mystice quid.

Is. IV, 3.

Dan. XII, 1.

Luc. X, 20.

Hæc descriptio prima facta est sub præside Syriæ Cyrino.

Prima omnium descriptionum, quæ totius fuit orbis universalis, antequam nullo hoc modo fuerat alia prior, facta est sub præside Syriæ Cyrino, hoc est, dum hæc fieret descriptio prima, Cyrinus tum præsidebat Syriæ; vel ideo dicitur prima, quia in illa terra, hoc est, in Syria incipiebatur describi. Solvebat autem præfecto quilibet inscribendus seu inscriptus denarium, qui decem fertur nummos valuisse usuales. Hic denarius Decalogum præceptorum Dei significat Deo præstandum, ab his qui vocati sunt ad unitatem, unde excidimus. Civitas hæc nostra est patria, puta regnum cœlorum quod amisimus, sed per Christum revocati sumus. Quod in propheta facturum se promiserat Deus dicens: *Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram.*

Dem Dec vend quid stice

E XXXV

Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.

Sicut Nazareth suæ incarnationi, ubi Maria Virgo illum benedicta conciperet, ita Jerosolymam ubi pateretur, et Bethleem ubi nasceretur, locum Christus elegit. Hic namque in propheta etiam locus nominatur, quando dicitur : *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Et egressus ejus a principio, a diebus æternitatis.* Hæc prophetia ut impleretur, vide quomodo nesciens Octavianus Augustus divinæ dispensationi inservierit.

Mich.

Edicto namque evulgato accedente tempore partus Mariæ, data est occasio Joseph et Mariæ veniendi in Bethleem. Erat enim Bethleem Judæa, id est, Judaica, pertinens ad tribum Judæ. Siquidem erat alia quoque civitas Bethleem in tribu Zabulon sita, ad cujus differentiam hic Evangelista Bethleem vocat Judæam, hoc est Judaicam, ut legatur hæc dictio Judæa adjective. Vocatur quoque civitas David, quandoquidem in ea natus est David. Dicitur autem Joseph natus de tribu Judæ, de domo et familia David. Unde liquet Mariam quoque de eadem tribu et familia fuisse, propterea quod lex virum et uxorem ejusdem jubebat esse tribus, nec ex alia tribu, quam ex sua vir poterat accipere uxorem. Vocatur autem Beatissima Virgo Maria uxor Joseph, quia quomodo tunc putabatur Evangelista refert. Erat autem revera Beata Maria conjux Joseph. Verum namque inter Joseph et Mariam fuit matrimonium, ad cujus veritatem opus non est ut interveniat copula carnalis.

hleem ex.

or Jo- cur tur ia.

Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies Mariæ ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum.

Non dubium est sanctissimam Virginem Mariam Spiritu Sancto plenam, prophetarumque mysteria omnia clarius, quam hi qui prophetarant intellexisse. Unde non ignorabat Michæam prophetam de Bethleem Ephrata loquentem, quin etiam Spiritu Sancto revelante, noverat se in Bethleem parituram. Impleti itaque sunt dies ut Maria pareret, et sol justitiæ post longam ignorantiæ noctem prodiret. Peperit igitur filium suum primogenitum. Peperit, inquam, non parturiit. Parturire enim, est cum dolore ad partum se parare. De hac autem Virgine sacratissima propheta Isaias dicit : *Antequam parturiret, peperit :* hoc est, antequam dolores sentiret pariendi, peperit masculum. Quis unquam audivit tale, aut quis vidit huic simile ? Siquidem in omni partu, alia partum præcedit parturitio. In hoc vero partu, partus præcedit parturitionem : imo parturitio nulla fuit, quia dolor omnis abfuit. Sciendum quoque Beatissimam Virginem, quomodo in partu fuit a dolore libera, ita infantem portans in utero, non fuit gravata. Compátiendum tamen Virgini teneræ, quæ itineris labore fatigabatur, compatiendum ejus verecundiæ, quia itinere fatigata, hospitium quo reciperetur non invenit. Erant enim hospitiorum loca occupata omnia, aut servata ditioribus, et a quibus major quæstus sperabatur. Videbant enim, ut creditur, qui hospitia locabant, parum sibi lucri accessurum ex his hospitibus. Vide tamen tu quomodo suos exercet Christus, eosque charissimos humiliatione ac paupertate gravat. Vide quia nihil inde turbatur Maria, nihil ægre fert non querulatur, non jactat se quod mundi habeat Dominum in utero, non dicit: Mihi bonum amplumque debetur in terra hospitium, quia eum porto, qui fecit cœlum et terram. De hujus paupertate dicit Chrysostomus : Quicumque pauper est, accipiat consolationem. Joseph et Maria Mater Domini non habebant servulum, non ancillam. De Galilæa, de Nazareth soli veniunt. Non habebant jumentum. Ipsi sunt domini et famuli. O rem novam ! Ingrediuntur in diversorium, non ingrediuntur civitatem. Paupertas enim timida inter divites non audebat accedere.

turire pro- ignet.

LVI, 6.

Compatiendum cur sit B. Mariæ puerperæ.

Chrysost. Paupertas Mariæ et Joseph quanta.

Itaque cum in stabulo, ubi asinus et bos erant alligati ad præsepe, forent, et consolatione sese mutua ac plane divina virginei conjuges super paupertate sua confortarent, uterque ad angulum, orationis gratia, secessit. Interea, dum jam silentium teneret omnia, et nox medium iter in cursu suo haberet, adfuit hora illa felicissima, et ab æterno benedicta, qua dignissima Dei Mater peperit filium suum primogenitum, id est, ante quem non habuit alium, ut esset primus, non in ordine sequentium, nec post quem alii, sed ante quem nullus. Quo hæreticorum eliditur error atque impietas dicentium B. Mariam plu-

Christus uti dictus sit primogenitus.

res habuisse filios, propterea quod Christus hic dicitur primogenitus.

Et pannis eum involvit et reclinavit eum in præsepio : quia non erat ei locus in diversorio.

Maria Virgo uti Christum conceperit et peperit in alta contemplatione constituta.

Sicut Beatissima Virgo Maria Deum sine carnali delectatione, cum spirituali vero ingenti lætitia concepit, constituta interim in sublimi contemplatione, ita gaudio spirituali internoque tota refecta, ac devotissima contemplatione, in Deum absorpta, in partu nihil doloris sensit. Virgo enim integra peperit, virgo etiam post partum inviolata permansit. Erat autem tunc, ut nonnulli volunt, Virgo Beata in oratione genibus flexis, et subito ac quasi in ictu oculi genuit infantem. Quem ubi ante se jacentem vidit, Deum suum verum et hominem illico adoravit, pannis involvit, nullo utens alieno obsequio. Nulla enim in hoc partu obstetrix fuit, nulla muliercularum sedulitas fuit. Ipsa, ut Hieronymus ait, pannis involvit infantem, ipsa mater et obstetrix. Ipsa puerum reclinavit pannis involutum in præsepi. Neque enim ei locus erat in diversorio. Cui? Creatori cœli et terræ, Deo omnipotenti non fuit locus in diversorio. Unde cogebatur ejus mater juxta animalia habitare ac parere, puerumque, ut creditur, propter frigora in præsepe, et fortasse ante jumentorum ora ponere. Locum enim pro puero quo illum poneret non invenit aptiorem. Possetne hic pauperius quid, vilius quid, atque humilius pro Dei Matre, pro Dei Filio excogitari? Accurrite, divites, et videte regis nostri divitias. Intuemini fastum et magnificentiam ejus. Perquirite in quo sitis vos ei similes. Certe si is qui dicit se Christi esse, debeat, quomodo ipse ambulavit, ambulare, tunc nimis estis ei dissimiles. Vita vestra, cibi vestri, lecti, domus, utensilia, servi, vestes, thesauri, et omnia quæ agitis, ex diametro Christo repugnant infanti. An non erubescitis ejus infantiam contemplari? Attendite quod pro vobis hæc sustinet. Imitemini illum aut saltem an necessaria sibi velit suppeditari, interrogate. Dicam sciscitando pro vobis infantem. Quid, puer Regis altissimi, a divitibus his cupis, quid postulas ab his, qui habent omnia? Vis habere pannos holosericos quæ divitibus abundant? Num phialam cupis argenteam? Num cibos delicatos opipare præparatos? Numquid pecunias? Aut vis tibi palatium ædificari? His enim omnibus abundant divites. Nihil, inquit, terrenum, nihil temporale desidero. Hæc si mihi vultis dare, pauperibus date. Quidquid enim illis dederitis, mihi dedistis. Non in hunc ideo mundum veni, ut vos doceam terrenis abundare, aut amare divitias sed paupertatem, honores contemnere, carnem castigare, vilitatem sanctamque rusticitatem amplecti, modicis et vilibus contentos esse. Ego paupertatem in meipso consecrabo. Date mihi peccata vestra, et imponite dorso meo, ea scilicet, a quibus deinceps vultis abstinere, quæ vultis plangere, pro quibus pœnitere vultis : et ego pro his satisfaciam. Ego pro his sinam me flagellari, crucifigi et occidi. Porro si peccata habetis, quæ non plangitis, quæ non emendatis, quorum non pœnitemini, illa si retinueritis, retinebunt vos, et demergent in infernum. Contra hæc non erit redemptio. Ego quidem pro vobis patiar, at mea pœna meaque satisfactio nihil proderit vobis, sed impœnitentes moriemini in peccatis vestris.

Hieron.

Nativitatis Christi modus quis.

Paupertas et vilitas Christi nascentis quanta fuerit.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos : et timuerunt timore magno.

Pastores vigilabant super gregem. Non unus sed plures erant, qui Christi possent nativitati ferre testimonium. Illis igitur Christus suam revelari voluit infantiam. Vide autem, quia sicut Christi sunt nativitatis testes pastores ita prædicationi ac vitæ ejusdem Apostoli piscatores præbue-

runt testimonium, utrique illitterati et simplices, nec fallere docti. Vide præterea, quomodo Angelus non more solito apparet, quo patribus olim se erant soliti exhibere Angeli. Siquidem hic apparent non solum in specie humana visibili, sed etiam cum lumine. Nam et claritas Dei, inquit Evangelista, circumfulsit illos. Ubi similem apparitionem in veteri legisti Testamento? Discrevit Dominus a tempore legis tempus gratiæ : tempus in quo erat figura tantum et umbra futurorum, a tempore in quo erat veritas et gratia. Decebat Dei Filio homini nato reverentiam, quam olim majorem, erga naturam nostram exhiberi ab Angelis, et nos non tanquam exules, abjectos proscriptosque servos, sed ut Dei filios cohæredesque agnosci. Quod claritas Dei circumfulserit illos, intelligenda est lux divinitus missa, quæ aërem lucidum et clarum juxta illos reddidit, quo fierent idonei ad recipiendam internam illuminationem de Christi nativitate, eo modo quo in Actis legitur Apostolorum de Paulo : *Subito circumfulsit eum lux de cælo.* Sequitur namque quod ex visione hac magno timore fuerint perculsi, quo parabantur ad recipiendam revelationem. *Act.* IX, 3.

Et dixit illis Angelus : Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.

Officium boni spiritus servat Angelus, cujus est illum, cui apparet, timentem consolari. Incipit enim angelica visio cum timore, sed magis magisque continue videns, serenior efficitur. Cui contrario habet modo spiritus malus, quia ejus visio principio blanditur, sed in obscuritatem ac tenebras inducens in terrorem quoque semper majorem crescit. Ideo hic Angelus videns pastores conterritos, consolatur eos, dicens : Nolite timere. Quin potius gaudete. Unde? Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod tam gentibus quam Judæis omnique erit populo. Evângelizo, inquit, vobis. Quibus vobis? Vobis pauperibus, simplicibus, humilibus, vigilantibus pastoribus. Videte, filii, Angelus non ad molle stratum stetit Herodis, non Caiphæ pontificibusque nuntiat Judæorum Christi nativitatem. Multi erant divites, qui tunc sumpta cœna delicata dormiebant in lectis suis : multi potentes et reges, quorum nulli Christi revelata est nativitas : sed pastoribus pauperibus vigilantibusque duntaxat apparuit. Evangelizo, inquit, vobis. Quid? Gaudium magnum. De quo? Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Videsne quare hoc divitibus non fuerat annuntiandum, neque ambitiosis? Illis enim gaudio non est nuntiari Christum esse natum : gauderent vero de thesauro adepto pecuniarum, de fortuna accidente, aut de honoribus. Hoc enim amantes gaudent dum assequuntur. Pauperibus igitur spiritu, humilibus, mundi amore vacuis, et in mundi respectu aut æstimatione vilibus et abjectis, ad Domini adventum vigilantibus erat hoc gaudium evangelizandum, utpote qui de mundo gaudium non habent, ideo de Christi possunt gaudere nativitate. Salvator mundi dicitur Christus, cui salvare congruit tanquam Deo, qui per Isaiam dicit : *Deus justus et salvans non est præter me.* Et in Osea : *Ego Dominus Deus tuus, et Salvator non est præter me.* Convenit ei quoque Salvatorem dici, secundum quod est homo assumptus, quemadmodum ad Joseph patrem Jesu nutritium dictum est : Vocabis nomen ejus Jesum. *Ipse* enim *salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Quod Christus Dominus noster quoque implevit, quia passione sua nos redemit, atque salutem sanguine nobis suo comparavit.

Nativitas Christi cur pauperibus potius quam divitibus nuntiata fuerit.

Salvator cur recte vocetur Christus. *Is.* XLV, 21. *Osee* XIII, 4. *Matth.* I, 21.

Et hoc vobis signum : Invenietis Infantem pannis involutum, et positum in præsepio.

Videte cujusmodi signum dicat Ange-

lus, per quod Christus agnosci debeat Salvator. Nempe paupertatem. Adeo salutaris est paupertas, adeo est ejus amor nobilis, ut Christus illam e cœlo veniens præ cunctis bonis mundi elegerit. Abundabat thesaurus hic in terris, sed nesciebatur pretium ejus quousque Christus e cœlo veniens, et paupertatem in se transformans, hanc in se consecraret, et nobis amabilem faceret. *Beati* igitur *pauperes spiritu*, hoc est, affectu, quibus terrenarum rerum abest amor, quibus nulla adest cupiditas : *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Est itaque signum paupertas Christi nobis in salutem, sed in signum cui a multis contradicitur, puta ab omnibus mundi amatoribus. Docuit enim hoc signo nos mundum contemnere. Sed quis huic signo non contradicit, nisi pauci electi ?

Paupertatis nobilitas quanta.

Matth. v, 3.

Pauperes spiritu qui sint.

Paupertatem Christi esse signum cui a multis contradicitur.

Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Copiosum Angelorum agmen subito uno Angelo loquente apparuit, cœlestis exercitus similitudinem habens : quod tamen non ad pugnam, sed ad Dei laudem ideo erat congregatum, quo Dei prædicaret majestatem, et sapientiam, et potentiam, et bonitatem latentem in externo, vilique apparentia infantis. Hunc, inquam, ut regem suum nobis manifestarent, collaudarent, nobisque gratularentur apparuere Angeli. Vide autem quid dicant : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Deo cui soli debetur gloriam tribuunt, hominibus vero, qua indigent maxime, pacem. Vide autem quod non hominibus quibuslibet, sed his tantum, qui sunt bonæ voluntatis. *Non est* enim *pax impiis* dicit Dominus : sed *pax multa diligentibus legem* Dei. Servemus igitur nos pacem cum Deo, ejus obediendo voluntati : servemus cum proximo, illum diligendo ac portando : servemus nobiscum. in animi tranquillitate omnia ferendo, Tunc Christum infantem digne possumus cum pastoribus audire natum, quærere et invenire, non imperantem angelis, non signa facientem : sed in præsepi ante jumentorum ora jacentem, involutum pannis, humilem, mansuetumque corde, qui cum Patre et Spiritu Sancto est benedictus in secula, Amen.

cur sto appa rint.

Is. x 22.

Ps. 165.

Pax tribu mod vand

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

UNDE GAUDENDUM SIT, ET QUID DOCUERIT, QUOVE NOS INVITAVERIT CHRISTI NATIVITAS.

EVANGELIZO vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie Salvator. Lucæ II, 10, 11.

Nemo, fratres filiique charissimi, quovis onere aut molestia gravatus, non gaudet, si certa illi promittatur ab hoc onere liberatio. Qui enim tenebris est inclusus, gaudet redire ad lucem. Qui in infirmitate est, gaudet de adventu medici. Qui captivitate est detentus, gaudet adesse libertatem. Qui denique damnatus est, gaudet de adventu aut præsentia Salvatoris. Hæc aliaque omnia nobis Christus fuit, quia et nos e diverso fuimus omnia, puta captivi, cæci, infirmi, ad mortemque damnati. Gaudete igitur omnes, inquit Angelus, quia natus est vobis hodie Salvator, qui ab omni vos molestia liberet. Est enim cæcis lux, infirmis sanitas, captivis redemptio, damnatis salus, vita mortuis. Nuntiabat igitur Angelus his qui gaudere de hoc noverant, quod natus esset Jesus, spes, salus

Nativ Christ quæ b obtule

et redemptio omnium. Nuntiat autem Angelus gaudium. Quapropter sciendum ex multis oriri, ut quis gaudeat. Primo, ut si quis rem diu affectatam assequatur. Christi igitur nativitas cum diu promissa fuerit mundo, cum ejus adventus continue exspectaretur, cum magnis denique postularetur gemitibus, non potuit non esse gaudio, ubi advenit. Siquidem, ut Christus ait : Multi reges et principes et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt. *Et Abraham*, inquit, *desideravit videre diem meum : et vidit*, subaudi in fide, *et gavisus est*. Clamabant quoque sancti Patres in lymbo : *Domine, inclina cœlos tuos et descende :* Et *: utinam disrumperes cœlos, et descenderes*. Cum itaque tantum esset Patrum tamque æstuans desiderium ut veniret, quomodo non potuit gaudium esse mundo, non huic scilicet cujus filii sunt reprobi, atque a filiis Dei divisi : sed mundo, id est, hic viventibus in mundo, de quo loquitur Joannes, cum dicit : *Sic Deus dilexit mundum ut daret Filium suum Unigenitum, ut omnis qui credit in illum non pereat sed habeat vitam æternam*. Quomodo, inquam, non esset gaudium mundo, quando venit ? Magna igitur necessitas, quæ premebat mundum, qui consilio opeque indigebat Christi, id fecit, ut magnum pro eodem esset desiderium ut veniret. Propterea exultabundus Psalmista canit : *Redemptionem misit populo suo,* quia misit eum qui salvum faceret populum suum a peccatis eorum. Qui igitur tantopere desiderabatur, veniens necesse erat ut sui desiderabundos gaudio magno reficeret. Similiter secundum gaudium est magnum, ut cum quis liberatur a magno periculo. In quo autem periculo, dic mihi, fuit universus mundus? Profecto sub sententia æternæ damnationis. Venisse itaque eum qui nos a jugo servitutis diaboli, a jugo peccati, a damnatione perpetua, ab omnibus malis aliis, quibus involuti tenebamur, liberet, nonne ad gaudium hoc merito nos excitaret ? Maxime profecto. Erat enim tunc nobiscum, quemadmodum Isaias prophetaverat, dicens : *Populus meus captivus ductus est, et infernus dilatavit animam suam*. Haud quaquam igitur, Augustino teste, liberaretur homo, nisi Deus fieret homo. Gaudium igitur erat de Christi nativitate. Tertio, gaudium exhibet magnus honor assecutus. Qualem putas assecuti sumus honorem ex incarnatione et nativitate Christi ? Maximum profecto, quo nec esse, nec evenire nobis posset major. Siquidem *dedit nobis*, ait Joannes, *potestatem filios Dei fieri*. Si autem filios, ergo et, secundum Apostolum, hæredes, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, imo et cives et domesticos Dei tam hic in Ecclesia, quam regni in patria. Quarto, quod magnum generat gaudium est, quando quis a magno se Domino vehementer cognoscit diligi. Nescivi, inquit Bernardus, quantum me Deus diligeret, nisi pro me mori eligeret. Nasci autem idcirco voluit, quia mori pro nobis voluit. Si enim, teste Augustino, Deus peccatores non amaret, de cœlis ad terram non descenderet. Vide autem, et diligentius hanc charitatem expende. Cum enim in sua esset potestate, in sua quoque optione modum, quo nos redimere vellet, eligere, non alium eligere voluit, quam eum, quo maximam nobis ostenderet suam erga nos charitatem. Neque enim hoc tantum ejus charitatem nobis insinuat, quod nos redimere voluit, sed quod hoc modo, cum potuisset facilliori, nos redemit. Voluit enim ad nos venire humilis. Idcirco non elegit parentes potentes, aut juxta fastum mundi nobiles, sed humiles et pauperes, ne quis timeret illum accedere. Voluit enim non in castro, sed in stabulo nasci, quo doceret omnibus patere accessum, nulli aditum præcludi. Non est, ut causeris in magno illum palatio natum, quo ad illum introitus non pateat. In stabulo natus est, vili et pauperi loco, solus est pauper, est infans, quem timere non habes. Quo igitur te non deterreret, sed invitaret ad se, pauper et humilis natus est. Quo deinde videres, quantum te ama-

Is. v, 13.

Honorem cujusmodi assecutus sit homo ex Christi incarnatione.

Joann. I, 12.

Rom. VIII, 17.
Eph. II, 19.

Diligi a magno domino quam gaudiosum

Bernard.

Charitatem quantam ostenderit nobis Christus.

Christus cur in stabulo vili voluerit nasci.

Nativitas Christi quam fuerit homini aptata et admirabilis.

ret, quantumque ad se imitandum pariter et ad diligendum te invitaret, quo scilicet carnem contra petulantiam affligere, humilis et mitis esse disceres, in vili tugurio, in hieme, in frigoribus, in nocte, quod parvulis teneris molestiora sunt, voluit nasci. Voluit te advertere et cognoscere, quanta se majestas propter te in tam grandem vilitatem humiliaret : æternus, unius horæ fieret homo ; omnia implens, in præsepio jaceret ; mundum regens, nihil in mundo proprium possideret ; Angelis imperans, ubera sugeret Virginis ; omnia pascens, in præsepio jaceret ; immortalis et impassibilis, fieret mortalis et passibilis ; qui ora aperit mutorum, infans esset ; dives cujus sunt omnia, pauper esset ; cui ministrant Angeli, ignotus et sine hospitio esset. Quare hæc omnia, filii ? Ut charitatem suam ad vos monstraret vobis, et ostenderet quanti vos faceret, quantumve ad se redamandum vos provocare niteretur. Ipse enim nobis factus est via, sicut dicit : *Ego sum via, veritas et vita*, per quam ingredi nos oportet in regnum cœlorum.

Joann. XIV, 6.

Viam ad regnum cœlorum quomodo Christus in seipso ostenderit nobis.

Ne igitur aliam quæramus viam, in seipso nobis ostendit, quæ sit via. Nempe via humilitatis, patientiæ, paupertatis et simplicitatis, quam mundum mox ingressus, ante præmonstraret exemplo quam prædicaret verbo. Imo quam in sua exhibuit nativitate, per omnem tenuit vitam, ut in Psalmo dicit : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.* Unde sanctus loquitur Bernardus : Nascitur Dei Filius, in cujus arbitrio erat quodcumque vellet tempus eligere. Christus elegit quod molestius est, præsertim parvulo et pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Et cum tanta esset necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Christus utique qui non fallitur, elegit quod carni molestius est, id ergo melius, id utilius, id potius eligendum. Et quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam a seductore cavendum. Et tamen, fratres, ipse est qui promissus est olim per Isaiam prophetam parvulus sciens reprobare malum, et eligere bonum. Malum ergo voluptas corporis est : bonum vero afflictio est. Siquidem et hanc elegit, et illam reprobavit puer sapiens, Verbum infans. Itaque jam opere docet hic beatissimus infans Jesus Christus, ut fugiamus voluptatem et agamus pœnitentiam : appropinquat enim regnum cœlorum, quod nemini patrum sub lege nec ante legem dictum est appropinquare. Sed huic tempori, et regni cœlorum, et fugæ seculi, et pœnitentiæ salutaris evangelizatio servata est. Hæc Domini clamat præsepe, hæc stabulum, hæc panni, hæc manifestant infantilia membra, hæc lacrymæ et vagitus annuntiant infantis. Quare enim carere voluit hospitio Dominus Jesus, quare non erat ei in diversorio locus ? Non ob aliud profecto, quam ut se ostenderet terrena non quærere, nec amare. Docere te quoque voluit, de palatiis non cogitare, non superbe præsumptuoseque ædificare, vilitate contentum manere. Ipse stabulum elegit, ut superbas destrueret ædes, hoc est, ut tu mundi curiositatem, mundi sperneres gloriam, ædificiorumque contemneres apparatum. Ipse hospitium non habuit, ut tu illius misertus, cor tuum illi tradas ad inhabitandum. Quomodo trades ? Ejiciendo malas inclinationes et desideria, vitia et passiones. Nihil enim tam desiderat quam cor mundum. Solus namque vult habitare in te sine consortio alieno. In aliena terra voluit nasci, ut tu cognoscas te advenam et peregrinum in hoc seculo, et ab hoc seculo contendas amorem tuum transferre ad cœlestia. In nocte voluit nasci, ne nimium te occupes in splendore mundanæ gloriæ et secularis honestatis, sed animum geras simplicem in Christoque absconditum. Vide igitur conditiones nativitatis ejus, quibus mundi prædicavit ac suasit contemptum. Hæ enim explicant ejus ad te charitatem, cum tanti habitum te videris, cujus curam Christus habuit, et acerba molestaque infantulus

Psalm. LXXXVII, 16.

Bernard.

Jesus tui amore, quo te sibi attraheret, toleravit. Inde igitur, sicut dixi, magnum tibi oriri debet gaudium, quod ab immenso Domino sis amatus. Recte igitur ex Christi evangelizatur nativitate gaudium magnum futurum. Sed quibus, inquis, nuntiatur? Non enim omnibus est gaudio Christi nativitas. Siquidem tribus Magis paulo post venientibus et dicentibus: *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. Fuit igitur Christi nativitas quibusdam fastidio, nonnullis odio, multis quoque gaudio. Fastidio fuit his qui terrena amantes, cœlestia aut non appetunt, aut contemnunt. Odio fuit his, quorum gloriæ, ambitioni, aut cupiditati per Christum aliquid deperibat. Herodes namque suæ metuebat gloriæ regni: ideo Christum persequebatur, timens aut sui expulsorem aut regni invasorem Judæorum. Pharisæi Christum persequebantur, quia tanta eorum erat avaritia, ambitio, jactantia, tantus vitiorum horum amor, ut Christi verba et eruditionem tanquam sibi molestam atque contrariam persequerentur. Illis igitur fuit solis gaudio, qui vigilabant pro gregis sui custodia, quibus Christus futurus erat instructio, redemptio, sanctificatio, exemplarque vitæ. Hi enim Christo indigebant, Christum requirebant, quia se suamque inopiam attendebant. Quo nuntiato advenisse, ad illius præsentiam gaudebant. Quocirca humiles, simplices, pauperes spiritu, vigilantes contra diabolum pro sui custodia solliciti, Deumque metuentes, significabantur in his pastoribus, quibus Christi annuntiatur nativitas. Recte quidem simplicibus nuntiatur Christi in mundum nativitas, quandoquidem cum simplicibus est sermocinatio ejus. Ignorabant interea hanc nativitatem philosophi et mundi sapientes, ignorabant pagani. Indigni erant, quibus nuntiaretur, Scribæ et Pharisæi: et cunctis in mundo potentibus pastorum simplicitas antefertur. Vos estis, charissimi, quibus hoc gaudium nuntiatur, qui estis in luctu peccatorum vestrorum, qui vigilatis in orationibus ad fores sapientiæ quotidie. Vos qui non habetis, ut divites, hic consolationem vestram, non estis justi et magni in oculis vestris, quibus dicitur: *Natus est vobis hodie Salvator.* Quomodo enim illis nuntiaretur natus Salvator, qui obstrepunt Evangelio quod Christus verbo docuit, et opere monstravit? Non loquor de his qui contradicunt Evangelio Lutheri. Utinam omnes contradicerent, qui neque verba sana docet, etiam quando Evangelium docet, quia non cum Ecclesia et in sensu quem Spiritus Sanctus dedit Ecclesiæ, Evangelium docet, sed quomodo ab alio spiritu quodam qui dissensionis, fraudis et seductionis est artifex, accepit. Nec docet exemplo apostata et votifragus, sed seducit quomodo ipse ultro seductus est ex odio Papæ: apud quem fertur impetrare quæ postulabat non potuisse, atque nunc tam contra Papam, quam contra ea quæ sibi negata sunt, prædicare. Itaque his qui Christi Evangelio, qui Christi Ecclesiæ obstrepunt, qui Christi vitæ et moribus repugnant, qui Christo reipsa dicunt: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus,* quando nuntiaretur: Natus est vobis hodie Salvator, quandoquidem hujusmodi est eorum vita, ut Christus eos salvare non possit, quia salvari nolunt? Non quidem prorsus nolunt: sed ut peccata sua relinquant, ut Christo obediant, tanti redemptionem Christi, quæ illis prodesse possit, non faciunt. Non luxuriosis, avaris, non homicidis, non fornicariis, non ebriosis Christi nuntiatur nativitas: quin qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Et in hoc Christi vili tugurio, nihil est quod avari aut gulosi concupiscant, nihil in tam sancta virginea est nativitate, quod immundos oblectet. Sed vobis, inquam, nuntiatur, qui jam cœpistis imitari, quod in Christo infante didicistis. Jam placet vobis, quod e cœlo veniens Dei Filius suo exemplo vos docuit. Idcirco *evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator.* Gaudete gaudio magno, quia Deus Israel visi-

th. II,

tivitas sti us fu- fasti- t odio.

tivitas sti us fu- audio.

plici- cur ata sti fu- ativi-

Evangelium cur non recte doceatur a Luthero.

Odii Lutheri contra Papam origo quæ.

Job XXI, 14.

Gal. V, 21.

Luc. I, 68. tavit vos, oriens ex alto : *Visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.* Visitavit vos ut pater, qui filios suos erudit, pascit, liberat, defendit et providit eis hæreditatem. Hæc omnia nobis Christus fecit. Visitavit ut pastor, dispersas oves congregans, et perditam ovem suis humeris imponens, atque domum reducens. Ad hoc enim venit in *Joann.* XI, 52. mundum, inquit Evangelista, ut filios Dei, qui erant dispersi in mundo, congregaret in unum. Visitavit ut medicus, qui languidos curaret. Omnes enim eramus infirmi. *Is.* I, 5. *Omne* nempe erat *caput languidum, et omne cor mœrens.* Venit igitur ut suo nos livore sanaret. Cæterum, ubi Christi nuntiabatur nativitas ab Angelo plena gaudio, subito comparuit lux cœlestis quoque, quæ testaretur verba Angeli, pastores inducens ad mirandum et ad quærendum eum, *Luc.* II, 14. qui nuntiabatur. *Facta est autem,* inquit, *multitudo cœlestis exercitus, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quo credendum insinuatur Angelos aut singulos, aut de singulis choris aliquot descendisse, et magna reverentia, magnaque lætitia ad videndum salutandumque regem suum advolasse. Stupebant enim ejus humilitatem nimiam, adorabant ejus majestatem, bonitatem ejus collaudabant, officiosissimaque veneratione ad Domini sui Matrem se exhibebant. Unde, ut dixi, nullum Angelum fuisse qui non ideo veniret, ut Christum Deum et hominem salutaret, adoraret, eique gratularetur, verisimile est. Quapropter deceret quemque Christianum ad hoc Christi tugurium, imo ad cœleste palatium accedere, et videre regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Eamus igitur cum pastoribus Bethleem, et videamus regem nostrum Salvatoremque nostrum. Admiremur ejus charitatem, et gratias illi, non labiorum duntaxat motu, sed devotissima effusione cordis agamus. Subjiciamus nos ejus servituti et obedientiæ, qui tot ærumnis et pœnis nostri se amore subjecit. Adjiciamus nonnihil præter solitum morem, ad pristinam ejus servitutem, ut posthac ferventiores, humiliores, mitiores, et in omni virtute inveniamur quam olim perfectiores. Si enim vetus nostra indevotio, si inolita detinuerit nos consuetudo, nec profectui nostro aliquid adjecerimus, quid Christi in nobis, quæso, hodie operata est nativitas? Præstemus igitur opere ac veritate, ut etiam ab his qui diligenter nos observant, quantumvis celare id voluerimus, non possit non percipi, unde nobisipsis meliores sumus facti: id largiente nobis Jesu Christo Dei et Virginis Filio, qui cum Patre et Spiritu Sancto est Deus unus benedictus in secula, Amen.

Angelorum circa cunas Christi frequentia et reverentia.

IN SOLEMNITATE

S. STEPHANI PROTOMARTYRIS

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

STEPHANUS, plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano. Et non poterant resistere sapientiæ et spiritui, qui loquebatur. Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris, et ait : Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabitur Saulus. Et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. *Act. VI et VII.*

ANTE hanc lectionem præmittit Lucas, ad sedandum murmur eorum qui ex gentibus erant conversi discipulorum (hoc enim nomine tunc omnes Christiani vocabantur), septem ab Apostolis esse diaconos, quorum unus erat Stephanus, constitutos. Verum, omissis reliquis, de solo hic beatissimo prosequitur Stephano, dicens : Stephanus autem plenus gratia et fortitudine. Idcirco autem a gratia et fortitudinis dono commendatur, quia strenuum ac fortem militem in fide pro Christo (ut primum decebat martyrem) gessit. Itaque Stephanus Spiritu Sancto confortatus, signa et prodigia magna, quæ divinæ gratiæ ac fidei essent testimonia, faciebat in populo. Doctrinæ enim Evangelicæ in primitiva Ecclesia erant necessaria signa facienda ab Apostolis et sanctis prædicatoribus, quæ eorum prædicationi adstipularentur. Ideo scriptum est in Marco: *Illi autem,* hoc est, Apostoli, *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Insurrexerunt autem de quinque locis congregati Judæi, pleni dolo et invidia, disputantes cum Stephano, prædicationem ejus, quæ erat Jesum fuisse Messiam et Christum, confutare cupientes. At non valebant resistere sapientiæ Stephani et Spiritui Sancto, qui loquebatur in ore illius. Implebat enim promissionem suam Dominus : *Ego autem*

Signa in Ecclesia primitiva quam fuerint necessaria.

Marc. XVI, 20.

Luc. XXI, 15.

dabo vobis os et sapientiam, cui contradicere non poterunt omnes adversarii vestri. Reddidit enim de singulis sibi objectis rationem Stephanus, ac tandem vitia et duritiam eorum qui erant in consilio arguens, propterea quod Spiritui Sancto repugnarent, dixit : *Dura cervice et incircumcisi corde et auribus, vos Spiritui Sancto semper restitistis. Quem prophetarum non persecuti sunt patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.* Hæc audientes, cordibus præ ira ac furore dissecabantur, et ut canes rabidi in eum dentibus fremebant. Surda enim aure Salomonis legerant proverbium : *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus.* Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, videretque sibi instare martyrium ac morti fore proximum, Spiritu Sancto confortatus, et mente et oculis intuens in cœlum, quia in terris premebatur, vidit gloriam Dei. Vidit enim cujus amore pugnabat, stantem et se pugnantem, quomodo in Psalmo scriptum est : *Salus autem justorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis,* adjuvare paratum. Vidit, inquam, Jesum stantem a dextris Dei tanquam ad subveniendum paratum, et ait : Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei. Justum autem erat ut primus martyr, in consolationem futurorum sequentium, quia vitam pro Christi amore statuit in terris, cœlos sibi videret apertos et paratum præmium ad quod sitiens accenderetur.

Act. VII, 51, 52.

Prov. XXIX, 1.

Ps. XXXVI, 39.

Hominis Filius cur vocetur hic Christus.

Vide hic quod ad majorem duritiæ Judæorum confutationem non Filium Dei, sed Filium hominis Jesum nominat. Hunc enim quem ut hominem occiderant Judæi, nolentes Deum credere, videre se dicit. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, quasi adeo essent religiosi (cum tamen vehementer forent blasphemi), ne blasphemiam audirent. Continuerunt aures ad audiendum veritatem, qui eas ante ad Christi obturaverunt prædicationem. Itaque impetu in eum unanimiter facto, ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. Quomodo enim Christum extra civitatem suam crucifixerunt, ita ejus quoque testem de civitate ejiciunt lapidandum. Extra castra namque jubebat lex lapidibus blasphemum obruendum. Et testes iniqui, qui illum de blasphemia accusaverunt, vestimenta sua ad pedes deponebant adolescentis qui vocabatur Saulus. Horum enim manus secundum legem necessario erat in lapidando prima. Ad quod ut expeditiores redderentur ejecerunt vestimenta sua, ad pedes eadem ponentes Sauli qui postea vas electionis factus, vocatus est Paulus. Hic zelum quemdam habuit pro lege, putans se obsequium in hoc præstare Deo, si persequeretur Christianos. At tandem ipse quoque ad Christum conversus, intellexit se errasse, dicens se fuisse blasphemum et Deo contumeliosum. Hoc igitur modo lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : Domine Jesu, accipe spiritum meum. Corpus hic amitto ac relinquo ad tempus, spiritum meum interim recipe. Positis autem genibus : oraturus pro aliis genua ponebat. Pro se enim ipse non oraverat flexis genibus, quo charitatem ostenderet, orandique tam intentionem quam necessitatem pro aliis majorem : clamavit pro magnitudine affectus voce magna, dicens : Domine, ne statuas, id est, ne imputes illis hoc peccatum. Hoc est, ignosce illis, quod lapidibus me impetunt. Et cum hoc dixisset, feliciter obdormivit, requiescens in Domino qui illius animam inter brachia paternæ recepit charitatis.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, MATTHÆI XXIII.

ANTE verba Evangelii hujus festi, Dominus noster Jesus Christus Pharisæorum et Scribarum avaritiam, hypocrisim et ambitionem dure objurgaverat. Eo namque hæc loquente, pontifices cum Judæorum consilio jam Christum interficere statuerant. Nihil enim Dominus Jesus a Judæis aliud, quam quod sancti olim prophetæ, exspectavit. Judæi namque ut viri sanguinum, neminem qui illis diceret veritatem sinebant vivere. Multus sangu is innocens fusus fuit in Jerusalem. Quamobrem etiam Dominus flevit super Jerusalem, gravem vindictam super illos venturam præmeditans, non a se, sed a Romanis paratam, qui Judæorum tentabant subjugare punireque rebellionem : Deo tamen illam calamitatem in peccatorum supplicium eis ordinante. Dicit itaque apud Matthæum Evangelistam Christus turbis Judæorum et principibus sacerdotum :

> Ecce ego mitto ad vos Prophetas et sapientes et Scribas : et ex illis occidetis et crucifigetis et flagellabitis in synagogis vestris : et persequemini de civitate in civitatem.

Prophetas, sapientes et Scribas suos vocat Apostolos et prædicatores, quos post resurrectionem suam Dominus misit non solum Judæis, sed etiam in mundum universum. Præcipue tamen quod Paulus testatur et Petrus, Judæis missi erant prædicare verbum salutis. Ubi vero Judæi illud repulerunt, indignos se reipsa, hoc est, contemptu et persecutione, exhibentes æternæ vitæ, conversi sunt ad gentes. Fuerunt autem Apostoli, alii item multi ex prædicatoribus sanctis prophetæ, futura prædicentes, fuere sapientes docentes legem Evangelicam, fuerunt Scribæ, doctores in lege veteri quoque eruditi. Unde Dominum Jesum verum esse Christum, argumentis non levibus Judæos convincebant. Siquidem de Joanne Apostolo qui Apocalypsim scripsit, de Agabo, item de Paulo non dubium est quin fuerint prophetæ. Taceo de pluribus aliis, adeo ut propter pacem et quietem servandam, Paulo quoque visum sit necessarium in Epistola legem dicere prophetiæ. Multi quoque inter Ecclesiæ culmina erant sapientes. Nam sapientes fuere omnes Apostoli qui per divinam inspirationem, notitiam intelligentiamque omnium habuerunt Scripturarum, juxta illud : Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Scribæ vero et in lege humanitus docti fuere Paulus, Gamaliel, Stephanus, Nathanael, Zena, Apollo, Nicodemus. Hos aliosque multos, inquit Christus, ad prædicandum, et ad convertendos vos mittam. At vos illis, quomodo vestri olim patres fecere prophetis ad se missis, facietis Apostolis : imo facietis deteriora gravioraque, quandoquidem exemplum eorum quos ipsi male egisse judicatis, imitamini, nec ut deberetis, correcti aut illis facti dissimiles. Dicitis enim : *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum*. Sed hæc ore tantum dicitis, at in cordibus vestris pejora absconditis majoremque fovetis malitiam, quia pejora molimini. Ipsi enim servos (quomodo in parabola vobis paulo ante dixeram) domini vineæ ad se, ut censum seu fructum suo domino reportarent, missos occiderunt. Vos autem vineæ hæredem filium domini (quod magis ne-

Apostoli omnes ut fuerint sapientes. *Luc.* XXIV, 45.

Matth. XXIII, 30.

fandum est) interficietis, atque nomen ejus conabimini exstinguere. Nam eos quoque qui illum diligunt, qui confitentur occidetis, et flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem. Stephanum namque Judæi occiderunt, Apostolos flagellaverunt, et lapidato Stephano persecutio magna facta est in Ecclesia quæ erat Jerosolymis. Præter enim Apostolos, reliqui omnes dispersi sunt.

Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.

Parentum peccata quomodo super filios dicantur venire.

Peccata parentum super filios venire dicuntur, non ut in illis puniantur, quia scriptum est : Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii, sed ut Chrysostomus vult, propter peccata parentum, aggravantur peccata filiorum. Viderunt enim patres deliquisse, intellexerunt eos Dominum ad iracundiam provocasse, et sibi justitiam Dei malorum omnium vindicem concitasse : eorum tamen non sunt exemplo a peccatis deterriti.

Lamech cur gravius peccaverit quam Cain.

Inde est, ut ultio a Lamech major exigeretur quam a Cain, licet ut hic, ille fratrem suum non occiderit : sed propterea plus deliquit Lamech quam Cain : quia Lamech ante se habuit, in quo Dei iram et peccatum Deo displicere didicit, nec tamen doctus exemplo, abstinuit. Hoc modo cum scirent Judæi, quam impium fuerit prophetas occidisse, adeo ut ad parabolam Domini de vinea et colonis occisoribus martyrum interrogari meruissent, responderunt : Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis, qui fructum illi reddant in tempore suo : contra seipsos sententiam proferentes. Cum itaque scirent quam foret iniquum innocentes persequi, non debuerant hoc ipsi facere.

Matth. XXI, 41.

Zacharias hic quis fuerit.

Zachariam hunc, quem fuisse existimat Hieronymus filium Joiadæ qui occisus est in vestibulo templi : sed idcirco Zachariæ magis quam Joiadæ filium hic dictum, ad commendandam patris sanctitatem. Barachias namque sonat benedictum Domini. Cujusmodi fuit Joiada pontifex vir Deo charus, et non exigua virtute præditus. Potuit etiam binomius fuisse Joiada, quod regibus et pontificibus non infrequens fuit. Nonnulli Zachariam hunc patrem Joannis Baptistæ fuisse putant, propterea occisum quod Beatissimam Virginem Mariam postquam peperit Christum, et ex humilitate quasi purganda veniret ad templum, idem Zacharias inter virgines stare voluit (erat enim in templo locus singularis virginibus deputatus) pro ea contra repugnantes certans. Sed de hac re nil certi habetur in Scriptura.

Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

Duas generationes Scriptura ponit, electorum et reproborum. De generatione justorum legimus : Hæc est generatio quærentium Dominum. De generatione prava scribitur : Generatio prava et exasperans. Vult itaque Dominus malos significari quando hic loquitur de generatione ista, super quam omnia mala venient. Cum illa enim vos, inquit, utpote mali, unum corpus consistitis, et simul in pœnis eritis socii. Sicut enim electi in cœlo sibi gaudia cumulant, ita in inferno reprobi sibi aliisque exaggerant pœnas. Terret itaque nunc eos quo a malo desistant proposito, qui jam in Christi mortem conspiraverant, dicens omnia peccata priorum patrum eorum in illos revolvenda. Hi enim (quomodo paulo ante dixi) qui cognoscunt alios, qui ante se deliquerunt, propter peccata punitos, nec inde docti cavent delicta, gravius quidem, si eadem admittant delicta, peccant. Unde justius quoque fit, ut gravius puniantur quam hi qui ultione divina nondum castigatos agnoscentes, peccant. Unde liquet diuturnitate temporis peccata fieri graviora.

Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt : quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas, et noluisti.

Geminatio verbi, affectum diligentis ac miserentis exprimit. Dolet enim piissimum cor Jesu, quod toties tamque multifariam conatus sit populum hunc duræ cervicis revocare, reducere ac salvare : sed frustra, cum non fuerit qui vellet sequi, quin etiam vocantem contempserunt ac nuntios persecuti sunt. Ac si diceret : Jerusalem, Jerusalem, usquequo non audis, mihi obstrepens? Misi ad te Isaiam, et serra illum secasti. Misi Jeremiam, et hunc lapidasti. Misi Ezechielem, et excerebrasti illum. Hoc modo prophetas impie omnes trucidasti. Quid ultra facere debeo quod tibi non fecerim? Quomodo sanabo te qui medicos omnes persequeris? Sanctis meis non peperci, ut tibi parcerem peccatrici. Illorum vitam neglexi, ne mortem tuam viderem. Omnes in te medici spirituales defecerunt, et tu nihilominus curata non es. Si ad tuam gaudere voluissem mortem, nunquam ad te misissem prophetas. Si te perdere voluissem, non venissem ad te ipse. Ego igitur quid faciam si tu ipse vivere non vis? Quoties te, ut gallina suos pullos sub alas congregare volui? at noluisti. Misi ad te Moysen et Aaron, qui de Pharaone te liberarent, ad meque reducerent. Sed quantum in omnibus dura fuisti cervice, et mihi rebellis! Misi judices qui te liberarent : sed denuo semper a me aversa, ad peccata tua et ad idolorum culturam rediisti. Reduxi te ex Babylone, sed sprevisti abjecistique me post tergum tuum. Hoc modo usque in præsentem horam ad unius veri Dei cultum in unitatem fidei et dilectionis te congregare volui, immenso affectu ad modum gallinæ, quæ inter pennata animalia ferventiorem gerit ad pullos suos quam reliqua affectum, utpote præ amore et sollicitudine, quam habet ad pullos suos, languens, et vocem in raucedinem mutans : sed noluisti. Vides hic quam sit arbitrium liberum, cum Deus hominem salvare se non posse dicat quia nolit ipse. Neminem enim cogit sed libertatem homini voluntatis relinquit, ne virtus non sit virtus, si homo recipere cogeretur, aut si invito daretur salus. Potest quidem Deus de nolente facere volentem : nolentem tamen non cogit. Vide etiam quam consolatoria utatur similitudine, gallinæ se comparans, quam novimus inter volatilia ferventissimo fidelissimoque amore suos fovere pullos, quos ad pastum ducit, a se paululum distantes advocat, et voce sub alas, quo foveat, eosdem convocans congregat. Si quispiam pullum tangere quærat, tametsi ferrea indutus sit lorica, invadit eum ne pullum relinquat indefensum. Decet autem nos quoque Christi et Ecclesiæ matris vocem agnoscere, atque sub illius alas confugere, si foveri cupimus et in fide coalescere. Scito quoque quod Jerusalem hic alloquens, carnalem illam putat, quæ credere noluit, et quæ spiritualem Jerusalem, id est, Ecclesiam hic militantem, hoc est, Apostolos et credentes quoque persecuta est. Adverte præterea, quia non dicit ad Jerusalem : Quæ occidisti prophetas, de his qui ante Christum fuerunt duntaxat loquens, sed Apostolos quoque et alios sanctos prædicatores post se persequendos, lapidandos interficiendosque sciens. Jerusalem, inquit, quæ occidis prophetas, et cætera. Facturos igitur prævidet illos Apostolis et sanctis, quod eorum patres fecerunt prophetis.

Arbitrium hominis quam sit liberum.

Gallinæ ad pullos suos fidelitas quanta.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Causam desolationis hujus jam indicavit, quia noluerunt non solum cognoscere tempus visitationis suæ et audire Christum vel in seipso vel in prophetis vel in Apostolis, sed tam Dominum quam servos etiam occiderunt. Justa igitur sequitur vindicta, ut relinquatur eis domus deserta,

Luc. XIX, 44.

Quod in Psalmo quoque prædictum est : *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* Hæc desolatio illis erat superventura sub obsidione Titi et Vespasiani, et per exercitum Romanorum quo vastata est civitas atque depopulata, templum quoque et ministerium sacerdotum, unctio, sacrificium, omniaque arcana Judæorum penitus defecerunt, sicut in Daniele fuerat prophetatum, dicente : *Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo,* et usque in finem perseverabit desolatio. Et in Jeremia : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylva : dedit contra me vocem.*

Ps. LXVIII, 26.

Desolatio Jerusalem a Christo prædicta quando contigerit.

Dan. IX, 26.

Jer. XII, 7.

Dico enim vobis : Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini.

Quod amodo se non videndum dicit Christus, non intelligitur ab hac hora, qua hæc loquebatur verba, sed post passionem quæ prope instabat, postquam non erant ipsum visuri, usque dum dies adesset judicii quando, juxta Apocalypsim Joannis, *videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Aut intelligitur hoc futurum post tempus illud Antichristi. Hunc enim, spreto Christo Deo et Dei Filio Domino Jesu, Judæi recipient. Sed ubi illum Dominus Jesus interfecerit spiritu oris sui, Judæi se videntes in illo deceptos et tunc qui superfuerint, juxta Isaiæ Prophetiam, convertentur ad Christum benedicentes illum in nomine Domini, confitentes eum verum esse Messiam et Christum. Quod pari modo, juxta Hieronimum de conversione cujuscumque Judæi intelligitur ad fidem Christi. Nisi enim, inquit, pœnitentiam egeritis, et me verum esse Messiam credideritis (quod est videre et benedicere Christum) confitentes me Christum Dei Filium, faciem meam non videbitis. Ædificent nos hic, charissimi, in hoc Evangelio Christi charitas, longanimitas et misericordia. Quanta enim benignitate erga Judæos usus est ne illos damnaret : quorum tamen præscivit duritiam. Hoc modo etiam nos misericorditer sustinet. Verum quo diutius tolerans ad conversionem nos tolerat, eo non conversos postea gravius damnat. Invitus enim compellitur damnare peccatores. Ejus enim natura non est damnare, sed misereri et parcere. Quocirca, ut Chysostomus ait, quemadmodum in nobis contra naturam est bene agere (puta jam post lapsum naturæ), sic Deo contra naturam est male facere aut perdere. Verum dicet aliquis : Cum in potestate habeat Dominus perdere et salvare, quis eum invitum, ut damnaret compellit? Sed audi : Tu compellis, qui non desideras, hoc est, non requiris misericordiam Dei. Sicut enim misericordiam qui desideranti negat, crudelis est, ita qui non desideranti præstat misericordiam, injustus est. Sed dices : Quis non desideret misericordiam Dei? Tu qui in peccatis permanes. Desiderare enim misericordiam Dei, est converti ad Deum. Ille enim Dei misericordiam desiderat, qui ejus metuit iram. Qui autem non ejus timet iram non desiderat misericordiam. Quapropter, filii, apertam nunc vobis divinæ misericordiæ januam cognoscite. Modo vos ad Christum convertite, ut a mundo avertamini et Christo conformemini. Certi sitis, quia non repellet, sed recipiet vos, imo occurret ut mansuetissimus Pater vobis. In facultate enim nunc vestra constitutum est ut si vultis per Dei misericordiam, quæ ultro occurrit vobis, possitis salvari. Præstet ipse idem nobis voluntatem, spiritum et auxilium ad se revertendi, qui consilium suum prærogavit idem Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in secula, Amen.

Apoc. I, 7.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

QUIBUS CŒLUM APERITUR, QUIBUSQUE CLAUDITUR.

LAPIDABANT Stephanum invocantem et dicentem : Domine, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Act. VII, 58, 59.

Heri, dilectissimi, solemnitatem celebravimus regis, hodie festivam agimus memoriam militis. Heri natalem diem celebravimus Christi, hodie passionem veneramur Stephani. Heri mundus recepit Christum, hodie misit Stephanum mundus in cœlum. Heri Christus est natus, hodie Stephanus est mortuus. Sed hæc mors sanctorum, nativitas sola ac vera censenda est, qua a miseria mortali, caduca, instabilique vita periculis multis calamitosa, et quæ mors continua potius quam vita dicenda foret, sancti per mortem renascuntur. *Pretiosa enim in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Hac namque ad felicitatem electorum animæ renascuntur. Ingrediuntur enim vitam, quæ immortalis et sempiterna est, et mœrore caret. Itaque heri recepit mundus Deum in infirmitate carnis latentem, hodie cœlum recepit hominem protomartyrem in gloria triumphantem. Cujus ut nos passio ad devotionem provocet eam ex Actis Apostolorum petamus.

ativitas torum cen- la quæ

cxv,

Primo igitur dicendum Stephanum per Christi prædicationem venisse ad fidem, unumque ex septem fuisse diaconis ab Apostolis institutis. Quotquot enim credentium erant, si agros habebant, aut domos, aut aliud quid, illud vendebant et pretium ad pedes Apostolorum ponebant. Nemo enim ibi habebat aliquid proprium, nec quidquam dicebat suum, sed erant illis omnia communia. Unde liquet Apostolos, tam spiritualium quam corporalium fuisse dispensatores. Dividebatur autem singulis de bonis illis communibus ex fidelium donatione congregatis, quantum unicuique opus erat. Et ad hoc quædam sanctæ erant constitutæ viduæ ex genere Hebræorum, propterea quod ad hujusmodi hæ magis forent industriæ. Verum hoc quidam ex Græcis qui ad fidem venerant, ægre ferentes, quod ipsorum viduæ ad hujusmodi ministeria non admitterentur, ac propterea contemptæ illæ existimarentur : pro pace hujus sanctæ ac magnæ congregationis, Apostoli septem instituerunt diaconos, viros plenos Spiritu Sancto, qui huic temporalium administrationi præessent. Spiritualibus enim Apostoli occupati, et reductioni animarum intenti ad suum Creatorem, per fidem animas inducere pascereque cupiebant, ad temporalia aliis sibi (quod apostolicum erat) substitutis. Unus itaque ex septem fuit S. Stephanus, qui huic ministerio intendebat. Cum vero prædicatione et disputatione versaretur assiduus inter Judæos illos qui periti erant in Lege, disserendo continue eos convincebat asseverans Jesum esse Christum qui promissus fuerat patribus, atque verum Messiam. Erat præterea S. Stephanus clarus in operandis miraculis et prodigiis. Cui Christus, ut promiserat, dedit os et sapientiam, cui non poterant contradicere omnes ejus adversarii. Itaque fidelibus primis discipulis (ita enim vocabantur) sub obedientia S. Petri et Apostolorum viventibus, et omnia in communi habentibus (quam hodie hi qui dicuntur monachi vitam illam apostolicam imitantur), cum Stephanum in Scripturis Judæi superare non possent, submiserunt iniquos testes, qui dicerent Stephanum

iversio Stepha- quando derit.

IV, 32.

Monachi quorum vita imitentur.

blasphemasse templum et Legem. Consilio igitur ordinato, Stephanum ad respondendum sibi statuerunt. Quibus Stephanus respondens, ubi veritate se purgaverat, tandem illorum duritiam ac obstinationem arguens, prophetarum illis persecutionem ac Christi mortem exprobravit. Severe enim illis (sed non absque charitate hæc erat severitas) loquebatur dicens : *Dura cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui Sancto restitistis. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi : cujus nunc vos proditores et homicidæ estis.* Juxta quæ verba hic expendendum est, quam varia sunt dona Dei.

Act. VII, 51.

Dona Dei quam sint varia.

Alius mitis corde, sæpenumero sua lenitate vehementer ædificat : alius acerbioribus utitur verbis, et in Spiritu Sancto loquens, objurgat. Unus tamen utrumque hoc operatur Spiritus, Spiritus scilicet charitatis. Neque enim minus hic loquitur Spiritus Sanctus ex Stephano, dum zelo Dei severe obstinatos objurgat, quam loquebatur ex Petro qui plebi blandiens, eam ad conversionem trahebat. Nam Petrus ubi mitioribus verbis plebem ob Christi necem arguisset quam Stephanus, tandem etiam consolans eos salubriter dixit : *Et scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis.* At Stephanus : Dura, inquit, cervice, etc. Utrobique tamen Spiritus Sanctus loquebatur, nec facile est propterea quempiam judicari, cum Spiritus Sanctus multifariam eos quos implet, regat, charitatisque officia non uniformiter administret, quemadmodum nobis etiam in Scriptura loquitur, nunc quidem consolando, rursus vero comminando et terrendo. Non igitur obliviscenda est parabola de Samaritano qui vulneratum a latronibus spoliatumque collegit, et curam illius vulneribus adhibens oleumque et vinum infudit. Si itaque ibi unus medicus uni infirmo non unum sed ferme contraria, olei scilicet et vini, cum alterum leniat, alterum purget seu mordeat, adhibuit medicamina, quomodo diversis infirmis non ab uno medico, non alia atque alia sunt adhibenda medicamina ? Quamvis dici possit, mitius quidem loquendum fuisse plebi, et juxta institutionem Christi lignum fumigans non exstinguendum, nec fractum calamum conquassandum, quo respexisse credendus est Petrus, quam doctis atque in Lege peritis, qui per invidiam magis quam per ignorantiam Christum fuerant persecuti, quo respexisse creditur Stephanus. Illis enim qui scienter et ex malitia peccaverant, duriorem censebat fore necessariam objurgationem quam his qui per ignorantiam deliquerant. Quamvis tamen Stephani objurgatio fuit severior, nihilominus in verborum severitate magna simul servata est charitas. Quod inde liquet : nam dum acrius Judæi in illum sevirent, Stephanus inter lapides spiritum traditurus pro eisdem genua flexit, ut sequitur, pro illis oravit. Stephano itaque Judæos obstinatos arguente, fremebant illi præ ira dentibus in eum.

Act. III, 17.

Medicamina quæ quibus diversim applicanda.

Verum inter hæc cum Stephanus in cœlum intenderet, et illuc ubi erat mente dirigeret oculum, *vidit cœlum apertum et Jesum stantem a dextris virtutis Dei.* Exclamavit igitur : *Ecce video cœlos apertos.* Sæpius in Scriptura legimus apertos cœlos. Nam Christo baptizato aperti sunt cœli, et vox de cœlo facta est, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Significat autem baptizatis aperiri cœlos. Si enim antequam peccarent, post baptismum morerentur, mox ad Deum evolarent. In baptismo enim ab omnibus nudati ablutique sunt peccatis, quæ baptizatis plene omnia remittuntur. Simili modo aperitur cœlum vere et perfecte pœnitentibus. Quod in Actis significatur, ubi Petrus cœlum vidit apertum, et vas descendere quasi linteum, reptilibus plenum, Petroque dictum : Occide et manduca. Cui cum Petrus responderet, se immundum nunquam comedisse : iterum illi dictum est : Quæ Deus mundavit, tu immundum non dixeris. Et receptum est vas in cœlum.

Animalia immunda ante pedes Petri, id est, ante sacerdotes se demittentia, sunt peccatores, qui ad pœnitentiam et peccatorum suorum sese humiliant confessionem coram sacerdote: ubi mundati recipiuntur in cœlum. *Si* enim, ait Joannes, *confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est Deus, ut remittat nobis peccata nostra, et mundet nos ab omni iniquitate.*

Verumtamen hoc de ferventi pœnitentia atque perfecta intelligatur, oportet. Nisi enim pœnitentia quædam esset tepidorum, non diceret Joannes Baptista : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Fructus digni pœnitentiæ, juxta sententiam S. Gregorii, sunt mortificationes desideriorum etiam licitorum, quemadmodum David perfecte pœnituit. Quippe qui ante adulterii committere non timuerat peccatum, postea pœnitens, aquam ex cisterna in Bethleem concupitam ac sibi allatam bibere recusans, hanc Domino in sacrificium, suum desiderium mortificando obtulit. Qui ergo multa illicita admisit, justum est ut multa quoque sibi per sui abnegationem licita subtrahat : et quo pluribus contra Dei voluntatem delectationibus servivit, eo plures jam consolationes vel licitas sibi subtrahat, quo veram pœnitentiam fructusque agat pœnitentiæ dignos. Et quantum se exaltavit quis in delictis, tantum se humiliet in contritione ac pœnitentia. Contra superbiam introducatur humiliatio : contra delectationes corporis, castigatio adhibeatur carnis : ut quanta fuerit culpa, tanta sit et pœna. Et sicut quis membra sua servire exhibuit immunditiæ et iniquitati, ita nunc exhibeat servire justitiæ, in sanctificationem. Scriptum est quoque : *Secundum mensuram delicti erit plagarum modus.* Et in Apocalypsi : *Quantum glorificata est in deliciis anima peccatrix, tantum date illi luctum et tormentum.* Hæc autem perfecta est pœnitentia, ab omni avertere se consolatione quæ est in creatura, et ad Deum toto se corde convertere.

Tertio hoc in loco legimus cœlum apertum, ut vidisse testatur se S. Stephanus : quo subindicatur sanctis martyribus cœlum reserari, liberumque patere ingressum. Nam Augustinus : Qui orat, inquit, pro martyre, injuriam facit martyri. Implevit enim perfectam charitatem, qua nemo, ut ait Christus, habet majorem. Et hæc operit multitudinem peccatorum.

Martyribus sanctis cœlum aperiri. *August.*

Quarto legimus Ezechielem cœlos vidisse apertos, virum religiosum perfectum atque comsummatum. Applicatur autem a majoribus nostris professioni monachorum, quæ est sicut alter baptismus, quo iterum juventutem suam renovat homo, vetustati denuo renuntians peccati. Maxima sunt enim quæ in professione sua ac voto offerunt monachi, seu religiosi : Obedientia, quæ plena est sui abnegatio, holocaustumque Deo acceptissimum. Castitas ad cujus observantiam multa dura, carnique afflictiva, in monachorum regulis ordinantur, puta non lineis uti ad carnem, sed laneis : apud Cartusienses vero cilicio, hoc est, ex pilis contexto hispido indusio : non comedere carnes : abstinere ab aliis multis delicatis : jejunare, nocte media surgere, diu vigilare, genuflexionibus et laboribus denique multis carnem, ne contumax insolescat, domare. Voluntaria paupertas, qua sua omnia ac seipsos relinquunt, nullius rei jus dominiumve (quandoquidem sine usu impossibile est necessariorum vivere) sibi servantes. Hujuscemodi autem professionem, statumve assumere et ex animo ferre, nescio quo sit martyrio inferius. Neque enim non sunt, qui levius ac desideratius semel capitis ferrent truncationem, quam tot tentationum assiduas pugnas, mortificationum agones, passionum ac vitiorum certamina, atque charorum omnium abrenuntiationem. Non igitur eam ob rem inique senserunt, qui monasticam professionem secundum baptismum dixerunt. De hoc S. Bernardus Fratribus de Monte Dei, hoc est, Cartusiensibus scribens : Altissima, inquit, est professio vestra. Cœlos transit, par Angelis est, et angelicæ similis puri-

Professio religiosorum quam apte secundus appelletur baptismus.

Vota tria monastica quæ sint.

Castitati servandæ exercitia congrua quæ.

Cartusianorum afflictiones quo spectent.

Paupertas religiosorum voluntaria quæ sit.

Martyrio comparari statum monasticum.

Bernard. Cartusianorum professio et institutum quam sit sublime et nobile.

tati. Non enim solum novistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem et omnis consummationis finem. Non enim est vestrum circa communia præcepta languere, neque hoc solum attendere, quid præcipiat Deus, sed quid velit : probantes quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta. Aliorum enim est Deo servire : vestrum adhærere. Aliorum est Deum credere, scire, amare, revereri : vestrum est sapere, intelligere, cognoscere et frui. Magnum est hoc, arduum est hoc. Sed omnipotens et bonus est Deus, qui in vobis est pius promissor, fidelis redditor, et indefessus adjutor, qui magno ejus amore magna profitentibus, et in fide et spe gratiæ ejus majora viribus suis aggredientibus, et voluntatem et desiderium suggerit in idipsum, et qui voluntatis gratiam prærogavit, subrogavit etiam virtutem ad proventum. Hæc Bernardus. Sed de hoc satis.

Rom. XII, 2.

Stephano itaque quod Jesum stantem cerneret a dextris virtutis Dei dicente, continuerunt hypocritæ aures suas, quasi blasphemiam tantam audire recusantes : in furorem tumultumque versi omnes, Stephanum ejecerunt extra civitatem lapidantes. Qui in passione sua bis oravit. Primo pro se orans, petivit suscipi a Christo spiritum suum. Deinde iterum oravit pro lapidatoribus suis. Pro se quidem orasse tantum legitur, pro lapidatoribus vero suis inter orandum etiam genua flexit. Quo manifestatur, intentionem dilectionis orandique animum, quam diligentiori studio suis inimicis atque sibiipsi applicuerit. Imitator autem obedientissimus in hac re fuit magistri sui, a quo pro inimicis orandi sumpsit exemplum, idipsum nobis quoque relinquens ut imitemur. Quocirca, charissimi, diligamus inimicos nostros, benefaciamus his, qui oderunt nos : oremus pro calumniantibus et persequentibus nos. Et quamvis in mandatis Dei Augustinus nil dicat esse mirabilius dilectione inimicorum, non tamen adeo est grave aut molestum quin possit impleri.

Oratio S. Stephani quo spectet.

Sunt autem octo, quæ si attendantur, etiam facilitatem in hac dilectione præbent. Primum status miser, in quo constitutus est, qui te odit aut persequitur. Cui revera condolendum est, non invidendum. Est enim in se mortuus. Quid vero tu irasceris mortuo ? Dedecet prorsus vindictam expetere a mortuo aut ab insano. Secundum, est utilitas injuriæ illatæ. Nam juxta illud Ecclesiastici : *Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio erit jucunditatis.* Nihil enim tibi aliud inimicus fabricat, nisi coronam et mercedem coram Deo. Tertium, quod inimicorum persecutio tibi fructuosior est, quam dilectio amicorum. Habere enim persecutores, facit te prudentem, vigilem humilemque : cum e diverso amicorum dilectio extollat, blandiatur, fallat, atque non raro tibi imponat. Confert deinde ad vulnerum tuorum sanationem non parum. Unde Augustinus ait : Ad dilectionem inimicorum vos moneo, quia ad sananda peccatorum vulnera nullum medicamentum utilius esse cognosco. Christus quoque utilitatem dilectionis hujus non tacens, dicit : *Diligite inimicos vestros, et erit merces vestra magna.* Quartum, quod hæc dilectio inimicorum nos non solum Dei facit amicos, sed etiam filios. Ideo Christus ait : *Diligite inimicos vestros, et eritis filii Altissimi.* Quintum, quod hæc dilectio vehementer nos conformes reddit Deo. Quid enim divinæ est bonitati conformius quam inimicis, indignis atque lædentibus esse benignum atque placabilem ? Sextum, quod dilectio tua in eo qui tibi inimicatur, inimicitias destruit, odium exstinguit, in illoque odii vulnus magis quam quodvis aliud remedium sanat. Quapropter hortatur Paulus : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi. Sic enim faciens carbones ignitos congeres super caput ejus.* Septimum, quod inimico non potes reddere malum aut nocere, quin tibi magis noceas. Malitia enim ante lædit suum auctorem, quam eum cui intentatur. Sæpenumero quoque aliena malitia eum, qui

hanc tolerat, minime lædit, vel quia patiens est, vel quia contemnit : eum autem qui agit, non potest non lædere. Non igitur malum reddas pro malo, sed in bono vince malum. Octavum, quod tranquillitatem cordis, pacem conscientiæ, lætitiam spiritus, qua nihil dulcius, diligendo inimicum, servas. Debet autem inimicus diligi communi charitate, qua diligit quis omnem proximum. Porro, singulari motu dilectionis illum diligere, non est necessitatis : habere tamen animum debet quis paratum, si occurrerit necessitas, ut singulari etiam velit motu dilectionis illi favere aut subvenire. Itaque inimicus tuus abs te diligendus est corde, ut non optes ei malum, sed optes ei salutem æternam, eaque quæ ad hanc sunt necessaria, et faveas omnem prosperitatem, quæ illi expedit ad salutem. Iterum inimicus diligendus est ore, ne illi detrahas, ne diffames, ne ore lædas, derideas, aut contumeliam facias, sed pro illius ores salute. Tertio, diligendus est opere, ut caveas illum lædere, contristare, molestus illi esse, omniaque membra tua contineas ac sensus, ne quid ex te prodeat, quod tuo fuerit inimico injuriosum, aut ei ad afflictionem sive animi sive corporis cedat. A beneficiis præterea generalibus non licet illum tibi excludere aut separare, sed illi debes, quod omnibus debes.

Opere.

Beneficio.

Postremo, quum sanctus Stephanus pro inimicis orasset, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum, obdormivit in Domino. Sic vos quoque, filii, ad avaritiam, ad æstum luxuriæ, ad superbiæ fastum, ad iræ odiique faces obdormiatis, non aliter quam in Domino, ut nihil eorum in vobis vivat, optantibus sanctimoniam servare et pacem, et ad omnes charitatem in Christo Jesu Domino nostro, qui est in secula benedictus, Amen.

Obdormiendum quomodo mystice sit in Domino.

IN SOLEMNITATE

SANCTI JOANNIS

APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

QUI timet Deum, faciet bona : et qui continens est justitiæ, apprehendet illam : et obviabit illi quasi mater honorificata. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo, et non flectetur, et continebit illum, et non confundetur : et exaltabit illum apud proximos suos. In medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et implebit illum spiritu sapientiæ et intellectus, et stola gloriæ induet illum. Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum Dominus Deus noster. *Eccli. XV.*

Prov. IX, 10. *Eccli.* XL, 28.

CUM *initium* sit *sapientiæ timor Domini :* sitque quod Ecclesiasticus habet, is ut paradisus benedictionis, corona justitiæ, plenitudoque sapientiæ, recte sanctissimus Apostolus et Evangelista hic a timore laudatur Dei : non tamen a quovis timore, sed filiali ac sancto, quo filius suum, quem amat, patrem timet offendere, timet iratum reddere, timetque aliquid de ejus voluntate negligere. Est enim multiplex timor non æque laudandus. Nam timor quidem est servilis, qui peccare metuit ac cavet, solo timore pœnæ retractus, non virtutis neque Dei amore. Hic ad salutem non sufficit, hic timor nec aliter laudatur, nisi quod ad conversionem aliquo modo disponit et ad vitanda assuefacit peccata. Stat enim hic timor cum peccato mortali. Hoc timore mulier metuit adultera alienum admittere virum, timens deprehendi a suo marito. De hoc tamen timore Hugo loquens, ita hortatur : Si amor Dei te tenere non potest, saltem te teneat ac terreat timor judicii, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulphur fœtens, flamma tartarea, et omnia mala. Alius est timor humanus, quo malum ne despiciatur, ne displiceat, nec objurgetur, aut ne temporale quid amittat propter homines tantum vitatur. Hic timor peccandi difficultatem afferre potest, peccandi voluntatem auferre non potest. Si tamen quis timeat hominem juxta illud quod sibi propter Deum est timendus, puta superior, cui obedire debet, aut proximus, cujus offensionem atque tristitiam cavere debet, ne hominem offendendo, Deum offendat : hujusmodi timor non humanus, sed Dei vocatur timor. Est tertius timor carnalis, quo sibi quis timet, utpote molesta aut gravia, atque sibi contraria horrens. Hic timor quando vitiosa cavet ac animæ noxia, bonus est ; quando salutaria, perniciosus. Quartus timor filialis, sanctus, castus ac reverentialis est erga Deum, permanens non solum in cha-

Timor servilis quis dicatur.

Hugo.

ritate, sed etiam in seculum seculi. De hoc hodie loquitur lectio hæc Ecclesiastici dicens : *Qui timet Deum, faciet bona.* Otiosus enim hic timor non est, sed culpam declinat, Deique offensam, bona agens. Qui enim Deum timet, nihil negligit. Et qui tenax seu continens est justitiæ apprehendet ac assequetur illam. Similis est loquendi modus, ut illud in Evangelio : v,6. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Ita qui tenax est justitiæ, majorem assequetur justitiam, ut justus justificetur adhuc. Hujusmodi enim justitiam quærenti obviabit justitia, quasi mater filio suo obviat honorificata. Quo enim magis justitiam et virtutem amat atque honorat, eo magis copiosiorque ei advenit, illumque amplectitur justitia. Cibabit illum pane vitæ, qui est Dei gratia, unde ut vivat spiritu, habet homo. Et intellectus Sacræ Scripturæ, qui simili iv, 4. modo panis est, quia *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Et aqua sapientiæ salutaris, puta consolatione ac donis, quæ de Spiritu Sancto emanant, potabit illum. De hac aqua loquitur Dominus Jesus, quando di- . iv, cit : *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in* vii, *vitam æternam.* Et alio loco : *Flumina fluent de ventre ejus aquæ vivæ.* Ubi Evangelista idem Joannes hoc exponens, ait : *Hoc autem dixit de Spiritu, quem erant accepturi credentes in eum.* Ita qui timet Deum, in eo roborabitur, nec passione concupiscentiave aliqua vitiosa a rectitudine deflectetur, ita ut pereat, sed Deus continebit eum ac conservabit, ut non patiatur ignominiam, nec confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta ; hoc est, quando vitæ hujus portam egredi, et inimicis suis accusatoribus respondere habuerit in morte aut in ultimo judicio, non confutabitur, sed Dominus exaltabit illum, glorificabitque coram proximis suis, et amicum commonstrabit. Interim autem Deus os ejus in medio Ecclesiæ aperiet, quandoquidem dabit ei os et sapientiam ad docendum et ad convincendos eos, qui sanæ audent doctrinæ resistere : implebit enim eum Spiritu sapientiæ et intellectus. Et stola gloriæ vesteque immortalitatis induet eum. Jucunditatem mentis et conscientiæ (*secura enim mens quasi juge convivium*) et cordis exultationem thesaurizabit, hoc est, tanquam thesaurum cumulabit super eum quem præcipue tunc tanquam thesaurum inveniet congregatum, cum vivendi finis advenerit : quando scilicet sua in conscientia nihil nisi Dei bona, gratiam et virtutes, quæ illi Deus in merita et in thesaurum donavit, atque eadem illi imputans tunc coronabit. Denique nomen æternum hæreditabit : quandoquidem *in memoria æterna erit justus :* et corpora quidem sanctorum licet in pace sepulta sint, vivent tamen nomina eorum in seculum seculi. Itaque nomen quod nunquam peribit, puta quod vocetur, sit agnoscaturque ab omnibus filius Dei, hæreditabit illum, hoc est, in hæreditatem perpetuam illi assignabit Dominus Deus noster.

Prov. xv, 15.

Ps. cxi, 6.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, JOANNIS XXI.

ANTEQUAM ea quæ hoc die loco Evangelii in Ecclesia recitantur verba Simoni Petro diceret Dominus noster Jesus Christus, scribit Joannes post resurrectionis Dominicæ octavum diem abiisse Petrum cum sex aliis discipulis piscatum : sed nocte illa nihil ceperunt. *Mane autem facto, stetit Jesus in littore, dicens : Pueri,*

Joann. xxi, 4-6.

numquid pulmentarium habetis? Qui responderunt : Non. Mittite, inquit illis, *ad dexteram navigii rete, et invenietis.* Quo facto, tantam ceperunt piscium multitudinem, ut rete vix possent trahere præ multitudine piscium. Venientes autem ad littus, invenerunt in terra prunas, piscemque superpositum et panem. Quibus Dominus : *Venite,* inquit, *et prandete.* Cum igitur fuissent pransi, ter interrogavit Dominus Petrum, an se, id est, Christum diligeret. Cui tertio respondenti : *Etiam Domine, tu scis quia amo te,* commisit oves suas, constituens eum universæ Ecclesiæ pastorem, prædicensque illi passionem suam, qua Deum esset clarificaturus. His itaque gestis, surgens Dominus quasi abiturus de loco prandii quæ hodiernum narrat Evangelium :

Joann. XXI, 12.

Ibid. 16.

Petrus constituitur in pastorem universalis Ecclesiæ.

Dixit Jesus Simoni Petro : Sequere me.

Mirum quibusdam videtur, cur soli hic dixerit Petro : Sequere me, cum tamen alii sex discipuli similiter Christum ut magistrum sequerentur : nec solus Petrus, sed christianus etiam unusquisque verus Christum sequatur oportet, quia Christum sibi audit dicentem : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me.* Dicendum primo, Christum soli Petro tanquam principi atque capiti Ecclesiæ post se atque vicario instituto, dixisse : Sequere me, quo in illo omnes moneret christianos se debere sequi, atque sua vestigia imitari. Constituerat enim Petrum (ut dixi) ovium suarum omnium pastorem, quem ut doceret quoque qua oves sibi commendatas via duceret, quove introducere conaretur, jubet illum Christus se sequi, hoc est, post se gradi, ipsius vestigia imitando, jubet quoque oves per eamdem viam ducere dicens : Sequere me, tu scilicet, et quas tibi commisi oves, per vestigia mea (sicut me vidisti ambulantem) ut ambulent, instrue, duc et dirige. Alio modo de passione hoc credit intelligendum Augustinus. Nam quod paulo ante dixerat : *Cum autem senueris alius te cinget, et ducet te quo tu non vis,* subaudi juxta naturalem sensitivum appetitum, dictum voluit de passione. Quod etiam aliis nonnullis qui præsentes erant accidit, qui propter Christum ducti sunt ad martyrium et ad mortem. Quod vero soli hic dixit Petro : Sequere me, non solum ei passionem, sed passionis et mortis suæ quoque similitudinem denuntiat. Siquidem quomodo Christus, ita etiam est Petrus crucifixus. Jacobus vero aut alii qui aderant, etsi pro Christo sint mortui, non sunt tamen crucifixi. Huic intellectui, puta ut per sequelam passio intelligatur, adstipulantur verba Christi, quando cœna facta, Petro præsumenti se iturum cum eo in carcerem, atque illi commoriturum, dixit : *Quo ego vado, non potes me sequi modo,* hoc est, jam non commorieris mihi, *sequeris autem postea,* id est, tempore alio adhuc futuro, per passionem mortis me sequeris, non solum passione, sed etiam mortis similitudine. Tertio quidam hæc verba intelligunt de prædicatione et regimine Ecclesiæ, ac si Petro diceret : Sequere me, hoc est, ego pro me te vicarium substituo, ut post me meas gerens vices, præsis Ecclesiæ, et in prædicationis regiminisque animarum officio sis mihi successor. Quapropter Theophylactus : Sequere me, inquit, qui educo te ad prædicationem, et totum orbem terrarum in manus tuas trado.

Cur Petro soli dixerit Christus : Sequere me.

Matth. XVI, 24.

Conversus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit : Domine, quis est qui tradet te?

Quando de seipso loquitur Joannes Evangelista, non aliter se describit, quam discipulum illum, quem diligebat Jesus. Quo dubium non est, singularia illum dilectionis signa a Christo præ cæteris accepisse. Non autem hoc ita intelligendum est, ut hoc dixerit Joannes quasi gloriando in hoc, quod majori illum amore, quam cæ-

teros dilexerit Christus, tanquam meliorem, aut Christi dilectione digniorem se æstimaverit, quia non est dictum quod Joannem diligebat ita Christus, quasi Joanni plus gratiæ gratum facientis Dominus, quam aliorum cuipiam dedisset. Neque enim de illa dilectione loquitur Joannes, quæ est vestis nuptialis, puta charitas seu gratia Dei, cui in futura vita præmium respondebit essentiale, sed loquitur de familiari illa dilectione, qua se illi Christus exhibuit amicabiliorem, quam cæteris. Nam Apostolorum quis in charitate fuerit major, aut apud Christum nunc beatior, soli constat illi, qui ponderator est spirituum. Nos utrumque scimus a Christo dilectum, Joannem scilicet et Petrum, et a Christo utrumque honoratum. Siquidem Joanni commendavit Matrem suam, Petro commisit Ecclesiam. Scimus quoque omnes Christo Apostolos et discipulos dilectos. Verumtamen si quæratur, an Christus plus dilexerit Joannem quam Petrum, dicendum erit illud Sapientis: *Ego diligentes me diligo.* Unde sequi necesse est, Dominum se plus diligentes plus etiam diligere. Petrum vero constat ex interrogatione Christi, plus aliis dilexisse Christum. Neque enim Petrum Christus interrogasset : *Simon Joannis, diligis me plus his?* nisi ita quomodo interrogavit, fuisset. Quo nomine non potest negari Petrum plus aliis dilexisse Christum. Qui sicut plus dilexit Christum ita juxta regulam aliam, plus etiam dilectum credamus a Christo oportet. E diverso quoque, quandoquidem Joannes se ubique nominat discipulum, quem diligebat Jesus, necessario etiam sequatur necesse est, Joannem singulariter præ aliis dilectum a Christo. Nisi enim ita fuisset, haudquaquam Joannes hæc diceret.

Inter hæc dicendum est, juxta mentem S. Thomæ, triplicem esse dilectionis differentiam. Prima in familiaritatis exhibitione sita est. Hoc modo plus Joannem Christus dilexit quam Petrum. Secunda, ex collatione donorum dicenda est : et hoc modo Petrum magis dilexisse Christus credendus est, cui Ecclesiam commisit, et regni cœlorum tradidit claves. Tertia, pensatur ex præcordiali ejus amore : hoc modo omnes dilexit. *Cum dilexisset,* ait Joannes, *suos,* *usque ad mortem dilexit eos.* Ad objectiones vero diluendas supra positas, dicendum quia Petrus Dominum dilexit ferventius, et a Domino diligebatur fortius : Joannes vero amabat dulcius, et amabatur familiarius. Potest quoque dici, quia majorem in externa exhibitione dilectionem, blandioremque solemus præferre erga juvenes, erga mites, erga eos qui mansueta habent naturalia, erga senes et erga castas virgines. Idcirco hoc modo familiariori blandiorique dilectione exhibuit erga Joannem se Dominus Jesus : erant enim ferme hæc omnia in Joanne. Fuit enim teneræ ætatis, utpote omnium natu minor (ut creditur) unius et viginti annorum. Secundo, quia a carnis se continuit deliciis, Christi amore. Putatur enim fuisse sponsus in Cana Galilææ, cujus Christus interfuit nuptiis. Tertio, purissimus virgo fuit. Cui adstipulatur S. Hieronymus, dicens : Hic est Joannes Evangelista, qui virgo est a Deo electus, quem nubere volentem, vocavit a nuptiis Deus. Inde igitur magis sibi amicum fecit Christum, juxta illud Proverbii : *Qui cordis diligit munditiam, habebit amicum regem.* Et illud Sapientiæ : *Incorruptio facit proximum Deo.* Major enim (ut Patrum est sententia) virtus est castitatem servare, quam dæmones expellere. Damascenus quoque : Quanto, inquit, angelus homine est superior, tanto virginalis castitas nuptiis est honorabilior. Quarto mansuetissimam habuit naturam utpote mitissimus et amabilis. Non tamen est tacendum, quod in hoc quod Joannem Christus dilexisse dicitur, minime derogatur cæteris discipulis, quia et quibusque sanctissimis et dilectissimis sæpenumero nequaquam major exhibetur dilectionis familiaritas aut blandities, propterea quod de amicitia securi non hæsitant, nec familiaritate uberiori indigent. Nam Matri suæ

Joann. XIII, 1.

Hieron.

Prov. XXII, 11.

Sap. VI, 20.

Virginum excellentia quanta.

Damascen.

multo omnium dilectissimæ Christum minime legimus familiariter multum aut blande locutum, quamvis de ejus maxima dilectione erga illum dubitet nemo. Adeo namque maturus, ubicumque Matri aut ei illa loquitur, invenitur, ut ferme suspectus de duritia haberi possit, cum tamem Mariæ Magdalenæ magnam dilectionis exhibuerit familiaritatem, puta dum lacrymis ejus lavantem pedes laudat : dum coram sorore Martha causante, quod se solam reliquerat ministrantem, illam excusat : dum Lazarum ejus fratrem resuscitabat mortuum, et cum plorante plorabat : dum super caput suum illam unguentum effundentem, ab Apostolis murmurantibus defendit, et dum in horto non invento ejus corpore in monumento se quærenti apparuit. Sequitur : Conversus Petrus, hoc est, retrospiciens, quis illum sequeretur, vidit discipulum, quem diligebat Jesus quoque sequentem. Christo enim dicente Petro : Sequere me, continuo corporaliter sequebatur Christum Petrus. Petrum vero sequebatur Joannes, cum quo præcipua illi semper fuit consuetudo. Secundum Augustinum neuter illorum intelligebat cur dixerit Jesus : Sequere me. Sed quid huc attinet, inquis, quod Joannes hic seipsum describens, meminerit quod in cœna super Domini pectus recubuerit, et innuente sibi Petro Dominum interrogaverit, dicens : *Domine quis est qui tradet te?* Cur hanc rem hoc loco inserit ? Sed respondens Chrysostomus : Non ab re factum est, inquit, sed ut ostendat Petri post negationem fiduciam. Qui enim tunc non est ausus (puta in cœna) Jesum interrogare, sed id muneris alteri delegarat : hic commissa sibi fratrum cura, non modo alteri vicem suam non mandat, sed et ipse magistrum pro Joanne interrogat : et Joannes quidem tacet, ipse autem loquitur. Præterea et suam in eum manifestat dilectionem. Diligebat enim mirum in modum Joannem Petrus.

Amor S. Petri erga S. Joannem quantus fuerit.

Hunc ergo cum vidisset Petrus dixit Jesu : Domine, hic autem quid ? Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere, donec veniam. Quid ad te ? Tu me sequere.

Dilexerat Petrus Joannem, et nunc quoque diligere non desiit. Cum itaque Christum loquentem audisset de sua passione, qua Christum esset secuturus, videns Joannem quoque sequi, interrogat Dominum, cupiens scire, quo fine ille ex hac esset vita migraturus, et an vitam quoque ipse foret posturus pro Christo. Erat autem Petrus ad interrogandum velocior, diligens illum, et non libenter ab eo volens dividi. Sæpenumero enim se sociaverant, ut ex Evangelistis liquet, et ex Actis Apostolorum. Respondit ei Jesus, ita tamen, ut nihil ex ejus disceret responsione, sed magis dubitaret. Voluit enim Petrum compescere, qui in hujusmodi interrogationes ferventius solebat prosilire, nosque simul erudire, nihil curiosius præter divinam voluntatem investigandum. Quasi enim Petro diceret, ait Dominus : Quid ad te pertinet scire, quid ego illi providerim ? Tuum non est ultra, quam ad te pertinet, quantumvis illum diligas, percontari. Sic eum volo manere. Aut, ut quidam legunt : Si eum volo manere, quid ad te ? Tu me sequere.

Exiit ergo sermo iste inter fratres, quod discipulus ille non moritur. Et non dixit Jesus : Non moritur ; sed : Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te ?

Ex his Christi verbis ambiguus mox ortus est intellectus. Nam et discipuli hæc verba ita intellexerunt, quasi Dominus dixisset, Joannem usque ad finem mundi victurum, quando denuo veniret Dominus ad judicium, cujus secundi adventus sæpe Scriptura meminit. Verumtamen Joannes ipse hoc Evangelium scribens, huic contradicit opinioni, asseveratque a Christo non dictum, se non moriturum, sed man-

surum, donec veniat. Quamobrem de Joanne multiplex fuit opinio, cur illum aut quomodo Dominus manere voluerit. Fuerunt enim quidam (ut Augustinus refert) qui tradunt eum non mortuum, sed sub terra dormientem vivere. Ad quod credendum illos movet, quod legitur post longam senectutem sano et vegeto corpore sepulchrum intrasse, nec ejus interim inveniri corpus, nisi quod scaturigo ibi invenitur pulveris, atque ebullitio terræ : quod ex flatu quidam putant ita venire dormientis. Hi circa finem mundi credunt illum a somno excitandum, atque pro Christo passurum. Verum, hoc credendum facile non est, quia verisimile non est dilectiorem discipulum tanto tempore a gloria differri usque ad diem puta judicii, nec alio honore aut gaudio, quam somni quiete perfrui, quum interim minores alii sancti æterna fruantur beatitudine secundum animam. Sunt alii, qui putant Joannem translatum in paradisum, et cum Henoch et Elia tempore Antichristi rediturum, atque passurum. Verum huic contradicit opinioni Apocalypsis ejusdem Joannis, ubi de duobus tantum narrat testibus, amicis suis, quos contra Antichristum mittet Deus in
XI, hunc mundum : *Dabo,* inquit, *duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* His si Joannes additus fuisset tertius, non tacuisset idem Apostolus. Hieronymus nihil ambigit, quin Joannes fuerit mortuus : quandoquidem in sepulchrum suum ipse Joannes ultro descenderit, interim tam ab omni dolore mortis, quam a carnis corruptione alienus. Verum quo Deus ejus corpus absconderit, quidve cum illo operatus sit, eidem cui omnia arcana nota sunt, committit. Tertia opinio omnium est verisimilior, quod Joannes mortis sibi adesse sentiens tempus, juxta Dominicam revelationem sibi factam (id enim omnibus fecisse Apostolis creditur, quod in cœna ultima eis videtur promisisse, se scilicet ante mortem visitaturum et ad se accepturum eos, quando dixit: *Cum abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam ad vos, et accipiam vos ad meipsum : et ubi ego sum, et vos sitis*), non languorem sensit, non lecto decubuit, sed in foveam descendens, leniter ad modum obdormientis tradidit spiritum. Unde sicut Beatissimæ suæ Matri propter mortis dolorem, quem sub cruce ipsius stans pertulit, dolorem mortis sustulit, ita creditur ex singulari privilegio Joanni dilectissimo suo discipulo, et Beatissimæ Virginis custodi, æque sub cruce tempore passionis suæ in amarissimis doloribus stanti, concessisse, ut moreretur quidem ipse, tamen a dolore mortis liber, et virginea ejus caro a corruptione maneret singulari prærogativa immunis, quantociusque corpore et anima assumeretur in cœlum. Siquidem in ejus sepulchro nihil aliud est inventum, quam manna resudans. Magnum et singulare est hoc. Verum, si Joannis integritas, virginitas, sinceritas, charitas, mansuetudo, laborumque et vitæ diuturnitas atque sanctitas singularis attendatur, mirum non videbitur, ut tantus Apostolus, quem Dominus prædixerat, donec veniat, mansurum, absque passione aut supplicio, quomodo alii Apostoli sunt mortui, mortuum quidem, sed corpore et anima mox rursus glorificatum.

Joann. XIV, 3.

S. Joannes Evang. quo pacto mortuus fuerit.

S. Joannes ut corpore et anima sit glorificatus.

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc. Et scimus, quia verum est testimonium ejus.

Evangelistarum ultimus post alios omnes, Evangelium scripsit beatus Joannes, cujus divinæ doctrinæ testem seipsum, imo et veritatem subscripsit, asserens veritate hæc omnia esse vallata, atque super ipsa veritate fundata. Scripsit autem sub Nerva Imperatore, circa annum sexagesimum quintum ab Ascensione Domini, rogatus ab Episcopis Asiæ, ut propter insurgentes hæreses circa divinitatem Christi, scriberet Evangelium, quod divinitatem enuntiaret Christi. Triduano igitur jejunio

S. Ioannes quando scripserit suum Evangelium.

indicto, et cunctis pro eo orantibus, scripsit hoc Evangelium suum, unde hæc legimus, quod tam sublimiter est exorsus, ut humano vix possit capi intellectu. Fuit autem scribentis cura et studium, ut quod alii Evangelistæ satis dixissent, ipse præteriens taceret : quod illi tacuissent, ipse referaret. Scivit autem tum per experientiam, tum per divinam revelationem, tum per alia argumenta se non deceptum, sed Deo hæc omnia inspirante scripsisse. Postremo Evangelii sui veritatem per magna miracula, soli Deo possibilia, per nomen Jesu adstruxit. Quæ nos quoque legentes discimus Deum testimonium perhibuisse veritati Evangelii S. Joannis. Quomodo enim Asiam convertisset aliter, nisi Evangelii prædicasset veritatem ? Cujus utique prædicationem Deus miraculis et signis suam esse atque evangelicam comprobavit. Nos igitur his credentes Christum diligamus, Christum confiteamur, Christum imitemur, ejusque Apostolum Joannem, quem nunc in æterna sua fovet gloria, Deus in personis trinus atque natura unus, ab omni creatura perpetuo benedictus, Amen.

S. Joannis scribentis Evangelium quænam cura fuerit.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

UT CHRISTUM JESUM PER ADVERSA ET PROSPERA CONSTANTER SEQUI DEBEAMUS : ET DE QUIBUSDAM EXIMIIS DONIS SANCTO JOANNI DIVINITUS COLLATIS.

DIXIT *Jesus Simoni Petro : Sequere me.* Joannis XXI, 19.

Christus cur in mundum venerit.

Dominus noster Jesus Christus, qui ut nos oves errantes ad ovile nostrum, puta cœlestem paradisum reduceret (procul enim ab Jerusalem patria nostra recesseramus in Jericho), humanam assumpserat naturam, multis modis adhortari non destitit humanum genus, ut relictis illis, quæ ab æterna excluderent vita, id est, vitiis, pœnitentiam agerent, et ad veras excolendas virtutes, quibus vita obtinetur æterna, sese conferrent. Ea enim sola ex causa venerat in hunc mundum ut nos ad amissam beatitudinem revocaret. Itaque et verbis nos abundantissime instruxit, et præterea etiam exemplis animavit. Parum enim erat immensæ illius charitati legem nobis præscribere, quam servaremus, parum itidem iter ostendere quo pergeremus, nisi etiam ipse se itineris ducem nobis præberet. Hac de causa quanta fecerit, quanta perpessus sit, omnes Evangelii paginæ loquuntur. Nimirum id præcipuum illius desiderium, cura, studium fuit semper, ut quibuscumque posset rationibus ad rectam nos reduceret viam, a qua nos nimium aberrasse non erat nescius, atque ab indignissima dæmonum et vitiorum servitute abstractos et liberatos, in libertatem filiorum Dei nos restitueret. Sæpius igitur monet nos, ut se sequamur. Cur hoc ? Ipse est enim via : et nemo venit ad Patrem nisi per ipsum. Et ne fortassis per devia erraremus nesciremusque quo sit pergendum itinere, in seipso nobis omnigenarum expressit virtutum exempla, quibus si inhærere velimus, non possimus unquam duci in errorem, aut aberrare a vera salute, ad quam, ut diximus, nos revocare maximopere voluit. Inspicienda ergo nobis est vita illius, et qua eam ratione transegerit considerandum, ut quæ eum sectatum fuisse perspexerimus, nobis quoque imitanda, quæ vero fugisse, cavenda ac fugienda sciamus. Eo namque hortantur nos ea quoque verba quæ jam paulo superius recitavimus, quibus ait ad Simonem Petrum, atque adeo etiam ad unumquemlibet e religione christianum : *Sequere me :* tanquam diceret : *Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci, ita et*

vos faciatis. Hoc est enim sequi Christum, ejus vitam imitari. Ab hac Christi imitatione nemo exceptus est. Atque eam ob rem, ut nemo se posset excusare, tanquam humanas excedat vires, sequi Dominum Salvatorem, idem ipse usque adeo vitam suam in omnibus temperavit, ut quisquis bona saltem voluntate prædictus est, facile illi se possit conformare, in illis præsertim, quæ ad obtinendam salutem sunt necessaria.

Quod idcirco dixerim, quod quædam eum gessisse constat, quæ tamen nolit exigere ab omnibus, cujusmodi est, quod omnino pauper vixit in hoc mundo, atque id genus alia, quæ magis in consilio esse voluit quam præcepto, humanæ scilicet condescendens infirmitati : interim nihilominus in seipso perfectionis nobis exempla præbens, ut sciamus quæ sit voluntas Dei non solum bona, quæ est omnibus necessaria, aut beneplacens, quæ ad proficientes pertinet, sed etiam perfecta, quam nonnisi absolutæ virtutis, id est, perfecti homines sectantur et inquirunt. Porro quod in omnibus semper mundi rerumque labentium contemptum, quod profundam humilitatem, admirandam mansuetudinem, promptissimam nedum erga Deum Patrem, sed etiam erga Matrem sanctissimam et beatum patriarcham Josephum, atque etiam alios homines obedientiam, itemque fidissimam charitatem, benevolentiam, fidem, patientiam multasque alias virtutes præ se tulit, id nimirum omnibus in commune proposuit imitandum. Hæ sunt enim veræ virtutes, sine quibus nemini patet aditus ad regna cœlorum : et de his intelligi debet, quod ait : Sequere me. Videat jam unusquilibet vitam illius, et quibus ea fulserit virtutibus, easque in se exprimere curet. Nec frangatur animo, si quædam, præsertim in initio sese offerat difficultas, sed de Dei sui ope ac pietate securus perseveret in hoc tam salutari proposito, et paulatim eo pertinget, ut quod prius durum ac molestum experiebatur, postea jucundum ac suave sentiat. Non enim potest mentiri veritas, quæ ait : Jugum meum suave est, et onus meum leve. Verum non deerunt, qui in partem diversam studiaque plane contraria, Christum sequi instituentem illicere ac pertrahere conentur. Habemus enim omnes et singuli tres hostes capitales, qui noctes atque dies magna importunitate ad suas partes nos inflectere, et a Christi imitatione abducere moliuntur. Hostes isti caro sunt, et mundus ac diabolus. Hostes revera perniciales, et qui innumeros traxerint in tartara. Caro quidem suis nos nititur irretire voluptatibus, fœdisque concupiscentiis : mundus ostentat et ingerit obtutibus nostris quæ avare ambiamus : diabolus animum quodam tumore ac elatione inflat, nec sinit nos humilem Christum per placidissima humilitatis itinera sequi. Ita jam habemus hic concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ : quæ ut sunt vitiorum omnium radices, ita perpetuo sese nobis ingerunt, et velut in animos nostros irrepere nituntur, hac utique sententia, ut Christum ejusque gratiam a nobis excludant. Quod quia non latuit piissimum animarum nostrarum medicum, ne horum præstigiis et fallaciis seduceremur, jussit ut se potius sequamur, certus videlicet nullam esse efficaciorem iis resistendi eaque superandi rationem, quam si ipsius vestigiis inhæreamus. Itaque si blanditur caro, et suis nos oblectamentis illaqueare tentat, mox vertendus est animus ad exempla Christi Jesu consideranda, ut videamus, quam ille semper carnem suam licet innocentissimam multis afflixerit modis, puta jejuniis etiam diuturnis, precibus admodum prolixis, laboribus, fatigationibus, fame, siti, frigore, æstu, nuditate (nam semper caput ac pedes nudus incessit), aliisque similibus, atque ex his si non omnia, saltem quædam etiam nos ad edomandam carnis petulantiam assumamus. Absit enim, ut quisque ita sit stolidus, ut putet absque ullo labore vel dolore posse se carnis vitia superare.

Hostes animæ capitales tres quinam sint.

Radices vitiorum omnium quæ sint.

Carni hosti quomodo resistendum sit.

Mundus hostis quomodo vincendus.

Porro si mundus vanis suis promissis

evertere nos conetur, opesque nobis et amplas possessiones fallaciter ingerat, itidem ad Christum, tanquam efficacissimum adversum quævis venena antidotum, mentis oculi referendi sunt, ut inspiciamus, quantopere omnes vitæ temporariæ etiam necessarias facultates ipse spreverit, adeo ut nec tantillum quidem ex rebus præsentibus commodi habere consenserit, ubi caput suum reclinaret. Quare dubium non est, quin mundi hujus bona maxime contemnenda declarare voluerit. Demum si damnatus ille malorum spirituum cœtus animi fastu ac superbia nos inflare moliatur, ut ambiamus honores et pompas vitæ labentis ac momentaneæ, rursum ad Christum Jesum spectandum animi obtutus intendendi sunt, ut religiose ac sedulo intueamur, ut ipse olim cum se sciret rapiendum a populo ad regni fastigia, plane refugerit, seseque occultarit, totoque vitæ suæ spatio semper abjectissimus et despectissimus vixerit, ut sua humilitate et nos fidissime instrueret, et dæmonem superbissimum prorsus elideret ac confutaret. Ita semper in Christo Jesu tanquam optimo ac præclarissimo duce efficacissima inveniemus adversus quævis vitia, in quæ nos jam memorati hostes pellicere velint, remedia, si tantum non recusemus oculis cordis ejus exempla fideliter ac studiose intueri, et imitanda suscipere.

Dæmon hostis quomodo superandus.

Cur enim alioqui nos sequi se juberet, nisi ipse probe nosset, in sua vita, tanquam in speculo clarissimo omnigenas relucere virtutes, quibus nos contra omne vitiorum genus, qualia ea sint, communire queamus? Unde maximopere dolendum, et omni lacrymarum fonte plangendum est ab omnium fere christianorum cordibus, eorum quæ idem ipse benignissimus Salvator noster propter nos assumpsit, fecit et perpessus est, memoriam ita prorsus exclusam, ut nihil minus libeat, quam eorum vel tenuiter meminisse. Et tamen ipse Dominus sciens ex quanta, quamque incomprehensibili charitate et misericordia talia egisset ac pertulisset, quantus item ad nos ex grata et pia illorum recordatione redeat fructus et utilitas, præcellentissimo sui corporis et sanguinis sacramentum instituit, nobisque conficiendum et sumendum dereliquit, in sui, ut ipse ait, commemorationem, ut scilicet immensæ charitatis, ærumnosæ vitæ, acerbæ passionis, et ignominiosissimæ mortis ipsius perpetim memores essemus, atque quotidianus tanti sacramenti usus et aspectus horum nobis memoriam jugiter refricaret: ex ipsa autem frequenti et sedula eorum commemoratione primo quidem videremus atque perspiceremus, quænam eligenda, quæve fugienda sint, deinde etiam ad ea sive amplectenda, sive respuenda accenderemur. Hoc enim præstat devota et frequens vitæ et passionis Christi commemoratio, ut non solum quid vitium, quid virtus sit, inde perspicue intelligamus; verumetiam paulatim magis ac magis vitiorum odio et virtutum amore inflammemur, atque adeo etiam ad omnem divinam capessendam gratiam apti ac habiles reddamur. Nec poterit unquam præstare id quod Christus hortatur et jubet, dum ut se sequamur præcipit, quisquis illius vitæ et passionis vitam ducit immemorem. Quomodo enim sequeris illum, cujus non habes ullam certam notitiam? Quomodo vero illum nosse queas, cujus res gestas ac vitæ ordinem, itemque exempla et vestigia contueri, et explorata habere non curas? Ergo ut idonei simus sectatores Christi, non nos pigeat identidem animo et cogitatione complecti ea, quæ ipse propter nos agere ac perpeti non est dedignatus. Et ut libentius his commemorandis operam demus, quando ita se offert occasio, placet hoc loco novem recensere haud vulgares utilitates, quas Dominus Jesus cuidam amico suo per revelationem indicavit assequi eum, qui ejus passionem subinde ad memoriam revocet. Prima utilitas est, quod hoc ipso ab omnibus repurgatur, et quidquid neglexit, Christi meritis resarcitur atque restituitur. Secunda, quod adversum hostes suos usque adeo corroboratur, ut

Tempus hujus seculi christianorum quanto lacrymarum fonte plangendum.

eum superare non possint. Tertia, quod vires accipit ad quaslibet colendas virtutes, et quævis bona exequenda opera. Quarta, quod quamlibet brevi temporis spatio in ea commemoranda sese occupet, semper anima illius in Dei gratia renovatur. Quinta, quod devote eam commemoranti Christus ipse libenter adest. Sexta, quod arcana, quæ Deus Pater Christo manifesta reddidit, etiam ipsi libenter Christus revelat. Septima, quod ante obitum ad perfectionis eum apicem Christus perducet, et vita functum cum amantissimis amicis suis remunerabitur. Octava, quod nulli unquam seriæ ac rationabili petitioni illius Christus negabit assensum. Nona, quod in morte Christus ei aderit, atque ab hostibus defensum, de vita æterna certum ac securum efficiet. Has utilitates quum Dominus, ut jam diximus, cuidam excellentis meriti amico suo revelaret, simul eidem conquestus est paucissimos inveniri, qui ipsius velint levare onera, ejusque angustiis, doloribus et afflictionibus compati, et ad mentem reducere, quæ propter nos perpeti dignatus est, quum tamen certissimum sit, etiam neglecta et perdita omnia in præclarissimo passionis ejus thesauro reperiri, restaurari ac recuperari posse. Atque equidem affirmare non dubitem non aliam esse causam majorem, cur christianorum multo maxima pars usque adeo in omne vitiorum genus præceps ruat, nisi quod tantam Christi charitatem, quam nobis in assumpti hominis vita et passione abundantissime declaravit, nolunt revocare ad memoriam, atque pro ea debitas Deo gratias agere. Multa hinc leguntur tremenda et metuenda in scriptis sanctorum virorum, atque etiam in Revelationibus sacratissimæ illius viduæ Brigittæ, quarum non est levis apud pios omnes auctoritas. Verum dum hæc de dominica passione agimus, videbimus fortassis, dilectissimi, recessisse ab instituto. Sed quisquis rem bene perpenderit, nihil nos alienum attulisse sentiet. Cum enim Dominus nos se sequi hortetur, id autem fieri non possit, nisi quæ ab illo nobis imitanda proposita sint noverimus, eaque nonnisi sedula eorum quæ pro nobis egit et perpessus est commemoratione discantur, nihil a proposito fuit alienum ad commemorandam vitam et passionem illius vos adhortari. In iis enim maxime elucent virtutes ejus, ad quarum imitationem nos invitat, dum ait : *Sequere me.* Quod paulo significantius sanctus Joannes Evangelista his verbis expressit : *Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodum ille ambulavit et ipse ambulare.* Cujus quidem admodum præcellentis Apostoli et Evangelistæ quando festum hodie diem colimus, committere non debemus, quin vestræ charitati ad honorem Dei vestramque ædificationem de illius eximiis quibusdam virtutibus atque prærogativis nonnihil proferamus. Cur enim sanctorum ab Ecclesia solemnitates celebrantur, nisi ut illorum res præclare gestæ virtutesque et dona, quibus divinitus aucti sunt, hominibus proponantur, quo ea tum imitari, tum desiderare, quatenus fas est, studeant, atque eorum implorent patrocinium, et apud severissimum judicem Deum eos sibi adjutores ac defensores parent? Difficillimum autem revera fuerit, imo et impossibile hujus præclarissimi Apostoli merita pro dignitate extollere, atque ejus virtutes congruis celebrare encomiis. Sed tamen propterea eas omnino ceu canes muti silentio præterire non debemus. Dicamus ergo inde vel parum aliquid ad honorem Christi, et tanti Apostoli venerationem. Certe dubium non est, quin in hunc unum tot suæ gratiæ dona contulerit Dominus Jesus, ut merito christiani omnes singulari eum studio, amore et honore prosequi debeant. Et ut multa summatim perstringamus, fuit Apostolus, et quidem ex præcipuis unus: fuit Evangelista, imo princeps Evangelistarum : fuit propheta, fuit martyr, fuit confessor, fuit virgo pudicissimus: in cœna supra pectus Domini recubuit, dulcedine corporis et sanguinis ejus ebriatus, haustumque sapientiæ et gustum dul-

I. *Joann.* II, 6.

Solemnitates sanctorum celebrandi ratio quæ.

Joannis Evangelistæ prærogativa et sanctitas quanta.

cedinis divinæ percepit : fuit post mortem Christi peculiaris Virginis Matris custos et filius, fuit Christo inter Apostolos longe charissimus, fuit ejusdem Christi consobrinus, fuit denique Christo patienti et morienti comes pene individuus atque fidissimus. Vides quam multis sit decoratus ornamentis : quæ si particulatim fusius explicare ac pertractare velimus, quanta hic erit laudum ejus materia, quam ingens campus ? Sed fortassis onerosi essemus. In ipso Evangelio quod scripsit, in Epistolis item et Apocalypsi sua, nonne singulari quadam cœlestis gratiæ aspiratione usus videtur ? Quam cuncta illius verba vere ignea sunt, et divinum spirantia amorem, ut de eo peculiariter dictum videri possit : *Ps.* CXVIII, 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quantopere conatur tum Dei erga nos commendare nobis amorem, tum nostrum in Deum et proximum verbis mellifluis et vere aculeatis accendere ? Quam dulcissimo ubique spiritu utitur, ut vel ex hoc ipso agnoscas in ejus castissimo pectore nil nisi amorem, benignitatem, dulcedinem, pietatem, misericordiam resedisse ! Jam quid non venerationis habet, quod (sicut in ecclesiastica refertur Historia Eusebii Cæsariensis) quum juvenem quemdam cuidam commendasset Episcopo, isque primo quidem diligentissime ejus gessisset curam, sed postea remissius se gerens, juveni tantorum quodammodo malorum præstitisset occasionem, ut flagitiis omnibus se manciparet, multisque sibi adjunctis, latrocinia crudelissime ceu eorum princeps exerceret, idque aliquanto post sacratissimus Christi Apostolus rescisset ex ipso cui eum commendarat Episcopo, scidit vestimenta sua, et cum ingenti gemitu feriens caput suum, ita ait ad Episcopum : Bonum te custodem animæ fratris dereliqui. Nec his contentus, mox iter arripuit ad montem, in quo juvenis ferocissimus demorabatur : cumque ad eum venisset, et juvenis agnito eo, actus pudore in fugam verteretur, D. Joannes ætatis oblitus, tantum salutem illius miseri cogitans, eum insequitur, atque post eum

Zelus animarum quantus pectori D. Joannis Apostoli insederit.

clamat : Quid fugis, o fili, patrem tuum ? Quid fugis inermem senem ? Miser, hære noli timere, adhuc habes spem vitæ. Eg Christo rationem reddam pro te, etc. Hi auditis substitit juvenis : et vehementissi mo animi dolore compunctus, Aposto pedibus provolutus est. Sed et Apostolu ejus genibus provolutus ejus dexterar tanquam jam per pœnitentiam purgatar osculari cœpit. Deinde ad Ecclesiam eur reduxit et indesinenter pro eo oratione profundens, et cum ipso pariter ducer crebra jejunia, indulgentiam a Deo, quar ei pollicitus fuerat, expetebat. Nec priu abstitit quam eum in omnibus emendatur etiam Ecclesiæ præficeret. Si cui libet hu jus rei pleniorem habere notitiam, lega Historiam ecclesiasticam Eusebii Cæsa riensis Libro III, cap. XVII. Nos in com pendium, quæ ibi latius referuntur, co traximus. Quis hanc tantam Apostoli jar senio gravati charitatem non toto anim affectu et summo studio exosculetur e prædicet ? Quis non omni amore et vene ratione tam piissimum senem prosequatur Audivit ovem raptam lupi tartarei denti bus, nec sine vitæ periculo eam recuperar licebat, et tamen intrepidus pergit ad ipsar latronum arcem, et quasi tota salus sua e illa anima penderet, ita anxius eam nite batur ad viam reducere, et ne peccatorur suorum magnitudine deterreretur, etiar se pro ea Christo rationem redditurur pollicebatur. O quam excellenter ipse egit quod in sua docet Epistola, ita dicens *Et nos debemus pro fratribus animas po nere.* Agedum, dilectissimi, honoremu tam præcellentis meriti, tam flagranti charitatis Apostolum Dei, ejusque suffra gia apud Deum quotidianis precibus am biamus. Nec dubitemus, quin propensissi ma voluntate nostri apud Deum curam si habiturus jam beatus in cœlis, qui olir adhuc fragili indutus carne, tanta sollici tudine perditum juvenem quæsivit, inven tum reduxit, ac reducto veniam impetra vit. Nemo prorsus ambigat, charissimi, unum ex præcipuis esse beneficiis Dei, u

quis erga illius sanctos, maxime tam illustres et eximios, piæ devotionis et amoris affectu præditus sit. Esto Lutherus et ejus asseclæ sanctorum invocationem damnent. Num propterea nos non debemus sanctos venerari, eorumque poscere suffragia? O venenatam diaboli linguam, quæ per os Lutheri miseram ac rudem plebeculam in tantum fascinavit, ut etiam idololatriæ crimen putent sanctis honorem exhibere! Et tamen pii omnes nihil dubitant clementissimum Deum innumeros a gravibus periculis, imo et ab ipsa æterna damnatione sæpius liberasse, eo tantum nomine, quod sanctos ejus aliquo venerationis studio prosecuti fuerint. Hæc ita sunt manifesta, ac infinitis pene probata exemplis, ut superfluum sit pluribus inde agere. Gaudeant, et gratias agant Deo, quotquot se alicujus sancti amore præditos sentiunt, nec quidquam curent dæmonis præstigia, quibus hodie innumeros a divorum veneratione penitus abstraxit, non aliquo sanctorum damno, qui jam perfecta cum Deo beatitudine perfruuntur, sed ineffabili miserorum detrimento, qui cum Deum suis peccatis gravissime offendant, etiam omnem sibi spem veniæ præcludunt dum amicos Dei contemnunt, quorum meritis et precibus possent adjuvari apud Deum, quemadmodum innumeris evenisse constat. Possem hoc loco etiam certa recitare beneficia, quæ Deus omnipotens speciatim per hunc B. Joannem Apostolum suum multis impertiit ipsum pie invocantibus; sed vitanda prolixitas est, et finis nostro sermoni imponendus. Itaque, dilectissimi, ut ab initio dixi, sequamur Christum, et quidquid sive caro, sive mundus, sive diabolus, quod ab illius voluntate discordet, nobis ingesserit, penitus contemnamus, atque ut hac in parte firmiores simus, muniamus nos sedula vitæ et passionis ejus commemoratione: et ne forte nostris vitiis Deus offensus gratiam suam nobis infundere nolit, qua hæc præstare possimus, hunc beatum Apostolum et Evangelistam pro nobis apud Deum intercessorem adhibeamus: quod quidem facillime efficiemus, si quotidie aliquid ei venerationis impenderimus, devotisque eum precibus pulsaverimus, ut suis precibus Christi nobis gratiam conciliet, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum, Amen.

IN SOLEMNITATE

SANCTORUM INNOCENTIUM

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

IN diebus illis, Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni; et vocem quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia et seniores. Et nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno, et in ore eorum non est inventum mendacium; sine macula sunt ante thronum Dei. *Apoc. XIV.*

QUANDOQUIDEM hodie sanctorum Innocentium martyrum solemnitatem celebramus, qui Christo recens nato non loquendo quidem, neque intelligendo, neque operando, sed tantum moriendo testimonium reddiderunt, atque eo genere martyrii ab impio Herode coronati sunt, quod solo opere, non voluntate suscipitur, congrue nimirum præsens Lectio Epistolæ loco in Ecclesia recitatur, utpote in qua mentio fit virginum simul et martyrum, cujusmodi hos beatissimos parvulos fuisse constat : tametsi ipsa Apocalypsis verba ad solas virgines possint accommodari. Ait ergo S. Joannes : Vidi per spiritalem intelligentiam, aut imaginariam visionem, Agnum stantem, de quo sacratissimus Christi Baptista Joannes olim dixerat : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi :* agnus utique ob singularem innocentiam et mansuetudinem, *qui peccatum non fecit, et coram tondentibus se* ministris diaboli prorsus *obmutuit*, ne unum saltem asperius verbum proferens. Hunc ergo stantem vidi, tanquam paratum ad ferendum auxilium cunctis ejus opem poscentibus; supra montem Sion, id est, vel militantem vel triumphantem Ecclesiam. Utriusque enim rex et princeps atque caput est Christus, sicut ejus verbis in Psalmo dicitur : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Et cum eo centum quadraginta quatuor millia, subaudi : stantes erant. Siquidem etiam sancti mortalibus auxilio sunt. Positus est autem hic numerus definitus pro indefinito, quo sanctorum illorum universitas comprehenditur, de quibus hic agit. Per ipsa vero centum quadraginta quatuor millia intellige cunctorum martyrum agmina, qui carnis et mentis integritatem servaverunt. Apud Deum enim illi majori excellunt dignitate,

Joann. I, 29.

I. *Petr.* II, 22.

quos martyrium simul et virginitas exornant : quandoquidem propius ad eum accedunt, et quocumque ierit, eum sequuntur, eo quod non modo corporis integritate sed etiam perpessionis amaritudine ipsum imitantur. Aut si magis placet, de solis virginibus accipe. Porro numerus iste magno haud vacat mysterio. Per centum enim sæpe quod perfectum est in divinis Litteris significatur. Quadragenarius quoque numerus vel Decalogi et Legis completione, vel aliis occultis rationibus in mysterio est consecratus. Quaternarius item vel propter quatuor Evangelia, vel quatuor paradisi flumina, vel quatuor virtutum principalium exercitationem sacratus est. Millenarius denique etiam crebro tanquam absolutus ponitur. Unde quod alibi S. Joannes in Apocalypsi dicit sanctos cum Christo mille annis regnaturos, non ita accipiendum est, ut quidam inepte senserunt, quod post resurrectionem in terris tot annis sint regnaturi, sed quod semper in omnia futura secula seculorum. Neque otiose hic transeundum est, quod ait hæc centum quadraginta quatuor millia supra montem Sion stetisse. Cum sint enim ipsi mons Sion, quomodo stant supra montem? Itaque hoc de ipsorum excellentia intelligendum est, qua aliorum fidelium sublimitatem transcendunt : aut certe quod etiam seipsos transcenderint. In carne enim præter carnem vivere, angelicæ potius dignitatis quam humanæ fragilitatis est. Habentes nomen ejus, id est, fidem unde appellantur Christiani, et nomen Patris ejus, id est, fidem qua vocantur filii Dei, scriptum per indeficientem perseverantiam in frontibus suis, per publicam ac manifestam confessionem, qua non erubuerunt confiteri ea quæ sunt veritatis fidei christianæ, quam Filius Dei, ut a Patre didicerat, nos edocuit. Et audivi auribus internis vocem de cœlo sive triumphantis sive militantis Ecclesiæ tanquam vocem aquarum multarum, vel quia multi erant quorum audiebat vocem, vel quia ardentissime et totis viribus laudabant Deum. Et vox quam audivi sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis : namque et Deo sanctisque Angelis ejus gratissima, et mihi Joanni eam audienti longe suavissima erat.

Et cantabant quasi canticum novum, id est, de incorrupta mentis et corporis integritate, et pro Deo perpessis cruciatibus gaudebant. Non dicit novum, sed quasi novum. Nondum enim perfecta est sanctorum beatitudo, quæ tum complebitur cum corpora sua receperint, in quibus, dum hic essent, Deo et justitiæ militarunt. Cantabant autem ante sedem Dei, id est, coram angelicis spiritibus, in quibus Deus residet, et ante quatuor animalia et seniores, id est, præcipuos sanctos, vel prædicatores et judices. Et nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Non enim poterit de mentis et corporis incorrupta virginitate gaudere, nisi qui ea præditus fuerit, ne ipse quidem apostolici ordinis princeps Petrus Apostolus, qui uxorem habuit. Qui empti sunt de terra, redempti pretioso sanguine Agni immaculati, et a terrena concupiscentia elevati, aut ab hominum carnalium numero selecti et segregati. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Ecce habes carnis integritatem. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit : habes et passionis imitationem. Vel intellige de solis virginibus, qui mentis et corporis intemeratam servavere castimoniam. Hi empti sunt ex omnibus, id est, tota hominum frequentia primitiæ, Deo et Agno, tanquam præcipue illis chari ob virginitatis ac passionis meritum, vel ob inviolatum corporis pudorem : et in ore ipsorum non est inventum mendacium. Non enim potuerunt adduci ullo suppliciorum genere, ut dæmonum idola mentirentur deos esse, sed veritatem constantissime professi sunt. Quod ad nostros beatissimos Innocentes martyres attinet, eos quidem certum est nullum unquam mendacium protulisse. Sine macula sunt ante thronum Dei : qui tametsi originis maculam contraxerint, tamen vel circumcisione, vel sanguinis sui

Beatitudo sanctorum quando perficietur.

effusione penitus sunt expiati. O beatos et vere immaculatos parvulos, in quibus nihil hæsit vitii, qui ante pro Christo et Deo occisi sunt, quam ullam vel Christi vel Dei notitiam haberent, quos sibi Christus in hunc mundum editus martyrum suorum primitias consecravit, et parvus adhuc parvulos collegit, tanquam jam tum diceret: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.*

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, MATTHÆI II.

IN hujus diei Evangelio luculenter nobis describitur tum ipsius Domini vix dum nati ejusque mœstissimæ Matris durum et miserabile exilium, quod ob declinandam Herodis reguli sævitiam, Rex cœli et terræ propter nos infirmus tolerare voluit: tum beatissimorum parvulorum crudelis ac inhumana necatio, quos idem Herodes humana quidem usus calliditate, sed plusquam belluina feritate neci dedit, eo consilio quod se speraret inter cæteros etiam illum quem quærebat, sed ignorabat, infantem posse perimere. Atque o quanta est humana versutia contra Dei consilium! Unum Christum molitur exstinguere, et non solum Christo nihil nocet, sed etiam illos quos se occidisse putavit, potius ad vitam misit coronandos. Inter hæc, dilectissimi, id primum debetis advertere, quam tener Dominus noster Jesus Christus hujus mundi persecutiones et odia ac injurias cœperit experiri, quam ab ipso Matris utero pro nostris peccatis Deo Patri satisfacere innumeris perferendis incommodis, subeundis laboribus, tolerandis pœnis et cruciatibus sit exorsus. Verum ad ipsam jam Evangelii explanationem accedamus.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens.

Posteaquam enim puerum Jesum in templo obtulerant parentes ejus, jam redire parabant in Nazareth. Sub idem autem tempus Deus misit Angelum suum, qui divini adhuc ignarum consilii sanctum Josephum admoneret, ut cum Puero et Matre ejus secederet in Ægyptum. Factaque est hæc apparitio sub specie seu visione imaginaria. Solent enim in somnis fieri divinæ revelationes, quod tum sensus vacent, et phantasia quietior sit. Sæpius autem huic beatissimo patriarchæ Josepho Angelus Domini apparuisse legitur, neque id immerito: quandoquidem præcellentis meriti virum eum fuisse multa declarant: unde jam nonnihil obiter dicturi sumus. Et justum quidem eum fuisse etiam ante natum Salvatorem, Evangelista Matthæus testatur. Quod si attendas verissimo matrimonio junctum eum fuisse sacratissimæ Virgini Mariæ, qua nihil unquam sanctius mundus habuit, quæque mox Deum paritura erat; nonne hoc ipso omnino persuadere tibi cogeris, nunquam id Deum permissurum fuisse, nisi illi tam singulari Virgini, et corporis ac animi pudicitia et morum integritate et vitæ sanctimonia maxime consimilis fuisset, atque ob id dignus plane, qui Filii Dei nutritor et pater putatitius, tantæque Virginis conjux fieret? Credamus ergo (nam id quoque ad Salvatoris nostri cedit honorem) hunc reverendissimum virum virginitate purissima, humilitate profundissima, tum Dei, tum proximi amore ferventissimo, contemplationis gratia haud vulgari, salutis animarum zelo vehementissimo, multisque aliis præclaris virtutibus et charismatibus, instar sponsæ suæ sacratissimæ Virginis Mariæ, præditum

Amor san- Ma- et di- Jo- quam t ca- imus.

fuisse. Et quia divinis abunde illustrata fulgoribus Virgo Beata eum sibi sponsum et virginitatis suæ custodem ac vitæ solatium, itemque nutritium ex se nasciturí Filii Dei divinitus datum optime noverat, omnemque interioris hominis ejus statum non ignorabat, nihil ambigi potest, quin eum castissime et ferventissime dilexerit. Quomodo enim posset non modo non vehementer amare, sed etiam præcipua in veneratione habere eum, cui præ cunctis mortalibus id a Deo honoris delatum cerneret, ut Filii ejus custos et nutritius esset? Quis vero cogitare sufficiat quam ignitas pro illo ad Deum preces sæpe fuderit, quantumque iisdem suis precibus illi profuerit apud Deum? Si enim Virginem sacratissimam omni gratia et virtute plenam fuisse credimus, quomodo fieri possit, ut cum continuis uteretur beatissimi Josephi servitiis, non rursum illi quidquid potuerit præstiterit, maxime apud Deum, ferventissime pro illo obsecrando, ut Deus in eo sua dona magis ac magis augmentaret? Nam nisi ita egisset, posset ingratitudinis argui, quæ ab ea semper longissime abfuit. Jam si diligenter perpendas usum tam diuturno eoque perpetuo et admodum familiari tantæ Virginis et ipsius quoque Filii Dei contubernio, habes nimirum rationem efficacissimam, qua etiam cogaris credere in omni virtute in dies mirifice eum profecisse ac summe perfectum fuisse. Si enim *cum sancto sanctus, et cum innocente innocens eris,* quomodo ille non sanctissimus et innocentissimus habendus est, qui cum sanctissimis et innocentissimis, puta Matre Dei et Filio Dei, cui usque ad ultimum spiritum, ut pater officio, et nutritius beneficio convixit, assidue versatus est? Porro si attendas eumdem Dei Filium eidem reverendissimo viro et beatissimo patriarchæ semper promptissime obtemperasse, ac ei ceu patri reverenter detulisse, sæpius quoque eum dulcissime amplexatum, deosculatum, consolatum fuisse (hæc enim omnia pia mens libere secum cogitare potest), omnino sentias oportet, non potuisse non summo eum divinitatis amore accendi, qui tanta, tam stupenda et cunctis inaudita seculis in se experiretur beneficia Dei. Non enim fas est putare Filium Dei non maximis eum affecisse beneficiis, cujus erga se perpetuam eamque ineffabilem curam, sollicitudinem, ministerium experiebatur. Quam etiam curam et sollicitudinem Beata Virgo manifeste in eo deprehendit, quando Filium suum amiserat. Unde postea eidem invento sic ait: *Pater tuus et ego, dolentes quærebamus te.* O quid non doleret venerandus patriarcha amisisse se Deum ac Dominum suum in quem unum totum cordis et spiritus sui amorem contulerat! Denique si omnipotens Deus ei quem ad aliquem statum vel officium eligit, etiam cuncta gratiæ suæ dona illi vel statui vel officio necessaria infundit, hunc beatissimum Josephum ad tantam elegit dignitatem, ut Filii sui patrem eum secum vellet haberi, efficax hinc ratio sumi potest, summis eum et præclarissimis virtutibus ornatum fuisse. Non enim decuisset talem ac tantum filium, patrem quamvis putatitium se indignum vel saltem minus dignum habere. Minus dignus autem videri poterat, si non omni virtute admodum præcellenter instructus atque decoratus fuisset. Sed hactenus de tanti patris sanctitate et præstantia singulari dictum est satis. Utinam eum mereamur habere propitium apud Deum. Tali igitur tamque illustri patriarchæ Angelus Domini in somnis apparuit. Sed cur non potius ipsi Virgini et Matri Salvatoris? Potest dici, quod Spiritus Sanctus in hoc deferre voluit sancto Josepho, ut qui a Deo ad id electus erat, ut tum Salvatoris, tum Matris Virginis curam gereret, etiam divinitus, qua id ratione fieri oporteret, edoceretur. Quid autem angelus sancto Josepho mandaverit, sequentia verba declarant:

Luc. II, 48.

oseph titas ta fue-

salm. 26.

versa- ueri cum h s fue-

Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum.

O vere triste nuntium, ipsi quidem S. Joseph grave, sed Virgini Matri, præser-

tim tam teneræ, tam verecundæ longe gravissimum, idque non tam sua, quam infantuli Jesu, cujus vicem summe dolebat, causa. Surge, inquit. Non licebat Filio Dei in illa tam tenera ætate vel quietum somnum capere, jubetur sanctus Joseph e somno surgere. Ergo non poterat Deus Pater Filium suum tueri, nisi in tenebris fugientem ? Sed nolebat parcere amantissimo Unigenito suo ut nobis miseris, nobis perditis parceret. Vide in hoc ipso immensam erga nos charitatem Dei, ut scias quantum illum amare, quam illi gratus esse debeas. O quam verum est quod per Prophetam quemdam ipse dicit : *Diligam eos spontanee.* Et per alium : *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Quomodo enim nos unquam mereri potuissemus tantam erga nos benignitatem Dei, nisi quia ipse suapte, sponte, ac gratuita bonitate sua talem se erga nos præbere voluit? Simul autem consideres hic velim, quam molestum fuerit tum Matri virgineæ, quæ plus minus sextum decimum ætatis annum tum agebat, tum Domino Salvatori adhuc tenerrimo infantulo, tum ipsi venerando seni Joseph, tam longinquum et ignotum carpere iter. Vides nimirum, ut Salvator piissimus in ea ætate, quæ omnis laboris et doloris summe impatiens est, laborem et dolorem molestissimum perpeti voluerit.

Osee XIV, 5.

Jer. XXXI, 3.

In qua sua ætate Christus pati cœperit.

Attende singula curiosius: Joseph admonitus ab Angelo confestim surgit et Matrem excitat. Illa totis concussa visceribus anxia et tremens arripit parvulum Salvatorem et iter accelerat. Puer ita præter solitum excitatus mœstos edit vagitus, non tam sua incommoda, quam nostra demerita lugens. Ad hoc enim venerat, ut suis immeritis pœnis et laboribus nostra peccata aboleret. Ita jam in tenebris incipiunt proficisci. Interim nulla hic fit mentio alicujus magni apparatus, non famulorum, non curruum, non equorum, sed Filius omnipotentis Dei cum paupercula Virgine et simplici sene iter ingrediuntur, relicta patria, relicta domo, relictis notis et cognatis omnibus. O vos qui semper mollia quæritis, et nihil unquam molestiæ perpeti vultis, huc quæso oculos animumque advertite, ut vel tanto admoniti exemplo discatis propriæ salutis causa vel parum aliquid perpeti , cujus gratia Dei Filius tanta perferre voluit. Vos delicias expetitis , easque indebitas : non enim decet in exilio voluptatibus operam dare, ille cum omnium esset Dominus, et eo nomine omni commodo et quiete dignissimus, tamen dura et aspera amplexus est. Sed quid sibi vult, quod in Ægyptum Dominus mittitur ? Ut scilicet impleretur S. Isaiæ vaticinium, quo ait: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus :* atque ut hoc ipso ostenderetur eum, quem impii Judæi non essent recepturi, a gentibus suscipiendum : quod etiam post ejus mortem et ascensionem evidentissime impletum est, hodieque impletur, quando innumeri in ignotis orbis partibus summa cum aviditate Christi fidem amplectuntur, et Salvatorem mundi ingenti cum fervore excipiunt.

Fuga Christi pauperrima in Ægyptum quæ fuerit.

Et esto ibi usque dum dicam tibi.

Hæc verba spiritali significatione non carent. Solet omnipotens Deus quandoque servis suis subtrahere omnem devotionem et gratiam sensibilem, omnem pium affectum et illuminationem internam, et in tantis eos relinquere tenebris ut sibi videantur relicti a Deo, perinde ac si nullam illius unquam notitiam habuerint. Interim etiam graves et horrendæ sæpe accedunt tentationes, quales commemorare forte nec expedit propter inexpertos. Isti ergo in Ægypto degunt, quamdiu tali in derelictione versantur. Sed quidam impatientes, dum divinam sentiunt abesse consolationem, vanam et temporariam inordinate aucupantur. Tales seipsos liberare volunt, nec exspectant donec divinitus liberentur. Faciunt igitur contra hanc admonitionem Angeli , imo Spiritus Sancti dicentis: Esto ibi usque dum dicam tibi.

Cum enim gratia sensibilis non arridet, sed tenebræ et torpor quidam hominem occupant, non debet ex vitæ hujus noxiis oblectamentis remedium ac levamentum quærere, sed fideliter perseverare Deo ac Domino suo, semper in animo suo propositam sibi gerens illam Apostoli sententiam : *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere :* sicque æquanimiter præstolari, donec visum sit Sancto Spiritui ex ejusmodi eum tenebris educere, et revocare in terram Israel ubi jam Deum et divina cognoscat et contempletur, ac solita gratiæ affluentia visitetur, et piæ devotionis affectum recuperet.

I Cor. x, 13.

Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

Videmus hic, dilectissimi, quantum malum sit execranda ambitio. Herodes iste homo alienigena, apud Judæos dominium atque regnum præter ordinem obtinuerat. Itaque ubi didicit ex Magis natum verum Judaici regni hæredem et successorem, veritus ne si is a populo agnosceretur, ipse tanquam regni invasor depelleretur, mox animum ad infantem illum exstinguendum adjecit. Atque ea de causa Magis persuasit ut irent puerum exploratum, ac deinde si quid certi comperissent, ad ipsum referrent, ut et ipse puerum adoraret, imo vero prorsus neci daret. Ita eum jam occupaverat quædam licet iniqua et indebita dominandi libido, ut contra fas et jus omne innoxium parvulum, quamvis legitimum Israelitarum principem exstinguere , sit molitus. Quod ut facilius posset, simulatum spondet obsequium et cujus interitum animo jam conceperat, ei se supplicem fore confitetur. Ita ut possit in regno perseverare invictus, libenter Dei legem et præcepta contemnit. Quam pulchre sane in hoc ipso hypocritarum typum gessit, qui cum nihil minus appetant, quam debitum præstare cultum omnipotenti Deo, tamen ut humanam captent gratiam, et hominum laudibus vehantur, opesque sibi et honores accumulent, interim foris quædam ostentant recte facta et studia pietatis quæ, nisi ejuscemodi jam dicta sperarent, nunquam sectarentur. Verum ut Herodes Christum, quem falso se adoraturum promiserat, nunquam invenit, tametsi regnum retinuit, ita et hoc hypocritarum genus nunquam veram potest adipisci salutem, cujus auctor est Christus Jesus, eo quod ficte tantum et simulate eam quærant, licet sæpius quadam præsentis vitæ momentanea prosperitate potiantur, sed in exitium duntaxat suum. Caveamus ergo, dilectissimi, ambitionis et hypocrisis execranda flagitia. Honores et mundi prosperos successus despiciamus potius quam appetamus. Nam vana sunt et periculis plena. Ita fiet ut non solum non invideamus, nec quidquam mali machinemur iis, quibus hæc arrident, sed potius misereamur ac condoleamus, tanquam in maximis periculis constitutis : nosque felices judicemus, ut quibus tantis malis carere liceat.

Obiter circa hæc Evangelii verba monendi estis, charissimi, ut ne quis frangatur ex vobis si dum quidpiam boni agere instituit, mox adversis affligatur. Ecce enim ipse Dominus Jesus Christus ut nos ad perferenda hujus vitæ mala corroboraret, statim ab ipso vitæ suæ exordio persecutionibus fatigari voluit : ut scilicet sua patientia nos ad malorum tolerantiam provocaret. Semper enim omnes conatus boni habent præsertim in initio difficultates et molestias multas : sed propter eas desistendum non est, imo vero tanto virilius perseverandum : *Non* enim *sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

Rom. VIII, 18.

Qui consurgens, accepit Puerum et Matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi Filium meum.

Obedientiæ perfectæ forma ubi discatur.

Habemus hic perfectissimæ obedientiæ exemplum. Poterat sanctus Joseph respondere Angelo : Puer tenerrimus est, et mater itidem tenera ac delicata puella ; fortassis in itinere præ labore deficient : nec habemus vitæ sustentandæ necessaria, et terra illa cultui dæmonum dedita est. Sed his omnibus omissis ac tacitis, sine ulla vel calcitratione vel dilatione ad iter se accingit. Discamus ergo et nos promptam exhibere obedientiam tum Deo, tum superioribus nostris. Hæc enim ad eruditionem nostram scripta sunt, ut quidquid vel Deus, vel superiores nostri jusserint, sciamus obediendum nobis esse, etiamsi interdum minus rationabile videatur. Ipsa autem obedientia quanto fuerit velocior, tanto semper et Deo gratior et nobis fructuosior erit. Mansit autem S. Joseph in Ægypto cum parvulo Dei Filio ejusque pudicissima Matre usque ad obitum Herodis. Ergo sane diuturnum fuit illud exilium. Posset hic pia fieri inquisitio, quid interim egerint in Ægypto, unde vixerint, quo hospitio usi sint, aliaque hujuscemodi : sed satius est, ea unicuique secum studiose meditanda relinquere. Habent enim piam et dulcem valde considerationem : nec fructu suo defraudabitur, quisquis exilium Domini sui Matrisque ejus sanctissimæ libenter erit meditatus. Homines mundo dediti et fastidiosi talibus non capiuntur, quia vani sunt.

Obedientia quibus et quando præstanda.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde : et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.

Magi in somnis admoniti ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi fuerant in regionem suam. Quod quidem principio Herodes ita interpretabatur, ut putaret eos illusos, et eam ob rem non fuisse ausos redire ad ipsum. Postea vero quam rumor sparsim de illis quæ circa Domini ortum ac præsentationem in templo evenerant, dilatari cœpit, pervenitque ad aures regis quid pastores, quid S. Simeon et Anna de nato Salvatore retulissent, persuasit sibi Magos, ut ipsum fallerent, rem ei certam indicare noluisse. Quapropter ira inflammatus, communem in cunctos Bethleemiticos et locorum circumadjacentium parvulos tyrannidem exercuit, et qui puerum suspectum nesciret, saltem inter alios vel incognitum trucidaret. Quod tametsi non est assecutus, tamen tanta crudelitate vehementissime piissimum cor parvuli Salvatoris afflixit, totque illud acerbissimi doloris confodit gladiis, quot infantes propter ipsum occidit. Patiebatur enim ipse in omnibus illis tanquam membris suis, quorum cruciatum et mortem sine maximo tormento sentire non potuit. Sed et parentibus atque cognatis parvulorum, maxime matribus ex animo condolebat. Neque ab hoc tum dolore, tum condolentia Virginem Beatissimam immunem fuisse credendum est. Occidit autem omnes pueros a bimatu et infra, id est, ab infantibus duorum annorum usque ad unius noctis. Non tamen statim post Magorum discessum eos occidit, sed jam anno evoluto, cum ab Augusto redisset. Quæ causa fuit, ut etiam in infantes majoris ætatis deseviret. Possit sane pie credi hos beatissimos parvulos, qui singulari quadam prærogativa pro ipsa Christi persona, quod de nullo alio martyre legitur, occisi sunt, dum alii martyres pro fide et charitate Christi perempti sunt, haud vulgarem ob idipsum in cœlesti patria gloriam et beatitudinem adeptos. Cum enim in patiendo Christi personam sustinuerint (non enim alium nisi ipsum Christum Herodes cupiebat interficere), citra absurditatem, absque tamen temeraria assertione existimari licet eos quoque præmium sive donum quoddam præcellens ac eximium, quod ejuscemodi perpessioni respondeat, percepisse. Si hujus rei quæris rationem, audi Apostolum dicentem : *Divisiones gratia-*

rum sunt, idem autem Spiritus, dividens singulis, ac distribuens dona sua *prout vult.* Christus ergo qui propter se illos occidi permisit, non poterit etiam sua benignitate singulare quoddam eis conferre præmium? Noli in eis exquirere merita, quos Christus sua gratia prævenit. Parvulus editus in hanc lucem parvulos sibi ascivit, electos ante secula, tanquam flores quosdam cœlestes et infantiæ suæ sodales charissimos, qui sicut pro Christo primi occisi sunt, ita videntur etiam abunde Redemptoris gratiam participasse.

Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos. Et noluit consolari, quia non sunt.

Probat sanctus Evangelista Scripturæ auctoritate longe ante hoc beatissimorum parvulorum martyrium esse prædictum, sicut et alias sæpe Scripturæ testimonia adhibet, idque eo libentius, quod Evangelium suum Judæis hebraice scriberet, quos putabat etiam divinorum voluminum sententiis ad credendum promovendos. Quod autem dicit vocem in Rama auditam, in excelso intelligendum est. Cum enim multi occisi sint infantes, atque parentes multi suis orbati liberis, communis multorum clamor et planctus exortus est, qui etiam cœlos posset attingere. Porro quod Rachelem dicit plorasse filios suos, cum Bethleem sit in tribu Juda, quæ ex Lia potius orta est, de locis adjacentibus, in quibus etiam multi occisi sunt, accipiendum est. Constat enim Rachelem haud procul a Bethleem sepultam : et ideo ratione sepulturæ mater eorum dicitur, qui illis in locis perempti sunt. Sive etiam quod tribus Juda et Benjamin finitimæ sunt : atque ita dum non modo in Bethleem, quæ ad tribum Juda pertinet, sed et in omnibus finibus ejus, quos etiam tribus Benjamin quæ ex Rachele duxit originem, attingit, occisi dicantur. Rachel suos plorasse fertur filios per synecdochen. Et noluit consolari, quia non sunt, quod potest duplicem habere significationem, vel quia non sunt superstites, vel quia non sunt extincti, sed potius martyrii beatitudinem adepti. Dubium autem non est, quin dolor vehementissimus et qui nullam ferme consolationem admitteret, illorum infantium matres invaserit. Sed Herodes impius divinam non evasit ultionem. Nam et ipse suis liberis miserabiliter orbatus est, et sua manu se interemisset, ni fuisset a quodam præpeditus : brevi tamen postea obiit ut Josephus refert, super omnes infelicissimus. Non enim dignus erat divinam evadere ultionem, qui sine ulla ratione innoxios parvulos tam immaniter trucidarat, et missum mundo Salvatorem ante exstinguere voluit, quam id cujus causa missus erat, id est, humani generis liberationem perfecisset.

Benjamin tribus unde ortum habuerit.

Herodes crudelis in innocentes quomodo occisus sit.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

UT MUNDI HUJUS PROSPERA TANQUAM PERNICIOSA CONTEMNENDA, ET ADVERSA CEU SALUBERRIMA AMPLECTENDA SINT : ET DE PARVULORUM INNOCENTIA, SIMPLICITATE AC HUMILITATE SECTANDA.

SURGE, *et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum,* Matthæi, II, 13.

Quod Dominus noster Jesus Christus ab ipso vitæ suæ exordio præ omnibus deliciis et commodis temporariis, incommoda,

miseriam, laborem et dolorem amplexus est, magno mysterio et saluberrima institutione ac efficacissima persuadendi ratione non vacat. Non multis opus est libris, unde discamus quid præcipue placeat Deo, aut saluti nostræ conducibilius sit. Inspiciamus tantum exempla Christi, et abunde inde de omnibus docebimur. Vis nosse quid potissimum sequi, quid respuere debeas? Ipsa Christi infantia satis superque te docet. Elige non quæ mundus habet in pretio (hæc enim vana et misera, imo et fallacissima sunt), sed ea potius quæ mundus fugit et horret. Si ignoras ea, clamat tibi Christus infantulus ad matris ubera pendens et dicens : Noli amare voluptates, divitias, honores, prospera mundi et ejuscemodi. Vide ut ego qui Dominus omnium sum, quidquid carni molestum est, extremam inopiam, mei contemptum, et mundi adversa propter te non solum redimendum, sed etiam instituendum, amplector. Nec debes putare parvipendendum esse exemplum meum. Cum enim Dei Patris increata Sapientia sim, non possum nisi quod optimum sit agere : neque erro plane, neque fallor : sed quæ me contemnere vides, ea revera vilia sunt, atque ob id merito contemnenda : quæ autem me eligere cernis, ea omnino salutaria sunt, atque ea re cum primis amplectenda. Hortatur mundus et verbis et exemplis perniciosissimis, ut mollia et suavia secteris, ut loquacitati, scurrilitati des operam, ut opes corradas, ut comessationibus et potationibus tempus transigas, ut honores et dignitates ambias : sed si bene attendas, longe aliud te hortatur paupertas mea, stabulum vile et durum præsepium, grave molestumque exilium, vagitus et lacrymæ, taciturnitas, divitiarum contemptio, sobrietas et abstinentia mea, summa humilitas mea, et omnis honoris fastidium. Ista, dilectissimi, in Christo adhuc infantulo nobis proponuntur non tantum legenda, sed etiam imitanda. Ipse veritas est, ergo quidquid ab eo discordat, vanum et fallax est ; ipse via est : devium ergo et errore obnoxium sit oportet, quidquid ab ipso abducit ; ipse denique vita est : exitiale est igitur quidquid ei repugnat. Si beatitudinem, si veram animarum nostrarum salutem appetimus, isti veritati, huic viæ, huic vitæ inhæreamus. Discamus mundum istum contemnere, si a Deo contemni nolumus. Quid est enim omnis hujus mundi prosperitas, quid oblectamenta, quid voluptas, nisi umbra quædam vanissima, nisi somnium inanissimum? *Noli æmulari,* ait Propheta, *in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, quoniam tanquam fœnum velociter arescent, et sicut olera herbarum cito decident.* Et Apostolus Joannes : *Ecce mundus transit,* ait, *et concupiscentia ejus.* Et D. Joannes Chrysostomus : Centum, inquit, si placet annos demus deliciis : adde et alios centum si libet : adde et decies centum, quæ erit ex his ad æternitatem compensatio? Nonne omne tempus vitæ hujus, quo deliciis frui videmur et indulgere vanitati, quasi noctis unius somnus ad æternitatis comparationem videtur? Sic etiam D. Job : *Parce,* ait, *mihi, Domine : nihil enim sunt dies mei.* Atque apud eumdem etiam alibi dicitur : *Laus impiorum brevis est, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usque in cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit ; quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant, dicent : Ubi est? Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.* Quid his verbis possit dici efficacius? Sed hæc jam attendere nolumus quando ea summa cum utilitate attenduntur. Itaque velimus nolimus, tum ea attendemus, quando jam eorum consideratio plane infrugifera erit. Interim mundi prosperitas et vanissima gaudia ac oblectamenta avidissime appetuntur tanquam ea finis noster sint, ob quem conditi simus : et tamen etiam cum jam habentur, continenter præterfluunt, nec possunt ulla vi aut arte retineri. *Præterit* enim *figura hujus mundi,* præterit quidquid temporarium est, et quo quisque majoribus se putat hujus vitæ frui oblectamentis, eo se

Infantia Christi quam perfecte nos doceat quæ facienda.

Mundus quænam male doceat contra veram Christi institutionem.

inaniorem magisque delusum sentiet, ubi ad extrema perventum erit.

Itaque sciens benignissimus Salvator noster prosperos hujus mundi successus ut plurimum periculosos et perniciales esse hominibus, noluit unquam quidquam habere prosperum toto vitæ suæ spatio, non quo sibi timeret, sed ut nobis suo exemplo consuleret. Unde factum est ut paulo post nativitatem suam Angelum mitteret ad S. Joseph, qui eum moneret secedere in Ægyptum. Et revera quid poterat illi tantillæ ætati accidere gravius? Tamen hoc non coactus sed sponte sua suscepit, et aliquot annis pertulit. Poterat omnibus bonis rebus, omni honore et dignitate regia, deliciis quoque saltem licitis et commodis perfrui : et quidem nemo justius. Quid enim unquam peccati admiserat, cujus causa adversa perpeti deberet? Sed hæc omnia contempsit et fastidivit, ut nobis contemnenda et fastidienda persuaderet. Ergo, dilectissimi, non quæramus, præsertim immodice, hujus labentis vitæ prosperitatem. Multum enim revocat animum ab utilissima futurorum consideratione de qua Sapiens ait : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* O quam multos misere evertit, atque in extremam miseriam horrendamque damnationem adduxit rerum voluptatumque affluentia, qui si adversis fortunæ flatibus jactati fuissent, nunquam fortassis in tot animæ pericula incidissent. Exemplo nobis sunt Saul, Absalon, Salomon, Jeroboam, atque innumeri alii quos prospera fortunæ aura in maxima impulit pericula et in ipsam quoque, ut veremur, tartari voraginem, quanquam de Salomone dubium adhuc est servatusne sit an perierit. In Evangelio secundum Lucam dives quidam introducitur, indutus purpura et bysso, et splendide quotidie celebrans convivia : sed post momentaneas illas sui corporis voluptates, sepultus dicitur in inferno. Contra vero miser quidam et mendicus Lazarus commemoratur, qui etsi aliquid molestiæ sensit dum viveret, postea tamen receptus est in sinum Abrahæ. Equidem facile crediderim divitem illum si Lazari penuria et morbo laborasset, nunquam ad id calamitatis perventurum fuisse : atque e diverso Lazarum si divitis esset fortunam expertus, in idem damnationis periculum potuisse incidere. Hoc enim, præter cætera, mali habent secundi ac læti hujus temporariæ vitæ successus, quod sæpe etiam bene firmos et robustos animos emolliunt ac labefactant, atque sensim ita penitus enervant, ut omnis virtutis ac pudoris obliti, in quosvis vitiorum gurgites sese immergant. Exempla possunt ex Scripturis peti. Atque sicut pessimos plerumque exitus habet mundana prosperitas, et pauci ea bene uti noverunt, fitque plurimis male agendi et æternæ damnationis occasio : ita e diverso multis laborare adversitatibus, multasque afflictiones, tentationes, miserias perpeti ac experiri, tot secum fructus et utilitates advehit, ut eas nemo satis capere, nedum explicare queat. Danda tamen opera est, ut æquanimiter ferantur. Quod si obmurmuret carnis infirmitas, id nihil obstat : tantum voluntas et ratio superior patiens sit.

Prosperitas hujus mundi quibus malis sit obnoxia.

Adversitates hujus mundi quanta bona secum afferant.

Libet hic commemorare primum exempla quædam, quibus quantum prosint adversa perspicuum fiat. Populus ille israeliticus duræ cervicis quoties relicto vero Deo ad colendos dæmones sese contulit, mox ab hostibus suis graviter afflictus fuit. In ipsa autem afflictione cœpit redire ad agnitionem peccati sui, clamavitque ad Dominum, et relictis idolis, uni Deo servivit, isque eorum misertus, ab hostibus eos liberavit. Quando illi unquam ad sanam mentem redissent, nisi vexatio dedisset intellectum auditui? Joseph filius Jacob patriarchæ plus vexationibus crevit etiam in solo peregrino, puta apud Ægyptios, quam unquam in paterna domo crescere potuisset, apud fratres suos. Sub Josue duce populi Israel nunquam legitur idem populus ad adoranda dæmonum simulacra defecisse (nam continuis ferme bellis etl aboribus vexabantur); mox autem

ubi cœperunt otio et quiete perfrui, animum suum ad idololatriam adjecerunt : ex quo uno exemplo et adversitatis utilitas et prosperitatis pericula satis possunt animadverti. Manasses rex impiissimus, cum propter immanissima flagitia sua ductus esset captivus in Babylonem, in ipsa captivitate resipuit, et tanta Dominum, quem prius contempserat, humilitate et instantia precatus est, ut suo regno restitutus sit. Non oportet singulis recitandis immorari. Carptim tantum hinc inde quædam afferimus. Judith vidua illa singularis et admirabilis, castitatis exemplum, cum suos admoneret, inter cætera hæc quoque ait : *Memores esse debetis, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses : et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.* Quam prope adsit Dominus afflictis et tribulatis, etiam ex Daniele satis colligi licet, apud quem Nabuchodonosor rex legitur cum tribus sociis ejusdem Danielis in fornacem conjectis quartum vidisse similem filio Dei. Idem ipse Nabuchodonosor rex felicitate nimia in intolerabilem erectus superbiam, tandem usque ad bestiarum conditionem redactus et extreme humiliatus, recuperavit sensum, et multa laude prosecutus est Deum cœli viventem in secula seculorum, in quem prius blasphemus fuerat. Et hæc quidem ex veteri Testamento desumpta sunt, pauca e plurimis. Possent itidem multa ex novo afferri, sed omissis omnibus hoc tantum dicamus Ecclesiam et fidem Christi ac veram pietatem nulla re magis quam persecutionibus et vexationibus crevisse. Lapidato a Judæis Stephano protomartyre, facta est persecutio magna in Ecclesia quæ erat Jerosolymis, ac omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ præter Apostolos : sed hac occasione longe lateque divulgari cœpit Evangelium Christi. Sed hactenus quanta sit adversitatis utilitas exemplis declarasse sit satis : jam de eadem etiam alia ratione nonnihil d camus. Libenter enim hac de re et loq et audire debemus : siquidem id pote prodesse multis, maxime qui afflicti su et adversis casibus fatigantur, quorur grandis numerus est. Solet omnipoten Deus electos suos multis affligere incom modis, et duris ac asperis castigare fla gellis. Posset id videri ex odio proficisc Sed absit ut benignissima Dei natura tal sit. Cur igitur eos præcipue flagellat, qu tamen illius student voluntatem exequi ac ejus obedire mandatis? Non aliam ut que ob causam, nisi quia eos præcipue d ligit. Ergo singularis dilectionis indiciun acriora flagella sunt? Ita plane. *Quen enim diligit Deus castigat : flagellat au tem omnem filium quem recipit.* Noli judi cia mansuetissimi et clementissimi Creato ris ex teipso metiri. Tu forsitan nemi nem nisi iratus percuteres : ille suos non nisi summe diligens castigat. Imo ver etiam improbos et iniquos nonnisi summ cum amore flagellat, hoc scilicet solum efficere cupiens, ut resipiscant. Et ut jam partim exemplis probatum est, innumer vexationibus ad rectam viam reducuntur qui si semper secundis uterentur succes sibus, nunquam salvi fierent. Vis autem nosse, quomodo se gerat Deus erga eos quos vere et juste odit? Audi eum per Psalmistam dicentem : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Ergo illos summe odit, quos licet male viventes flagellis affligere non vult, sed in hoc mundo prosperare permittit. Sed grave est adversa perpeti. O quisquis ita dicis, vide obsecro, quid dicas. Grave quidem est adversa perpeti, sed humanæ infirmitati. Verum audi quid per Prophetam Dominus polliceatur ei, qui adversitate laborat : *Cum ipso sum*, inquit, *in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Esto jam carni molestum sit : nisi enim molestum foret, quæ virtus esset æquanimiter perpeti? Sed Dominus prope est, ut eruat afflictos omnes, ut cum eis portet onera quibus premuntur, imo ut

Judith VIII, 22, 23.

Ecclesiam Catholicam semper ex persecutionibus crevisse.

Act. VIII, 1.

ipse maximam oneris partem in se recipiat, et spiritui quamdam addat fortitudinem, qua etsi non semper hilariter, tamen patienter ferat, quidquid oneris, quidquid molestiæ impositum erit. Carnis obmurmuratio nihil veræ pœnitentiæ derogat : tantum si spiritus suo sit subditus Creatori. Ait quidam eximius Theologus Deum se æque præbere in afflictionibus, sicut in venerabili sacramento. Facile id credi potest, si quis afflictionum multimodos fructus attendat. Afflictionibus omnipotens Deus tanquam aptissimis instrumentis uti solet ad expurgandam præparandamque hominis animam, ut gratiæ illius capax fiat : et quo sublimius quempiam evehere ac præclarioribus ornare virtutum et charismatum muneribus constituit, eo solet durioribus et acerbioribus, tum externis, tum internis eum doloribus affligere. Ita si cunctos superiorum temporum sanctos aspiciamus, ut quique Deo fuere charissimi, et vitæ sanctimonia præcellentius instructi, ita eos videbimus plura immanioraque perpessos cruciamenta. Putas si in hujusmodi cruciatibus et afflictionibus non maxima inesset utilitas, Deus benignissimus talibus amicos suos vexari permitteret ? Minime vero. Non enim delectatur pœnis nostris : et tamen affligit nos, quia cupit nos maximis afficere beneficiis gratiæ suæ : sed ea capere non sumus idonei, nisi prius bene purgemur : nihil tam efficax est ad purgandas et excoquendas animarum sordes, quam ignis tribulationum et vexationum temporalium. Quæ res multos permovit amicos Dei, præcipue martyres sanctos, ut ad immania quamvis tormenta haud aliter, quam ad epulas alacriter accurrerent, et quidpiam se pati posse gratularentur. Sicut etiam de Apostolis S. Lucas refert, quod gaudentes ierint a conspectu concilii quoniam digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam, imo et verbera pati. Nam flagellis tum cæsi erant. Huc etiam, ut scilicet adversa libentibus animis perferantur, multum confert non tam ipsa considerare adversa, quam amorem, benignitatem et benevolentiam ea nobis irrogantis Dei. Nihil enim unquam quidquam nobis in hac vita molestiæ vel doloris accidit, quin ex æterna et incomprehensibili Dei charitate proficiscatur. Dum igitur flagellis qualibuscumque nos invisit, cogitemus ex amantissimo et vere paterno corde ejus xenia præclarissima nobis donari : et licet ipsa per se molesta et aspera sint, tamen contemplatione mittentis Dei paulatim dulcescent. Quanto autem plus habent amaritudinis divinæ flagella misericordiæ, tanto majori ex benevolentia et dilectione ea manare prorsus certissimi simus. Atque utinam ea essemus animi fortitudine et constantia præditi, ut afflictiones avidissime sitiremus, quemadmodum Salvator noster unigenitus Dei Filius nihil æque tota vita sua appetiisse videtur. Imo in ipso Matris suæ utero crucem sibi tanquam sponsam gratissimam et electam ex millibus ardentissimo amore conjunxit, et usque ad ultimum vitæ articulum nullo quamvis brevissimo temporis spatio dereliquit. Et ut nulla electorum suorum ætas a cruce immunis esset, statim post ortum suum innocentissimos parvulos grandi numero, id est, ut habet Missa Æthiopica, quatuordecim millia crudeliter extingui permisit, quo simul etiam tanto gloriosius coronarentur. Quisquis igitur in membris Christi appetit numerari, crucem amplectatur, crucem semper et ubique ferat, a cruce nunquam se avelli patiatur : mollia autem et fallacia temporalium vanitatum et oblectamentorum blandimenta et illecebras carnis, tanquam insidiosissimum diaboli laqueum semper fugiat quantum potest.

Crux sua cuique quomodo ferenda.

Sed ne beatissimorum parvulorum, Christi Innocentium martyrum solemnitatem absque fructu nostro celebrare videamur, debemus, charissimi, ex eis quædam nobis imitanda sumere. Neque est quod putemus in tantilla ætate defuisse virtutes, quas etiam viros imitari deceat. Nam hoc ipso quod parvuli fuere, summam

Innocentes martyres quomodo imitandi sint.

Virtutes Innocentium quænam imitandæ sint.

in se nobis innocentiam, mansuetudinem, humilitatem, simplicitatem, pluresque alias virtutes exhibent. Unde etiam Christus ad beatam nos infantiam reducere cupiens : *Nisi,* inquit, *conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum.* Imitemur igitur primo parvulorum innocentiam, ne cui unquam noceamus. Nullus in animo rancor, nulla malevolentia, nulla nocendi libido, nullum odium resideat. Si quandoque subita subrepit iracundia, non retineatur : non hæreat animo, non erumpat in vindictam, sed mox sopita conquiescat. Imitemur etiam humilitatem. Parvuli quamvis divites non fastidiunt consortia pauperum parvulorum ; eadem facilitate junguntur infimæ sortis puerulis, ut maxime fortunatis : non se extollunt, non sunt ambitiosi, non suas opes aut generis dignitatem jactitant, non cupiunt aliis anteferri. Quid non in his est, quod omni christiano maxime sit expetendum ? Atque hæc omnia vere præstat humilitas, quæ virtus sicut est præcipue necessaria filiis gratiæ, quia Christo jubentur discere quod sit mitis et humilis corde : ita pene apud christianos omnes prorsus sepulta et explosa videtur. Si quis jam mundi fastum sectari nolit, sed Christi humilitatem in se malit utcumque exprimere, non aliter quam amens quispiam aut barbarus irridetur. Verum tanto nos magis oportet tam eximiam excolere virtutem. Hoc ipsum enim argumento est multum eam placere Deo, et invisam esse diabolo, quod insipientes et miseri filii seculi hujus usque adeo eam contemptui habent. Porro ad obtinendam veram humilitatem, maxime conducit agnitio sui, ut agnoscas propriam vilitatem et fragilitatem : quam quisquis bene agnoscit, non solum ea sibi imputat peccata, quantum quidem ad ipsum pertinet, in quæ prolapsus est, sed etiam in quæ prolabi potuisset et haud dubie prolapsurus fuisset, nisi Dei benignitate servatus esset, nisi occasiones et tentationes ipsi subtractæ essent, dicitque cum D. Bernardo ex sententia :

Matth. XVIII, 3.

Innocentia.

Humilitas.

Humilitati obtinendæ quænam necessaria sint.

Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo m nus cecidisset in omne peccatum anim mea. Atque hac consideratione non s extollit, etiamsi se sentiat non admodu graviter peccasse. Sic enim hoc non su virtutis, sed solius esse misericordiæ Dei nec facile sibi tribuit innocentiam, s potius mortalium omnium miserrimum confitetur. Nec opus est id ut simulat faciat. Nam revera ita est : et esset san miserrimus omnium, nisi divinitus pr tectus foret. In vitis Patrum de beatissim abbate quodam Sysois vocato exemplu memorabile profundissimæ humilitatis l gitur, quod cum multis annis sanctissim et severissime vixisset, videretque Angelo venientes, qui ejus animam ducerent i cœlum, petierit spatium sibi concedi, qu adhuc pœnitentiam ageret : et cum adsta tes fratres dicerent eum non habere opu pœnitentia, responderit nescire se si v initium pœnitentiæ fecisset. Ecce quantu ab ejus oculis omnem anteactam perfe ctissimam vitam summa humilitas absco dit, quæ eum non sinebat aspicere qui fecisset, sed quid esset ex seipso. Semper enim vera humilitas abscondit homi bona illius, tanquam quæ solius Dei sint : mala autem, quæ proprie nostra sunt, semper ob oculos ponit, nisi forte quandoque nimia animo obrepat pusillanimitas vel desperatio, propter quam utile sit et expediens recte facta sua ad memoriam revocare, quemadmodum Ezechias rex cum se moriturum putaret, flens dixit ad Dominum : *Memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim.*

Hæc humilitatis virtus in tantum placuit Deo in Beatissima semperque Virgine Maria, ut illius specie ac pulchritudine captus nimiumque delectatus, ultra se cohibere non posset, quin in ea et ex ea naturam humanam assumeret. Erant quidem in illa sacratissima Virgine plures aliæ, imo et omnis generis virtutes etiam in summo gradu, et tamen nulla sic regem

gloriæ illexisse et attraxisse videtur, ut ejus inæstimabilis humilitas. Potest hoc ipsius venerandæ Virginis testimonio comprobari. *Respexit,* inquit, Dominus *humilitatem ancillæ suæ.* Non dicit virginitatem, quæ in ea erat integerrima, non charitatem, non sapientiam, non quasvis alias virtutes, sed tantum humilitatem. Et quid mirum, si tantam apud Deum gratiam nobis conciliavit humilitas, quando superbia ex Angelis dæmones, ex paradisi habitatoribus exules et dæmonum servos fecit? Si enim tantum potuit nocere superbia, cur non multo amplius humilitas prodesset, cum superbia vel diabolicæ vel humanæ malitiæ vitium sit, humilitas autem donum gratiæ cœlestis? Sectemur hanc virtutem, dilectissimi, ut nos quoque apud Deum gratiam inveniamus. *Excelsus Dominus,* ait Propheta, sed *humilia respicit, alta autem,* id est, superbos *a longe cognoscit.* Atque idem ipse *superbis resistit,* at *humilibus dat gratiam.* O quam multi simplices et idiotæ suæ humilitatis merito ad maximam evecti sunt Dei familiaritatem, ubi contra multi philosophi, multi etiam seculi sapientes ob suam superbiam demersi sunt in cœnum stultissimarum opinionum et portentosarum hæresum, et quod magis horrendum est, in profundissimam tartari abyssum.

Sed pergamus nunc ad cæteras parvulorum virtutes commendandas, quæ etsi plures sint quam ut hoc loco commode tractari queant, ex iis tamen vel unam nempe simplicitatem vobis, charissimi, imitandam proponemus. Hanc enim ut christiani omnes sectarentur, Christus ipse admonuit ubi ait : *Estote simplices sicut columbæ :* quæ virtus etiam in S. Job divino testimonio laudatur, dicente Scriptura quod fuerit vir simplex. Hæc virtus præcipue ornat omnes e religione christianos, a quibus maxime abesse debet omnis duplicitas, omnis simulatio et hypocrisis, quippe qui simplicissimæ veritati, id est, Domino nostro Jesu Christo in baptismo nomen dedere. Absit igitur, ut quisquam quidquam erga proximum suum per fraudem, dolum et calliditatem gerat, absit ut quisquam mendaciorum cuniculis fratres evertere velit. Sit in omnibus vera et christiana simplicitas, qua sincere et ex animo cunctis gratificari, prodesse et opitulari pro sua quisque virili cupiamus, neque tamen pro hujuscemodi studiis et officiis benevolentiæ et charitatis, humanas captemus laudes : nam et id quoque duplicitatis est, quam Dominus condemnat, ubi ait : Nemo potest duobus dominis servire; sed simplici corde uni Deo ac Domino nostro in omnibus placere appetamus. Ita nimirum vere parvuli erimus, et faciemus satis dominicæ adhortationi qua ait : *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Jam finem sermoni nostro imponere liberet : sed quia superius multa de adversitatum tolerantia ac utilitate dicta sunt, quoddam hic exemplum memoratu dignissimum recitare placet, quod posset animos vestros ad adversorum perpessionem vehementer accendere. Neque me putetis narrare fabulam, sed rem gestam, quam fide dignissimus D. Joannes Cassianus Abbas in octava decima Collatione Patrum commemorat in hæc verba. Femina quædam haud obscuris orta majoribus, Alexandriæ degens in domo quæ ipsi a parentibus fuerat derelicta, religiose Domino deserviebat. Hæc igitur veniens ad beatæ memoriæ Athanasium Episcopum, precabatur ut aliquam sibi alendam viduam daret, quæ ecclesiasticis sumptibus pascebatur. Et ut petitionem ejus verbis ipsius exprimamus : Da mihi, inquit, aliquam de sororibus, in qua repausem. Sacerdos igitur cum laudasset propositum feminæ quod eam ad opus misericordiæ vidisset esse promptissimam, jussit ex omnibus eligi viduam, quæ et honestate morum et gravitate ac disciplina omnibus præferretur, ne forte desiderium largitatis percipientis vitio vinceretur, et quæ mercedem quæreret in egena, damnum fidei pravis ejus offensa moribus pateretur. Cui cum do-

Duplicitas quam displiceat Deo.

Matth. VI, 24.

Ib. XVIII, 3.

Paradigma.

mum adductæ omnibus deserviret obsequiis, virtutem modestiæ ejus ac lenitatis experta, videnque se ab ipsa momentis singulis gratiarum actione pro officio humanitatis honorari, post dies paucos ad memoratum revertitur sacerdotem : Rogaveram, inquiens, ut mihi dares quam ego reficerem et cui morigeris famularer obsequiis. Cumque ille necdum propositum feminæ ac desiderium intelligens, æstimasset petitionem ejus dissimulatione præpositi fuisse neglectam, causasque moræ illius non absque animi sui commotione perquirens, protinus agnovisset honestiorem ei cæteris viduam deputatam, occulte præcepit, ut ea illi quæ esset cunctis nequior traderetur : quæ scilicet vel iracundia, vel rixis, vel vinolentia, seu verbositate atque etiam vanitate cunctas, quibus hæc vitia dominarentur, excederet. Quam cum multo facilius inventam sibique traditam domi habere cœpisset, atque eadem ei diligentia qua priori illi viduæ vel etiam studiosius ministraret, hoc solum ab ea pro tantis obsequiis recipiebat gratiæ, ut indignis jugiter afficeretur injuriis, convitiis quoque ab ea exprobrationibusque continuis vexaretur, objiciente ei et maledicis obtrectationibus increpante , eo quod se non ad refrigerium, sed potius ad cruciatum et contumeliam ab Episcopo poposcisset, magisque se de requie ad laborem, quam de labore transtulisset ad requiem. Cum ergo assiduitas jurgiorum eo usque prorumperet, ut ne ab injectione quidem manuum procax mulier temperaret, illa autem humilioris obsequii ingeminaret officia, non furentem vincere renitendo, sed semetipsam humilius subjiciendo discebat, ut multimodis indignationibus lacessita, jurgantis insaniam humanitatis mansuetudine deliniret. Quibus ad plenum exercitiis confirmata, perfectamque virtutem desideratæ patientiæ consecuta, ad memoratum sacerdotem, tam pro electionis illius judicio, quam etiam pro beneficio exercitationis suæ gratias relatura perrexit, eo quod secundum desiderium suum tandem ei magistram patientiæ dignissimam providisset, cujus injuriis jugibus ut quodam palestræ oleo quotidie roborata ad summam animi patientiam perveniret. Tandem, inquiens, dedisti mihi in qua repausarem. Nam illa prior suis me potius honorabat ac refrigerabat obsequiis. En, dilectissimi, quantopere femina hæc, ut ejusdem D. Joannis Cassiani, ex quo ista descripsimus, verbis utar, non solum tentationum non vitarit incursus, sed etiam molestiarum sibi occasiones procurarit. Ut igitur tandem finem nostro sermoni imponamus, discamus, obsecro, vana mundi blandimenta floccipendere, discamus pro Deo et amore Dei libenter adversa perpeti, certi quod blanda plerumque fallacia, adversa vero semper salutaria sint. Imitemur beatissimorum Innocentium martyrum innocentiam, imitemur humilitatem, atque eorum quoad possumus simplicitatem vere columbinam sectemur, non ita tamen ut sensibus sed malitia parvuli simus. Atque ut ad hæc, imo et ad virtutes omnes excolendas ac apprehendendas magis simus apti et instructi, vitemus immoderatam voluptatem quæ ex cibo potuque capitur, vitemus somni intemperantiam ac nimietatem, vitemus occupationes, et studia infrugifera, vitemus animi multiplicem distractionem ac dilacerationem, vitemus confabulationes et inaniloquia, vitemus omnem duplicitatem et hypocrisim, vitemus denique rerum labentium ac vilium appetitiones. Hæc septem quisquis bene vitaverit, facile virtutes omnes adipiscetur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Sancto Spiritu una est gloria ac indissimilis potestas per infinita secula seculorum, Amen.

IN SOLEMNITATE

CIRCUMCISIONIS DOMINI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

APPARUIT benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos : sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ, in Christo Jesu Domino nostro. *Ad Tit. III.*

POSTQUAM Apostolus, quam vitiosi, mali malignique fuimus ante conversionem et viles, monstraverat, quid ex gratia Dei jam simus, quid Christi nobis contulerit incarnatio, indicat hac lectione, dicens : Apparuit nobis benignitas Dei, misericordiæ suæ largitatem in nos effundens, simul ac humanitas Salvatoris nostri Dei, puta a Christo Dei Filio assumpta, se nobis in sua nativitate manifestans, nobis illuxit. Inde enim salus nobis orta est. Neque enim hæc venit ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos : quia hæc nulla feceramus, unde salus nobis proveniret, nec unde meruissemus, ut salus nobis proveniret : sed ipse secundum misericordiam suam nos iniquos ac perditos salvos effecit, et hoc per lavacrum, seu baptisma, quo sumus regenerati et innovati, veniente in nos Spiritu Sancto, per quem datur nobis remissio peccatorum. Vide tamen, quia hic alibique sæpius, ubi dicimur salvi facti, non, ut quidam, perperam intelligas de salute ultima, quæ nobis promittitur : illam enim nondum assecuti sumus, nisi in spe : quamvis hæc adeo (si tamen ipsi nos per peccata impedire, et per impœnitentiam a nobis Dei gratiam excludere noluerimus) est nobis certa, ut jam dicamur salvi facti : quo intelligimus nos in statum, quo salvari possumus, perductos. Quod nisi ita intelligatur, nullus foret christianorum, qui damnaretur : quod manifesto apparebit falsum. Multi enim a sinistris erunt, et plures quam a dextris, judicandi et reprobandi : inter quos non pauci erunt christiani nomine, ac fide per charitatem non viventes : *quia multi sunt vocati, pauci vero electi.* Itaque *empti sumus pretio magno,* hoc est, sanguine immaculati Agni Christi Jesu. Et hæc redemptio in baptismo nobis communicata est : quia merito conversationis et passionis suæ nos salvos a jugo diaboli, et a servitute peccati fecit, ut jam (quomodo alibi dicitur) *spe salvi facti sumus,* nondum re. Neque enim adeo sumus propter mutabilitatem arbitrii nostri securi, ut a salute nostra non valeamus denuo excidere. Quod tamen si ita contingat, ex culpa sola est nostra. Igitur per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos per varia dona

Matth. XXII, 14. I. *Cor.* VI, 20.

Rom. VIII, 24.

Posse quemque christianorum per culpam a salute excidere.

abunde, hæc salus et redemptio nostra nobis operata est per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut non nostris meritis, sed ipsius gratia justificati atque a peccatis exuti, per spem quoque simus hæredes vitæ æternæ.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, LUCÆ II.

CHRISTO Domino nostro Dei Filio incarnato et nato ex Maria Virgine, mansit exigua hæc familia, Joseph puta et Maria cum Infante in domo, ubi Virgo pepererat. Voluit autem Beatissima Virgo per omnia subdere se legi, nec ulla gaudere, quantum legis attinet observantiam, prærogativa. Eam ob rem, licet virgo conceperat absque viro, filium virgo pepererat, quomodo tamen purificationis ritum suscepit, ita etiam ingressu templi et consuetudine hominum, legi obediens, abstinuit, puerumque circumcidi fecit : tametsi nullo pacto legi adstringebatur ipsa, sed palam eximebatur ; lege dicente : *Mulier quæ suscepto semine, etc.* Quod prorsus erat a Beatissima Virgine Maria alienum. Tamen ut dixi, noluit apparere singularis, sed ex humilitate se conformare cæteris. Ideo ab exordio nostræ salutis, a nativitate Infantis, postquam consummati sunt dies octo (octavo enim die nativitatis necesse erat circumcidi puerum), Infans Dei et Virginis filius circumcisus est. Quod Evangelista breviter sic refert :

Levit. XII, 2.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.

Præceptum datum erat Abrahæ, ut Geneseos habet Liber, de circumcidendo omni masculino. Ita enim dictum est illi : Ego *statuam pactum meum inter me et te, et semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui post te. Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis : eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Vides igitur, quam erat necessaria circumcisio sub lege, et a tempore Abrahæ usque ad Christum. Si interrogas, quare erat necessaria ? dicendum, ideo, quia a Deo præcepta et instituta, non omni populo, sed genti tantum Hebræorum : hoc est, Abrahæ, filiis ejus ac universæ posteritati ejus, quamdiu genti essent Hebræorum adunati. Si quæris, quare fuerit instituta circumcisio ? dicendum in remedium originalis peccati. Adam enim peccans atque præcepti sibi dati a Deo transgressor, originalem justitiam in qua creatus fuerat amisit, et sententiam damnationemque Dei, dicentis : *In quacumque die comederis de ligno hoc, morte morieris*, incidit et seipsum universamque suam posteritatem immortalitate hæreditateque cœlesti privavit. Hujus enim originalis peccati hujusque sententiæ divinæ latæ super genus et posteritatem Adæ, omnes quotquot ex ipsius semine nascimur, participes efficimur.

Gen. XVII, passim.

Verumtamen, misericordia Dei noluit nos omnino perire, sed contra hoc peccatum originale remedia mundo nullo non tempore providit, ne perpetuo essemus damnati : sed in Christum, sive olim nasciturum ac promissum, sive jam natum, quisquis crederet, salvus esset. Eadem

enim fides est omnium, eorum scilicet qui Christi præcesserunt incarnationem, et qui sequuntur. In eumdem nempe Redemptorem pariter credimus, qui ante Christum et post Christum nati sumus: nisi quod pro tempore veteris Testamenti, patres illi crediderunt in venturum, nos in eum qui jam venit. Hujus fidei protestatio seu professio quædam fuit sub lege naturæ sacrificium aut Dei cultus. A tempore vero Abrahæ, et sub lege scripta circumcisio, quæ a tempore illo usque ad Christi passionem durabat; nunc vero sub lege gratiæ baptismus. His remediis liberamur ab originali peccato, quamvis nullum remedium ante baptismum institutum, et antequam Christus pro omnibus nostris peccatis satisfecit, aperire nobis potuerit regnum cœlorum, sicut hic dicit Beda in homilia: Scire debet fraternitas vestra, quæ idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus revelatæ gratiæ tempore agere consuevit: excepto quod cœlestis regni januam necdum intrare poterant, donec adveniens benedictionem daret, qui legem dedit. Quod tamen ita intelligendum non est, quod circumcisio, sicut nec alia sacramenta veteris legis, hominem justificaverit (quia contrarium ad Romanos scribit Paulus), quod contulerit dederitve gratiam ex opere operato, seu ex virtute sacramenti, sed erat signum et protestatio fidei justificantis. De his autem qui sub lege vixerunt naturæ, testatur D. Gregorius dicens: Quod apud nos jam valet aqua baptismi, hoc apud veteres potuit pro infantibus fides (puta actus ille exterior, quo fidem protestabatur suam parentes pro puero), in adultis vero virtus sacrificii et oblationis. Itaque ut Beda testatur, utraque purificatio, circumcisionis videlicet in lege et in Evangelio baptismatis, tollendæ prævaricationis primæ gratia posita est. Et ne cui seculi labentis ætati superni respectus munera deessent, illi quoque qui a mundi exordio, usque ad tempora datæ circumcisionis, vel post datam circumcisionem, de aliis nationibus placuerunt Deo, vel hostiarum oblationibus, vel sola certæ fidei virtute suas Deo suoque Creatori animas commendantes, a primi reatus vinculis absolvere se curabant. Quod si quis dixerit, cum fides et oblatio sive sacrificium, sub lege etiam naturæ, essent in remedium originalis peccati, quid opus fuit ut institueretur circumcisio? Dicendum, circumcisionem datam esse, non solum ad purgationem et in remedium originalis peccati, sed etiam in signum distinctionis ab aliis nationibus, quo scilicet discerneretur hic populus Deo electus atque peculiaris, ex quo Christus erat nasciturus, singulari sanctitate, præ aliis populis charus Deoque dilectus. Atque ideo huic soli populo Hebræorum in signum distinctionis erat circumcisio danda. Sed, inquis, quare potius id tempore factum est Abrahæ? Quare non antea, aut post? Dicendum: Ante Abrahæ tempora non fuit necessarium propterea quod tunc pene omnes erant fideles, nec clara erat aliqua promissio de Christo. Abrahæ vero tempore cœpit idololatria et peccatum contra naturam. Abundare quoque cœpit et crescere omnis iniquitas. Quare tunc etiam recte promissio erat facienda de Christo nascituro, qui peccata mundaret, signum quoque fidei ponendum erat contra infidelitatem, et signum castitatis contra luxuriam: quæ (ut dixi) cœperat abundare. Hujusmodi itaque Deus sibi populum segregare cupiens sanctum, ex quo nasceretur, Abrahæ dedit de circumcisione præceptum, in signum fœderis ac pacti sempiterni cum eo, et cum semine ejus, hoc est, in signum nascituri Christi ex semine ejus.

Circumcisio cur data sit Abrahæ.

Idololatria et peccatum contra naturam quando ortum cœperint.

Exhibuit autem Abrahæ benignitatem et dilectionem magnam Deus: atque (ut ita dicam) singularem amicitiam ad Isaac filium ejus, ad Jacob quoque filium Isaac ostendit. A quorum sanctitate dum inciperent degenerare eorum filii et filiorum filii, tempore Moysis denuo universum populum ex Abraham per Isaac et Jacob (ad

quos facta erat repromissio) natum sibi segregavit, atque lege data restrinxit. Ante igitur quam legem daret, necesse erat gentem cui legem esset daturus, puta semen Abrahæ, in Abraham adoptare, signoque circumcisionis (hanc cui faciebat repromissionem de Christo nascituro) ab aliis distinguere. Circumcidebatur itaque solus hic populus peculiaris, aut ex Abraham genitus, aut ei familiaris: hoc est, vernaculus et emptitius, et qui in Judæorum voluit transire coloniam. Quia soli huic populo præceptum a Deo hoc datum fuit pro maribus, non pro feminis. Eva enim si sola transgressa fuisset Dei præceptum sine viro, mansisset Adæ et nobis omnibus originalis justitia. Per Adam igitur mors in omnes intravit, ideo singuli mares purgatione egebant, dum mulieribus interim fides sufficeret. Verum, objicis fortasse, cur Christus voluit circumcidi, quum fuerit ab omni culpa alienus? Licet enim veritatem assumpserit carnis, non tamen assumpsit veritatem carnis peccati, sed similitudinem sicut scriptum est: Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus, misit Filium suum in similitudinem carnis peccati. Si ergo Christus carnem habens, peccatum autem aut carnem peccati non habens, voluit circumcidi, quæ illius circumcisionis ratio fuit? Dicendum, id factum fierique convenisse: Primo, ad Judaicæ perfidiæ confutationem. Futurum enim erat, ut ipse (quemadmodum Apostolus ait) per semetipsum evangelizando minister foret circumcisionis propter veritatem Dei, et ad implendas promissiones patrum. Ne ergo justam prætendere possent occasionem Judæi, ad refutandam illius doctrinam, aut rationem prætendere, quare Christum non reciperent, voluit circumcidi. Nisi enim circumcisus fuisset, dixissent patribus dissimilem, nec de gente ipsum esse Judæorum, aut semine Abrahæ, unde Christus foret nasciturus atque idcirco nec David esse filium, nec Christum. Ut igitur nihil illis relinqueretur, quo suæ malignitatis obumbrarent invidiam, aut se excusarent, voluit circumcidi, et in se circumcisionem finire. Acceperat enim Abraham circumcisionem in signum fœderis inter Deum et se, et quod semini ejus Deus daturus esset terram hanc promissionis, et in ejus semine benedicerentur omnes gentes. Quod quid aliud fuit, quam quod ex eo foret nasciturus Christus, in quo omnes nos benediceremur, atque per fidem filii Abrahæ facti, fratres vero Christi, per eumdem possideremus portas inimicorum nostrorum, possideremus terram promissionis, quæ figurabat terram viventium, hoc est, cœlestem patriam. Credidit igitur Abraham Deo, scilicet in seminis promissione, quod esset sibi futurum, in quo benedicerentur omnes gentes, et fidei suæ signum a Deo accepit, ut inter illum semenque ejus et Deum esset fœdus sempiternum. Cujus tam fidei Abrahæ, quam fœderis divini, signum erat circumcisio. Quisquis igitur Abrahæ fidem imitans circumcidebatur, ipsa circumcisione se semen illud, hoc est, Christum nasciturum exspectare profitebatur. Circumcisio enim futuri seminis exspectandi professio erat. Neque enim de seminibus Abrahæ promissio facta est, tanquam de multis, sed de semine uno, qui est Christus. Hinc jam liquet, quare circumcisio jam abolita est, et per Christum est finita: adeo ut si quis circumcideret se, Christum negaret, quia et Apostolus dicit: *Si circumcidimini, Christus nihil vobis prodest.* Loquebatur autem gentibus ad Christum conversis. Sed quare Christus illis non prodesset? Quia circumcidendo se, testarentur se Christum exspectare venturum, qui jam venit: quod est Christum negare. Nam si alius exspectatur adhuc venturus Christus, fuisse Christus ille qui venit negatur. Abolita igitur atque prorsus illicita est posthac circumcisio. Quod si Judæi dicant, perpetuo circumcisionem mansuram, propterea quod Abraham dixerit Deus: *Statuam pactum meum inter me et te, et semen tuum post te in generationes suas fœdere sempiterno;* et iterum: *Eritque pactum*

Quinam olim circumcidebantur.

Mulieres quomodo olim a peccato originis purgabantur.

Christus cur circumcidi voluerit.

Rom. VIII, 3.

Circumcisionis Christi ratio triplex quæ.

meum in carne vestra in fœdus æternum. Sed respondendum illis, circumcisionem non esse fœdus, sed signum fœderis, sicut dixit ad Abraham Deus eodem loco : *Circumcidetis omne masculinum,* etc. *ut sit signum fœderis inter me et vos, et semen vestrum.* Fœdus itaque Dei, sive pactum nobiscum manet æternum perpetuumque. At signum fœderis nihil obstat mutari. Secundo, Christus voluit circumcidi, propter exemplum, et ad instructionem humilitatis. Qui enim nativitatis suæ die paulo minus minoratus ab Angelis, *habitu inventus est ut homo,* hodie ab Angelis multo magis minoratus est, non solum formam hominis, sed etiam formam exhibens peccatoris. Puerum Jesum alloquens Bernardus, dicit : Ad quid tibi circumcisio necessaria, qui peccatum non commisisti nec contraxisti? Quod ipse non feceris, ætas manifestat : quod non contraxeris, multo certius probat Patris divinitas, et integritas Matris. Summus sacerdos es, quem nec super Patre, nec super Matre contaminandum prophetatum est in lege, potius quam mandatum. Est enim tibi Pater ab æterno, sed Deus est, in quem peccatum non cadit. Est et Mater ex tempore, sed virgo, nec parere potuit incorruptio corruptelam. Super hæc omnia circumcidetur puer, agnus sine macula : et si non eguit, tamen voluit circumcidi. Nec vestigium quidem ullum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Sed non sic agit perversitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum alligaturam, qui de vulneribus etiam interdum gloriamur. Quem nemo arguere potest de peccato, ipse peccati remedium et verecundum pariter et austerum sine ulla necessitate suscepit. Nos e contrario inverecundi ad obscœnitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam (quod externæ dementiæ est); male proni in vulnera, pejus in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est peccatorem se reputari : nos et esse volumus, et non æstimari. Itane sano opus est medicina, et non potius male habentibus? Sed Christus patienter quæ non rapuit, exolvit, qui venit purgationem facere non suscipere delictorum. Sed dicis : Quidni susciperet parvulus? Imo vero, quidni susciperet humilis et mansuetus? Quidni obmutesceret coram circumcidente, qui coram tondente obmutuit, coram crucifigente siluit? Alioquin non erat illi difficile carnem suam integram servare, ne scinderetur, qui fecerat, ne virginalis uteri porta in exitu suo aperiretur. Non erat difficile parvulo prohibere, ne caro illa circumcideretur, quando nec mortuo difficile fuit custodire, ne corrumperetur. Hoc igitur nos exemplo docere voluit, ut qui adeo sumus proni ad vulnera suscipienda, hoc est, ad delicta admittenda, tardi ad remedia, discamus pro remediis esse solliciti ad exuenda sanandaque delicta: quandoquidem ille, in quo peccatum non fuit, peccati remedium admisit. Tertio, ut doceret nos spiritualiter circumcidendos, voluit ipse corporaliter circumcidi. Debemus enim circumcidi, tam interne, quam externe. Primo, quantum ad ea spectat quæ extra nos sunt, debemus circumcidi, resecando superflua : quod Christus docuit, dicens : *Verumtamen quod superest, date eleemosynam.* Et alibi : *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* De duabus tunicis loquitur, quando alteram dare jubetur non habenti. Nam unam habens, non habet quod inde tribuat. Si enim una tunica dividitur, nemo est qui vestitur. Et Joannes Apostolus : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab illo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Secundo debemus linguam nostram circumcidere a detractione, contentione et otioso sermone. Siquidem Christus dicit : De omni verbo otioso reddendam hominibus rationem in die judicii. Si otiose nobis loqui Christus non concedit, quid monachorum arguimus instituta, qui propter cavendum sermonem otiosum, silentium inducunt? Calumniator igitur est, quisquis reprehendit id, quod ne Evangelium trans-

Quomodo spiritualiter homo circumcidere se debeat.

Luc. XI,41.

Ibid. III, 11.

I. *Joann.* III, 17.

Lingua quomodo sit circumcidenda.

Otiosa verba quam vitanda.

Sensus nostri quomodo circumcidendi sint.

grediatur, custoditur. Tertio, sensus nostros circumcidere debemus a vanitate. Prohibemur enim in Scriptura oculos habere sublimes vagosque. Nisi enim pudicos habeamus oculos et aures, non possumus castum habere cor. Quæ enim videmus, hæc meditamus et concupiscimus. Quæ autem quis nunquam vidit, nunquam etiam concupiscit. Quamobrem prudenter oculos suos circumciderat, qui dixit : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de virgine.* Breviter, omnia in nobis debemus circumcidere, quæ nos coram Deo dehonestant. Quidquid ejus oculis ingratum didicerimus, circumcidendum est nobis. Hæc circumcisio purgat, nosque commendat Deo. Hujus circumcisionis alia, quæ est legalis et Abrahæ data, fuit figura, et significabat resurrectionem futuram, qua circumcidemur ab omni corruptione et defectu corporali.

Job XXXI, 1.

Circumcisio mystica quam grata sit Deo.

Vocatum est nomen ejus Jesus.

Nominis impositionem in circumcisione fieri traditio creditur habuisse antiqua a tempore Abrahæ. Idcirco hic quoque Christus nomen accepit, quod ab æterno habuit. Hoc est, nomen ejus hodie evulgatum est, quod habet æternum. Vocatum est enim nomen ejus Jesus, id est, Salvator. Hoc certe nomen, quoad rem præcipue, diu est exspectatum, diu desideratum, hodie est exhibitum. Olim enim *longe* erat *a peccatoribus salus.* Petebatur, sed non sentiebatur ut prope esset Dominus omnibus invocantibus illum. Sentiebatur magis et vocabatur etiam Deus ultionum Dominus, Deus judicii, Deus exercituum, et hujusmodi : quibus nominibus satiatus David petiit, dicens : *Dic animæ meæ : Salus tua ego sum.* Quasi dicat : Satis sensimus te vindicem iniquitatum, Deum judicii, Dominum exercituum. Absconde nunc nomina potestatis : audiamus nomen benignitatis. Sentiamus nomen bonitatis et salutis. Quod hodie impletum est, ut in Epistola significatur hodierna : *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Hoc est nomen quod impositum est a Patre Deo, sicut in Esdra legitur : *Revelabitur filius meus Jesus cum his qui cum eo jucundabuntur.* Et iterum : *Et erit post annos hos, et morietur filius meus Jesus, et convertetur seculum.* A prophetis quoque hoc nomen est cognitum : Unde Habacuc dicit : *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.* Nomen denique hoc est ab Angelo revelatum. Dictum namque fuit Beatæ Mariæ per Angelum : *Vocabis nomen ejus Jesum.* Ad sanctum Joseph quoque cum gravidam cerneret conjugem suam Virginem Mariam, et turbaretur, Angelus dixit : *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Nomen etiam hoc ab Apostolis est prædicatum. *Non est enim,* inquit Petrus, *aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Est et hoc nomen ab omni creatura honoratum. *In nomine* enim *Jesu omne genu flectetur cœlestium, terrestrium et infernorum.*

Nomina in circumcisione olim imponi solita.

Ps. CXVIII, 155.

Ib. XXXIV, 3.

Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.

Antequam Angelo consensisset Beatissima Maria ad concipiendum Filium Dei, revelatum est ab Angelo nomen hoc sanctum. Ubi sciendum, quando nomina ab hominibus imponebantur, plerumque ab eventu infantes nomina sortitos fuisse ut Phares, qui ita vocatus est propter eventum divisionis maceriei. Et Esau, quia rufus, et Gersam filius Moysi, quia pater ejus advena in terra erat aliena. Et Manasses filius Joseph, et alii multi, quorum nominum rationem Scriptura suis in locis explicat. At vero, quando Deus nomen imponit, ex ipso nomine significat donum aliquod gratiæ ei, cui nomen imponitur, collatum. Sic Christo collatum est, ut salvaret omnes : idcirco vocatum est nomen ejus Jesus, ut Evangelista ait : *Ipse enim*

salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Quapropter, charissimi, quia scriptum est : *Et erit, ut omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit,* invocemus in hoc nomine, et petamus ea, quæ nobis salutaria sunt. Neque enim fieri potest, ut aliquid in hujus nomine petentibus negetur ab eo, qui est benedictus Deus in secula, Amen.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

QUID NOBIS SIT JESU NOMEN, ET UNDE EFFICIAMUR FILII DEI.

VOCATUM *est nomen ejus Jesus.* Lucæ II, 21.

Duplex hodie nobis servanda est Jesu memoria. Siquidem hodie primo sanguinem pro nobis suum adhuc infans tenellus fudit, circumcisus, Matrique teneræ haud dubium compassionis vulnus acerbum inflixit, ipse vehementer dolens. Neque enim in eo locum habuit, quod de cæteris solet dici infantibus, quod minorem sentiant dolorem in principio suæ infantiæ, propterea quod minorem tunc habeant imaginationem. Certe hoc de Christo non potuit dici infante. Omnia enim in eo erant perfecta in primo puncto temporis, quo fuit in utero Virginis incarnatus. Hoc igitur primum est, quod Deo pro sanguinis ejus effusione agere debemus gratias.

Secundum, quod salvificum sibi nomen imponi voluit. Nomen, quod tantæ foret dulcedinis, tanti amoris, tantæ reverentiæ denique, ut nemini illud non gratum, nemini non consolatorium ac suave sit. Quis enim unquam dulce hoc nomen horruit? *Cantate igitur et benedicite nomini ejus, annuntiate de die in diem salutare ejus. Confitemini,* inquam, *et benedicite nomini ejus, quia exaltatum est nomen ejus solius.* Exultate Domino quia venit, quoniam venit non judicare, sed salvare terram. Bene autem simul refertur, infantem Christum circumcisum, et Jesum vocatum. Quod enim circumciditur, infirmitatem carnis demonstrat : quod Jesus vocatur, potestatem divinitatis. Est enim nobis salus tantum in Deo nostro. Nam ut S. dicit Bernardus, magnum hic et mirabile est sacramentum. Circumciditur puer, et vocatur Jesus. Quid sibi vult ista connexio? Circumcisio nempe salvandi magis quam Salvatoris esse videtur : et Salvatorem circumcidere magis decet quam circumcidi. Sed agnosce mediatorem Dei et hominum, qui ab ipso suæ nativitatis exordio, divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fecunditatis fructus sic accedit, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur, sed ipsi panni angelicis laudibus honorantur. Absconditur in præsepio, sed proditur stella radiante de cœlo. Sic et circumcisio veritatem probat susceptæ humanitatis, et nomen, quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius : Jesus vocatur, tanquam Filius Dei. Hoc autem nomen Verbum Deus ex tunc habuit, ex quo caro vel homo factus est. Sed causa, cur facto homini tale nomen positum est, non ex natura humana, sed ex divina virtute pendet. Unde enim nos salvat aut Salvator noster est, nisi ex eo quod non homo tantum sed et etiam Deus est? De hoc nomine in Canticis scriptum est : *Oleum effusum nomen tuum :* aut, ut alia habet translatio, unguentum effusum nomen tuum. Tres conditiones sunt olei, huic nomini sancto peculiares. Lucet enim oleum, pascit et ungit. Dicitur autem lucere, quia fovet ignem. Nutrit carnem, idcirco cibus est, aut condimentum cibi.

Cant. 1, 2.

Olei conditiones tres nomini Jesu peculiares.

Doloremque lenit, atque ideo medicina est. Jam vide si non hæ conveniant nomini Jesu proprietates. Lucet nomen Jesu prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. Est itaque, ut dixi, primo lux. Quod autem lux sit, divinus testatur Bernardus, dicens : Unde putas in toto orbe terrarum tanta et tam subita fidei lux, nisi de prædicato Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum? Quibus illuminatis, et in isto lumine videntibus lumen, dicat merito Apostolus : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hoc denique est nomen, quod coram regibus et gentibus et filiis Israel portare jussus est idem Apostolus. Ob quam rem, nisi ut hoc illuminaretur nomine quicumque venerit in hunc mundum? Quibus illuminatis vere diceret Apostolus : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Tenebræ ex vobis, lux autem in Domino Jesu. Secundo est nomen Jesu cibus. De quo loquens Bernardus : An non toties confortaris, quoties Jesu recordaris? Quid æque, inquit, mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infundatur. Insipidus est, si non hoc sale condiatur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi ibi sonuerit Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Tertio, est nomen Jesu medicina. Siquidem per hujus sancti nominis virtutem, remissionem accipimus peccatorum. Quod sancto Joseph Angelus clare explicans : *Vocabis,* inquit, *nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et Joannes in Epistola : *Scribo vobis,* inquit, *filioli, quoniam remittuntur vobis peccata in nomine ejus.* Et beatus Petrus : *Huic,* inquit, *omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere peccatorum per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Nulla igitur confidentia justior, quam a Salvatore peccatorum remissionem petere, rogare a Jesu salutem. Hoc enim vere in nomine Jesu est petere, petere ea propter quæ Christus ipse, qui hoc nomen sibi delegit, descendens de cœlis, venit in mundum, propter nos incarnatus est, passus est, et mortuus est. Et quid est, propter quod maxime venit in mundum? Nonne ut nos Patri suo reconciliaret, salvosque nos faceret a peccatis scilicet nostris? Est igitur nobis Christus medicina. Nihil enim, ut verbis utar Bernardi, ita iræ impetum cohibet, superbiæ sedat tumorem, sanat livoris vulnera, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Non autem putemus in litteris aut syllabis his consistere tantam virtutem, efficaciam ac medicinam : sed in re, quæ litteris significatur. Siquidem, cum nomino, inquit Bernardus, Jesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanet et roboret adjutorio. Hæc omnia mihi sonant et simul, cum insonuerit Jesus. Habes itaque in nomine Jesu unde actus tuos corrigas, vel minus perfectos adimpleas : itemque unde sensus tuos aut serves ne corrumpantur, aut si corrumpantur, sanes. Secundo, nobis hoc nomen est medicina, quia necessaria nobis impetrat ad salutem. Multis egemus omnes, sumusque ante ostium Domini quotidie mendicantes. Neque enim peccatorum duntaxat remissio, vulnerumque curatio est nobis necessaria, nec hac tantum re egemus ut purgemur : sed ut et reficiamur, sustentemur, confortemur, ut evitemus denique pericula et adversa. In omnibus his ad virtutem nominis Jesu recurramus oportet. Sese enim Dominus noster Jesus Christus, quidquid a Patre quæsierimus, mediatorem salubriter vult agnosci, adeo ut nemo ad Patrem venire, nisi per illum, nemo a

Nomen Jesu quomodo sit lux. *Bernard.*

I. *Petr.* II, 9.

Ephes. V, 8.

Ibid.

Nomen Jesu uti sit cibus. *Bernard.*

Nomen Jesu quomodo sit medicina.

Matth. I, 21.

I. *Joann.* II, 12.

Act. X, 43.

Patre quid possit impetrare, nisi per illum. Est igitur primo nomen hoc Jesus desolatis omnibus in refugium, est spes vera unicaque pœnitentium. Nam *quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Est deinde ægrotantibus et infirmis remedium, quod in Evangelio dicit Dominus : *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent : et si quid mortiferum biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Videsne quantas virtutes hoc nomen Jesus interpellatum impetrat ? Tertio, est pugnantibus omnibus in præsidium. Nam in Christi nomine, dixit sanctus Martinus, hostium cuneos transibo securus. Sancta Agatha quoque : Si feras, inquit, adhibueris, audito Jesu nomine, mansuescunt. Et discipuli, ait Lucas, reversi ad Dominum, dixerunt : *Domine, in nomine tuo etiam dæmonia subjiciuntur nobis.* Non sunt autem subjecta dæmonia, nisi vincantur : non autem vincuntur, nisi in nomine Domini Jesu Christi. Ipse enim fortem illum armatum vicit, et omnia ejus spolia distribuit. Hæc sciebat David quoque, qui adversum se venientem Goliam alloquens, dicebat : *Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei Israel.* Hoc modo nos quoque per invocationem nominis Domini oportet vincere, ut cum Psalmista dicamus : *In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Est enim, ut in Proverbiis dicit Salomon, *turris fortissima nomen Domini, ad ipsam confugiet justus et liberabitur.* Quarto, hoc nomen benedictum patientibus est in solatium : *Ibant,* inquit Lucas, *gaudentes Apostoli a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et quid Apostolus Paulus dicebat Agabo Prophetæ ? *Ego,* inquit, *non solum alligari, sed et mori paratus sum pro nomine Domini Jesu.* Hæc autem adversa et calamitosa, ut sunt carceres, mundi persecutiones, odia, pœnæ, et hujusmodi alia, alioqui molesta, quam tolerabilia et suavia facit amor Jesu ? Quam dulcis fuit Apostolis inter adversa recordatio illa suavis verborum Christi : *Hæc autem facient vobis propter nomen meum ?* Hoc est : persequentur vos, occident vos, propter nomen meum : hoc est, in odium nominis mei. Ipsi quidem hostes hæc mala inferent vobis, propter odium nominis mei. Vos autem hæc omnia ob amorem nominis mei sufferetis. Si impiis est gaudium, quod odio nominis mei vos persequuntur : sit vobis e diverso quoque gaudium et consolatio, quod mei nomine patimini. Quid enim aliud fecit sanctos martyres exultare in pœnis, nisi quia non patiebantur ut scelesti, puta ut latrones, homicidæ et flagitiosi alii ? sed patiebantur amore Jesu Christi : cujus amor omnia gravia et intolerabilia, faciebat levia, imo et suavia ac desiderata. Esto, pœna sentiebatur ut pœna, dolor sit dolor martyribus : testimonium tamen altissimum quod moriendo reddere se veritati cognoscebant et Christi nomini, Christi quoque amor, cujus gratia et contemplatione hæc tolerabant, et securitas futuræ exspectationis martyres tanta intus replevit virtute, tanta gratia, tanto amore et tanta devotione ac consolatione, ut non solum non ⌜gravia aut immania se cogitarent sustinere, sed propter desiderium placendi ac opus acceptum offerendi Deo, nollent etiam his, alioqui tristibus doloribus ac pœnis carere. Neque enim in ea, quæ patiebantur, animum figebant, sed in eum, cujus amore et intuitu sustinebant. Qui cum cordibus illorum adeo esset charus, adeo pretiosus, adeo suavis, nihil putabant sufficere, in ejus honorem et in ipsius gloriam quidquid paterentur etiam, quia nihil se fecisse, nihil adhuc passos se esse arbitrabantur, nisi universa quæ habebant, ac tandem vitam pro illius amore in mortem tradidissent.

Joann. XV, 21.

Martyres sanctos quid fecerit exultare in pœnis.

Nomen Christi quam insuperabile robur indiderit martyribus.

Quinto, est nomen Jesu credentibus in honorem et fastigium. Siquidem *dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus.* Quid honoratius nominari, quid, ut ita dicam, etiam ambitiosius pos-

Nomen Jesu uti credentibus sit in honorem et fastigium.

Joann. I, 12.

set desiderari, quam esse filium Dei? Omnibus tamen data est facultas fieri filios Dei, his puta, qui credunt in nomine ejus. Nolite cogitare, o filii hominum, ut sitis potentes et magni in terra. Filii hujus mundi de terra sunt, et terrena loquuntur, terrena cogitant et terrena ambiunt : quia ibi est cor eorum, ubi est eorum thesaurus. Quia enim terrena pretiosum æstimant thesaurum, ideo hunc quærunt. Hunc si inveniunt, cum gaudio et amore possident, cujus etiam amore, et Deum, et omnia ipsius dona spernunt. Vos autem, filii adoptionis, non sic, thesaurum supremum esse æstimate, esse filios Dei. Hunc desiderate, hunc quærite, et amore hujus mundana caducaque omnia spernite, abjicite, conculcate. Hunc si obtinueritis, summopere et humilitate maxima custodite.

Filios Dei constituti quanti sit nobilitatis.

Sexto, est nomen Jesu amantibus in suspirium. Nam sponsa in Canticis antequam diceret : Oleum effusum nomen tuum (puta quod tam esset odoriferum, ut abscondi non posset), dicebat : *Trahe me post te, curremus* simul *in odorem unguentorum tuorum.* Senserat ejus nominis odoriferi fragrantiam, ideo non solum ut sequeretur, sed ut curreret etiam post illum, precabatur, pellecta odore unguentorum ejus. Trahe me, inquit, post te. Invitat me odor tuus, trahit me amor tui et desiderium, sed non adeo ut curram. Jam, quæso, non solum afficiat, non solum alliciat, sed trahat me quoque tui amor, quo ego cum meis in amore sodalibus dicere possim : *Curremus* simul *in odorem unguentorum tuorum.* Hoc idem ne Isaias quidem propheta ignorabat, dicens: *Domine, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ.* Hoc est nomen quod beatus Ignatius martyr in corde suo scriptum circumferebat, sentiens in se illud inscriptum cordi suo, propter amoris illius vehementiam. Quod quia in vita dixerat in se scriptum, post ejus martyrium consummatum, corpore exciso et aperto, in ejus corde inventum est nomen Domini Jesu aureis litteris scriptum.

Nomen Jesu quomodo sit amantibus in suspirium.

Cant. I, 1.

Is. XXVI, 8.

S. Ignatii amor ad nomen Jesu quantus fuerit.

Septimo, est generaliter omnibus orantibus exauditionis suffragium. Neque enim fallax est Christi promissio, dicentis : Amen, amen dico vobis, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Sed quia paulo ante in superioribus cum dicerem credentibus nomen esse Jesu in fastigium (siquidem dedit nobis omnibus Deus potestatem filios Dei fieri), restat quærendum qui sint per nomen Jesu exaltati, quive sint qui vocari debeant filii Dei. Dicendum primo, filios esse Dei hosque cognoscendos per fidei veritatem. In his enim ipsis verbis hoc ostenditur, quibus hanc potestatem dederit quandoquidem sequitur : his qui credunt in nomine ejus. Quapropter pagani, idololatræ, Judæi hæreticique omnes, quia non sunt filii Dei, ab hæreditate Christi excludentur. *Sine fide* enim *impossibile est placere Deo.* Qui enim Ecclesiæ non est filius, non est etiam Dei, ut sunt schismatici omnes et hæretici, qui a matre defecerunt, matri rebelles, ovibus stolidiores. Neque enim matris, quomodo agni, agnoscunt vocem (matrem Ecclesiam dico) quam, ut Oseas ait, sponsavit sibi in fide. *Omnes* quoque (Paulus dicit) *filii Dei estis, per fidem in Christo Jesu*, utpote ex eadem matre geniti. Secundo, efficiuntur Dei filii per cordis puritatem. Quod ex Levitico colligitur, ubi Dominus dicit : *Immundum ne tetigeritis : et ero vobis in Patrem, et vos eritis mihi in filios.* Sanctus enim est ipse Pater et Deus noster, nosque vult esse filios sanctos. *Sancti,* inquit, *estote quoniam ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* Sanctum autem esse, est a peccato esse mundum, præsertim mortali. Et *omnis,* ait Joannes, *qui est ex Deo, non peccat* scilicet mortaliter. Caveamus igitur peccata, fugiamus, odiamus et persequamur eadem in nobis gemendo, flendo, vitia castigando, occasiones infirmitati nostræ subtrahendo et orando. Non est unde excusemus nos, quasi a peccatis non possimus abstinere aut tentationes superare. Jubemur enim in Evangelio petere et accipere. Quidquid

igitur nobis deest virtutis aut auxilii, hoc a Deo in nomine Filii ejus petamus et dabitur nobis. Intra nos est quod retinet nos, quod minime ad radicem pertingentes studemus evellere. Est enim concupiscentia peccati in nobis radicata : huic blandimur, assentimur, hanc toleramus dissimulamusque. Quam si strenue severeque perseveremur divino auxilio invocato, citius liberaremur. Tertio, filii Dei efficimur per vitæ humilitatem. Præ aliis namque omnibus virtutibus Dominus Jesus humilitatem suam ac mititatem in exemplum nobis posuit, dicens : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Quo exemplo ut discere-mus nos fieri filii Dei, et verbo et opere invitavit nos ad sui imitationem, quam præcipue in hoc sitam esse voluit, si fuerimus humiles et mites corde. Siquidem humilitatem ubique in vita ac moribus prætulit. Nam quasi Dei Filium se ignoraret, quasine sciret se Regem Angelorum, ad Joannem venit baptizandus. Nullum remedium peccati a se voluit esse alienum. Ubique se depressit, ubique humiliavit. Idcirco post illam humiliationem sui audire meruit, voce cœlitus delapsa : *Hic est Filius meus dilectus.* Quarto, filii Dei efficimur si pacem, si concordiam et charitatem cum proximis nostris servemus. Quod Dominus quoque Jesus ipse confirmat, dicens : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Christus namque mediator noster pacem inter homines et Deum, pro nobis moriendo fecit : cujus signum præbuit, quando in cruce a terra elevatus inter cœlum et terram medius pendens, mortem sustinuit. Simus ergo pacifici, ubique caventes omnem occasionem delinquendi, et circumcidentes linguas nostras, ne quid a nobis prodeat, quod pacem aliorum turbet, quod scandalizet, quod unitatem scindat, aut vulneret charitatem. Quod Apostolus quoque monens ait : *Quantum in vobis est, cum omnibus pacem habentes.* Quinto, per misericordiam et pietatem filii Dei efficimur. Et ideo in Ecclesiastico scriptum est : *Pupillis esto misericors et eris velut Altissimi filius.* Christus quoque idipsum jubens : *Estote,* inquit, *misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est.* Per misericordiam igitur divinam naturam imitamur, atque Dei filii efficimur.

Rom. XII, 18.

Misericordia uti nos filios Dei constituat.

Eccli. IV, 10.

Matth. V, 7.

Luc. VI, 36.

Sexto, Dei filii efficimur, in flagellorum assiduitate, quæ a Domino patimur. Ita enim Hebræis hoc Paulus loquitur, dicens : *Quem diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseverate : tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non filii estis.* Videte igitur quanta sit hic consolatio mœrentium gementiumque sub disciplina patris. Omnes a correctione ejus esse vellemus liberi, cum tamen correctio ipsa signum est nobis, quod simus filii Dei. Expedit autem nobisque utilissimum est, pro singulis excessibus hic castigari. Neque enim bis Deus punit : sed quod hic castigatum est, parcitur in futuro. Siquidem in Proverbiis legitur : *Quem Dominus diligit, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* Et in Ecclesiastico : *Qui diligit filium assiduat illi flagella.* Videte igitur quantam gratiam quantamque charitatem fecit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus. Exhibeamus igitur nos ut filios Dei, non ut Deum imitari velimus in potentia, in scientia, in gloria, in dominatione : sed in miseratione, in innocentia, in puritate, in benignitate, in dilectione inimicorum, in longanimitate, et hujusmodi virtutibus aliis, quibus sese nobis Christus præbuit in exemplum, qui cum Patre et Spiritu Sancto est benedictus in secula, Amen.

Flagella Dei patienter ferre ut constituat filios Dei.

Hebr. XII, 6.

Prov. III, 12.

Eccli. XXX, 1.

I. *Joann.* III, 1.

IN SOLEMNITATE

APPARITIONIS DOMINI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

SURGE, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos. Super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian, et Epha. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. *Is.* XL.

Jerusalem uti signet Ecclesiam.

INTER omnes Prophetas clarius fusiusque de Christo et Ecclesia Isaias prophetat. Atque ideo ubi de vocatione loquitur gentium, hodierna lectio desumpta est. Nam primitiæ gentium in fide, puta tres Magi hodie conversi sunt ad Christum. Videns itaque Propheta in spiritu Ecclesiam ex gentibus colligendam : Surge, inquit, Ecclesia militans Jerusalem. Ibi enim Ecclesia exordium sumpsit novi Testamenti, et primitiæ credentium in fide ibi coaluerunt, quos Petrus coadunavit : quoniam salus ex Judæis est. Nam ex Judæis Christus, inde nati sunt Apostoli atque discipuli Domini. Inde quoque sunt nati, de quibus dixi, primi qui ad fidem sunt conversi. Igitur, Jerusalem, surge ab amore et curis terrenarum rerum, elevare ad Deum et illuminare. Prope enim est consolatio tua, ad quam recipiendam te parare decet : quia venit lumen tuum, lumen illud oriens ex alto, quod ad te venit, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes, hoc est, affectus tuos, in viam pacis. Hoc est lumen, de quo Christus conqueritur : *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines tenebras magis quam lucem.* Itaque venit tibi lumen tuum tibi promissum : et gloria Domini super te orta est. Viderunt pastores claritatem Dei se circumfulgentem. Viderunt Magi stellam se ad sequendum invitantem, et locum pueri nati, qui est salus omnium, monstrantem. Videbis tu quoque gloriam Domini super te ortam, tunc quando illustrabit te ejus potestas divinaque majestas, ex cognitione scilicet secretorum cordium et ex virtute signorum et miraculorum. Quia ecce tenebræ, ignorantiæ, operient terram, et caligo populos. Apud omnes homines, qui sunt extra Ecclesiam, et qui non pertinent ad Jerusalem, sunt tenebræ et caligo. Super te autem orietur Dominus. Tibi innotescet illius cognitio :

et gloria majestatis ejus per opera divinitatis manifestandæ in te videbitur. Tibi itaque venit lumen, tibi missum est verbum salutis, puta ad salvandas oves domus Israel. Tamen non sola tu Judæa hujus particeps eris, sed ambulabunt etiam gentes in lumine tuo. Convertentur gentes quoque ad Christum, ambulabunt vias justitiæ post eum, et reges terræ in splendore ortus tui, id est, participes erunt gratiæ et sapientiæ Christi. Hoc enim est lumen, de
v. quo dicit Salvator ipse: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* De quo et Isaias idem dicit sub persona Patris ad Christum:
6. *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea ad ultimum terræ.* Itemque : *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione et umbra mortis, lux orta est eis. Puer enim natus est nobis, et filius datus est nobis : cujus imperium super humerum ejus, etc.* Quapropter leva in circuitu oculos tuos, et ubique circumspice, et vide: omnes isti, tam ex Judæa quam ex gentibus ad Christum conversi, congregati sunt, et ad constituendam Ecclesiam per fidem et charitatem adunati venerunt tibi, quia in Ecclesiæ unitatem tibi incorporandi sunt. Filii tui licet per universum orbem dispersi, tamen electi Dei de longe venient, ut tibi per fidem et charitatem incorporentur, et per fidei unitatem socientur. De longe quidem venient, quia in regione dissimilitudinis constituti venient ut filii fiant adoptivi : et qui fuerant a Christo longe, fiant prope, accedant per fidem et illuminentur : et filiæ tuæ, infirmiores scilicet animæ, de latere, aut, ut alia littera habet, lac sugent, id est, consolatione fovebuntur Spiritus Sancti, et faciliori Apostolorum indulgentiorique doctrina. Tunc videbis impleri ea quæ dico : nam affluës divitiis gratiarum donorumque exuberantia locupletaberis : affluës denique multitudine filiorum convertentium se ad Christum, adeo ut etiam admiretur et lætitia dilatetur cor tuum, quando conversam ad te videris tam subito multitudinem insularum maris, quandove brachium fortitudoque gentium, qui in potentia et æstimatione sunt mundi, venerit seu accesserit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii regionum Madian et Epha. Si secundum litteram quærimus hic sensum, ille est, ut tot homines in Jerusalem adventuri dicantur, unde vel ex multitudine camelorum aut dromedariorum quibus advecti sunt, Jerusalem operiatur. Sed propheticus est modus loquendi, significans tantam multitudinem in Ecclesiam, quæ per universum orbem una est, ingressuram, fidemque et Evangelium Christi susceptura, quorum mores camelis et dromedariis similes ante fuerant, ut Ecclesia videretur operiri magis quam impleri. Uno namque sancto martyre pro fide Christi patiente, et gloriose tormenta ac bestias vincente, interim sæpenumero tria millia hominum convertebantur, nec poterant tot occidi, quot Christus subito fecit inde renasci. Et ita in universo mundo splendebat Evangelium Christique fides, quo sancta Jerusalem, id est, Ecclesia Domino extrueretur. Omnes, id est, de singulis regionibus ex Saba venient aliqui, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. Quod futurum tres hodie Magi præfigurarunt, qui ex gentibus primitiæ gentium in fide Christum quæsierunt, Christum adoraverunt, Christoque munera, aurum, thus et myrrham obtulerunt.

Cameli ac dromedarii mystice qui dicantur.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, MATTHÆI II.

NON parum ad rem pertinebat, ut quum Evangelista scripturus Christi esset apparitionem Magorumque adventum, neque locum neque tempus taceret. Multum quoque fidei adstipulatur, ubi rei quæ describitur, tam ad locum quam ad tempus, testimonia prophetarum consentiunt. Quando enim Judæorum magis confutari posset impietas, quam dum ex eorum libris, ex rerum eventu, ex prophetarum oraculis, et ex eorum tandem confessione probari potuit : ut quod confitentur ipsi, et aliis adstruunt, ipsi credere nolunt ? Sciebant ex prophetia Jacob tempus adesse Christi nascituri : puta cum jam ablatum foret sceptrum de Juda, cum tempus item hebdomadarum a Daniele prædictum, foret impletum. Quamobrem cum omnia jam viderent impleta, de Christi nascituri tempore non poterant dubitare. Ad hæc autem non ignorabant locum ex Michæa propheta. Quæ omnia tacite hic Evangelista indicat, cum dicit :

Cum natus esset Jesus in Bethleem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes.

Herodes Ascalonita quis fuerit.

Hic Herodes alienigena fuit, non de semine Israel, patre scilicet natus Idumæo, matre Arabe, a Romanis, quibus Judæa facta est tributaria, Judææ constitutus in regem. Hic alioqui Ascalonita vocatus est : cujus filius Herodes erat Antipas, qui decollavit Joannem, et Christo in passione in alba veste illusit. Hujus tempore (ut prophetia impleretur Jacob patriarchæ, dicentis : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est : et ipse erit exspectatio gentium)* debuit nasci Christus. Debuit etiam nasci in Bethleem Judæ, quomodo Michæas ante prophetaverat. Ubi Jesu Domino nostro nato, impleta quoque alia est prophetia. Nam Jacob fratrem suum Esau in Mesopotamiam fugiens, et in eodem loco dormiens, qui dicebatur Bethel, vidit per somnium scalam positam, cujus summitas pertingebat ad cœlum, Angelosque ascendentes et descendentes per eam. Quamobrem dixit : *Quam terribilis est locus iste. Non est hic aliud, nisi Domus Dei et porta cœli.* Revera Christo ibidem nato, erat ibidem domus Dei. Corpus namque ejus de Virgine sumptum, domus est Dei. Porta autem est et cœli, per quam intramus in cœlestem hæreditatem, idem Christus. Hæc porta primo hoc in loco nobis manifestatur. Siquidem hic Magi primi sunt ex gentibus, qui ad hanc domum accedunt. Vide autem quanta sit Magorum devotio. Mox ubi ex stella, quæ illis apparuit, regem didicerunt natum, nullam facientes moram adveniunt, ut suo adventu, et gentilium futuram ad Christum devotionem præsignarent, et impietatem confutarent Judæorum. Illi enim exultabant propter nativitatem Christi, hi dolebant. Sequitur enim paulo post omnem Jerosolymam cum Herode ex Magorum adventu et rei novitate turbatam. Illi, inquam, regem quærebant alienum, hi spernebant suum. Illi rogabant ut ostenderetur, hi quidem indicaverunt locum, ubi esset inveniendus : sed nemo Judæorum vel ex curiositate movebatur, ut cum Magis ad quærendum, ad contemplandumque regem suum se fatigaret.

Herodes Antipas quis fuerit.

Gen. XLIX, 10.

Ubi est qui natus est rex Judæorum ?

Quid facitis, o Magi, quid facitis? Cur sic loquimini in terra aliena? An nescitis in Judæa nullum alium vocari regem, nisi quem Romanorum potestas constituit? Num ignoratis regem alium ibi adhuc viventem? Qua temeritate audetis alium nominare regem, cum sciatis justitiam legis crudelitatemque tyranni, qui non sinat alium honorari regem, se in potestate regni constituto? Cur periculo tanto vos exponitis? Si regem, inquiunt, timeremus præsentem ac temporalem, non inquireremus futurum ac cœlestem. Sed quid de periculo mortis, cui vos involvitis? Nonne prudentius fuisset tacuisse? Si periculum timeremus mortis, ad hanc regionem nunquam advenissemus. Videsne Magorum devotionem, fidem atque confidentiam? Nondum viderant Christum, et parati jam erant mori pro Christo. Nondum Christum noverant, et parati erant coram crudelissimo rege in illius præjudicium Christum confiteri, Christum adorare, Christo offerre munera.

Qui fuerunt, inquis, hi Magi? Fuerunt, inquit Chrysostomus, sapientes in Perside, quia eo tempore ibi regnabant sapientes. Hi enim, hoc est, eorum majores audierant Balaam divinatoris olim prophetiam, seu oraculum, de stella hac loquentis : *Orietur stella ex Jacob, et exurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, etc. Et erit Idumæa possessio ejus.* Propter hoc vaticinium, per sapientes successores observabatur adventus, seu apparitio hujus stellæ. Verisimile est autem, stellam hanc apparuisse tanta singularitate ab aliis stellis distinctam, ut dubitare non possent, singularem maximi regis cujuspiam ortum hanc significare. Neque enim de illis stellis erat una, quæ ab initio fuerunt creatæ, sed ad Christi nativitatem significandam esse cœpit, et peracto ministerio suo iterum desiit. Hanc enim ubi viderunt Magi et sapientes in dignoscendis astris periti, intellexerunt hanc regis Judæorum ortum significare. Per hoc enim puer ille Jesus reges seu Magos hos illuminabat, per quod erudiri et certiores fieri poterant. In hoc, inquam, eis loquebatur, eorum opinioni condescendens, in quo intelligebant. Non enim tam facile credidissent Angelo (si forte ad illos fuisset missus) quam crediderunt stellæ : Angelorum enim notitia apud illos fuisse minor credenda est quam stellarum. Sive autem allocutione per stellam, sive illuminatione erga Magos Deus fuerit usus, nihil refert, cum constet eos de ortu plene informatos novi regis Christi nihil dubitasse. Erant igitur certi Christum regem Judæorum natum, licet ubi natus foret id nescirent : nisi quod suspicabantur magnum gloriosumque regem in maxima nobilissimaque civitate, inter ditissimos, interque peritissimos (maximi enim faciebant ipsi sapientiam, cum nemo apud illos nisi sapientissimus regnaret) quærendum inveniendumque. Quapropter Jerosolymam primo accedunt, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vides, quia non interrogant, an natus sit. De hac enim re non ambigunt, sed : ubi, inquiunt, natus est?

Magi quomodo de ortu Christi fuerint certificati.

Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum.

Vidimus stellam ejus nativitatis ostensivam, in oriente nos constituti, quam ejus esse intelleximus. Deo enim, ut dixi, eis inspirante, aut quocumque modo revelante, didicerunt hanc esse stellam a Balaam vaticinatam : quam mox quoque devote secuti sunt. Illis itaque Jerosolymam ingressis stella disparuit, quo Christi fieret nativitas manifestior, et Judæorum ignavia magis detestanda probaretur. Neque enim interrogati, et de loco nativitatis certa indicia Scripturarum testimonia proferentes, excusare se de ignorantia poterant, qui inquirentibus Christum, locum ubi inveniretur indicabant. Itaque si voluissent, Dei admonitionem merito intellexissent, Magorum devotione et exemplo invitati, qui indicabant Judæis tempus, ab iisdem vero sciscitabantur locum nativi-

tatis Christi : quo citius, quod in salutem fiebat omnium, Christum scilicet esse natum evulgaretur. Quod Leo Papa luculenter enuntiat, dicens : Ad omnium hominum spectat salutem, quod infantia mediatoris Dei et hominum jam universo declarabatur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo. Quamvis enim Israeliticam gentem, et ipsius gentis unam familiam delegisset, de qua naturam universæ humanitatis assumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis angustias ortus sui latere primordia : sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est pro omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione orientis stella novæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris pulchriorque sideribus, facile in se intuentium oculos animosque converteret : ut confestim adverteretur non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur. Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum : et quod fecit intelligi, fecit inquiri, et se inveniendum obtulit requisitus. Ideo absque dissimulatione ingenue Jerosolymis confitentur : Et venimus adorare eum. De longinquis adeo regionibus advenimus, ut adoremus eum. Vide hic quomodo puer ad quem festinabant, non modo eos illuminabat, sed etiam quo nullam metuerent potestatem, quin libere voluntatem suam confiteri auderent, confortavit.

Leo Papa.

Stellæ Magorum claritas quanta fuerit.

Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.

Nunquam non grandis potestas timori subjecta est. Erat autem rex Herodes non injuria pavidus, quippe qui timore anxius, nec unquam securus regnum suum tutabatur. Erat præterea execrabilis parricida, multi sanguinis effusi sibi male conscius, qui nec Hircano socero suo regi summo sacerdoti, nec uxori suæ Hircani propinquæ, nec propriis ex eadem susceptis filiis pepercit, quos omnes aliosque multos truculentus carnifex morte damnavit. Premit enim tyrannos quoque metus, quomodo eorum quidam dixisse fertur : Quem multi timent, ut multos quoque ipse timeat necesse est. Verum quam pulchre Herodi hymnus insultat ecclesiasticus in hæc verba loquens : Hostis Herodes impie, Christum venire quid times? Non eripit mortalia qui regna dat cœlestia. Attende præterea hic perversam adulationem Judæorum : quia ut refert Evangelista, turbata est omnis Jerosolyma cum illo. Ut quid enim turbantur propter natum sibi regem? Fortasse respondet quispiam : Timebant (quoniam de Christo futuro, et jam, ut ferebatur, nato carnaliter sentiebant) ne duobus regibus inter se decertantibus, ipsi perturbationibus involverentur. Timebant sane. At quæ est hæc ignavia, temporalem malam inter peccandum pacem adeo præferre, ut malint impio Herodi subjici quam a rege cœlitus veniente cœlitusque misso et nuntiato gubernari? Figurabatur quoque in hac Herodis civitatisque propter Magorum Christum quærentium adventum turbatione infantumque cruenta perditione, turbatio futura Judæorum quando post Christi ascensionem Apostolis prædicantibus, gentibusque Christi Evangelium suscipientibus, Jerusalem, universumque Judaicum regnum turbabatur atque tumultuabatur, quoniam apostolorum prædicationem exterminare Christique nomen conabantur, persequendo, fugando occidendoque sanctos Dei prædicatores exstinguere.

Herodis crudelitas quanta fuerit.

Et convocans omnes principes sacerdotum et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei : In Bethleem Judæ. Sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.

Quando Herodem audimus propter Christi nativitatem turbatum, non potest expietate evenire, quod tam studiose de

Christo nascituro interrogat. Audivit enim ex Magis natum regem Christum : ideo vult scire ex sacerdotibus summis et Scribis, quorum erat regere docereque populum , et explanare legem ubi Christus nasceretur. Quæ, inquis, Herodi erat notitia de Christo ? Intellexit enim Magorum interrogationem, non de quovis rege, sed de maximo ac summo rege Christo, quem Judæi exspectabant (licet in hoc errabant, quod temporali potestate et in gloriosa majestate illum regnaturum putabant). Dicendum : Herodem proselytum fuisse Judæorum, id est, ad Judaismum conversum, sed imperfecte in lege institutum (quod actus ejus et vita testantur) ; ideo audierat Messiam venturum, quem suspicatur hunc esse regem, natum, quem Magi quærebant. Cupit igitur, ubi ille sit nasciturus ubive exspectandus, discere ex sacerdotibus et peritis in lege. Respondent illi quomodo legerunt in Michæa scriptum. Quid de Scripturis tu interrogas, Herodes? Si Scripturis credis, cur jam acuis gladium in puerum, meditans illum quomodo possis perdere? Num poteris, homo, corrigere ne fiat, quod Deus ut fieret ordinavit et prædixit? Quod si Scripturis non credis, quid de his, si juxta mentem tuam vaniloquæ sunt, interrogas ? Respondens Chrysostomus : Credebat, inquit, Herodes in malo, in bono non credebat, quoniam quidem quod inde nasciturus foret Christus, ut Scripturæ dicebant, credebat : quoniam autem adversus illum agere non poterat, quem Deus mittebat, non credebat : quia non suo consilio gubernabatur, sed vinculo diaboli trahebatur ligatus. Sic sunt omnes homines peccatores in quibus diabolus operatur : credunt Scripturis et non credunt : quia hoc ipsum quod credunt, perfecte credere non permittuntur. Siquidem omnes qui christiani sumus, et legimus et scimus quia mundus consummandus est, et quia morituri sumus : et hoc ipsum tamen perfecte non credimus. Si enim perfecte crederemus, sic viveremus, quasi post modicum transituri de hoc mundo, non quasi in æternum mansuri.

Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethleem, dixit : Ite et interrogate diligenter de puero. Et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.

Duplici modo credibile audierat Herodes a sacerdotibus responsum. Primo, quia a sacerdotibus fuit dictum : deinde quia exemplo prophetico fuit comprobatum. Non tamen ad devotionem flectitur nascituri regis, sed ad malitiam interfectionis ejus per dolum. Malus enim homo, quæ Dei sunt intelligere potest, quæ Dei sunt autem agere non potest. Quapropter, vide quam insidiose ad se vocat Magos Herodes, nihil mali suspicantes. Explorat tempus, hoc est, diem apparitionis stellæ. Deinde diligentem inquisitionem de puero mandat. Tertio, renuntiari sibi rem postulat, puta puerum ne ac ubi invenerint. Quarto, quo dolus non sentiatur, velle adorare puerum se fingit, ac muneribus honorare quem tamen gladio parabat occidere. De quo eleganter sanctus Leo Papa disserit, dicens : Audiens Herodes rex Judæorum principem natum, successorem suspicatus, expavit, et molitus necem salutis auctori falsum spopondit obsequium. Quam felix foret, si Magorum imitaretur fidem, et converteret ad religionem quod disponebat ad fraudem. O cæca stultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas tuo furore divinum consilium! Dominus mundi temporale non quærit regnum qui præstat æternum. Quid incommutabilem dispositarum rerum ordinem vertere, et aliorum facinus præoccupare disponis? Mors Christi non est temporis tui. Ante condendum est Evangelium, ante prædicandum est Dei regnum, ante sanitates donandæ, ante sunt facienda miracula. Cur, Herodes, quod alieni est operis, tui vis esse criminis : et

Herodis insidiæ quantæ in Christum puerum.

Leo papa.

non habiturus effectum sceleris, in solum te reatum præcipitas malæ voluntatis? Nihil hac molitione proficis, nihil peragis. Qui voluntate natus est, arbitrii sui potestate morietur. Renuntiate, inquit, mihi ut et ego veniens adorem eum. Videte serpentinam vocem. Ex illorum enim erat numero unus, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Simulat se adorare velle quem necare decrevit. Quam misera autem (ait Bernardus) est civitas aut congregatio in qua regnat Herodes, quoniam herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ, et ad novæ salutis ortum herodiana movebitur turbatione. Nam herodiana malitia et babylonica crudelitas est, nascentem velle exstinguere religionem, et allidere parvulos Israelis. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptiis parvulos Israelitici germinis necare conatur : imo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem.

Ps. XXVII, 3.

Bernard.

Herodiana malitia et Babylonica crudelitas mystice quæ.

Qui quum audissent regem, abierunt. Et ecce stella quam viderant in oriente antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer.

Viderat magnam Magorum devotionem Herodes erga Christum : nec sperabat eos blanditiis, nec minis, sed nec auro posse corrumpi, ut in nati pueri necem consentirent. Quia igitur aliud non potuit, devotionem ipse quoque simulabat, et reges innocentes abire dimisit. Vide autem et ab initio quanta sit pietas, quanta devotio Magorum, quanta fides gentium. Una stella eos per alienas terras, ut in Christum crederent, permovit : Judæos ut crederent, nec sol justitiæ Christus ipse movere potuit. Stella, inquit, antecedebat eos, puta Magos ab Jerusalem recedentes. Hæc erat stella quam in oriente viderant, et quæ eos ducatu suo in Jerosolymam duxerat : quæ denique non longe ab Jerusalem se, quo Magi interrogare cogerentur, subduxerat. Hæc euntibus versus Bethleem Magis iterum præcedens sociata est, donec staret supra locum ubi puer erat. Quia enim loquendo non poterat, stando Christum locumque ejus indicabat. Noli autem mirari quod stella servit Magis Christum quærentibus : mirare potius quod non una stella tantum, sed omnia etiam elementa tibi serviunt delinquenti, Deique inimico.

Pietas, devotio fidesque Magorum quanta.

Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde.

Multum ex stellæ ducatu, quem se amisisse putabant, exhilarati sunt Magi. Videbant enim se haudquaquam deceptos, præsertim cum etiam testimonia sacerdotum et Scripturæ interim accessissent : unde ad inveniendum regem, quem quærebant Christum, certiores redderentur. Videtis quam sapientes fuerunt hi tres viri. Nihil numinis tribuerunt stellæ : puerum ut Deum adoraturi quærebant. Stant juxta domum, parant munera : nec scandalizantur de neglecto tanti regis apparatu. Nullam enim ibi curiam, non altum palatium, non ædes regales, nullos ministros, nec signum aliquod temporalis majestatis offendunt.

Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, et procidentes adoraverunt eum.

Mirum fuit devotionem tantorum virorum non periisse, cum regem quærerent invenirentque nullo diademate regio insignitum, non viderunt purpuram aut regium aliquid, sed mirabilem inopiam et paupertatem. Viderunt domum vilem, et animalibus magis quam hominibus ad inhabitandum idoneam. Viderunt Matrem ejus, vix, ut Chrysostomus ait, tunicam unam habentem, non ad ornamentum corporis, sed ad tegimen nuditatis. Viderunt puerum vilibus pannis involutum, et sordidiori in præsepio positum. Quamvis credendum potius sit, hac hora in gremio Matris sedisse, atque hospites tam devotos blando atque amicabili contuitu oculorum benigne recepisse. Vide autem quantæ fuerit reveren-

tiæ, ante puerum inopem mox procidere, et ut Deum adorare.

Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Nunquam satis Magorum horum laudari potest devotio. Siquidem non satis illis erat adorasse, sed etiam muneribus oblatis sese profitebantur, optabantque ferventissimo desiderio puero huic vero regi ac Messiæ Judæorum esse subjectos. Offerebant munera, quibus juxta mysticam significationem, puerum hunc agnoscebant Deum, agnoscebant regem, agnoscebant mortalem. Oblatis autem muneribus commendatisque animabus suis (neque enim dubium est, hac præcipue hora summa exultatione alacritateque spirituali peruncto, sentientes in puero hoc, quod lingua non possent explicare, nec corde comprehendere) moniti sunt in somnis responso accepto, quippe qui solliciti fuerant, inter se consultantes an ad Herodem sibi foret redeundum, nonnihil sinistri suspicantes. Moniti igitur ne redirent, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Et nobis a regione similitudinis, ab innocentia, ab originali justitia, qua olim excidimus hallucinamurque, opus est redire in regionem nostram, ut puta, cœlestem patriam, per aliam viam quam per illam per quam excidimus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

DE MAGORUM DEVOTIONE, STUDIO AC MUNERIBUS.

INTRANTES domum, invenerunt puerum cum Maria Matre ejus : et procidentes, adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum thus et myrrham. Matth. II, 11.

Memoriam Apparitionis dominicæ hodie agimus, filii charissimi, qua puer Jesus et adhuc infans seipsum gentibus, hoc est, primitiis gentium exhibuit. Itaque hos Magos Christum quærentes, ex Æthiopia aut Perside venisse multi volunt, quos tam longo itinere brevi potuit tempore adducere puer Jesus. Fuisse autem horum adventus occasionem Chrysostomus hanc ita narrat, dicens : Legi Magos istos ex libris Balaam divinatoris apparituræ hujus stellæ scientiam accepisse : cujus divinatio posita est in veteri Testamento : *Orietur stella ex Jacob, et exurget homo de Israel, et dominabitur omnium gentium.* Audivi aliquos, inquit iterum Chrysostomus, referentes de quadam scriptura, etsi non certa, non tamen destruente fidem, sed potius delectante, quoniam erat quædam gens sita in ipso principio ipsius orientis juxta Oceanum, apud quos ferebatur quædam scriptura inscripta nomine Seth, de apparitura hac stella et muneribus ei hujusmodi offerendis, quæ per generationes studiosorum hominum patribus referentibus filiis suis habebatur deducta. Itaque elegerunt seipsos duodecim quidam ex ipsis studiosiores et amatores mysteriorum cœlestium : et posuerunt seipsos ad exspectationem stellæ ejusdem. Et si quis moriebatur ex eis, filius ejus aut aliquis propinquorum qui ejusdem voluntatis inveniebatur, in loco constituebantur defuncti. Dicebantur autem Magi in lingua eorum, quia in silentio et voce tacita Deum glorificabant. Hi ergo per singulos annos post messem trituratoriam ascendebant in mon-

Magi unde dicti sint.

tem aliquem positum ibi, qui vocabatur lingua eorum mons Victorialis, habens in se quamdam speluncam in saxo, fontibus et electis arboribus amœnissimam : quem ascendentes et lavantes se, offerebant et laudabant in silentio Deum tribus diebus. Et sic per singulas faciebant generationes, exspectantes semper ne forte in generatione sua stella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit eis, descendens super montem illum Victorialem, habens in se formam quasi pueri parvuli, et super se similitudinem crucis. Et locuta est eis, docuitque eos et præcepit eis ut proficiscerentur in Judæam.

Mons Victorialis quis fuerit.

Causa profectionis Magorum in Judæam quæ fuerit.

Proficiscentibus autem eis per biennium præcedebat stella, et neque esca, neque potus defecit in peris eorum. Cætera autem quæ gesta referuntur ab eis in Evangelio compendiose posita sunt. Tamen cum reversi fuissent, manserunt colentes et glorificantes Deum studiosius magis quam primum, et prædicarunt omnibus in genere suo, et multos erudierunt. Denique cum post resurrectionem Domini Thomas isset in provinciam illam, adjuncti sunt, et baptizati ab eo facti sunt adjutores prædicationis illius. Hæc omnia Chrysostomus. Quæ ideo recensere volui, quia manifestum est absque ratione grandique causa non accidisse, ut tres reges ex tam longinqua venirent terra, nisi divina eos virtus permovisset ad assumendam tam longam difficilemque peregrinationem, ad pericula viarum sustinenda, ad quærendum ignotum regem adhuc puerum, ad adorandum infantem tanquam Deum, cœlo mundoque imperantem. Quod autem nihil eos nisi fides et devotio permoverit, inde perspicuum est, quia mox ubi adoraverant, ubi munera obtulerant,ad propria revertuntur, nihil ejusmodi exspectantes quod in curiis terrenorum solet regum exhiberi, puta convivari, ad tempus commorari, gloriam exhibere, et etiam jactare. Nihil horum, inquam, hic fuit, sed oblatis muneribus, mox redierunt. Sola fides et hæc magna valde eos adduxit, sola reduxit. Quapropter Bernardus devotissimus in horum fide delectatus: Cui, inquit, comparabimus, aut cui similes æstimabimus viros istos? Si latronis fidem, si Centurionis confessionem considero, in eo superexcellere videntur isti quod tunc miracula multa fecerat, jam tunc a multis prædicatus fuerat, a multis adoratus. Attamen consideremus quid et illi dixerint. Clamabat latro de cruce : *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* Ergone per supplicium ille vadit in regnum? Quis indicavit tibi, quia *oportebat pati Christum, et sic intrare in gloriam suam?* Tu quoque Centurio, eum unde nosti? Videns quod sic clamans expirasset : *Vere,* inquit, *hic homo Filius Dei erat.* Mira res, et omnium admiratione digna ! Propterea rogo vos, intuemini et videte quam occulta sit fides, quam linceos habeat oculos diligentius considerate. Cognoscit Dei Filium lactantem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem. Siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt. Quidquid illi sermonibus, hoc isti muneribus confitentur. Latro regem, Centurio Dei Filium simul et hominem pronuntiat. Et hæc tria ipsorum Magorum munera indicant.

Magos sancto Thomæ Apostolo auxilio fuisse in prædicatione fidei, ac ab eo baptisma suscepisse.

Bernard.

Luc XXIII, 42.

Ib. XXIV, 26.

Ib. XXIII, 47.

Fides quam linceos habeat oculos.

Observemus hic quatuor studia Magorum. Primum est, quod studiose perscruti fuerunt Christi ortum, vigilantes quotannis, ne præteriret eos stella hæc, quam orituram credebant. Vide jam si tanta in nobis sit devotio fidelibus, quanta fuerit olim in gentibus, ut adeo simus studiosi ad percipiendam Christi stellam seu Christum, hoc est, ad inquirendum ejus beneplacitum. Fuit autem Magorum studium hujusmodi, ut digni essent qui invenirent. Siquidem scrutabantur investigando, vigilando, orando. Investigabant oracula suorum prophetarum licet paganorum , orabant ut invenire discereque possent stellam. Vigilabant donec viderent. Hoc modo investigare et ex Scripturis discere nos decet voluntatem Dei. Decet præterea ad fores nos sapientiæ vigilare quotidie : deinde vigilare nos oportet in orationibus.

Quatuor Magorum studia considerandaquæ sint.

Devotio Magorum quanta.

Quæsitus uti fuerit Christus a Magis trifariam.

Secundum Magorum fuit studium quod quæsierunt Christum et hoc trifariam quoque fecerunt. Siquidem quæsierunt eum fortiter, nullis laboribus nec itineris diuturnitate deterriti. Quæsierunt sapienter, quia astutia Herodis non sunt decepti. Quæsierunt dulciter, quia Herodes tantam in eis fidem devotionemque ad Christum inveniens, nequaquam audebat eos promissionibus ut corrumperet, tentare. Heu quam pauci hodie sunt fidelium, qui Deum quærant dulciter, ut nullis concupiscentiis tentationibusve ab integritate abducantur, cum unusquisque, ut Jacobus ait, a concupiscentia sua tentetur, abstractus et illectus?

Jac. I, 14.

Tertium Magorum fuit studium quod sideris ductu præcedentis, ubi tandem Christum invenerunt, procidentes ante eumdem ipsum adoraverunt. Sic enim narrat Evangelista: *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria Matre ejus: et procidentes adoraverunt eum.* Super quo verbo sic exclamat devotissimus Bernardus: Unde hoc vobis, o alienigenæ? Neque enim tantam invenimus fidem in Israel. Sic vos non offendit vilis habitatio stabuli, non pauperes cunæ præsepii? Non vos pauperis Matris præsentia, non lactantis infantia scandalizat? Quid facitis, o Magi, quid facitis? Lactantem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergone Deus est iste? Deus certe in templo sancto suo, Deus in cœlo sedes ejus: et vos quæritis eum in stabulo, in Matris gremio?

Matth. II, 11.

Bernard.

Quartum Magorum erat studium quod non solum procidentes adoraverunt Christum infantem, sed eidem etiam obtulerunt munera, illum honorantes atque cultum ei exhibentes. Quadruplex autem est munus quod Magi Domino obtulerunt. Primo, est munus a corde, quia in eum tam crediderunt quam eumdem dilexerunt. Quid autem Deo offerre potuissent charius quam corda sua, quibus se totos tradiderunt Christo, diligentes eum? Secundo, est munus a lingua seu ab ore, quod est laus Christi, ut scriptum est: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Deum enim verum confessi sunt. Tertio, est munus a manu: et hoc modo obtulerunt Magi Domino, aurum, thus et myrrham. De hac offerendi ratione exclamat beatissimus Bernardus dicens: Quid facitis Magi, quod aurum offertis? Ergo rex est ipse? Et ubi aula regia, ubi thronus, ubi curiæ regalis frequentia? Numquid aula est stabulum, thronus præsepium, curiæ frequentia Joseph et Maria? Quomodo ita insipientes facti sunt viri sapientes, ut adorent parvulum despicabilem tam sua ætate, quam paupertate suorum? Nonne timendum erat, fratres, quod scandalizarentur viri isti, et illusos se crederent, cum tam indigna viderent? A regia civitate, ubi regem quærendum conjectabantur, ad Bethleem villam parvulam diriguntur. Ingrediuntur stabulum, inveniunt involutum pannis infantulum. Non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactantis infantia. Procidunt, venerantur ut regem, adorant ut Deum. Sed profecto qui illos adduxit, ipse et instruxit: et qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit. Quarto, est munus ab obsequio. Hoc obtulerunt Magi, et quando longo illo itinere fatigati sunt ad puerum venientes, et quando procidentes adoraverunt eum. Quid enim aliud fuit ante Christum procidere, quam se totum in ejus obsequium obedientiamque tradere? Magi igitur ante Dominum procideruntquia seipsos in ejus obsequium atque servitium totos expenderunt. Restat nunc ut nos quoque ad Christum ambulemus, Christum adoremus, Christoque offeramus munera. Isaias olim de gentibus Deo loquens, dicebat: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Ambulemus nos in lumine Dei, ductu scilicet gratiæ ejus, quæ nobis est lumen ad dirigendos gressus nostros in semitis mandatorum Dei. Ad ambulandum autem ad cœlestem illum paradisum, quatuor lumina sunt nobis necessaria, quæ veluti quatuor nos candelæ præcedant. Providit

Munus quadruplex Christo oblatum a Magis.

Munus a corde.

Munus a lingua.

Ps. XLIX, 23.

Munus a manu.

Bernard.

Munus ab obsequio.

Procidere ante Christum infantem quid fuerit.

Is. LX, 3.

Ambulare in lumine Dei quid sit.

Lumina quatuor homini necessaria quæ.

igitur nobis benignissimus Dominus de quadruplici lumine habitantibus in tenebris, et in regione umbræ mortis. Est enim lumen naturæ, lumen doctrinæ, lumen exemplare, et lumen gratiæ seu illustrationis divinæ. De primo lumine est illud Psalmi : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Omnibus nobis hoc lumen rationis naturaliter inditum est, ut cognoscamus bonum et malum, honestum et inhonestum, quod decet et quod dedecet. Possumus hoc lumen sequentes (tametsi illud nobis haudquaquam sufficiat ad salutem) nos disponere aut parare ad lumen divinæ gratiæ suscipiendum, puta, ut in nobis non inveniatur obex gratiæ. Siquidem ethnicus aut paganus si damnatur, nonnisi juste damnatur, propterea quod lumine hoc naturæ non fuit recte usus. Si enim recte uteretur, et ad Deum (quem lumine potest rationis agnoscere) se converteret, non posset fieri quin per media illuminaretur a Deo, et ad salutem perveniret. Aliud est lumen doctrinæ sive eruditionis, ut quod lucet in Scriptura, quomodo Psalmus dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Et iterum: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* Tertium est lumen exempli, ubi quis opere docet quid fugiendum, quid amplectendumve sit. Et hoc lumen efficax quidem est, sed non sufficit absque lumine gratiæ. Quartum igitur lumen divinæ est gratiæ necessarium. Hoc lumen in homine tanto radiat clarius, quanto fuerit hominis cor purius. Quam multi enim sunt qui docti prædicare sciunt, et dare consilia aliis : sibiipsis tamen nihil consulere noverunt, sed ambulant in tenebris, nec sciunt quo vadant. Vides sæpenumero doctos multos sed indevotos, cum e diverso offendas simplices, illitteratos, sapientissimos ac spiritu devotos. Quare? quia lumen gratiæ sua negligentia aut non habent, aut minus habent. Quapropter omnes quantum sufficeret, sumus rationis capaces : videmus quoque exempla bona : præterea sumus instituti salutari doctrina, et tamen hæc omnia, quia ad Deum non convertimus, nec applicamus, graviter delinquimus, nos ipsos negligentes. Omnibus enim his quamdiu utimur ad luminis superni, hoc est, ad gratiæ extinctionem, non potest nobis inesse salus. Quid, inquis, faciam, ut divino illustrer lumine? Deponere omnia peccata per confessionem, animumque posthac delinquendi nullo unquam tempore admittere, peccandi occasiones fugere, ob nullius hominis amorem, ob nullius commodi nulliusve rei desiderium aut favorem a Dei voluntate declinare. Nisi hoc, abstinendi scilicet a peccato, declinandi peccatorum occasiones, tam propositum quam studium in te firmum sit ac constans, vana est correctioris vitæ quævis promissio. Non ideo gravis et laboriosa est res bonæ voluntati vitam malam deserere et ad meliora se mutare. Adsit bona voluntas, et sentiuntur cuncta levia. Age tantum ut velis, et vere velis te ad meliora convertere. Verum audio vestrum quosdam dicentes : Voluntatem habeo bonam, instituo propositum sanctum, et dum ab aliis sequestratus sum, utcumque recte me habeo. At ubi inter homines vivere cogor, cogor quoque acquiescere aliis, meque, nisi malim offendere, aut derideri atque contemni, præsentibus communem conformemque reddere. Itaque quamvis bona mihi sit voluntas, impedior. Si enim non acquiesco amicis, male audio. Quid dicis ? Quos habes amicos, quibus placere magis appetis quam Deo? An pluris facies hominis amicitiam, quam Dei ? Numquid ne male audias ab homine, offendes Deum? Numquid utilior tibi est amicitia hominis quam Dei? Aut potius deseres Deum illo contempto, ne contristes hominem Deo dilecto ? Nimis stulte loqueris. Quæ tu cognoscis Deo placita, virtuosa, saluti tuæ necessaria, propter hominem deseres? Quæ Deum offendunt, quæ tibi noxia sunt, quæ dedecent, propter hominis favorem et ad Dei injuriam facies ? Si te rogaret amicus, ut tibi eruas oculum, num facies ? Si ut pecces, animæque tuæ vulnus infligas

Lumen naturæ quid sit.

Ps. IV, 7.

Ethnici et pagani cur juste damnentur.

Lumen doctrinæ quam sit necessarium homini.

Ps. CXVIII, 105.

Ibid. 130.

Lumen exempli quodnam sit.

Lumen divinæ gratiæ quam sit necessarium homini.

Doctiores cur sint communiter minus devoti ac illuminati Dei gratia.

Lumine divino illustrari volenti quid sit faciendum.

Voluntas bona melioris vitæ quomodo probetur.

homo invitat, numquid ne illum contristes, acquiesces? Stulta hæc est excusatio : propter homines, et ne deridearis aut male audias, cogi ad peccandum. Audi quid Apostoli fecerunt. *Ibant* autem, inquit *Act.* v, 41. Lucas, *gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Exulta et gaude tu quoque si propter virtutem continentiæ, si propter temperantiam sobrius et castus vivis, et si propter quamvis virtutem aliam, ut placeas Deo, aut ne offendas Deum, aliquid agis aut caves, propter quod sperneris, aut propter quod male audis, exulta et gaude, quia pro Christo et pro virtute hoc pateris. Qui enim propter justitiam patiuntur, beati. Et quis tibi nocebit, si boni æmulator fueris? Gravate fers si despiceris. Audi consilium. Despice teipsum primus, nec te dignum judices, qui hominum habeas favorem. Hominum gratiam contemne, ne Dei gratia priveris. Nihil tua intersit quid de te homines loquantur, modo Deo placeas. Quid animæ tuæ conferat aut noxium sit attende : et quid de te homines cogitent aut loquantur, contemne. Vecordia est duntaxat tua, qui voluntate inconstans es, qui parvi facis Dei gratiam et amicitiam. Ideo leviter transgrederis : cedis uno verbo. Et quia homines mollem, inconstantem levemque te cognoscunt, quem ubi in animo etiam boni aliquid habueris, sciunt ad verba hominum mutabilem, ideo magis inconstantem reddunt, nec propositi tui te esse sinunt tenacem : Cæterum, propone et constans serva tuum propositum, puta non vorare, non inebriari, non compotare, nihil impudicum agere aut loqui, non choreis aut spectaculis interesse : quis quæso te invitum ab hoc proposito abstrahet? Si tentaris ab homine ut a proposito sancto tuo recedas, noli vacillare tu, sed pertinax etiam bis terve omnes qui offendi volunt offende, et quantocius illorum blanditiis aut minis etiam non acquiescas, ut tandem nemo molestus tibi sit, nemo non laudet etiam te. Habet enim etiam apud inimicos semper tam virtus quam veritas laudem. Nam ab omnino reprobis quid timendum est? Profecto prorsus nihil. His namque si acquieveris, perdent te : si non acquieveris, detestabuntur te. Verum hoc non ad ignominiam tibi cedet, sed ad laudem. Quid enim illi digne laudant aut vituperant? Cæci sunt, et judicio carent. Contra illorum odia Christus te consolatur, dicens : *Beati eritis cum vos oderint homines, et persecuti vos fuerint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter Filium hominis. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* Itemque : Nolite mirari, quia odit vos mundus. *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat* in vobis *diligeret. Sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Quis est de mundo? Profecto qui terrena sapit, qui secundum carnem vivit, qui non obedit Spiritui Dei. Hi sunt mundus. Hi sunt a quibus omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Itaque si hominibus hujusmodi placere vis, non poteris placere Deo. Si etiam hujusmodi placeres, id est, placere affectares, Christi servus non esses. Hæc prima conversionis tentatio est, odia ac hominum contemptum in Dei servitio pati. Verumtamen noli tu ad modum arundinis vento agitari. Constans persevera in tuo bono proposito, præsertim cui Sacra consentit Scriptura, et majoris tui aut Ecclesiæ auctoritas; quid vero de te loquantur sentiantve homines, contemne. Postremo ut unde digressus sum, redeam, cum sanctis Magis Christum quære, Christum inveni, ante Christum procide, Christum adora, Christo offer munera, aurum charitatis, thus devotionis, et myrrham abnegationis ac mortificationis. Quod nobis omnibus largiatur mellifluus amabilissimusque puer Dominus Jesus Christus, in secula benedictus, Amen.

Judicia hominum quam nihili sint facienda ut Deo obediatur.

Propositum bonum quam sit mordicus tenendum.

Reprobi homines quam non sint timendi.

Luc. VI, 22.

Joann. XV, 19.

De mundo quinam esse dicantur.

Tentatio prima conversionis quænam sit.

IN FESTO

S. ANTONII ABBATIS

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

JUSTUM deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum. Honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum adfuit, et honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum : et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum : descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos qui eum deprimebant : et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam. *Sap. X.*

TOT nobis eximiæ sanctitatis proponuntur exempla, tot incentiva virtutum, ut durissimus quisve possit corde compungi, et excusso frigidi ac mundo huic dediti pectoris sui torpore, inflammari fortiter ad quærendum, colendum et amandum Deum. Quod si obrepat pusillanimitas, tanquam ardua res sit servire Deo, tamen animari potest exemplis hominum mortalium, quorum certe eadem nobiscum secundum carnem conditionis ratio, eadem infirmitas fuit, qui nihilominus divina freti ope in tantam excrevere sanctitatem, ut nemo satis mirari queat. Si illi potuerunt, nos itidem non poterimus? Si illis Deus auxilio fuit, ut possent, nobis etiam non erit? Aut forte illi dormiendo et otiando suas sunt adepti virtutes, et Deus illis stertentibus suam impertiit gratiam? Imo vero bonus Dominus, qui nihil sic optat, quam nos sublimes in gratia et gloria efficere, dabit nobis propensissima liberalitate quidquid adminiculo nobis esse queat, ad apprehendendam justitiam : sed conatus noster adsit oportet, ut quæramus, petamus, pulsemus. Ad hoc incitamur exemplo beatissimi Christi confessoris, cujus nunc festum colimus, cui quam aptissime accommodari possunt verba Lectionis hodiernæ Epistolæ desumptæ ex libro Sapientiæ, quibus dicitur : Justum deduxit Dominus, tum continua suæ gratiæ aspiratione, tum angelica inspiratione, tum etiam Scripturæ divinæ institutione multiplici, per vias rectas, vias virtutum et justitiæ, quæ rectæ sunt, quia hominem, recta perducunt ad Creatorem, eumque rectum et justum efficiunt, alienum a vitiorum obliquitate : et ostendit illi, sive per speculum in ænigmate, sive per manifestam visionem, sive per crebras et felices degustationes, regnum Dei, quod est patria omnium filio-

Viæ rectæ quænam dicantur.

rum Dei, qui modo quotidie in hoc misero calamitosi seculi hujus exilio suspirant, di-
Luc. xi, 2. centes Patri suo cœlesti: *Adveniat regnum tuum,* quod parasti nobis a mundi constitutione, ut educti e squalore carceris hujus videamus faciem tuam, et tibi felicissime
Scientia sanctorum quæ sit. copulemur. Dedit etiam illi scientiam sanctorum ut caperet Scripturæ mysteria, et illuminatis oculis cordis Deum ac divina perspiceret, perspectaque amaret. Hoc enim præstat salutaris scientia quam non habent mali, ut mundus et quidquid mundi est, id est, vitia, voluptates, vanitates magis magisque vertantur in nauseam, et summum bonum, id est, Deus et quidquid ad illum pertinet, ut sunt virtutes, etc. expetatur ac inquiratur. Honestavit illum ac celebrem fecit in laboribus piis, qui cederent ad honorem Dei et salutem animarum, et complevit labores illius, atque ad finem perduxit, reddens illis mer-
Sap. iii, 15. cedem nunquam desituram : *Bonorum* enim *laborum gloriosus est fructus.* Nec tamen labor ipse perpetuus est, sed brevis, ut sit tolerabilis : merces autem sempiterna est, ut non deficiamus benefacientes, sed molestiam quam parit laboris difficultas, præmii contemplatio mitiget et qui tædio lassescimus, spe gloriæ recreemur. Atqui labores impiorum nunquam complentur, quia transeunt de laboribus ad labores : de laboribus scilicet iniquitatis ad labores miseriæ semper duraturæ : qui utinam pro sua salute tertiam laborum partem insumerent, quam modo pro rebus perituris infatigabiliter impendunt, certe nedum pœnas evaderent, sed etiam ad maximam pertingerent sanctitatem. In fraude circumvenientium illum, dæmonum et hominum pestiferorum, adfuit per salutaris consilii inspirationem, per promptam et celerem liberationem : et honestum fecit illum, ita ut ab omnibus prædicetur, et magno in pretio ac veneratione habeatur. Solet enim Deus servis suis in bonum convertere, quæ adversum eos inimici visibiles ac invisibiles insidiose machinantur. Custodivit illum ab inimicis, ne quod ab eis animæ detrimentum pateretur; et a seductoribus tum dæmonibus, tum hominibus, tutatus est ac servavit illum, ne vel dæmonum fallaciosis instinctibus, vel hominum improbis consiliis seduceretur. Quod sane maximum est beneficium Dei, servari scilicet a fraudibus et dolis hostium visibilium et invisibilium. Multi enim seductores exierunt in mundum, et evertunt plurimos, uti nos quotidie experimur. Et certamen forte dedit illi, multas ei duras et acres sinens evenire tentationes mundi, carnis et dæmonis, idque non in perniciem, sed salutem illius, ut vinceret, et post victoriam gloriosius coronaretur, et sciret, quoniam omnium potentior est Sapientia, Christus Jesus Dominus noster, cui nihil potest resistere. Hæc venditum justum Joseph a fratribus suis non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, eripiens eum de morte quam ei machinati erant, descenditque cum illo in foveam sive cisternam in quam submiserunt eum, et in vinculis carceris non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum et principatum regni Ægyptii, et potentiam adversus eos, qui eum per calumniam deprimebant. Habent enim pii omnes suos calumniatores, qui cum veritate non possint, mendaciis eos persequantur et calumnientur : verum nonnisi in confusionem sui. Bonis enim aliorum malitia nihil offecit, sed Deo disponente in bonum vertitur. Et mendaces ostendit reipsa, qui maculaverunt illum falsis et iniquis obtrectationibus, et dedit illi claritatem æternam. Sic et Dominus Deus hunc sanctum suum multis modis defendit adversus hominum calumnias, et mirifice exaltavit, et nunc tam in militanti quam triumphanti Ecclesia maximam illi contulit nominis et existimationis claritatem.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, MATTHÆI XIX.

ANTE hujus Evangelii verba locutus fuisse Dominus legitur de divitibus, quam sit illis difficile salvari. Nempe, qui suas solent amare divitias atque terrena negotia, nunquam non suis in cordibus inquieti ac solliciti, quomodo suas augeant divitias, quomodo non minuantur. Inter quæ, si quid calamitosum tristeve illis occurrerit, ut terreni lucri quid amittant, mille telis perfodiuntur. Sunt igitur divitiæ dulce quidem venenum, sed inquietum malum, quamvis et apud illos plerumque ipsa quoque inquietudo ametur. Dicebat autem Dominus facilius camelum transire per foramen acus, quam divitem, puta suas divitias amantem, atque divitiis suis avare incubantem, intrare in regnum cœlorum. Qua comparatione perculsi Apostoli, Domino dixerunt: Quis poterit salvus fieri? Ac si dicerent: In universum mundus post terrena abiit, et caducarum rerum concupiscentia, quasi laqueis quibusdam totus irretitus est. Quis evadet? Numquid omnes in interitum ibunt? Respondit Dominus: Quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum. Quasi impossibile dicit esse hominibus ab amore divitiarum sese extricare: quamvis id ut fiat possibile sit apud Deum. Huic enim omnia cedunt, huic omnia pervia sunt et quocumque vult ea flectit. Non deest ei consilium, quin divitum quorumdam custodiat corda, ne ex divitiis inflentur, ne alios despiciant homines, ne ament terrena nimium, ne avare retineant, sed in subsidium dividant egenorum, neve etiam prodige sumptuoseque ad mundi fastum consumant. Verumtamen quam rarus sit hujusmodi Scriptura enuntiat, dicens: *Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum?* Hac itaque sententiæ Christi moderatione audita circa divites, Petrus non animo gloriandi, sed humiliter investigandi sciscitatur quid propterea sibi Apostolisque reliquis sit futuri præmii (quandoquidem cum divitibus ita res agitur), utpote qui terrena simul omnia reliquerunt. Itaque dicit Evangelista Matthæus:

Divitiæ ut sint dulce venenum.

Luc. XVIII, 27.

Eccli. XXXI, 8.

> Dixit Simon Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?

Grandis, inquit Hieronymus, fiducia. Petrus piscator erat, dives non fuerat: et tamen confidenter loquens, ait: Dimisimus omnia. Chrysostomus quoque: Quænam sunt, inquit, hæc omnia, quæ te dicis, beatissime Petre, reliquisse? Arundinem vilissimam, retia universorumque piscatorum artificium: hæc tu omnia vocas? Ita, inquit, sed non ambitione quadam aut inani gloria: verum, ut pauperum plebem hac interrogatione introducam. Nam quoniam a Domino dictum est: *Si vis perfectus esse, vende quæ habes* et distribue pauperibus: *et habebis in cœlo thesaurum:* ne quis pauperum opinetur non posse ad perfectionem se pervenire, cum non habeat quæ pauperibus offerat, quærit Petrus, ut tu discas, nihil te minus propter inopiam habiturum. Hæc ille. Vide autem, quia interrogando, ad Christi sententiam alludit dicentis juveni, qui multas possidebat divitias: *Vende omnia et da pauperibus, et sequere me.* Utrumque enim Apostoli fecerant. Siquidem terrena omnia dimiserant, et Christum sunt secuti. Sed quæ, inquis, adhuc omnia reliquerant? Omnia profecto

Hieron.

Chrysos.

Luc. XVIII, 22.

Matth. XIX, 21.

quæ habuerunt, et quæ habere potuerunt. Omnia relinquit, qui nihil sibi retinet. Omnia relinquit, qui non solum terrena omnia, sed etiam habendi a se abdicat animum. Plus itaque sanctus Petrus, et nonnulli alii Apostoli reliquerunt, qui, licet pauca possiderent, ea tamen omnia reliquerunt, nihil sibi asservantes, quam alii quidam, qui multa relinquentes distribuerunt pauperibus: nihilominus etiam nonnulla sibi interea reservantes. Hoc modo vidua illa evangelica, duo sola habens minuta, et eadem in gazophylacium offerens, laudata est a Domino, quod plus aliis omnibus obtulerit: propterea quod alii omnes de abundantia sua obtulerint, ipsa vero totum simul quod habuit, obtulit. Et secuti sumus, inquit, te. Hoc potissimum est quod Christo placet. Nihil enim nos commendaret Deo facultatibus terrenis nudari, pauperem agere vitam, cum penuria et sobrietate necessariis uti, nisi id fieret propterea ut illi placeatur. Nihil, inquam, conduceret nobis ad salutem, nisi animo ac mente quoque sequamur Christum, vitæ ejus vestigia virtutumque actus, quos nobis præmonstravit, imitando. Quid ergo erit nobis præmii? Fecimus quod jussisti. Optime igitur magister, piissime consolator, qui nihil relinquis irremuneratum: omnia relinquentes, unum te elegimus, qui sufficis nobis (in te namque habemus omnia), quid præstabis nobis?

Apostoli quænam omnia reliquerint Christum secuti.

Sequi Christum quam sit glorificum et commendabile.

Jesus autem dixit eis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.

Hic, inquit, erit honor vobis, hoc præmium, qui reliquistis omnia, quique me perseveranter estis secuti (ne Judam quoque ac reliquos, qui perfectionis aliquando specimen præbuerunt, ac laudatæ vitæ habuerunt initia non perseverantiam, putetis adnumerandos). At vos non soli Apostoli, sed quicumque estis me secuti, hic in terris imitando vestigia humilitatis ac paupertatis meæ: propterea quod non erubuissetis per contemptum et probra, per tribulationes et adversa, per ignem et aquam me sequi, hoc honore vos dignabor, ut in regeneratione, resurrectionis scilicet futuræ, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, blandus et amabilis bonis, malis terribilis: cum, inquam, sederit judex discussurus singulorum merita, et unumquemque secundum opera sua judicaturus, tunc vos assidebitis illi super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Judicabitis, inquit, eos ex collatione vestræ fidei, quandoquidem illis non credentibus, vos credidistis. Vos igitur illis eritis in speculum gloriæ, et in terrorem damnationis: quia videbunt in vobis, quam insensati vestram vitam olim putaverint insaniam: nunc vero inter filios Dei, et Judicis assessores constitutos. Tunc gementes, agnoscent stupore horribili, et dicent: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii:* quorum vitæ finem (puta in gladio, in cruce, in flammis, in aquis) existimavimus sine honore. Nos vero (cum illorum viæ essent pulchræ, et semitæ pacificæ) *lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimusque vias difficiles,* quæ nos duxerunt ad tenebras sempiternas. Hoc itaque modo vos judicabitis eos, cum securitatem et gloriam vestram videbunt: suam vero infelicitatem ærumnosam sero pœnitentes, semetipsos condemnabunt, quod non crediderunt vobiscum in me, terrena cœlestibus præferentes. Ideo namque dicent: *Quid profuit nobis superbia nostra, et divitiarum jactantia quod contulit nobis? etc.* Aut ita: Vos assessores mei eritis dum sedero in potestate judiciaria, quia æquitatem et justitiam meam divinam contemplantes laudabitis, et sententiam approbabitis judicantis impios, et a se æterna damnatione eos repellentis. Observandum tamen hic in futuro novissimo die quo, juxta Joelis vaticinium, Dominus advocabit judicandos

Merces relinquentium Christi amore omnia terrena quanta erit.

Apostoli quomodo judicabunt cum Christo in judicio extremo.

Sap. v, 3.

Ibid. 7.

Joel III, 12. omnes, dicens : *Ascendant et consurgant gentes in vallem Josaphat : quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu,* in quadruplici erunt differentia judices. Beatissima enim Trinitas Deus judicabit omnes, utpote cujus est summa præcipuaque auctoritas judicandi, quantum igitur ad auctoritatem attinet præcipuam, Dei est judicare. Secundo, Christus homo ut auctoritatis hujus executor per prolationem sententiæ judicabit, ut ipse testatur dicens : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Tertio, Apostoli virique perfecti, ut judicis assessores judicabunt, hoc est, judicis laudabunt sententiam. Quarto, dicuntur judicare minus mali pejores. Hoc modo Ninivitæ, regina Saba et Sodomitæ, Christo asserente, incredulos, eosque qui gravius deliquerint, quasi his justiores comparatione innocentioris vitæ, judicabunt.

Judices in extremo judicio uti erunt in quadruplici differentia.

Trinitas.

Christus.

Joann. V, 22.

Apostoli virique perfecti.

Minus mali ut judicabunt homines pejores.

> Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum: centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

Duo hic sermo postulat. Unum, quod est omnia relinquere. Adverte tamen quid sit quod dicit, relinquere. Neque enim dicit qui omnia amittit, sed qui relinquit. Relinquere est sponte carere habitis, tametsi eadem servare possis. Hoc modo, si fur, si grando, si miles, aut fortuna mala tua aliqua tibi tollat, et tu noveris de necessitate facere virtutem, ut sponte et absque tristitia feras, quod tibi res tua sublata est : jam illam magis reliquisti, quam amisisti. Amittere quid potes invitus, relinquere non potes invitus. Relinquenti igitur, hoc est, ultro deserenti quid, Christus centuplum promittit se restauraturum, quamvis (ut dixi) contingat sæpe, ut alii quod relinquas, tibi auferunt. Ubi si resignatus animo fueris æque ad non habendum, ut ad habendum, foris quidem amittis, animo vero relinquis. Atque ideo Job sanctus, cum ei ablata forent omnia, dici potuit cuncta reliquisse, quia de illorum amissione non tristior fuit : non maledixit, non murmuravit, nec stultum quid ex impatientia contra Deum locutus est : sed *si bona,* inquit, *de manu Domini accepimus, mala quare non sustineamus ? Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum.*

Relinquere quid sit quidque amittere.

Job I,

Secundum est, ut quod relinquis propter Deum, relinquas non more philosophorum quorumdam, quibus rerum temporalium cura fuit gravis : quare bona temporalia abjecerunt, ut magis liberiusque deinde possent philosophari. Hic itaque qui uxorem aut agrum aut charum quidvis aliud relinquit, ait Christus, ut animo jam illud non requirat, non diligat, sed sibi subtrahat, aut subtractum esse consentiat propter Deum, hic pro una re centuplum accipiet : non eamdem rem centies recipiet, sed pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna, pro carnalibus spiritualia, quæ suo in genere meliora sunt, præstantiora utilioraque ; plusque temporalia excedunt, quam centuplum excedit simplum. Itaque temporalia propter Deum relinquenda sunt. Observandum tantum ne aut prolibus aut parentibus, quibus debes necessaria unde vivant, subtrahas sub specie pietatis. Pietatis enim maxime est, parentes pauperes enutrire, prolesque ad honestatem, donec seipsas nutrire possint, educare. Quod haudquaquam relinquendum est, utpote a Domino præceptum. Vide autem, quia Dominus non solum centuplum se redditurum promittit in hac vita, sed post hanc vitam nihilominus vitam pollicetur æternam. Laudatissima igitur est paupertas, quæ propter Deum omnia reliquit, quæ nihil possidet, nihil habere etiam possidendum quærit, usu necessariorum contenta. Nemo tantum, qui fortasse propter Deum se pauperem fecit, aut pauperem se gerit, alios despiciat judicetve, qui opes habent terrenas. Quomodo enim non omnes pauperes sunt beati, ut illorum sit regnum cœlo-

Philosophi quidam quo tempore reliquer sua.

Centu plum ac pere q modo telligen dum sit

Pietas e ga pare tes pau peres et proles ; t exhibenc sit.

Paupert voluntat quam si res laud tissima.

rum, ita non cuncti divites a laude meritoque sunt paupertatis alieni. Pauperes enim quos beatos Evangelium vocat, quibusque a Domino regnum promittitur cœlorum, sunt pauperes spiritu, cujusmodi divites esse possunt. Siquidem census non facit semper tumidum aut inflatum, sed animus. Multos quoque divites et fuisse constat, et esse, qui opes terrenas habent tanquam non habeant, qui de illarum possessione non gaudent, qui ad nil aliud has habent, quam ut Christo in obsequium, cultum, amorem atque proximis in subsidium eas impendant. Hoc modo Abraham, Isaac, Jacob, Loth, Job ; multique sancti in novo Testamento divites fuerunt, cujusmodi fuere Joseph ab Arimathia, Martha, Sabina, Sylvester, Gregorius, Leo sanctique Pontifices alii multi, qui divitias non quas avare retinerent, sed quas pauperibus large erogarent, habuerunt. Hoc modo Ecclesia bona temporalia abundanter accepit, ut ex his quædam in ministrorum Ecclesiæ necessarium usum converteret : reliqua vero, quæ superessent, in pupillorum ac viduarum, in pauperumque omnium et afflictorum consolationem alimoniamque expenderet. Diceret quis fortasse : Cur tanta Christus promisit relinquentibus terrena atque temporalia ? Dicendum, externorum sollicitudine, actione affectioneque implicari animum, ut totus nequeat converti adhærereve Deo ; quamobrem expedit et necessarium est, a curis occupationibusque terrenis liberum habere animum, quem Deo conjungat. Placet autem maxime Deo, offerri sibi cor mundum, pacatum et liberum, quod totum solus ipse inhabitet ac possideat. Itaque, Apostoli omnia reliquerunt : Primo, quia non tam res temporales, quam habendi animum, amorem, cupiditatem sollicitudinemque temporalium abjecerunt, juxta Domini consilium : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus*. Renuntiare autem, ut dixi, quis potest divitiis, cujus status, officium est et necessitas, ut temporalia agat, si, juxta consilium Apostoli eas tractat, utpote qui eas habet tanquam non habens. Secundo, reliquerunt Apostoli mundi amorem : quomodo omnibus quoque nobis dicitur : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quisquis diligit mundum, non est charitas Patris in illo*. Item : *Qui vult amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituetur*. Si igitur Deo placere, Deo acceptus esse, Dei fieri amicus cupis, et Christi discipulus, omnia relinquas oportet : non ut prorsus nihil habeas, sed ut nulli rei per amorem inhæreas. Jam vide tu quid tibi sit relinquendum. Id namque ego tibi dicere non sufficio. Interroga interiora animi tui, medullas cordis tui : hoc est, cogitationum, affectionum et intentionum tuarum, et expende quid extra Deum diligas, hoc abjice, hoc relinque. Eam ob rem Apostoli reliquerunt (quod secundo ordine fuerat dicendum) omnia a Dei amore retrahentia. Quod tibi quoque persuadeas necessarium, si ullo modo ad perfectionem anhelas. Oportet enim omnia quæ præter Christum te afficiunt, in te moriantur, ut quomodo Paulus de seipso loquens, dicebat, ita dicere vere possis : *Vivo autem jam non ego : vivit vero in me Christus,* hoc est : Ego qui persecutor fui Christi et blasphemus, tumidus atque superbus, vivo jam non ut vivebam. His enim vitiis omnibus, quibus vivebam, sum mortuus. Christus autem in me vivit, quia aliud nihil in me vivere sentio nisi Christum. Omnis enim cogitatio mea, omnis affectio, omnis quæsitio, omnis intentio mea Christus est. Tertio, reliquerunt Apostoli ea etiam quæ mediant inter hominem et Deum. Sunt enim quædam quæ licita quidem sunt, et licite diliguntur ac sine peccato : amor tamen illorum si immoderatus est, impedit Dei amorem : quia se medium ponit inter Deum et mentem hominis, quo minus eo tempore, dum fertur erga creaturam, ferri potest in Deum. Hujusmodi est amor erga parentes, amicos, uxorem, et hujusmodi, quos in Scriptura jubemur diligere : si tamen amor immo-

Pauperibus quibusnam promittatur regnum cœlorum.

Divitiis posse laudabiliter uti.

Ecclesia cur bona possideat temporalia.

Relinquere omnia cur Christus consuluerit.

Apostoli quæ omnia reliquerint, Christi amore.

Luc. XIV, 33.

I. Cor. VII, 30.

I. Joann. II, 15.

Jac. IV, 4.

Relinquenda omnia quomodo nobis sint.

Mortificanda quænam in nobis potissimum sint.

Gal. II, 20.

Vivens quomodo S. Paulus mortuus fuerit.

Amorem quinam Dei extinguat amor temporalium.

deratus est, facit medium inter Deum et animam, ut minus libere ferri possit mens hominis in Deum. Propterea Christus di-
Luc. XIV, 26. cebat : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem suam, non potest meus esse discipulus.* Denique adolescenti vocato, ut se sequeretur, roganti ut primum permitteretur sepelire patrem suum,
Matth. VIII, 22. Christus respondit : *Sine mortuos sepelire mortuos suos : tu vero vade et annuntia regnum Dei.* Est ergo in amore licito, etiam sæpenumero nonnihil quod impediat amorem Dei : ideo quia vel nimium est, vel
Periculosa animæ quantopere relinquenda sint. inordinatum est. Quarto, reliquerunt Apostoli omnia animæ periculosa. Id enim in quo periculum est, nec tuta securitas, nemo sapiens cavere non debet. Scriptum
Eccli. III, 27. namque est : *Qui amat periculum peribit in illo.* Multa sunt, quæ generatim præcepta non sunt servis Dei, ut faciant, aut evitent. Verumtamen ubi periculum sibi quis metuit, occasionemque delinquendi, ibi quantum potest, cavere debet. Carnem comedere, vinumque bibere, et alia multa corporis solatia Christus non prohibuit. Quare? Potest enim his quis necessario, et tanquam re necessaria, non tanquam sola re delectabili uti, nec (quia non ad voluptatem, sed ad corporis utitur necessitatem) Deo propterea displicere. Idcirco non erat prohibendum. Alius ibi laqueos parari sibi ab inimico attendit, nec harum rerum sentit necessitatem, caveat periculum, discrete abstineat, memorque sit verbi Apostoli : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Declinandæ igitur societates, fugienda colloquia, relinquendæ sunt occasiones. Consilium hoc Arsenius quondam sibi cœlitus dari audivit : in quo revera perfectionis summa latet : Fuge, tace, quiesce. Occasiones et pericula fuge, linguam cohibe, et ab omni cura, occupatione implicationeque animi cor liberum et quietum serva. Quod nobis omnibus largiatur Dominus Jesus Christus in secula benedictus, Amen.

I. *Cor.* IX, 27.

Occasiones peccandi quantopere fugiendæ.

SERMO IN EODEM FESTO

DE MONASTICÆ RELIGIONIS COMMENDATIONE, ET DE NOVEM ILLIUS COMMODIS SIVE UTILITATIBUS.

QUI non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, Lucæ XIV, 33.

Quandoquidem, dilectissimi, festum agimus diem magni et S. Patris Antonii, qui omnium monachorum dux est, et signifer eximius, qui innumerabiles ad vitæ monasticæ capessendum institutum suo et exemplo et sermone permovit, non abs re fuerit de monasticæ religionis commendatione apud vos agere : maxime quia hoc infelicissimo seculo ex ultimis inferorum latebris pestilentes quidam prodiere, qui et scriptis et verbis et factis etiam illam usque adeo impugnarunt, nec impugnare desinunt, ut jam multis locis summo contemptu laboret. Quod ipsum sane vel maxime argumento esse potest monasticam religionem et Deo gratissimam, et dæmonibus summe invisam, et hominibus cum primis salutiferam esse. Nam semper optima quæque infestissimos sentiunt hostes et persecutores, impellente nimirum diabolo membra sua homines impios, ut quod ipsi assequi vel non volunt, vel non valent, penitus exstinguere ac profligare nitantur, si possint, ut certe convitiis et calumniis, probrisque et aliis multis indignis modis insectentur ac lacerent. Ita actum est cum vita monastica, quam diabolus nimium sibi inimicam et adversam diu multumque expertus, vel ob id solum, quod innumeri

Religionem monasticam probari a Deo.

Monasticum institutum quam persequatur diabolus per se et per suos.

per eam servati sint hodieque serventur, licet rumpantur ilia hæreticis membris illius, excitavit quorumdam et ingenia et linguas et manus, quibus, quoad possent, rem optimam et nunquam digne commendatam acerbissime et pertinacissime insectarentur. Et res certe ipsis cessit haud incommode, jacentque nunc multis locis cœnobia vel penitus destructa et eversa, vel omni habitatore destituta, paucosque hodie invenire est, qui ad amplectendum aliquod institutum monasticum magnopere aspirent. Quod licet partim hominum tempore ac præsentium oblectamentorum studio et amore accidat, tamen non minimam huic malo ansam præbuere scripta quorumdam, quibus monasticam et cœnobiticam vitam turpiter irrident et juventutem in illius contemptum ac odium exstimulant, ut parum illis fuerit proprium excussisse cucullum, quem semel susceperant, nisi et alios omnes inde avertant.

Religio cœnobitica cur hodie tot habeat osores.

Ex his est Desiderius ille Erasmus Roterodamus, quem mundus in tertium usque cœlum evehit judicio suo, utinam et Christi Jesu, qui, ut cætera illius scripta prætermittamus, Colloquia edidit, teneræ ac simplici juventuti destinata ac elaborata, quibus petulanter admodum aliquot locis in monachos et vitam monasticam incurrit, ridens suo more quod tamen teste conscientia sua, quam litteris quibusdam propria manu scriptis declarat, potius commendare debuerat. De quo viro, quia nimium multis placet, quanquam et non paucis viris gravibus et Deum valde amantibus, nec vulgariter eruditis multum displicet ob petulantissimam mordendi libidinem, quam ille ex monachorum et Theologorum odio contraxisse videtur, nos hic multis agere nolumus. Habet judicium suum : si recte scripsit et bene vixit, jam felix est : sin aliter, infelicissimus est. Videant qui tantum illi tribuunt, qua id conscientia faciant. Itaque ut dixi, nos de illo nihil admodum hic dicturi sumus, ne stulti et scioli putent nos affectu non ratione duci : tamen committere non possumus, quin quid de illius Colloquiis senserit vir extra omnem controversiam et pius et eruditissimus Albertus ille Pighius, hic commemoremus.

Colloquia et scripta Erasmi quantum damni attulerint monasticæ religioni.

Ait ergo Pighius iste (qui non monachus fuit, sed Præpositus Trajectensis, tantæ apud eruditos opinionis, ut quidam eum alterum Albertum Magnum appellent) libro secundo Ecclesiasticæ Hierarchiæ, capitulo octavo Dialogis Erasmi (ut dicam ingenue quod sentio), nihil ad noxam religionis excogitari potuit a diabolo efficacius, non solum ob unum hoc, de quo nunc agitur (tametsi hoc ipsum satis grave et magnum sit), sed ob ejusdem impietatis plurima, quæ illic sub compositæ et elegantis orationis lenocinio, mira verborum festivitate ætati propinat incautæ, melle oblitum scilicet venenum lethale, et animæ toxicum. Quo semel imbuta recens testa, ad quos sit usus valitura in posterum, quos deinceps promittat fructus præoccupata semel ejusmodi seminibus noxiis indoles tenera, quis non videat ? Meo sane judicio minus læderent universi blasphemiarum libri ter execrandi illius Lutheri, quibus ex professo, et aperto Marte exporrectaque fronte convellit universa dogmata hactenus recepta catholicæ Christi Ecclesiæ, si legantur a viris quibus vel tantillum est judicii (quamvis pene nullis non sit periculosa ejusmodi lectio, quæ fere affricat contagionis et scabiei aliquid, et noxios aliquos scrupulos relinquit in animis legentium ut de certis discant ambigere) ; minus, inquam, læderent universa hæc lecta iis quibus est rationis et judicii aliquid, quam Dialogi ejusmodi lecti pueris et illi cui scripti sunt ætati teneræ : ex quibus religione soluti eorum animi, qua maxime ætatem eam constringi oportuit, discant deinceps de rebus divinis, de ecclesiasticis dogmatibus et institutis libere judicare ac pronuntiare, pro suo quisque captu et ingenio : discant floccipendere, contemnere, deridere. Ex qua semente, quam messem factura propediem sit Christi Ecclesia quis non intelligit ? Utinam non solum pontifi-

Albertus Pighius quid de Colloquiis sentiat Erasmi.

Colloquia Erasmi plus continere quam Lutheri quædam scripta impietatis.

cio, sed etiam imperiali edicto, et anathemate exularent perpetuo a ludis litterariis omnibus, etc. Hæc Albertus ille Pighius vere pius de Colloquiis Erasmi, quem homines tanti faciunt, quanti vix vel Apostolum Paulum, vel Augustinum, et Hieronymum : cum tamen scripta ejus aliquot locis insignes habeant errores, quod potest doctorum virorum, atque adeo Parisiensis Universitatis judicio probari. Quæ nos hoc loco ob id commemorare voluimus, ut noverint maxime studiosi adolescentes non nimium esse fidendum dictis scriptisve Erasmi, præsertim ubi ea vituperat, quæ semper apud bonos omnes constat plurimum et auctoritatis et laudis habuisse : ex quibus est ea de qua agimus, monastica religio. De qua Erasmi judicio posthabito et neglecto (non enim potuit apostata monachus laudare quod ipse deseruerat), audiamus quid viri sanctissimi et Sancto Spiritu pleni de eadem senserint. Illi ergo una sententia, quia uno spiritu, religioni monasticæ, præter alia multa encomia, novem tribuunt utilitates, quas nos hic tractare statuimus, maxime ob excitandam juventutem ad illius amorem, quam impii homines summo studio ad illius odium inflammare conati sunt. Aiunt igitur :

In religione monastica, homo Vivit purius, Cadit rarius, Surgit velocius, Incedit cautius, Quiescit securius, Irroratur frequentius, Purgatur citius, Moritur confidentius, Præmium habet copiosius.

Primum id hic commonendi estis, charissimi, sicut qui aliquamdiu monachum religiosum et instituti monastici sedulum ac strenuum egit cultorem, facile propria doctus experientia, credit verissimam esse hanc sanctorum Patrum sententiam : ita qui expertus non sit, vix posse huic fidem accommodare : maxime si oculos intendat suos in plerosque monachos, proh dolor! dissolute viventes, et nihil monasticæ gravitatis præ se ferentes, quales passim multi satis visuntur. Talis enim cum nec ipse expertus sit, et complures ex monachis ita cernat vivere, ut pene nihil horum in eis inesse videatur, ad recte sentiendum de sanctissima vitæ monasticæ professione adduci vix potest. Et tamen novem ista jam enumerata tam certum est religioni monasticæ bene observatæ inesse, ejusque cultores pios ac integros felicissime experiri, ut prope nihil sit certius. Unde etiam ab ipso statim nascentis Ecclesiæ exordio monachorum instituta sunt inchoata, agente id nimirum Spiritu Sancto, et animarum saluti providissima benignitate, et benignissima providentia consulente, ut haberent omnes qui cuperent expeditius militare Deo, et laqueos innumeros fallacissimi dæmonis, et impurissimi hujus mundi evadere, quo tanquam ad asylum et animarum tutissimum portum confugerent. Legat qui exactius nosse hæc volet, Philonis librum, quem inscripsit de vita contemplativa supplicum, et videbit rem esse antiquissimam, et saluberrimo prorsusque divino consilio et Dei nutu ac voluntate institutam esse monachorum vivendi rationem. Et tamen audent homines levissimi irridere, carpere, rejicere, quod ab ipsis inde Apostolorum temporibus per omnium ætates temporum semper a sanctissimis et eruditissimis viris summa laude celebratum est, utpote propria plerisque doctis experientia, quid ea vita commodi, quid utilitatis haberet. Prima igitur, ut ante dictum est, religionis monasticæ vel cœnobiticæ utilitas est, quod in ea homo vivit purius. Unde hoc probamus? Certissimis rationibus. Cum enim, teste Joanne Apostolo, omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ sit, sub quibus omne vitiorum genus continetur : utique consequens est ibi purius vitam transigi, ubi ista tria studiosius et perfectius profligantur. Id autem fieri in monastica vita satis vel inde liquet, quod monachi omnes, qui tamen regulam ut vocant, sive institutum ab Ecclesia ap-

Religi monastic quando a quo ir stituta s

Purius vi vi in reli gione mo nastica.

I. *Joann* II, 16.

Vota monastica contra quænam vitia ordinata sint.

probatum et confirmatum sectantur, adversum tria hæc vitiorum omnium capita tribus sese votis communiunt, e diametro cum iisdem pugnantibus, eaque funditus extirpantibus. Namque ut carnis dolent concupiscentiam, promittunt perpetuam castitatem : ut oculorum cupiditate vacent, promittunt voluntariam paupertatem, denique ut superbiæ pestilentissimum profligent virus, obedientiam pollicentur.

Voto solemni cur sese adstringant monasticæ vitæ professores.

Quare autem sacramento vel voto solemni se adstringunt, nisi ut non liceat unquam resilire a sancto proposito, nec post missam ad aratrum manum retrospicere, quod nefas est, et hominem Dei regno ineptum efficit ? Est enim homo ex naturæ corruptione mirum in modum instabilis et proclivis in omne malum. Quamobrem consultissime sane a Patribus sancitum est, ut post integri anni probationem professionem solemnem faciant, qui monachi fieri velint, ut vel hoc ipso intelligant, quidvis potius perferendum sibi esse, quam ad vomitum revertantur. Quis autem verbis ullis possit explicare satis, quantam conferant animi puritatem tria isthæc vota bene observata ? De virginibus scribit

I. *Cor.* VII, 32. Apostolus : Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Idem contra de illis qui in matrimonio vivunt,

Ibid. 33. sic habet : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Quapropter idem Apostolus voluit omnes homines esse sui similes, id est, absque conjugio : non tamen est ausus imperare, ne laqueum injiceret sese continere nolentibus, aut nimium pronis in libidinem : attamen absque ulla hæsitatione præfert castitatem matrimonio. Qui

Castitas in cœnobiis quomodo servetur.

non potest capere tantum donum, agnoscat imperfectionem suam, et saltem alios patiatur angelicam in terris imitari puritatem. Non invideat aliis, quod ipse assequi non potest. Si dulcius est ipsi miseræ carnis vinci ac subdi voluptatibus, et contra animæ dignitatem vilis ancillæ servum emptitium fieri, non prohibeat alios ad sanctæ religionis castra confugere, ubi ab omnibus ex professo caste vivitur, ubi nefas est quidquam admittere quod violet carnis integritatem : ubi denique gravissima mulctantur pœna, si qui voti sui transgressores possint convinci. Quod si qui hodie in tantam lapsi sint deformitatem, ut publice in cœnobiis incontinenter vivant, illi quidem monachorum loco habendi non sunt, nec propter eos plurimi innocentes condemnandi, qui magno studio et acri contentione nituntur reddere Domino quod polliciti sunt, carnem suam vigiliis, jejuniis, orationibus, aliis quam sanctis exercitiis in servitutem redigentes, ne lasciviat adversus spiritum. Namque et hac de causa hujusmodi piæ et utilissimæ exercitationes in cœnobiis usitantur et

Exercitationes contra carnis voluptates in cœnobiis quo spectent.

excoluntur, ut possit spiritus pleno jure suo corpori dominari. Quas certe quicumque negligunt, ut nunc, proh dolor ! ab hominibus mundanis plus satis negliguntur, non possunt continenter vivere. Itaque purius vivitur in religione ob angelicæ puritatis ex professo susceptam imitationem. Quod si dicas, multos etiam in mundo caste vivere, equidem quibusdam id contingere non negaverim, sed tam paucos illos esse res ipsa loquitur, ut illorum exemplo nemo debeat velle inter infinitas peccandi occasiones hærere in mundo, ubi innumeri quotidie ruunt in turpissima carnis flagitia, eo potissimum nomine quod inter occasiones versentur : quas si rescinderent et fugerent, atque ab hominum consortio abstracti, sanctorum monachorum contuberniis sese jungerent, facillime, Deo propitio, non solum hujusmodi non admitterent scelera, sed etiam purissime viverent. Sed ne simus prolixi

Paupertas monastica quomodo servanda quantaque laude extollenda.

nimium, omisso castitatis voto, videamus paucis quid puritatis præstet homini paupertatis professio. Crescit amor nummi, ait quidam, quantum ipsa pecunia crescit. Et *qui volunt divites fieri*, teste Apostolo, *incidunt in laqueos diaboli.* Eodemque auctore : *Cupiditas radix omnium malorum est.* Ergo semel omne habendi et acquirendi jus a se abdicasse, nihilque omni-

I. *Tim.* VI, 9, 10.

no habere velle, id est, vitia simul omnia radicitus evulsisse, si ita fiat ut oportet. *Matth.* XIX, 29. *Qui reliquerit domum, aut agros propter nomen meum,* ait Dominus Jesus, *centuplum accipiet :* id est, mirabiles interioris hominis consolationes et pectoris suavissimam tranquillitatem cordisque puritatem quam nihil æque inficit ut cupiditas, quæ miserorum corda mortalium in mundo degentium perniciosissime devastat. Jam si ad obedientiam veniamus, velimusque æquo perpendere judicio, quam illa totius mali fontem, quæ est voluntas propria, in homine prorsus obturet, non poterimus quidquam ambigere, quin verissimum sit, longe purius hominem in cœnobio, quam in mundi strepitu vivere. Ubi enim cuique quidvis agendi ac omittendi manet potestas, ibi fieri non potest, quin multa sæpe mala perpetrentur. Animus enim hominis, præsertim in virtutibus parum exercitati, præceps fertur in vitia, nisi freno quodam contineatur ; ubi vero non suo, sed alieno licet arbitratu vivere, illic sane peccari vix potest, nisi quis relicto alterius, suo malit duci arbitrio. Non vacat his singulis diutius immorari, tametsi esset materia copiosissima. Id nimirum ex jam dictis potest esse perspicuum, tanto in religione monastica vitam purius transigi, quanto illic minus licet omnium capitibus vitiorum esse deditum. Et quia difficile ac permolestum est carni et sanguini carere carnis voluptatibus, mundi facultates spernere, superbiam humilitate premere, ea re miseri quidam primo ipsi cucullum excussere, et ad Ægypti ollas reversi sunt : deinde propria perditione minime contenti, etiam alios quotquot possent, nisi sunt ad similia provocare : quos tamen pii et Deo dediti spreverunt penitus : impii vero et stolidi quidam nonnisi in perniciem suam et sui similium secuti sunt.

Obedientia cœnobitica quam suos servitores faciat felices.

Animus humanus quam sit in vitia proclivis.

Desertionis monasticæ vitæ quænam quibusdam occasionem præbuerint.

Altera religionis monasticæ utilitas est, quod in ea homo cadit rarius. Et hoc itidem ex ea causa, quod rariores habeat peccandi occasiones, et plura bene agendi incitamenta. Fit nonnunquam ut diabolo tentante et vexante, incipiat quispiam ad peccandum fieri proclivior. Qui si in mundo versetur, ubi rarissima cernuntur virtutis exempla, plurima vero, quæ ad omnem improbitatem nedum illiceant, sed etiam impellant, diabolo tentanti cito obsequitur, et perit miser pravis aliorum exemplis eversus. Si autem sit in cœnobio bene reformato, habet viros virtutis ad quos confugiat quorum et monitis et exemplis ad resistendum diaboli suggestionibus accendatur. Nemo facile crediderit, quam magnum sit ad persistendum in bono adjumentum convictus et consuetudo hominum Deum timentium. Testatur hoc Psalmista : *Cum sancto,* inquit, *sanctus eris.* *Ps.* XVII: 26. Neque sane dubitari potest permultos adhuc in diversis diversorum ordinum cœnobiis viros religiosos Deumque apprime amantes reperiri. Mundus autem totus in maligno positus est, adeo ut jam virtutis sit improbos imitari : vitii vero sectari bonos. Quis illic diu possit perstare fortiter, nisi magna et rara animi fortitudine præditus? Sed aiunt scioli quidam majoris esse virtutis inter malos vixisse bene, quam inter bonos, et ignaviæ speciem esse, occasiones peccandi fugere. Quid dicitis, miseri? Nonne hac ratione infiniti pereunt, quod nolunt pravorum consortia fugere? Ipse divus Joannes Baptista, quamvis in Dei gratia confirmatus, tamen etiam sanctissimos parentes suos fugit, ne scilicet vel tenuissimam ex hominum congressu maculam contraheret. Et vos illo sanctiores et fortiores in media hominum frequentia vivetis, et vivendum censetis? Sed absit ut stultitiam vestram imitari velint, qui Deo placere cupiant. Sint certe vestri similes, qui malunt hominibus placere quam Deo, mundo servire potius quam Deo.

Hominum proborum convictus et consuetudo quantum præstet adjumenti ad bene vivendum.

Consortia pravorum quantum noceant incautis.

Tertia religionis monasticæ utilitas est, quod in ea homo surgit velocius. Id vero nemo in dubium revocare poterit, nisi qui nesciat, quam frequens ac prope continua fit in cœnobiis Sacræ Scripturæ lectio,

Cadere rarius quomodo contingat in cœnobiis.

Surgendi velocius ex lapsu in vitium ratio in cœnobiis quæ.

quæ modo terrendo, modo consolando, modo promittendo incitat lapsos ad resurgendum. Accedit eo tum superiorum, tum fratrum crebra ac fervens exhortatio, et si necesse sit etiam severa castigatio. Non enim facile impune peccatur in monasteriis bene institutis, ut etiam si quis velit, non possit diu jacere in vitiis. Dulcissima porro illa necessitas est, quæ cogit hominem manere in officio et recte ingredi. Cæterum qui in mundo vivunt raro admodum scripta divina percipiunt, et pene neminem habent, qui ad corrigendum perperam admissa hortetur. Plerique vero ex iis qui docti habentur, eo duntaxat Scripturas Sacras et sanctorum Patrum scripta lectitant, ut hominibus sese venditent, et auras populares captent : quibus ea re plus nocet cognitio Scripturarum quam prosit, quando nosse duntaxat illas volunt ob gloriolæ desiderium, non autem præstare quod docent. Quod hominum genus ut plurimum superbum ac tumidum est, et divinæ gratiæ minime capax. Quo fit, ut sæpe in gravia labantur vitia, atque adeo in hæreses, unde vix unquam emergunt. Non enim ferunt se admoneri aut corrigi, quod sibi sapientissimi videantur.

Doctores quinam Sacras Scripturas lectitent, ut sese venditent.

Quarta religionis utilitas est, quod in ea homo incedit cautius. Cum enim non suo, sed alieno, id est, superiorum suorum, quibus propter Deum voluntatem permisit suam, vivat arbitrio, ubique tutus, ubique securus est, nec potest ulli patere periculo, Christi gratia eum protegente, cujus amore sese hominibus submisit. Non enim potest committere Christus pro bonitate sua, quin ejusmodi hominem tum per superiores, tum per alios magis expertes, tum etiam propria experientia abunde instituat ac erudiat, quomodo caute debeat ingredi, ne usquam inimici fraudibus ac nexibus implicetur. Qui vero in mundo vivunt, quidquid libet aut agunt aut omittunt, atque eo ipso innumera contrahunt animæ vulnera : et si quandoque velint servire Deo et pie vivere, rarissime ad bonam perveniunt frugem, eo quod facillime eos decipere potest malus spiritus, ut vel plus vel minus quam oportet agant, et aut destruant sese nimietate, aut inertia negligant et tepescant : quandoquidem suo ducuntur judicio, nec aliorum consiliis sese submittunt, quod est revera periculosissimum. Vix enim potest fieri, ut quis propria ductus voluntate ad veram pertingat sanctitatem. Felix anima, quæ Christi illustrata lumine et ejusdem docta spiritu, non vult sibi relinqui, nec suo permitti judicio, sed magis duci alieno : nec præsidit ingenio aut sapientiæ suæ, sed exemplo Filii Dei subdita est homini propter Deum. Quæ res monachos in religione facit cautissime ingredi, et innumera pericula evadere quibus involvuntur, qui ipsos se sibi duces constituunt putantque felicius esse suapte voluntate, quam sub alterius obedientia vivere : tanquam illud liberum, istud coactitium sit. Sed errant. Nihil enim gratius Deo, quam omni propria calcata voluntate, ex alterius præscripto vivere, nec sibi velle licere quidquid libitum sit, sed id duntaxat, quod is cui se submisit, imperarit. Posset hoc innumeris Scripturæ divinæ et sanctorum Patrum testimoniis confirmari, nisi brevitati studeremus.

Incedendi in monasteriis cautius ratio quæ.

Voluntati propriæ inniti quam sit omnium malorum sentina et damnationis causa.

Ingredi caute quænam faciant cœnobium.

Quinta monasticæ vitæ utilitas est, quod illius cultor quiescit securius. Quid enim illius possit interturbare quietem qui omnem omnino temporalium rerum curam vanamque sollicitudinem abjecit, qui non est sollicitus in crastinum, qui nesciens qua hora Dominus suus venturus sit, sic exigit omnem diem tanquam hodie venturus sit? Quid vero hac quiete suavius, quidve securius, corpore quidem in mundo degere, sed animo jam in cœlis versari, nolle quidquam curare temporarium tanquam indignum, quo animus immortalis, et ad sublimia vocatus, occupetur ac distineatur, atque jugiter in serenæ conscientiæ amœnissimo thalamo ac tranquillissimo sinu quiescere, et omnem cogitationem, amorem, studium, intentionem,

Quietis in cœnobiis causæ quæ sint.

desiderium suum in uno illo summo et vero bono defigere, illo unice delectari : horrere quidquid pacem turbat pectoris, ut Deus pacis perpetim in ipso commorari delectetur ? In mundo autem quam sint perturbata et tumultuosa omnia quis non videat ? Quis ibi unquam possit vera mentis quiete perfrui, ubi tot pene sunt perturbatores, quot concives vel convictores ? Ea ex causa etiam philosophos quosdam legimus hominum fugisse frequentiam, et ad loca solitaria secessisse, quo liberius possent vacare sapientiæ. Usque adeo res ipsa loquitur, vix quemquam posse inter homines animi tranquillitatem assequi.

In mundo non posse veram inveniri quietem.

Sexta monasticæ vitæ utilitas est, quod rore cœlestis gratiæ et divinæ consolationis illius sectator crebrius perfunditur. Hoc ipse Dominus promittere dignatus est in Evangelio ubi ait : *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet,* id est, ut sancti Doctores exponunt, pro carnalibus et temporalibus quæ contempsit, spiritualia recipiet, ut spiritualibus foveatur delectationibus, qui carnales repudiavit. Jam ante probavimus in religione purius vitam transigi. Ubi autem puritas cordis est, ibi gratia continere se non potest, quin ubertim ac continenter in ipsam influat. Quantum autem ejusmodi supernæ gratiæ, divinæque dulcedinis et supernæ consolationis mellifluus ros omnem mundi voluptatem, gaudium, consolationes excedat, nemo unquam digne exprimere poterit. Et tamen plures invenias licet, qui monachos putent miseros, eo quod multa hujus mundi oblectamenta abjiciant, nec fruantur voluptatibus temporariis, quasi non multo felicius sit vel unam cœlestis roris guttulam percipere, quam omnibus labentis vitæ oblectamentis in unum conflatis perfrui. *Secura mens,* ait Salomon, *quasi juge convivium.* Qui autem mundi vanitatibus et voluptatibus dediti sunt, ii nunquam quidquam divinæ suavitatis sentire merentur, et vivunt vitam longe miserrimam, post brevissima oblectamenta pœnas æternas luituri. *Ducunt in bonis dies suos,* ait sanctus Job, *et in puncto ad inferna descendunt.*

Rore cœlestis consolationis perfundi monasticos veros professores.

Matth. XIX, 29.

Seculo dediti homines cur monachos existiment infelices ipsi multo infelicissimi.

Prov. XV, 15.

Job, XX 13.

Septima religionis monasticæ utilitas est, quod sui cultorem citius purgat. Habet enim plurima tum interna, tum externa, tum spiritualia, tum corporalia exercitia, quibus anima mirum in modum purgatur. Ut sunt, verbi causa, orationes, jejunia, vigiliæ, corporis castigationes, frequens confessio, ac pene quotidiana Eucharistiæ sumptio : pluraque alia, quibus facillime puritas obtinetur. Quæ certe ita rara visuntur apud homines in mundo hærentes, ut prope nullus talibus occupari dignetur. Et tamen maxima sæpe et innumera committunt peccata : unde merito ad ejusmodi remedia studiosius confugere deberent. Sed addunt libentius iniquitati iniquitates : et quia ipsi se jam purgare nolunt, necesse est flammis sulphureis semper arsuris sine fine exurantur, nec sic tamen unquam expurgandi. Quanto rectius faciunt qui, timore divini judicii et Christi amore, confugiunt ad pœnitentiæ officinam, videlicet religionem monasticam, ut illic ipsi ultro castigent, quod in Deum perperam se admisisse norunt, et sordentium maculas animarum pœnitentiæ lavacro et continuis lacrymis, aliisque ante dictis exercitiis citius eluant, expient, aboleantque.

Religio cœnobit quomodo cito pur gentur a maculis culparur

Liberi vivendo mundo quæ ma contraha tur.

Octava monasticæ vitæ utilitas est, quod illius alumni confidentius moriuntur. Mortem non facit terribilem, nisi peccati conscientia. Ubi igitur peccatum ex conscientia profligatum est, et animus Deo puri amoris, integra confessione et purissima adhæsione unitus, quid illic terroris omnium licet terribilium terribilissima mors afferre queat ? Qui in hac vita sic semper degunt, ut exules et peregrini, nec hic se putent habere manentem civitatem sed futuram inquirunt, qui hic nolunt risu, jocis, ludis, atque aliis mundi vanitatibus et voluptatibus dissolvi : sed aut propriam aut alienam plangunt iniquitatem dicuntque

Monach veri uti confiden ter morter excipiant

Mortem quænam faciant ter ribilem ho mini.

Hebr. XII 15.

cum Propheta : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Et : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?* Quibus denique vivere Christus est et mori lucrum, quid illi mortem timeant ? Et licet nulla res majorem in morte præstet fiduciam, quam sanguis et mors Agni immaculati, Christi Jesu redemptoris, tamen plurimum etiam bonæ spei et sanctæ confidentiæ ingerit vitæ bene transactæ conscientia.

Ps. CXIX, 5.
Ibid. LI, 3.
Fiduciam quænam majorem præstant homini in morte.

Atque ita necesse est, ut qui in religione Deo strenue servierit, jugumque Domini suave et onus leve fortiter tulerit, votaque sua debite persolverit, ex ipsa recte transactæ vitæ conscientia, non solum non trepidet, sed etiam magnopere aspiret, securusque pergat ad mortem. Non enim est alia ad Deum videndum ac fruendum via, nisi corporis dissolutio. Quam felix mens, quæ ubi moriendum est, Christo se vixisse, Christique vestigia sectatam gratulari potest, et spretis mundi inanissimis gaudiis, cum Christo et sanctis omnibus gaudet se per arctam salutis viam, et angustam portam ingressam esse !

Præmium quam magnificum recipit vere religiosus post mortem.

Nona denique vitæ monasticæ utilitas est, quod illius cultor copiosius a Deo recipit præmium. *Unusquisque mercedem accipiet,* ait Apostolus, *secundum suum laborem.* Et : *qui parce seminat, parce et metet.* Si ergo, quod nemo negare potest, in religiosis cœnobiis plures majoresque pro Deo et virtute labores suscipiuntur, quam ab hominibus in mundo viventibus, idque fere semper ex obedientia, non propria voluntate, qua ut plurimum ducuntur etiam qui bene vivunt in mundo, quis illis audeat majus negare præmium apud Deum ? Certe æquissimus humanarum actionum examinator, ac justissimus remunerator, nec minimum aliquid ipsius amore gestum vel toleratum, sua mercede fraudabit.

I. *Cor.* III, 8.
II. *Cor.* IX. 6.

Parentes probos non debere proles impedire ab ingressu religionis

Ergo, dilectissimi, cognitis hisce sanctæ religionis monasticæ commodis, in eam, quæso, curam incumbite ut ne vos unquam illius odio ab scelestis hominibus inflammari patiamini : et si qui vobis filii aut filiæ sunt quos delectet servire Christo, et institutum aliquod monasticum amplecti, illos non solum non impediatis, quod faciunt multi summo cum periculo ac pernicie sua et prolium suarum, sed etiam adjumento illis sitis, ut tam salutare animi propositum possint exequi. Quod certe vobis summam apud Deum conciliabit gratiam, et in ipso mortis articulo non parvam præstabit fiduciam, quod scilicet proles habeatis, quarum precibus apud Deum vos juvari posse non dubitetis. Tales enim plurimum pro suis parentibus orant, et sæpe illis obtinent a Deo, quod nunquam ipsi impetrassent, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum, Amen.

IN FESTO

SS. FABIANI ET SEBASTIANI MARTYRUM

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

SANCTI per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello. Castra verterunt exterorum : acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati, inventi sunt in Christo Jesu Domino nostro. *Ad Hebr. XI.*

Divorum martyrum certamina et triumphi cur nobis ob oculos constituuntur.

ILLUSTRES martyrum triumphos, et rosei partas effusione sanguinis victorias gratulabunda celebrat Christi Ecclesia in laudem Dei, ut et suæ satisfaciat devotioni et sanctorum tum exemplis incitetur, tum meritis ac precibus adjuvetur ad eorum sectanda vestigia, quibus certe ingredi nemo potest, nisi magna Dei ac divinæ gratiæ suffultus ope. Recitat autem eadem sancta Ecclesia mater nostra in martyrum natalitiis Lectionem admodum congruam, ex divi Pauli ad Hebræos Epistola extractam, ubi graphice S. Apostolus militum Christi et amicorum Dei certamina, labores, pericula, cruciatus, afflictiones vexationesque depingit : non aliam sane ob causam, nisi ut qui ad illorum quandoque consortium et certam beatitudinem pertingere cupiunt, prius noverint eodem ex calice sibi potandum esse, unde et illi biberunt ut exhausto passionum et afflictionum poculo, quo ceu amara quadam sed purgatoria potione penitus ab omni fæce repurgentur : deinde ad plenissimam sempiternæ vitæ salutem ac incolumitatem provehantur. *Non* enim *coronabitur, nisi qui legitime certaverit :* nec decet sub capite spinis compuncto et coronato, membrum esse molle ac delicatum. Ait ergo sanctus Apostolus : Sancti martyres aliique amici Dei per fidem in Deum regna expugnarunt, ut Josue et David, pluresque alii. Item tempore gratiæ plures alii sancti vicerunt regna etiam amplissima, quando ea ad Christi fidem traduxerunt, et christianæ religioni subdidere vel etiam quan- II. *Tim.* II 5.

do omnia tormentorum genera a gentibus illata pro Christi fide superarunt. Operati sunt et executi justitiam ut fidem suam sanctis operibus testarentur esse germanam atque religiosam, non qualis est eorum qui se dicunt nosse Deum, factis autem negant, qui Christum et Evangelium ore jactitant, sed vita ac moribus persequuntur. Sancti autem ut essent imitatores Dei, sicut filii charissimi, justitiam Deo gratissimam coluerunt, peccata fugiendo, et semper recte ac juste agendo, præceptisque Dei et consiliis obtemperando : atque ita adepti sunt repromissiones, id est, consecuti ea quæ Deus pollicitus est sibi ex animo servientibus. Siquidem bonorum operum gloriosus est fructus. Et justi omnes, qui hic vitam agunt Deo placitam, fulgebunt sicut sol in regno Patris sui. Impii autem qui hic nolunt divinæ gratiæ cooperari, sed suis indulgent affectibus, mittentur in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium. Præterea, sancti obturaverunt ora leonum, ut Samson, David et Daniel, et multi martyres Christi, qui signo crucis edito immanissimos leonum impetus fregerunt. At si ad mysticum respicias sensum, obturarunt sancti ora leonum quando dæmonum pestiferis persuasionibus viriliter restiterunt, atque eos ex simulacris responsa reddere prohibuerunt. Exstinxerunt quoque impetum ignis, sive corporaliter nullam ex flammarum incendio sentiendo molestiam, sive spiritaliter vitiorum æstum comprimendo, ut etsi sentirent acres vitiorum impugnationes, non tamen ex consensu urerentur. Effugerunt aciem gladii, quandoque ex rationis præscripto, ubi nulla erat spes alios lucrifaciendi, impiorum persecutiones declinando, quod fecit Elias, et multii alii, non timore mortis, sed quia sic ex instinctu Spiritus Sancti aliter Deo placere, vel nondum adesse tunc vel tempus vel genus martyrii sui videbant. Vel certe, quemadmodum vetustus et communior textus habet : Effugaverunt aciem gladii, hoc est, hostium aciem habentium gladios acutos, vel exercitum accinctum gladio, in fugam dederunt, ut fecerunt in veteri Testamento frequenter Josue, Gedeon, David, Machabæi, aliique complures : in novo autem Testamento hoc ipsum fecerunt pene innumeri catholici imperatores, reges et principes. Convaluerunt de infirmitate, divina virtute etiam post immanissimos cruciatus pristinæ restituti incolumitati : quod multis martyribus evenisse certum est. Fortes facti sunt in bello, tam externo contra hostes visibiles, quam spiritali contra vitiorum et dæmonum impugnationes. Nunquam enim desunt piis certamina, quibus probentur, utrum Deo fideles sint necne. Castra verterunt exterorum, non solum hostes corporeos in fugam vertendo, sed etiam inimicas dæmonis, carnis et mundi acies penitus profligando. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, excitatos meritis et precibus sanctorum utriusque Testamenti. Alii distenti sunt, et in eculeis dire torti, nec tamen pœnas evadere voluerunt : quod quidem potuissent, si impiis consentire voluissent, ut quandoque ad æternæ vitæ capessendam hæreditatem possent resurgere. Non enim volebant brevibus licet duris subterfugiendis doloribus amittere cœlestis patriæ nunquam desituram beatitudinem et æternos mereri cruciatus. Alii vero ludibria et verbera experti sunt, insuper et vincula et carceres, instigante maligno spiritu vasa sua homines impios, ut variis tormentorum generibus sanctos a Deo abstraherent. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt variis modis, tam blandis quam asperis. Nihil est enim aliud vita hominis, quam tentatio super terram : et necesse est diversas perpeti tentationes eos, qui volunt cum Christo per omnia tentato et probato in cœlestibus triumphare. In occisione gladii mortui sunt, libentissime Dei amore vitam contemnentes temporariam, tantum ne agerent contra præcepta Dei. Satius est enim vitam amittere, quam impie vivere. Circumierunt in melotis, id

Matth. VIII, 12.

Leonum ora obturare quid mystice signet.

Electis Dei nunquam abesse certamina quibus probentur.

est, pellibus ovillis : itemque caprinis pellibus, sicut et sanctus Joannes Baptista camelorum pilis tegebatur. Sancti enim norunt hic se exules degere ob peccata : itaque contemnunt molles corporis voluptates, et aspera tanquam exilio magis congrua amplectuntur. *Qui autem mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt,* id est, mundo huic militant potius quam Christo. Atque insuper in summa hic rerum omnium inopia sancti vixerunt, multis pressi angustiis, et vehementissime foris ac intus afflicti : quibus tamen dignus non erat mundus ob eorum eximiam sanctitatem. Et hodie beati prædicantur, quibus omnia ad votum succedunt, quibus nihil occurrit adversi, sed læta et jucunda eveniunt omnia. Verum hic falluntur miseri. Tanto enim quisque Christo dissimilior est et amicis illius, quanto hic magis affluit præsentis vitæ voluptatibus.

Matth. XI, 8.

Sed et in solitudinibus errarunt sancti, persecutorum rabiem fugientes, atque inibi vitam miseram, quod ad carnem attinet, agentes et Domino nocte ac die studiosissime famulantes : vagantes in montibus, et in speluncis atque cavernis terræ sese abscondentes, ut liberius cœlestia meditarentur. Et hi omnes testimonio fidei probati ac fideles inventi sunt in Christo Jesu Domino nostro, pro cujus amore et fide libenter omnem præsentis vitæ miseriam tolerarunt, ut in ejus membris possent annumerari. Et nunc post breves exilii perpessos labores, vivunt felices cum Christo : contra vero persecutores eorum, et impii omnes hujus mundi voluptatibus dediti, protrusi sunt in ignem æternum, ut illic semper male habeant, qui hic noluerunt exiguos pro Christo et pietate labores perpeti.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, LUCÆ XXI.

DOMINUS noster Jesus Christus omnium martyrum caput et princeps ac signifer, filii charissimi, in hujus diei Evangelio suis martyribus prædicit primo quidem calamitates, bella aliaque hujus mundi mala : deinde persecutiones, quas ipsi pro ejus nomine perpeterentur uti eos ad mundi ac omnium rerum mundanarum contemptum accendat, et ad mala mundi, et hominum impiorum injurias fortiter perferendas bene instructos et animatos reddat. Minus enim feriunt jacula prævisa. Ubi animadvertimus piissimi Salvatoris erga electos suos summam charitatem ac benevolentiam, qua ferre non potuit, ut improvisi ab hostibus impeterentur : sed longe ante voluit esse præmonitos, ut sese commodius præparare, et animos suos adversum impendentes inimicorum insultus confirmare possent. Ait ergo :

Quum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri. Oportet primum hæc fieri : sed nondum statim finis.

Mundus iste, id est, homines mundo huic dediti nunquam possunt quiescere, nunquam vera pace et tranquillitate gaudere. Quare hoc ? Quia contempto aut posthabito Deo, spretisque bonis cœlestibus, totos sese ad terrena conquirenda, ad opes cumulandas, ad capessendos honores transferunt. Inde ergo necesse est variis eos flagrare cupiditatibus : quæ quum sint inexplebiles, innumeras vitiorum perturbationes in miseris excitant : sicque fit ut quoties alii vident se ab aliis vel divitiis, vel potentia, vel honoribus su-

perari, torqueantur invidia, cupiantque et nitantur illis se exæquare, imo etiam excellere. Hinc jam oriuntur bella inter reges et principes, et seditiones in civibus : dumque putant felices se fore, si suis cupiditatibus obsequentes victoria potiantur, non intelligunt miseri, se ea ratione non ad felicitatem propius accedere, sed multo longius ab ea removeri. Qui si sorte sua contenti viverent, discerentque vitiis et cupiditatibus suis dominari, jam plane in humanis rebus pacata essent omnia. Sed quia impii semper ut mare fervent, variis exagitati perturbationibus, necesse est crebra ac pene perpetua in terris bella existere seditionesque grassari, ut se mutuo affligant, vexent, perturbent, qui ab illo summæ pacis ac suavissimæ tranquillitatis fonte Deo sese abjungunt, et cordibus ac animis terræ affigunt.

Bella et seditiones unde oriantur.

Itaque Dominus hortatur martyres suos, ut auditis prœliis, quæ sunt hostium et seditionibus, quæ sunt civium, non terreantur. Oportet enim, Deo ob hominum castiganda flagitia juste id permittente, hæc primum fieri : sed nondum statim finis, donec sit mundi finis, et impii pacis inimici in carcerem tartareum simul omnes demergantur, atque illic summo odio et acerbissima animorum dissensione sese mutuo sine fine affligant : electique omnes illis ablatis, summa et æterna ac imperturbabili pace fruantur cum Deo Patre et Creatore suo. Siquidem tum demum, non ante, finis erit bellorum ac seditionum et malorum omnium. Atque hæc non minima ratio est mundum contemnendi, quod semper calamitatibus ac tumultibus plenus sit : quod tamen, proh dolor ! cæcas hominum mentes ab illius amore avellere non potest.

Mundum contemnendi ac fugiendi ratio quæ.

Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum : et terræmotus magni erunt per loca, et pestilentiæ et fames : terroresque de cœlo, et signa magna erunt.

His verbis Dominus, quod prius generalius dixerat, specialius exprimit. Et revera nos hodieque experimur hæc ipsa omnia, quæ tum a Domino prædicta sunt. Continuis Ecclesia bellicis cladibus affligitur, et christiani in christianos plusquam leonina feritate incurrunt, et quasi non satis multos habeat Ecclesia hostes exteros, intestinis atteritur bellis, ut nihil jam aliud superesse videatur, nisi, ut ipse Dominus ait : *Regnum in seipsum divisum penitus desoletur*. Verum inter hæc pii omnes, animis in Deum erectis, consolari sese debent, quod mala isthæc non solum non æterna, sed nec diuturna sint futura. Seminent interim in lacrymis, et euntes eant ac lugeant cum sanctis omnibus, postea in gaudio messuri. Si qua patiantur temporalis substantiæ detrimenta, ferant ut poterunt, certi se aliam habere hæreditatem, quam nullus eripere queat. Hæc autem omnia quæ hic Dominus commemorat, puta bella, terræmotus, pestilentia, fames, etc., nihil sunt aliud, quam amantissimæ optimi Creatoris commonitiones, et veræ paternæ castigationes, quibus id solum optat efficere, ut tamen quandoque calcatis vitiis resipiscamus, et suæ voluntati morem geramus. Alioqui sane non delectatur miseriis et afflictionibus nostris. Sed quia videt prosperis successibus nos nimium seduci, et ad perpetranda mala plus satis proclives reddi, subinde affligi nos sinit, ut ad animum redeamus, et mores nostros corrigamus. Ubi autem nihil proficiunt temporalia illius flagella, necesse est ira sempiterna absque ulla misericordia sentiatur : idque tanto durius, quanto major benignitas et clementia nobis prærogata est. Sic olim populum Israeliticum in idololatriæ crimen pronissimum crebris hostium incursibus, diversisque morbis et calamitatibus premi sinebat : et quoties sese emendassent, parcebat oppressis. At ubi tandem in sua malitia perseverabant obstinati, abjecit eos penitus : et ita usque hodie electus ille populus prorsus est alienus a

Luc. XI, 17.

Electos suos cur Deus in mundo afligi permittat.

Deo, et ubique contemptui habetur. Timeant ergo quicumque flagellis Dei non erudiuntur ad justitiam, ne et ipsis similia eveniant. Justus Dominus, et justitias dilexit. Libenter parcit pœnitentibus, sed obduratos punit acerbissime. Quod autem hic dicitur de terroribus et signis magnis futuris e cœlo, et nos itidem frequenter experti sumus, atque utinam cum aliquo fructu nostro. Quidquid agat Deus, quantumvis terreat, quamlibet diras intentet minas, nos semper iidem sumus : et sicut olim Jerosolymitæ licet horrendas easque frequentes non multo post occisum Salvatorem cernerent visiones, plenas terroris et comminationis, nihilo secius corrigi noluerunt, donec per Romanorum exercitum deleti sunt et in servitutem redacti : ita et nos præfractis animis in eodem semper vitiorum luto hæremus, nec ad pœnitentiam compungimur, quamvis dure castigati, donec furor Domini totum in nos sese effundat. mergatque nos in pœnas sempiternas. Et quæ potest major esse insania, quam re ipsa manifestam Dei iram in dies experiri, et tamen quasi nihil ad nos pertineat, animis dissolutis negligere ac floccipendere?

Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas et persequentur, tradentes in synagogas et custodias: trahentes ad reges et præsides propter nomen meum.

Hic jam Dominus martyribus suis prædicit mala ipsis eventura. Atque hæc innumeros propter Christi nomen perpessos novimus, idque tanto mentis vigore, tanta animi constantia, ut nullis unquam modis potuerint a Christi confessione separari, imo vero haud secus ad ista, quam suavissimas epulas permultos properasse legimus, utique ob ingentem nominis Christi amorem, qui eos faciebat cuncta mortis discrimina omnigenosque cruciatus et persecutiones tyrannorum pro nihilo ducere ut Christum lucrifacerent. Operæpretium fuerit ædificationis causa unum hic proferre exemplum viri nobilis ac illustris, nempe Gordii centurionis, de quo Basilius Magnus ad populum insignem habuit concionem, ubi inter cætera sic de eo ait : Tantum abfuit, ut intentatas horreret pœnas, ut eas ultro in se provocaret, suppliciique moras vehementer increparet. Quid, inquit, tardatis? Quid statis? Corripite corpus, membra frustatim cædantur. Denique quodcumque volueritis de me supplicium sumite. Nolite mihi beatam spem invidere. Quanto enim mihi plus tormentorum accesserit, tanto plus referam præmiorum. Res enim in hac vita adversæ nobis apud Deum perpetuam pariunt voluptatem. Si vulnera mille ac cicatrices patimur, in resurrectione splendido induemur amictu. Pro contumelia atque ignominia, palmas coronasque assequemur. Pro vinculis et carcere, per ampla paradisi spatia læti vagabimur. Pro accusatione demum ac iniqua condemnatione, gloriam ex Deo et Angelis referemus. Minæ vestræ mihi semina sunt divina, unde immortalitatem perpetuaque gaudia metam. Damnum profecto me facere videor, si sæpe variisque modis exstingui, variaque pro Christo pati supplicia nequeo. Hæc ibi.

Bas
Gor
Centu
marty
dentis
mus.

Ejusmodi vero in sanctis martyribus constantiam et suppliciorum contemptum fecit amor Christi. Cum enim scirent se non ob scelera sua, sed propter nomen Domini Jesu pœnis affici, promptissima alacritate festinabant ad mortem, certi nimirum se, tamen brevi volentes, nolentes, mori oportere. Si ergo illi id, quo nihil est homini charius, id est, vitam ipsam pro Christo, ne illum offenderent, perdidere, quanto nos magis viles debemus voluptates contemnere, ne contra Dei præcepta agamus?

Am
Christi
quantur
in san
martyri
bus fece
torment
rum co
temptur

Continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resi-

stere et contradicere omnes adversarii vestri.

Persecutio impiorum quomodo uerit sanctis in testimonium.

Martyribus Christi impiorum persecutio fuit in testimonium eximiæ ac insuperabilis charitatis eorum erga Deum. Facile est enim confiteri Christum, ubi nihil inde periculi metuitur : sed si non possis absque vitæ et rerum omnium jactura Christi nomen profiteri, ac nihilominus libera voce et sincero corde veritatem profitearis, id sane magni est amoris argumentum. Ita martyribus Christi invicta animi fortitudo, quæ nullis potuit frangi tormentis, quominus Christum confiterentur, cessit in virtutis testimonium, ut vel ex eo ipso certum testatumque habeamus haud vulgari eos Christum amore esse prosecutos. Fuit etiam eis in testimonium, quia ob Christi fidem persecutiones et mortem perferendo, martyres, id est, testes Christi effecti sunt. Et quia non sua, sed Christi causa hæc perferebant, securos eos voluit esse Dominus, monuitque ne anxie secum perquirerent, quid hostibus responsi darent, pollicens se eis tantam præstiturum sapientiam et eloquentiam, cui nemo posset resistere. Ubi rursus maxima elucet Dei benignitas erga suos electos. Omnem eis aufert formidinis materiam, quando nec id eis esse sinit, quemadmodum respondeant adversariis, sive ethnicis, sive Judæis, sive hæreticis, vel aliis Dei ac justitiæ inimicis : atque id apertissimis pius Dominus argumentis sæpe declaravit, quando etiam plane idiotis, aut teneris virginibus tantam indidit sapientiam, ut nedum a nemine potuerint superari, sed etiam ab illis victi sint quotquot eis resisterent. De beato Stephano protomartyre aperte dicit Scriptura, quod hostes ejus non potuerint resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur. Beatus ille homo, quem Christus inhabitat, et tanquam instrumento quodam pro suæ arbitrio voluntatis utitur, loquens per eum, et efficiens omnia opera illius.

Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis : et morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et capillus de capite vestro non peribit.

Tormentorum genus maximum quodnam sit.

Id vero tormentorum genus omnium longe acerbissimum est, quod ab amicis et sanguinis affinitate conjunctis infertur. Hic enim natura vim quamdam patitur, et cum dolore corporis etiam animi diros sentit cruciatus, dum ab ipsis, ut ita dicam, visceribus suis summa crudelitate torquetur. Propterea etiam ipse Dominus Jesus proditoris sui iniquitatem tanto ferebat gravius, quanto illum sibi magis habebat intimum ac familiarem, et in Apostolorum numerum adsciverat. Testatur hoc illa vox Psalmi ex persona Christi : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, etc.* Ps. LIV, 13. Itemque illa : *Homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Ib. XL, 10. Sed hoc ipsum debet consolari omnes, qui a suis propinquis infestantur, quod norunt Dominum suum a singulari discipulo proditum, idque pro vilissimo pretio. Quod autem hic Dominus addit : Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, revera impletum est, hodieque impletur. Si quis olim Christum esset confessus, haud secus quam blasphemus et execrabilis ubique tractabatur : et hodie qui Christi nomen vita et moribus exprimunt, id est, qui Christi vestigiis ingrediuntur, apud omnes ludibrio habentur, et multa mala ferre coguntur ab impiis et stolidis hominibus, hoc solo nomine, quod Dominum Jesum imitantur, quod ejus nomen juste et pie et sobrie vivendo sanctificare cupiunt. Verum sint bono animo, nec frangantur hominum vexationibus. Audiant promittentem Dominum, capillus de capite vestro non peribit. Sævierunt olim in sanctos martyres Pagani, Judæi, Hæretici, ac alii inimici Dei. Sed quantum obsecro nocuerunt illis ? Corpus occiderunt. Atqui corpus ipsum in ex-

Hodiequoque pios quosque persecutionem pati ab impiis.

tremo die longe gloriosius, prorsusque impassibile et immortale excitabitur, tanto majori fruiturum beatitudine et splendore ac decore, quanto hic durius et indignius tractatum est. Nihil ergo perit sanctis martyribus. Itidemque nihil poterunt nocere piis persecutiones malorum, quandoquidem Dominus Deus omnia eis in summam mutabit gloriam.

Persecutiones malorum uti nihil noceant piis Deique amicis.

In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Ergo si vel totus hic mundus, et omnes pariter dæmones in unum aliquem insurgant, tantum sit patiens, et quidquid ab illis infertur, tranquille et placide ferat, et nullum omnino detrimentum patietur. Sed quamvis corpus forte exstinguatur, ac penitus in cineres redigatur, tamen animam nemo illi eripere poterit, ob patientiæ meritum, quæ hominem efficit Dominum ac possessorem sui. Qui autem impatiens est, dupliciter miser est, quia et præsentia et futura mala perpeti cogitur.

Impa tia qu mala rat se

SERMO IN EODEM FESTO

DE COMMENDATIONE PATIENTIÆ, ET QUAM VITANDA SIT IMPATIENTIA, ET DE LAUDIBUS SANCTORUM MARTYRUM.

IN patientia vestra possidebitis animas vestras. Lucæ XXI, 19.

Joann. XVI, 33. *In mundo* hoc *pressuram habebitis*, ait Dominus discipulis suis. *Et omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur,* utique ab impiis et dæmonibus, quibus pietas omnis crux est et tormentum. Necesse est igitur, ut quisquis instituit *Eccli.* II, 1. servire et adhærere Deo, stet juxta Sapientis consilium, in timore, et non suis præfidat viribus, sed in Deo spem suam omnem reponat: atque ita præparet animam suam ad tentationem modo hanc, modo illam: quia donec corpus erit conjunctum animæ, et præstituta divinitus vitæ hujus spatia necdum absoluta fuerint, nunquam deerunt tentationes sive dæmonum, sive carnis, sive mundi: quas vincere non poterit, nisi adversa omnia in Deo, et cum Deo, et propter Deum fortiter perferendo. Id autem præstat homini patientiæ virtus, quam frustra quispiam sibi ex seipso pollicetur: quia donum Dei est, ut pulchre ait propheta David: *Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.* Ne quis sibi inaniter placeat, tanquam suis viribus quidquam vel minimum possit perpeti secundum Deum et ex virtute. Quod idcirco addiderim, ne patientiam tribuamus duris et sceleratis atque a Deo alienis hominibus: qui etsi ferunt quandoque corporis dolores, cæteraque molesta et aspera, non est tamen ea patientia vera, utpote quæ nunquam vera esse potest, nisi sit in causa justa, atque Dei contemplatione et amore suscipiatur, et ab ipso Deo infundatur. Cum igitur ita, ut dictum est, nunquam nobis desint tentationes et molestiæ, communiendus est animus patientiæ clypeo, quo securus possit omnes tentationum ac impugnationum quarumlibet ictus et jacula excipere. Nam si patientia simus destituti, non potest fieri, ut ad cœlestis patriæ pertingamus beatitudinem, cum necesse sit per multas tribulationes nos introire in regnum Dei. Debet autem nos ad comparandam servandamque patientiam ipse virtutis splendor et dignitas excitare. Namque veris esse præditum virtutibus, id sane incomparabiles et inamissibiles est thesauros possidere. Cætera omnia quæ

II. *Tim.* III, 12.

Tentationes omnes vincendi quis solus modus sit.

Ps. LXI, 6.

Patie vera q do sola

Virtu veræ q felicem habente efficia

in humanis habentur, cum ipso homine occubente deficiunt: sola virtus æternum perseverat.

Apud Homerum Ulysses cum e naufragio nudus evasisset, ac reginæ Phæacensium verecundus occurrisset, vestis loco, virtutis ornamenta suscepit: qua re tantum effecit apud Phæacenses omnes, ut contemptis illi voluptatibus, quibus plus nimio dediti fuerant, ad Ulyssis exemplum sese componerent, nihilque se magis optarent quam Ulyssem esse, quamvis nudum et e naufragio servatum. Ex quo id licet colligi, virtutem ante omnia colendam esse, quæ nec naufragantem quidem deserat, sed etiam exteris et ignotis maxime reddat honoratum ac venerabilem. Unde etiam illa est memorabilis divi Basilii Magni sententia: Alia quidem omnia non magis possidentium quam quorumlibet sunt, velut in talorum ludo huc illuc transposita. Virtus autem sola possessio immortalis atque immobilis, et viventi et morienti permanens. Quo pertinet etiam illa Solonis ad divites sententia: Nos nequaquam commutabimus cum virtute divitias, quod virtus firma sit, divitias vero alius alias ac aliter interdum habet. Ergo, ut dixi, ad comparandam patientiam vel solus virtutis amor et decor invitare nos debet. Est autem patientia, ut eam divus Gregorius Papa describit, aliena mala æquanimiter perpeti, et contra eum qui irrogat mala, nullo dolore morderi. Potest et sic describi, quatenus est virtus infusa divinitus: Patientia virtus est quæ dolorem vel tristitiam animi moderatur, et adversitatem atque afflictionem omnem æquanimiter tolerat ob honorem Dei et futuram beatitudinem. Solet enim ex rebus invisis et contrariis quædam nasci tristitia mala, nedum animæ, sed et corpori vehementer perniciosa, hominemque ad omnes rationis actiones exequendas, ad contemplationem divinorum, et ad virtutis studium reddens ineptum ac inhabilem, vitam quoque ipsam abrumpens, et corporis constitutionem perturbans. Hanc igitur usque adeo pernicialem sive passionem, sive perturbationem patientia profligat, id præstans homini ut ob amorem Dei et spem cœlestis gloriæ res adversas magno ferat animo, nec præsentibus malis frangatur, quia dura sunt, sed sese consoletur, quod diuturna esse non possint. Merces autem patientiæ sempiterna et immensa est. Plurimum autem facit ad placide ferendas afflictiones, ut cogitemus eas nihil esse aliud, quam munuscula quædam et nuntios omnipotentis Dei, quibus nos optat invisere: et siquidem eas hilariter excipiamus, ipse una advenit, et totum se nobis ob sui amorem libenter adversa ferentibus impendit, haud secus quam in ipso venerabili Eucharistiæ sacramento. Testatur hoc Psalmista, dicens ex persona Dei: *Cum ipso,* nempe afflicto, *sum in tribulatione: eripiam eum et glorificabo eum.* Solent milites strenui quoad possunt ducis aut regis sui fortia facta imitari, et tanto se beatiores credere, quanto illi sint similiores. Et nos igitur ut Christi regi ac imperatori nostro utcumque possumus conformes effici, libenter debemus dura et acerba pati. Talibus enim plena fuit omnis illius vita, et ab illo, quo in Matris utero conceptus est puncto, usque ad spiritus extremi in cruce exhalationem, nunquam vel ad momentum liber a doloribus fuit etiam immanissimis. Si cruciat afflictionis molestia (sumus enim homines corporis infirmitate circumdati, non Angeli), consoletur certissimum divinæ misericordiæ auxilium, quod nunquam deest pro Deo patientibus, et doloris acerbitatem mitiget futuræ beatitudinis infinita dulcedo, ubi Deus absterget omnem lacrymam ab oculis nostris, et cessabit omnis luctus et dolor, lætitiaque sempiterna perfruemur. Patiens perpessio vestis nuptialis fuit Domini Jesu, quando in crucis altari sanctam sibi despondit Ecclesiam, atque eadem veste omnem suam familiam jam inde a mundi exordio induit. Libenter enim sancti omnes quælibet dura et invisa perpessi sunt, quando Dei Filium talia aut tolera-

Basilius.

Solonis sententia memorabilis.

Patientia quid sit.

Tristitia quænam et corpori et animæ nociva.

Patientiæ proprium quid.

Adversitates uti sint munuscula quædam ac indicia Dei erga suos amicos amoris.

Ps. XC, 15.

Christum a conceptu in Matris utero usque ad crucis mortem semper doluisse ac passum fuisse.

Nuptialis vestis Christi ut fuerit crucis patiens perpessio.

turum aut tolerasse perspexerunt. Quis enim audiat sub spinoso, id est, spinis transfixo capite delicias et mollitiem appetere? Quid vero admirationis habet, si pulvis et cinis æquanimiter molesta ferat, quando Dominus majestatis in ea, quam non aliqua sua necessitate, sed nostri amore suscepit, forma servi, nunquam voluit vel ad momentum esse liber a pœnis? Quod nimirum animas sanctas vehementissime permovere solet, ut nolint unquam saltem aliqua carere cruce, ut possint Domino suo vel utcumque conformes effici. Atque adeo ipsi dominicæ passioni summo jure id omnis debet christianus, ut sit patiens. Nam si patiens esse nolit, nimium se ingratum esse declarat erga Deum ac Dominum suum, qui ipsius causa tanta passus est, quanta mens nulla capere potest. Quid autem fœdius, quid detestabilius, quid christiano homine indignius, quam videre Deum turpissimam crucis mortem, non sua, sed hominis causa, non modo libenter, sed etiam summo cum desiderio perpeti: et tamen nihil velle sentire asperum, nihil injucundum, nihil grave experiri: sed semper secundis blandientis fortunæ flatibus ac prosperis successibus perfrui? Hoccine est per arctam viam et angustam portam ingredi? Multi adeo sunt ad omnem quamvis levissimam injuriam aut molestiam impatientes, ut nec verbulum unum ferre velint: cum tamen ipsi alios sæpe dire affligant. Sed tales tam longe absunt a Christi similitudine, ut propemodum christiani dici non debeant. Sicut autem libenter et moderate ferre omnem injuriam signum est hominis secundum animam bene constituti ac reformati, et qui privatum amorem ac superbiæ spiritum in seipso exstinxerit: ita impatientiæ sanies ex pessimo philautiæ et elationis ulcere scatet, hominemque et Deo ac sanctis omnibus invisum planeque dissimilem, et cunctis quibuscum vivit gravem ac onerosum efficit. Qui enim impatiens est, facile undecumque et ex quacumque occasione perturbatur, multisque vanis et falsis agitatur suspicionibus, et vix unquam potest suaviter et comiter cum hominibus conversari.

Patiendi adversa quænam sanctos permoverint.

Impatientia unde præcipue ortum habeat.

Qui si ab hoc morbo curari velit, discat semper propriam frangere voluntatem, et in omnibus licitis ac honestis non solum Dei, sed cunctorum etiam mortalium sese voluntati conformet et accommodet. Id vero non poterit nisi ex animo humilis esse conetur. Superbus enim aut omnino non potest, aut nonnisi simulate potest sese aliis submittere. Qui autem Filii Dei humilitatem amplectitur, is cum eodem dicit ex sententia: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Et sicut ille non modo Deo Patri, sed etiam Virgini Matri cunctisque hominibus, quantum fas erat, morem gessit, ita et ipse nititur omnibus obtemperare, ubi id ratio dictat, mavultque semper alterius exequi, quam propriam voluntatem. Inde porro fit, ut semper summa pace gaudeat, semper patiens, nunquam vero impatiens sit. Cum enim voluntatem suam divinæ ac hominum submiserit voluntati, nihil potest adversum vel molestum experiri, quia quidquid ipsi eveniat tanquam ex divina voluntate profectum suscipit, cui se totum conformavit. Et revera nihil dulcius, nihil tutius, nihil jucundius, quam ita in omnibus divinæ esse conformem voluntati. Id namque inconcussam præstat patientiam. Sed quid mirum, si christiani homines, quibus certa est æternæ beatitudinis proposita spes, placide et leniter ferant aspera quæque, quando multos veræ religionis ignaros legimus patientissimos fuisse? Socrates philosophus ictu calcis a quodam percussus, patienter tulit. Quod cum alii ægre ferrent, monerentque ut se ulcisceretur, ait: Si meus me asinus percussisset, num in quadrupedem recalcitrare deberem? Ejusdem Socratis faciem cum quidam vehementi impetu cæderet, nihil commotus Philosophus, furentem debacchari et iram satiare permisit, donec totus ex plagis intumesceret. Implevit nimirum ethnicus ille, quod Dominus in Evangelio ait: *Si quis te percusserit in*

Impa… tiæm… quom… curet …

Joan. 30.

Ho… omni… propr… volun… propr… quid.

Socr… patient… qualis… erit.

Matth. 39.

unam maxillam, præbe illi et alteram. Possent et alia plura afferri exempla, sed nihil opus est. Pudeat ergo christianos nihil velle perpeti, quando ad tolerandas injurias fortes fuere homines a Deo alieni. *Qui impatiens est,* ait Salomon, *exaltat stultitiam suam.* Nihil enim stultius, nihil tam a ratione et omni prudentia remotum, quam impatienter ferre adversa, cum tamen ferre necesse sit : siquidem et adversitas eo ipso fit acerbior, et præterquam quod præmium omne amittitur, etiam pœna sempiterna cumulatur. Multum autem quamvis molestas adversitates mitigat animi voluntaria perpessio : sicut etiam minimas afflictiones animus obmurmurans et recalcitrans vehementer exaggerat. Itaque martyres sancti, ut se veros Christi sectatores et strenuos milites probarent, promptissimo animi fervore, et insuperabili mentis fortitudine quidquid humana crudelitas infligere potuit pertulere, fidelibus oculis aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum : qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Nec putabant condignas esse passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, quando videbant oportuisse pati etiam ipsum Dominum Jesum, et ita intrare in gloriam suam. Non enim minimum ad tolerandum fortiter adversitates temporarias adjumentum est, Dominum Jesum contemplari tam indigna, tam varia, tam horrenda, tam prorsus inhumana supplicia patientem. Quod non ignorantes sancti martyres, ut sua mitius ferrent vulnera, Christi vulnera attentissimis cordibus intuebantur, atque inde sugebant vires et robur sufficiens ad omnes hostium afflictiones tolerandas. Versabantur nimirum tota devotione in vulneribus Christi, et jugi meditatione in illis demorabantur : atque inde illis martyrii tolerantia, inde illis magna fiducia apud Altissimum. Hoc enim et ipse Dominus pro nobis in cruce toto corpore vulneratus optat, hoc expetit, hoc efflagitat, ut ipsum aspiciamus tam dire sauciatum, tam immaniter excruciatum, ut dum illius conspicimus vulnera, animis erigamur, et ad tolerandum fortiores reddamur. Non enim sentiet sua, quisquis Christi vulnera fideliter intuebitur. Unde etiam divus Bernardus ait : Stat martyr tripudians et triumphans, toto licet lacero corpore, et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed et alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima martyris ? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus scrutans ea, ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, succumberet et negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit ? Sed neque hoc mirum, si exul a corpore, dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor, submittitur enim sensus, non amittitur. Nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex petra martyris fortitudo : inde plane potens ad bibendum calicem Domini. Hæc Bernardus.

Bernard.

Est et aliud, quod non vulgariter sanctos martyres inter ipsa tormenta animabat, et consolabatur, spes certa futuræ beatitudinis ad quam se noverant tanto gloriosius et felicius evolaturos, quanto exquisitiora pro Christo supplicia paterentur. Et nos, dilectissimi, in his invictos illos regis æterni athletas imitari debemus, ut inter adversos labentis vitæ casus, tum Christi patientis, tum promissæ nobis beatitudinis comtemplatione animos nostros confirmemus. Ecce beatos prædicamus, et tota ubique sancta Ecclesia colit ac veneratur eos, qui pro Christi amore passi sunt. Ubique vox laudis, vox congratulationis, vox gratiarum actionis resonat, lætaque hodie psallit Ecclesia, invitans omnes nos ad cantica laudis, et ad commemoranda piis et jucundis animis martyrum certamina, coronas et victorias. Sanctorum, inquit in hymno quodam, meritis inclyta gaudia pangamus socii, gestaque fortia. Nam gliscit animus promere cantibus vi-

Fortitudo martyrum insuperabilis uti ex Christi vulneribus et passione.

Martyrum Christi triumphos quanta celebritate veneretur Ecclesia catholica.

ov. XIV,

ebr. II, 1.

om. VIII, 8.

Martyres hristi un- hause- nt suam victam leran- am in ænis.

ctorum genus optimum. Hi sunt quos retinens mundus inhorruit : ipsum nam sterili flore peraridum spreverunt penitus, teque secuti sunt, rex Christe bone cœlitus. Hi pro te furias atque ferocia calcarunt hominum sævaque verbera. Cessit his lacerans fortiter ungula, nec carpsit penetralia. Cæduntur gladiis more bidentium. Non murmur resonat, nec quærimonia : sed corde tacito, mens bene conscia, conservat patientiam. Quæ vox, quæ poterit lingua retexere, quæ tu martyribus munera præparas ? Rubri nam fluido sanguine, laureis ditantur bene fulgidis. De his fortissimis martyribus quodam sermone scri-

Leo Papa. bit beatus Leo Papa in hunc modum : Cum omnium, dilectissimi, summa virtutum, et totius plenitudo justitiæ, de illo amore nascatur, quo Deus proximusque diligitur : in nullis profecto hic amor sublimius excellere, clariusque fulgere, quam in beatissimis martyribus invenitur : qui Domino nostro Jesu Christo pro omnibus hominibus mortuo, tam propinqui sunt imitatione charitatis, quam similitudine passionis. Et paulo post : Ad erudiendum Dei populum, nullorum est utilior forma quam martyrum. Sit eloquentia facilis ad exhortandum, sit ratio efficax ad suadendum : validiora tamen sunt exempla quam verba : et plenius est opere docere quam voce. Hæc ille. Ergo, charissimi, gaudeamus in Domino, et laudes gratesque illi agamus, quod suis martyribus et robur indidit, ut vincerent, et victores gloriosissime coronavit. Discamus illorum exemplis mitissima lenitate ob amorem Christi pro nobis in cruce mortui, et futuræ gloriæ beatitudinem aspera quæque perpeti, ut et Christo compatiamur morienti, et cum illo semper regnemus in cœlis coronati. Impatientiæ impetus quoad possumus freno timoris Dei cohibeamus, ne et meritum perdamus, quod præstatur æquanimiter patientibus, et pœnas æternas incurramus. Adest omnibus nobis certissimum divinæ gratiæ auxilium, et sicut fidelis Deus non patietur nos tentari supra id quod possumus, ita bonæ voluntatis studium adhibentibus ipse præsto erit, eripietque ex malis omnibus, et in suum translatos regnum immensis donabit gaudiis Jesus Christus, spes et corona pro se certantium, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit Deus : per omnia secula seculorum, Amen.

Ex t
phis
ctoru
mart
quid
cere
que c
ad ir
dum.

IN FESTO

S. AGNETIS VIRGINIS ET MARTYRIS

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

FRATRES, qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ : sed et supportate me. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. *II. Cor. X et XI.*

QUOMODO in potestate evangelicæ prædicationis a Deo accepta, quomodove in dono Dei quovis alio sit gloriandum, si quis gloriari velit, docet hic Apostolus, dicens: Qui gloriatur in aliquo dono aut gratia sibi data, in eo, cujus est gratia hæc aut donum, non in se, a quo præter peccatum nihil habet, glorietur. Neque enim fieri potest ut is, qui suam gloriam quærit, in Domino glorietur. Quod enim sibi usurpat, hoc non potest tribuere Deo. Et qui seipsum commendat aut spectabilem cupit reddi in hoc quod opus Dei facit, puta, docens, prædicans, aut potestatem evangelicam a Deo sibi collatam exercens, non est probatus, seu justus habitus coram Deo et prudentibus viris, sed quem Deus commendat testimonio miraculorum gratiaque sanctæ conversationis. Illum autem commendat, approbat aut dignum judicat, quem, ut donum a se acceptum prædicet, mittit. Est autem regula laudandi, ut nemo seipsum (quod insipientiæ est) laudet, sed laudetur ab alio sicut scriptum est : *Laudet te alienus, et non os tuum.* Contra hanc tamen aut aliam similem ejusmodi regulam non agitur, si non juxta verba regulæ, sed juxta illius intentionem quid fiat. Quapropter sancti si de seipsis laudes dicant, aut unde æstimationis laudisve quid illos sequatur narrent aut faciant, non in suam, sed in Dei hoc gloriam faciunt. Ideo a superbia manent incontaminati. Quamobrem cum Paulus nonnihil laudis de se propter Corinthiorum ædificationem instructionemque dicere cogeretur, præmisit: Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, puta ut me laudem paululum, non propter me, sed propter vos, qui ædificandi estis ex me, idque ad gloriam Dei. Si ergo insipientiæ est, ferte, quæso, modicum insipientiæ, imo supportate me. Æmulor enim vos, id est, casto amore vos diligo, et pro custodia vestri zelor, non mea nec privata aliqua affectione, sed Dei æmulatione vos diligens. Quod hinc liquet: Despondi enim vos uni viro Christo judici, assignare sponsam incontaminatam. Siquidem fideles omnes charitate connexi sunt una Christi sponsa, unaque virgo per fidei sinceram integritatem. Quomodo enim virginitas corporis, integritas est carnis : ita virginitas cordis, fides est incorrupta ac sincera.

Gloriandi verus modus quis sit.

Laudandi regula vera quæ sit. *Prov.* XVII, 2.

Fideles omnes uti dicantur virgo et Dei sponsa.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, MATTHÆI XXV.

DOMINUS noster Jesus Christus, fratres charissimi, ob oculos nostros constituit in hac præsentis Evangelii lectione similitudinem seu parabolam, qua nos docet non sufficere hoc ad salutem, ut peccata et mala declinemus, sed hoc quoque necessarium fore, ut justis bonisque insudemus operibus. In quibus tamen necdum securi sumus, quamvis bona nulla, ut sint æternæ vitæ meritoria, operari nos possumus, nisi Dei gratia in nobis et nobiscum operante. Possumus enim et opera bona operari sine gratia Dei gratum faciente, quæ quidem virtutum ac bonorum habeant operum speciem, non tamen integritatem ac veritatem : quemadmodum pomum sæpenumero foris judicatur pulchrum ac bonum, quod tamen intus putridum invenitur, et vermibus corruptum. Dicit itaque Dominus apud Matthæum :

> Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ.

Præsens Ecclesia in hoc, inquit, similis est decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ. Quemadmodum jam cœperam dicere, ut opera bona vere sint bona quæ Deo placeant, opus est ut Dei gratia sint nobis cooperante facta : deinde ut absit quoque omnis conditio mala, seu circumstantia : postremo, ut intentio Deo placendi ad operandum nos moveat, non privatus aut mundi amor, necesse est. Alibi peccatoribus minatur, et quæ pœna illos maneat prædicit : hic vero eos, qui justa se putant agere, quam caute quamque prudenter hæc agere debeant, prænonet dicens : Simile est regnum cœlorum decem virginibus. Cujus enim rei gratia dicit virginibus? Quare non hominibus parabolam accommodat quibuslibet, nisi quia virginitas præclarum habet laudis titulum in Ecclesia? Ejus namque grande est præconium, magna dignitas, ingens in observando labor. Verumtamen, si hæc omnia viceris, et virginitatem continendique studium non in Deum retuleris, nihil fecisse te credas. Sed quomodo tu Deum ignorasti, quomodo cujus hoc esset donum, et in cujus obsequium honoremque sacrificandum nescivisti, ita ipse quoque (ut non multo post sequetur) tametsi virgo fueris, te ignorat. Quamvis enim virginitatem Dominus vehementer laudaverit, quamvis eunuchos qui propter regnum se castrant cœlorum prædicaverit, tanquam sublimem virtutem, puta virginitatem, pro illius ardua nobilitate non omnibus mandaverit, sed qui potest capere capiat, dixerit, commiseritque fidelium hanc voluntati : Paulus quoque laudaverit quidem virginitatem, adhortatusque fuerit ad illius observantiam, præceptum tamen neque ex se, neque ex Domini jussu pro servanda illa dederit, propterea quod tantæ sit existimationis, ut a paucissimis qui sub gratia, seu sub lege gratiæ vivebant, vix recte digneque coli potuerit : non tamen omnino adeo est tuta, nec secura, quin sub illius professione inveniantur, qui a regno excludantur cœlorum. Quia igitur res magna sublimisque erat virginitas, majorisque in Ecclesia existimationis, ne quis, illa servata, quasi nullo indigens, in aliis esset negligentior, parabolam non de quibusvis, sed de virginibus, quarum eminentia major et praclarior esset opinio, proposuit

Opus bonum uti sit Deo acceptum quænam necessaria.

Virginitas quam clara virtus.

Virginitas quid cessare sit.

eo quid ystice gnifice-r.

ampades ystice id insi-ent.

oc. XIV,

Obviare onso id my-ice.

ugust.

atuæ vir-nes quæ telligan-r.

Dominus. Si enim per oleum, lætitiam conscientiæ sinceritatemque sanctæ devotionis intelligimus, aut misericordiam (quæ virtus si defuerit non juvabit virginitas in christiano)l ampades lumina vult esse, quæ manibus gestantur, quibus fides significantur et opera. Omnes enim ad judicium Domini accessuri, fidem nostram nobiscum afferemus et opera. Sicut Scriptura dicit: *Opera enim illorum sequuntur eos.* Sed dicit quis: quomodo mali bona afferent opera? Dicendum, neminem adeo esse malum, qui non aliqua habeat bona, licet non sint tam bona, ut præmio coronentur æterno. Sunt igitur bona, quibus oleum deest sinceræ devotionis, quia amore studioque placendi Deo non sunt facta. Hæc tamen opera nihilominus lampades sunt, quæ manibus gestantur. Itaque acceptis lampadibus suis, hoc est, externis operibus, quæ homines hic videre potuerunt, et charitate ardentia putare, exierunt de suis habitaculis obviam sponso et sponsæ. Obviabimus omnes Christo sponso et sponsæ, id est, Ecclesiæ triumphanti, nos qui sumus Ecclesia militans: ut congregati simul, una efficiamur Ecclesia atque sponsa Dei. Aut ut, secundum Augustinum, hoc modo obviare sponsæ dicamur, velut si omnibus in Ecclesiam concurrentibus filii ad matrem concurrere dicantur, cum ipsis filiis congregatis constet ea quæ dicitur mater.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

Fatuitatem hic pro imprudentia accipimus. Quia fatuæ sunt virgines, quæ opera et studia sua nescierunt ordinare ad rectum debitumque finem. Hoc modo, qui æternis terrena præfert, stultus est ac insipiens. Qui item non ob Dei honorem vitamque æternam, sed aut propter honores temporales, aut propter laudes humanas bona opera agit, stultus est. Quinque igitur ex iis virginibus erant fatuæ, utpote quæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: hoc est, quæ fidei et operibus, neque spiritualem devotionis lætitiam internam, neque conscientiæ sinceritatem conjunxerunt. Quisquis enim lætitiam internam non habet, quia Deo placet, non habet, ait Augustinus, oleum secum. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: hoc est, testimonium sinceræ conscientiæ bonum curarunt habere. Sive oleum conscientiæ dicat serenitatem sinceritatemque, sive lætitiam spiritualem, qua quis in opere bono gaudet propter Deum, puta quod speret illud Deo placere. Utrumque ex charitate oritur atque emanat: idcirco non perperam quis in oleo intelligere potest charitatem.

August. Virgines prudentes quæ intelligantur.

Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Moram facit Dominus veniendo ad judicium. Et hæc ipsa mora, tempus est intermedium ab ascensione sua usque ad finem mundi, quo interim omnes dormiunt somno mortis in sepulchris: inde ad ultimum Domini adventum resuscitandi. Eam enim ob rem, quia a Domino resuscitabimur omnes, magis dormire nos Scriptura dicit, quam mori. Media autem nocte, hoc est, nullo sciente, inopinato et ex improviso: *Hora enim qua non putatis,* inquit, *Filius hominis veniet.* Itaque media nocte ecce clamor factus est. In voce enim Archangeli et in tuba Dei, descendet Filius hominis, cui Pater dedit omne judicium: et tunc qui mortui sunt, resurgent: aut sicut dicitur hic, qui dormierunt, exibunt Christo obviam. Hic enim clamor tunc sonabit: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Perpendite, filii, quam tristis erit hæc vox multis, quam gaudiosa vero

Mora Domini quomodo intelligatur.

Dormire quomodo dicantur mortui.

Luc. XII, 39.

I. *Thess.* IV, 15.

Ecce sponsus venit, quibus tristitiæ quibusve lætitiæ erit.

ac jucunda aliis. Qui enim gravi pondere erunt delictorum oppressi, quomodo non erit illis hæc vox tristitiæ et luctui? Qui vero ad beatitudinem resurgent æternam, quomodo non ad hanc vocem exultabunt?

Ps. CXI, 7. *In memoria* enim *æterna erit justus, ab auditione mala non timebit.*

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas.

Omnes quidem resurgemus in ictu oculi ad vocem Angeli, et in novissima tuba portantes opera nostra, hoc est, tam merita quam demerita nostra nobiscum. Ornare igitur lampades, est reassumere opera nostra, atque ad reddendam se rationem parare. Surrexerunt itaque omnes, tam justi quam peccatores. Surgent justi de pulveribus et tumulis ad recipiendam coronam æternam : surgent ab exspectatione longa et spe, ad recipiendam veritatem. Surgent quoque reprobi a somno negligentiæ. Incipient enim tunc timere, incipient instantis periculi timore resipiscere, incipient suam fatuitatem detestari et plangere. Tunc intelligent quia nihil est quod vixerunt in mundo. Tunc, inquam, incipient videre et sapere, quando illis nihil commodi, sed probri et doloris plurimum afferet. Ornare igitur lampades suas est dispicere opera sua ac dijudicare. Tunc enim tam boni quam mali interrogabunt conscientias suas. Boni quidem qui in prudentibus virginibus significantur, investigabunt in se ne quidquam appareat coram Deo, quod esset despicabile reprehensibileve, non aliter quam sponsa occurrens sponso superventuro, festinat se componere, ne quid in ea sponso displiceat. Mali vero, in fatuis virginibus significati, pariter se investigabunt, si quid in conscientiis invenerint suis, quo Deo possent placere. Quo non invento, seipsos accusabunt et dijudicabunt apud se. Filii, utinam modo semperque in vita nos judicaremus, quomodo tunc nos judicabimus, in Deum nunquam peccaremus. Modo itaque pœnitentiæ maxima foret utilitas, cum post mortem nihil omnino tunc sit profutura.

Lampades ornare quid mystice sit.

In extremo judicio quomodo boni et mali diversimode suas examinabunt conscientias.

Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur. Responderunt prudentes dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.

Fatuæ virgines reprobique omnes, cum nihil in suis conscientiis inveniant, quo se adversus judicis iram tueri possint, aliena auxilia implorant : sed hoc quoque frustra. Neque enim tunc tempus est quærendi, aut operandi, aut mendicandi. Sed est tempus metendi, mercedemque recipiendi laborum. Date, inquiunt, nobis de oleo vestro. Succurrite nobis de lætitia conscientiæ vestræ aut de charitate vestra, qua lucent et ardent lampades vestræ : quia lampades nostræ exstinguuntur, hoc est, quia fides et opera nostra carentia lumine charitatis, exstinguuntur. Exstinguitur lampas hominis, quando fides deficit ac desperat. Quemadmodum enim qui sibi bene conscius est, magnanimiter ac confidenter agit, ita qui male sibi conscius est, formidat semper. Mali igitur cum in se fidem et opera conspiciunt a lumine gratiæ aliena, obscuratur eorum spes et conscientia. Cæterum quod fatuæ rogant sapientes sibi communicari oleum, innuitur, malos optare undique sibi subvenire, præsertim si qui incerti sint, quid de eis judicabit Dominus : utpote qui ante prolationem sententiæ verentur damnari. Verum quid responderunt sapientes? Ne forte non sufficiat nobis et vobis. Adeo terribile futurum, inquiunt, est judicium, ut nulla sibi conscientia confidat. Si enim stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, si justus vix salvabitur, quis gloriabitur mundum se habere cor? Quod si nemo de se hoc queat promittere, quomodo tunc ad excusandum alienum peccatum potest reo assistere? Tantus igitur tunc omnium

La
homi
quom
myst
sting
Judic
tremi
ror q
tus e

Job x

Timor quantus omnium sit in extremo judicio.

erit timor, ut nemo speret se justum inveniendum : sed adhuc timeat, ne forte non justus existat. Dicunt igitur : Nihil est quod superabundet ex meritis nostris : plura potius deficient, quæ sua liberalissima misericordia Deus adjiciet, quocirca minime hæc sufficient utrisque. Ite potius ad vendentes, et emite vobis. Ite ad sacerdotes, et pœnitentiam agite, peccataque vestra pauperum misericordiis redimite. Hoc consilium dabant, quod solum dari debuit, si tempus adhuc fuisset miserendi, et si prodesse tunc potuisset. Secundum Augustinum, insultando hæc dixerunt. Ite nunc, et videte, quid vos adjuvent, qui vobis laudes in vita vendere consueverunt, et in errorem vos inducere, ut coram hominibus non coram Deo præsumeretis gloriari.

August.

Et dum irent emere, venit sponsus. Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias : et clausa est janua.

Pœnitere differentes quanto periculo se exponant.

Non est putandum quod tunc, quando separata anima est a corpore, pœnitendi merendive tempus sit. Ideo non refertur etiam quod oleum emerint, licet ad emendum iverint : hoc est, huc illucque præ angustia se verterint, tremendæ sententiæ pœnarumque meditantes evasionem (quod fiet in morte singulis, quoad animam : in judicio vero extremo universis, quoad corpus et animam). Quamdiu enim corpori conjuncta est anima, adhuc pœnitentiæ gratiæque divinæ et misericordiæ locus patet, nisi quod rarissime, qui illuc tantisper differunt pœnitentiam, vix recte pœnitere credendi sunt, propter nimiam perturbationem, angustiam temporis, gravem metum exulceratamque conscientiam. Pœnitent quidem, sed metu mortis damnationisque, non odio peccati. Si enim diutius vivere possent, nihil de pristina vita illis adeo displiceret, ut emendarent. His igitur ad nuptias cum sponso intrantibus, qui oleum habebant in lampadibus : illis vero qui iverunt oleum emere abeuntibus, regni cœlorum interim clausa est janua. Non est in parabolis quærenda per omnia ad veritatem cujus est parabola similitudo. Nam ut dixi, in futuro judicio nemo ab alio petet merita aut suffragia, nemo quoque ad comparanda plura merita est abiturus. Siquidem neque precum, neque laborum aut virtutum quærendarum tunc erit locus : sed intelligenda est ratio, quare hæc dicantur. Hic namque sensus est parabolæ : quod opera sine charitate facta, non lucent, quandoquidem sola fides, quæ per dilectionem operatur, fulgebit. Non ergo in hujusmodi lampadibus est oleum. Deinde vult nobis palam esse, post hanc vitam si quis pro auxilio quempiam vellet invocare, aut si redire ad operandum bona vellet, non ei hoc concedi.

In parabolis quid potissimum spectandum sit.

Sensus hujus parabolæ quis sit præcipuus.

Novissime veniunt et reliquæ virgines dicentes : Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait : Nescio vos.

Clausa fuit janua ingressis his, qui ad nuptias vocati et electi erant, quia post novissimum diem, consummato tempore et cujuscumque vita, quæ a Deo unicuique ad bona merenda est concessa, non patebit aditus regni cœlorum. Idcirco, quod fatuæ virgines, tunc ad januam pulsantes, introduci petunt, indicat quidem quod malis infernalibus carere vellent et introitum ad beatitudinem peterent : at nemo illis aperuit, sed responsum est illis a Domino : Nescio vos. Vocatis me, Domine, Domine. Quid autem me vocatis, Domine, Domine, quando ea quæ facienda cognoscebatis, renuistis facere? Nescio vos : non vos ut filios agnosco, non ut filios adoptionis habeo. Stat itaque firma immutabilisque Christi sententia : Post clausam januam, post peractum judicium, imo post vitam exactam, nulli, nisi in hac vita salutem reparandam.

Nulli post hanc vitam sperandum beatitudinem qui eam hic neglexerit.

Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Verba sunt Christi post parabolam ad vigilandum nos hortantis. Causam namque vigiliarum inducit, dicens : Quia nescitis diem neque horam. Cum ignoretis, inquit, quando Dominus vester venturus sit, ideo semper interim vigilate, ut quacumque hora pulsaverit, confestim illi aperiatis. Quod nobis largiatur Dominus noster Jesus Christus, in secula benedictus, Amen.

SERMO IN EODEM FESTO

DE LAUDIBUS SANCTÆ VIRGINITATIS, QUID EADEM SIT, QUOMODOQUE SERVARI DEBEAT : QUÆ DENIQUE VERÆ VIRGINES VITARE DEBEANT.

ECCE sponsus venit, exite obviam ei. Matthæi XXV, 6.

Virginis sacratissimæ Agnetis festum celebrantes diem, gratias agere debemus Deo, charissimi, quod alioqui natura et sexu fragilem tanto suæ gratiæ firmavit robore, ut pœnas omnes atque ipsam adeo mortem non solum non timuerit, sed læto etiam et alacri animo perpessa sit. Donum hoc fuit gratiæ divinæ, quæ mira operatur in electis Dei, quam etsi non omnes æque magnam experimur, tamen si in aliis eam diligimus, atque pro ea Deo laudes gratesque agimus, nos quoque illius reddimur participes : quandoquidem charitas, quæ singulorum sunt propria, omnibus facit esse communia. Quod propterea libentius vos admonere debui, ut etsi in vobis non omnes virginitatis gloriam, quam in hac virgine veneramur, agnoscitis, non propterea sitis abjecti animo, quod vos eam non sitis adepti, sed eo magis accendamini ad laudandum Deum, qui eam huic dulcissimæ sponsæ suæ contulit, atque eo ipso vos quoque tanti doni participes sitis. Est enim virginitas pura ac intemerata munus haud vulgare præpotentis Dei, quod paucis contingit : quia pauci sunt, qui carnis suæ voluptatibus obluctari velint. Cujus laudes arrectis et libentibus animis audire debent etiam qui illa carent, ut se hoc ipso declarent in aliis amare, quod ipsi minime habeant. Id enim maxime decet christianos omnes, ut aliorum bonis ex animo congratulentur : et ubicumque Dei gratiam agnoscunt, Deum laudent, et pio mentis affectu sese erigant ad laudandum Deum, ex quo tanquam fonte primario bona quævis in creaturas quaslibet promanant. Ergo, dilectissimi, promptis, quæso, animis nos auscultate de virginitatis laude dicturos : de qua ut diceremus, ipsa nos solemnitas tantæ virginis admonuit.

Virginitas quam sit præcellens munus Dei.

Primo quidem admonendi sunt quotquot virginitatis bonum sese retinere norunt, ut meminerint se thesaurum hunc tanquam in crystallinis gestare vasis, quibus utpote fragilibus magna est cura adhibenda, ne frangantur. Ita sane et ipsis iisdem sollicite navanda est opera, ne præclara virginitatis rosa vel lilium in eis corrumpatur, arescat, effundatur, amittatur, deturpetur, intereat : maxime cum huic virtuti præ cæteris quiddam peculiare conjunctum et inditum sit. Humilitas quidem, patientia, charitas et id genus aliæ virtutes, si amittantur recuperari possunt : atqui virginitas semel amissa nulla potest ratione restaurari. Quamobrem studio majori connitendum eis est, et cautius prospiciendum, ut eam servare possint.

Sed est sane quod laborem hunc et sollicitudinem ipsis suavem et jucundam et potest et debet efficere, quando virginitas ob Dei amorem conservata sponsa est, vel sponsam efficit summi ac præpotentis Dei. Novi equidem animos juveniles amoris ex-

pertes esse non posse : neque id ab eis exigo ut amorem omnem abjiciant. Imo vero hortor et admoneo, ut eo cordis sui conferant amorem, ubi amor tutissimus, castissimus, purissimus est, atque ubi honestum, laudabile ac meritorium est amare. Id autem ita fiet, si Deum toto ac integro corde diligant, si illum solum quærant, illum unum concupiscant, illum solum spectent, illi uni adhæreant, illi denique soli placere nitantur. Talis amor securus, beatus et jucundus est. Hoc amore præditæ animæ nihil difficile est valefacere omnibus, quæ in mundo sunt, nec molestum illi est laborem omnem, et quidquid certaminis, quidquid adversitatis summus atque charissimus illius amicus et sponsus ei evenire permittit, perpeti : imo aliquam vicissim amoris ac fidelitatis declarandæ occasionem sese nactam gratulatur erga illum qui ipsam prior dilexit, etiam non amantem, imo nec eum cognoscentem. Neque etiam ejusmodi anima mortem ipsam gravate vel anxia cum formidine, sed magno cum desiderio excipit, sponsoque suo longe dulcissimo cupide pergit obviam, certa nimirum ex spiritus sui et propriæ conscientiæ attestatione posse se illi cum amore et desiderio occurrere : atque etiam longe majori cum fidelitate et charitate ex gratia ab illo se suscipi : neque nescia est non aliud patere ostium, per quod ad suum possit proficisci sponsum, nisi mortis ipsius. Non ergo molestum illi est mori : adeoque maxime eam delectat Domini illum sermonem vel auditu percipere, vel mente revolvere, qui est apud Matthæum : *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Et revera quisnam tandem putatis sermonis hujus dulcedinem digne possit exprimere : Ecce sponsus venit, exite obviam ei? Quidnam, oro, sentit cor amantis animæ, quid, inquam, sentit, quid experitur, dum audit : Ecce sponsus venit, exite obviam ei? Quid possit sponsæ referri dulcius, quid ab ea jucundius percipi, quam sponsum illius adventare? Quod tamen de ea dictum sit sponsa, quæ sponsum amet suum, quæ illi fidem servet, quæ, ita ut dignum est, sponsi sui adventum avide ac medullitus suspiret. Nam si secus se habeat, si alium quemlibet ardentius diligat, si erga sponsum infidam se præbuerit, nimirum illi gratum non possit esse nuntium de adveniente sponso, potius metum ac terrorem, quam gaudium illi afferet adventus sponsi. Fateor quidem, sermonem hunc et nuntium suavissimum cunctis Deum amantibus, Deoque fidem servantibus ingeri, maxime tamen ad virgines pertinet, quandoquidem tota illa parabola unde hæc verba excerpta sunt, de virginibus, aliis quidem prudentibus, aliis autem fatuis, agit. Virgines igitur sponsæ sunt, ut Apostolus ad Corinthios affirmat. Sponsus vero est Dominus Jesus. O præcipuam virginitatis præstantiam ac nobilitatem, quæ sponsum habere Dei Filium meretur! O præclara virginitas, quæ cum sis integra, nihilominus adeo fecunda es! Fructus quidem non alius te decet, neque partus ullus tibi possibilis est, nisi quo Deum sine dolore edas. O sancta virginitas, quæ doloris non paris filios, sed proles fructusque semper mansuros! Tanta est celsitudo tua, o prædicanda virginitas, ut Christus te præcipere noluerit, sed tamen commendarit. Non enim tantæ virtutem excellentiæ omnibus imperatam esse voluit, sed iis duntaxat, quod ipse ex speciali gratia eo eligeret, quique libentibus animis eam amplecti vellent. Unde cum de triplici eunuchorum genere ageret, ita inquit : *Sunt eunuchi qui de matris utero sic nati sunt : et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus : et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Unde mox subdit : *Qui potest capere, capiat :* tanquam diceret : Sublimis valde est, et supernaturalis atque angelica vita in carne degere, et carnis inquinamenta nescire. Usque adeo id arduum est, ut passim omnibus in commune præcipere non ausim : tamen qui potest capere, capiat. Aio igitur, o sancta virginitas, quæ in sacratissimo Christi corpore, in dignissima illius Genitrice Maria, et in

Virgines uo suum norem ansferre ebeant.

Anima nans uomodo uo sponso ɔviam rocedat.

Quidnam ngulari- r aman- m ani- am con- letur.

Sponsum uti se dignetur Dominus noster Jesus Christus vocari.

Virginitas uti vere fecunda efficiatur.

Matth. XIX, 12.

Virginitatem cur Christus non præceperit.

Virginitas in quibus dedicata fuerit.

præcursore ac baptista illius Joanne dedicata es ! Quid hic ego commemorem sanctum Domini Apostolum Joannem, quem Christus præ cæteris Apostolis tanquam virginitatis participem charum habuit, et suæ Matri de cruce commendavit? Quid plures alios strenuos Christi milites, sanctos Confessores et Dei amicos recenseam, qui posteaquam ad Deum sese converterant, aut virginitatem, aut perpetuam castitatem servarunt : quando in ipso sexu muliebri tot nobis suppetunt præclara egregiaque virgineæ integritatis exempla, ita ut pleræque durissimos maluerint cruciatus perpeti, quam viri contactu impudico fœdari ? Quod si impurus aliquis Epicuri de grege porcus mihi objiciat (ut solent libidinum mancipia hæretici nostri) præcepisse Dominum Noe et filiis ejus, ut crescerent, et multiplicati replerent terram (quod utique ad fecunditatem, non cœlibem vitam pertinet) ille idem attendat velim alia tunc atque nunc fuisse tempora : atque pro diversitate et mutatione temporum non eadem, sed diversa nobis præcepta et institutiones promulgari. Quis enim non advertat illis Noe temporibus quibus totus mundus, id est, creaturæ omnes vitæ participes diluvio interierant, paucissimis, nempe octo hominibus in arca Noe servatis, merito id præceptum esse a Deo, ut crescerent et multiplicarentur, quando totus orbis mortalibus vacuus erat ? Nunc vero hisce extremis temporibus, quibus Scriptura ait, securim ad radicem arboris positam esse, id est, quando mundus prope interitum est et fini proximus, quo etiam spectant illa Apostoli verba, in quos fines seculorum devenerunt, idem ipse Apostolus prædicat ac præcipit matrimonio junctis, ut qui uxorem habeant, sint tanquam non habentes. *Præterit enim,* inquit, *figura hujus mundi.*

Matth. III, 10.

I. *Cor.* X, 11. *Ibid.* VII, 31.

Ecquid vero dubii habere potest virginitatis custodia, quando Christus ipse, ejusque reverenda Parens , et sanctus Joannes, atque etiam sanctissimi quique modo in cœlis degentes, virgines permanserunt ? Utique si aliud vitæ genus, puta matrimonium aut fecunditas prolium Deo gratius fuisset, id Christus amplexus esset, ex suo nobis exemplo commendasset. Ne quis tamen putet in veteri Testamento minus Deo fuisse gratam virginitatem (licet non perinde tum culta ac celebrata fuerit) legimus apud Isaiam Dominum dicentem eunuchis : *qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Quibus verbis consolatur eunuchos, ne sint pusillo aut abjecto animo, tanquam qui in prolibus nomen suum ad posteros non transmittant, pollicens illis, quamvis ob cœlibem vitam nullis relictis prolibus velut exstincti videantur, æternum sese daturum nomen, multo beatius, fecundius, utilius ac durabilius, quam ex filiorum successione sibi conciliare possint. Elias ipse nonne sub lege vixit ? Et quis nesciat raptum illum in paradisum, et necdum mortis solvisse debitum, cum tamen virgo permanserit ? Qua re id licet intelligi, virginitatem nunquam mori apud Deum. Sed ne multis sanctorum enumerandis exemplis prolixior sim, id vos, dilectissimi, certum persuasumque habetote, virginitatem omnibus seculis singulari apud Deum gratia et amicitia flagrasse : tametsi a mundi exordio, et post diluvium homines magis procreandis liberis, et mundo augmentando operam dederint, non quidem libidinis causa, aut ob carnis explendas voluptates, sed quod sperarent plurimi ex suo semine posse Christum nasci, aut certe plurimum gauderent, si quem sui generis superstitem relinquerent, qui Christum corporalibus oculis videret : vel etiam quando verus Dei cultus apud solos Judæos extabat, porro apud alios omnes idololatria versabatur, quod optarent Dei populum, atque eo ipso Dei cultum magnis augeri incrementis. Atque ita solus posteritatis amor causa illis fuit matrimonium contrahendi. Quanquam nec

Virgi tem e in vet testam fuisse gratiss mam.

Is. LVI

Virgin tem om bus sec Deo sin lari m placuis

Patres
iquos
idnam
verit ad
trimo-
im con-
hen-
m.
irginitas
sit per-
tuo du-
tura.
Matth.
II, 30.

aria Ma-
Christi
magi-
a dux
ac spe-
lum om-
im vir-
num.

Honore
anto
us affe-
it fe-
neum
tum, per
arnati-
em ex
rgine.

ipsa sane virginitas infecunda est, utpote quæ cœlo fructus pariat æternum victuros, sicut ex matrimonio fructus terræ nascuntur. Atqui certum est terræ generationem quandoque finem habituram : sed generatio cœlestis perennis est. Siquidem conjugium desinet : at virginitas perpetuo perseverat, sicut ipse Dominus ait : *In cœlis neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei.* Ex quo id etiam potest esse perspicuum, virgines castas et intemeratas, non terrenam sed cœlestem et angelicam in terris vitam agere. Præter hæc vero neutiquam negligenter considerandum venit, utile cum primis atque congruum et condecens fuisse ut præclarissimæ, elegantissimæ, gratissimæ, suavissimæ, celsissimæ atque angelicæ virtutis nempe virginitatis servandæ magistra, dux atque auctor fieret virgo longe omnium integerrima, dignissima atque illustrissima, Dei Genitrix Maria : cui id servatum fuit privilegii, ut ipsa tanquam omnium sanctissima, formam ac specimen sive speculum se præberet sacratissimæ ac minine vulgaris et inusitatæ cœlestisque virtutis, suo ipsam in corpore dedicans, et voto offerens Deo. Unde etiam passim nunc offeruntur virgines Deo, sicut scriptum est, post eam, id est, quæ illius imitentur exemplum. Quam sane tanquam magistram suam dignum est virgines omnes imitandam suscipere : atque magnopere lætari, quod Filius Dei nonnisi virginem matrem habere voluerit : attendere etiam quanto Deus honore affecerit sexum femineum præ virili, quando ex femina revera nasci dignatus est. Neque enim id ulli datum est viro, ut sit aut dicatur verus Dei Pater, namque Christus ex viri semine genitus non est : atqui virgini id reipsa concessum est et præstitum, ad totius feminei sexus decus et honorem, ut sit et dicatur vera Dei Genitrix. Agnoscant igitur quotquot se virgines esse norunt, tantam Dei benignitatem, et sint gratæ Virginis Filio, pudeatque eas ullum alium vel respicere virum, aut sponsum admittere, præter ipsum solum ; quod tamen maxime curandum est illis quæ virginitatis votum edidere : quibus nulla ratione committendum est, ut vel tenuissimo mentis assensu unquam quidquam velint, quod animi vel corporis possit integritatem inficere. Debent etiam parentes summo studio proles educare suas, et ab infantia timoris divini freno quodam continere, ut nihil nisi sanctum, nisi castum, nisi pudicum vel oculis, vel auribus hauriant, ut cum ipsis ætatis incrementis magis magisque in omnimoda mentis et corporis puritate adolescant : et quod alii magno labore assequi habent, illis tanquam naturale sit ob longam assuefactionem et castissimam educationem. Væ autem atque iterum væ parentibus illis, qui suis et dictis et factis proles suas ad turpia provocant, illisque perditissimis exemplis suis auctores sunt ad perpetranda mala, quibus deberent esse causa salutis. Atque, ut sermoni finem imponamus, id vos, dilectissimi, summopere oratos velim, si quempiam ex illis, qui vestræ curæ commissi sunt, sive sint filii aut filiæ, aut alias sanguine conjuncti, ad virginitatis custodiam aspirare cernatis, uti ne qua ratione illum a tam sancto proposito avocetis : sed potius bene currenti calcar adhibeatis, ut vestris adhortationibus ferventior efficiatur. Non patiamini unquam prolibus vestris maxime dum adhuc in ætate tenera sunt, familiares esse sive famulos, sive ancillas, aut quoslibet alios, qui verbis aut moribus impudici sint, ne ab illis discant, quod postea vix unquam possint dediscere. Christus Jesus sponsus et corona virginum, omnium nostrum cordibus sanctæ castitatis aspiret amorem, ut pro illius desiderio fœdas omnes carnis despiciamus voluptates, tanto copiosioribus olim in cœlesti paradiso deliciis perfruituri, cum sanctis omnibus. Quod ipse nobis præstare dignetur, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti vivit et regnat in secula benedictus, Amen.

Virginitas voto firmata quanto studio custodienda.

Parentes uti cooperentur ad custodiam virginitatis in suis prolibus.

Proles ad virginitatis custodiam uti sint a parentibus juvandæ.

IN FESTO

S. VINCENTII MARTYRIS

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

HÆC dicit Dominus creans te, Jacob, et formans te, Israel. Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo. Meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel salvator tuus. Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam et Saba pro te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus : ego dilexi te, et dabo homines pro te, et populos pro anima tua. Noli timere, quia ego tecum sum, dicit Dominus Omnipotens. *Is. XLIII.*

MAGNA est sanctorum martyrum constantia, qua minas et tormenta impiorum perinde ut levem quemdam auræ flatum contempserunt, et divino armati præsidio casti timoris et invicti amoris Dei, pericula non attenderunt, non carnificum truces vultus et immanem crudelitatem, non corporis et membrorum omnium dissipationem : non denique acerbissimam mortis pœnam alicujus pensi habuerunt : sed fidelibus animis in auctorem fidei et consummatorem Jesum aspicientes, id unum curarunt, ut pro illius honore nullos subterfugerent cruciatus, nulla sibi putarent tormenta declinanda, quem priorem causa salutis suæ scirent tanta pertulisse, quanta mens nulla queat capere. Atque ut in duris corporis afflictionibus essent patientes, ac mitissima lenitate furentem hostium tyrannidem eliderent, non dubium est, quin sacrorum voluminum sententiis sese animarint, quales certe plurimæ sunt in utroque Testamento : cujusmodi etiam haud vulgares habet isthæc præsens Isaiæ lectio, qua Dominus martyrem suum confortans, ita eum alloquitur : Hæc dicit Dominus Rex Omnipotens, cujus nutu cuncta disponuntur, creans te Jacob vitiorum supplantatorem, et formans te Israel Dei contemplatorem, quales fuere sancti martyres, qui usque adeo in se vitia pessum presserunt, ut maluerint vitam amittere, quam vel in ullum consentire peccatum : et Deum per fidem hic contemplati sunt, sicut Apostolus ait, per speculum in ænigmate. Atque recte utroque hoc nomine Christi martyr appellatur nempe Jacob et Israel, quandoquidem non potest esse idoneus martyr Christi, qui nesciat dominari vitiis, et Deum per fidem vel utcumque contemplari. Quomodo enim pro Christo mori poterit, qui vitiis subjacet, et Deum ignorat? Tali ergo dicit Dominus : Noli timere hominum minas, pœnas, corporis dolores momentaneos. Fidelis sum, non potero sustinere ut ultra vires affligaris, quia redemi te, non corruptibilibus

auro vel argento sed pretioso sanguine meo, et vocavi te nomine tuo, quod ex omni æternitate scriptum habui in libro vitæ. Novit enim Dominus qui sunt ejus. *Exod.* Ita dixit et Moysi : Novi te ex nomine. Impios autem nescit, quia eos tanquam spurios a sua hæreditate prorsus excludit, vel nec illorum unquam meminisse dignatur, dicetque illis in extremo die : *Amen dico vobis, nescio vos.* Suis autem dicit : Meus es tu non solum creatione et redemptione, sed etiam voluntatis omnimoda consensione, et æterna prædestinatione. Nihil ergo timeas, quia cum sis meus, non potero non tui curam agere. Insurgant licet creaturæ omnes adversum te, tamen quia meus es, quid tibi officere poterunt ? Cum transieris per aquas temporalium afflictionum et multimodarum perpessionum, vexationum, tentationum, tecum ero, te corroborans, et flumina inundantium malorum non operient neque obruent te mea virtute munitum. Impugnaberis quidem sed non expugnaberis : senties acres tentationes foris et intus, sed non consenties meæ gratiæ præsidio vallatus. Cum ambulaveris in igne ferventium persecutionum ac acerrimarum impugnationum et angustiarum, non combureris, nec aliquid senties detrimenti sicut nec tres illi pueri in camino ardenti : et flamma vitiorum non ardebit in te, sed potius ignis amoris mei, qui facile omnia te superare faciet et cunctis hostibus et tentationibus efficiet superiorem. Sed et ipso corporeo igni si traditus fueris, non combureris, si id tuæ et aliorum saluti prodesse poterit. Ita multi martyres etiam flammas illæsi evaserunt. Et quid mirum, si id præstet Dominus martyribus suis, quando etiam bruta animantia quædam in igni vivere dicuntur ? Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, Israelis, id est, electorum omnium sanctificator, tuusque Salvator, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam et Saba pro te : quandoquidem tuo exemplo, tua constantia, tua insuperabili et invicta charitate multi peccatorum tenebris et erroribus implicati, qui per has gentes significantur, ad me convertentur, meque propitium habebunt idque totum in te redundabit, eritque in augmentum gloriæ ac meritorum tuorum. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis et judicio meo ob præclarissima merita tua, et gloriosus ob indevictam perseverantiam quæ sola coronatur, ego dilexi te, amore gratuito et immenso. Et dabo homines pro te, et populos pro anima tua, ita ut quamvis crudeles tyranni ob fidem meam te penitus exstinguere, et memoriam tui prorsus omnem delere moliantur, non solum tamen id non possint, sed etiam velint nolint videre cogantur plurimos per te venire ad agnitionem et confessionem nominis mei, et pro te uno multos exurgere, qui meam fidem amplectantur. Noli ergo timere, quoniam ego tecum sum, paratus præstare tibi virtutem et sapientiam, cui non possint resistere omnes adversarii tui. Itaque mea ope fretus noli timere. Non tu tuis pugnabis viribus sed meis. Caro quidem infirma est, hostes multi et crudeles valde : sed noli timere, quoniam ego tecum sum : tantum cura, ut et tu ipse mecum sis, gratiam meam non repellendo, sed ea digne utendo. O verbum consolatorium, quod merito attendere debeant omnes qui afflictionibus premuntur, ut certissima Dei sui præsentia et adjutorio erecti, spe bona perseverent in bono.

Matth. 12.

Ægyptus, Æthiopia et Saba quid mystice signent.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, LUCÆ IX.

NATURA hominis in primis parentibus, tanquam in sua radice, vitiata, semper in malum proclivis est, adeo ut nisi divina gratia retrahatur, nihil sit tam nefarium, tam execrabile, quod non facile perpetratura sit. Itaque semper acriter decertandum nobis est contra nos ipsos, quia hostem domesticum quotidie circumferimus, nempe carnem nostram : et multa sane vigilantia ac sollicitudine utendum, ne qua ex parte vincamur. Non est quod pollicearis tibi, o homo christiane, requiem et jucundos dies in hoc exilio. *Væ vobis,* ait Christus, *qui ridetis, quia plorabitis et flebitis.* Totus corruptus es ac depravatus, non licet tibi obtemperare desideriis carnis tuæ, quæ militant adversus animam tuam. Laborandum est jugiter, et multa adhibenda industria, ut profligatis vitiis, possis ad veram reformari innocentiam. Noli inaniter jactitare Christum pro te satisfecisse. Proderit tibi illius satisfactio, si monitis ejus morem gesseris. Vis scire quid a te exigat ? Audi vel præsens Evangelium :

Luc. VI, 25.

> Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.

Ecce habes, quo te verum evangelicum declarare queas. Quid dicis Christo servatori tuo, Domine, Domine, et non facis quæ præcipit ? Olim Judæi gloriabantur in templo Domini. Sed quid illis hoc profuit ? Propheta Jeremias loquatur : *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Bonas facite vias vestras, et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. Sic ergo nec tibi proderit Christi satisfactio, nisi facias quæ ille exigit a te. Exigit autem, ut si ipsius velis esse sectator et discipulus, abneges temetipsum. Quid est abnegare semetipsum ? Propriam voluntatem et privatum amorem funditus exstirpare. Hoc opus, hic labor est : et tu audes tanquam jam securus gloriari, et tuis indulgere voluptatibus ? Abnega teipsum, noli secundum carnem vivere, sed spiritu mortifica carnis desideria, odito propriam voluntatem, et ubicumque teipsum inveneris, teipsum desere. Noli aspirare ad honores et dignitates, noli carnis oblectamenta captare, noli cumulandis inhiare opibus, sed abnega teipsum et ejusmodi perniciosa desideria in altari cordis tui concremata ceu hostiam gratissimam offeras Deo tuo. Deinde etiam tolle crucem tuam, non uno duntaxat die, sed quotidie, donec spiritus in te ullus reliquus erit. Tolle, inquam, crucem tuam, ut aut ipse sponte te affligas per voluntariam pœnitentiam, sine qua nulli salus esse potest post peccata mortifera a baptismo perpetrata, aut flagella Dei patienter feras. Id autem difficile tibi non erit, ubi teipsum abnegaveris. Quisquis enim crucem graviter fert, necdum sese abnegavit : etiam dum in eo propria vivit voluntas : quæ si extincta esset, crux nulla gravate sentiretur. Si autem ipse Deus et Dominus noster crucem tulit longe acerbissimam, quid miri est, si servus crucem ferat ? Certe qui divino bene sunt imbuti amore, mollia potius fugiunt, et crucem carius amplectuntur. Per crucem ad palmam pertingitur. Christianus dici vis ? Tolle crucem tuam quotidie, et sequere Christum ad montem Calvariæ, propriam crucem deportantem. Sine cruce vix poteris salvus fieri. Porro

Jer. VII, 4.

et teipsum abnegando, et tollendo crucem tuam, sequere Dominum tuum, ut nihil horum agas studio placendi hominibus, aut humanam aucupando gloriam, sed ut placeas Patri tuo qui in cœlis est. Si enim aliud spectes, non sequeris Christum, qui non quæsivit gloriam suam, sed Patris. Ergo omni christiano id necessario incumbit, ut in omnibus, quæ Dei et Ecclesiæ præceptis repugnant, et quæ ad salutem exiguntur, sese abneget, frangatque voluntatem suam, et tollat crucem pœnitentiæ, atque Christum per arctam salutis viam sequatur. Hæc est totius Evangelii summa. Quisquis aliud docet, non habet Christi spiritum, sed est Antichristus, et ob hoc ipsum haud aliter, quam cacodæmon respuendus. Sed difficile est naturam in vitia proclivem edomare, difficile est carere voluptatibus, difficile est Christum sequi. Verum id est : sed *credenti omnia sunt possibilia,* et amanti nihil est difficile. Non vult Deus ut nostris hæc præstemus viribus, sed suam nobis opem pollicetur. Tantum non desit conatus noster, et gratia nullo negotio perficiet, quod nobis esset impossibile. Difficile est aurum cæteraque metalla e terræ visceribus elicere, difficile est mille subire vitæ discrimina pro distrahendis sive comparandis mercibus : denique nihil ferme est in rebus humanis, quod non habeat quamdam adjunctam difficultatem : et tamen nemo est qui non difficultatem contemnat, ubi se sperat lucri quidpiam reportaturum : sicque fit, ut quod in seipso difficile videtur, fiat ex Dei gratia et amore facillimum.

Sequi istum l sit.

lunta- ropriæ egatio m sit i chri- no ne- arium.

arc. IX.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam. Nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.

Hac sententia damnantur studia hominum sese amantium, qui aspera quæque fugiunt, atque in deliciis corpora sua paulo post in putredinem abitura sollicite enutriunt, et quasi ad hoc nati simus, ut hic semper vivamus, omnia sibi præsentis vitæ commoda et oblectamenta adhibent : nihil unquam perpeti volentes. Jejunia, orationes, vigilias, vitæ quamdam severitatem, solitudinem, silentium, corporis castigationes velut mortem ipsam fugiunt : contra vero quidquid potest esse voluptati et consolationi maximopere expetunt et amplectuntur. Sed audiant tales, quid Dominus dicat. Qui voluerit animam suam salvam facere, id est, indulgere affectibus suis, et secundum carnem vivere, perdet animam suam, et flammis nunquam exstinguendis reddet obnoxiam. Qui vero perdiderit exiguo hoc vitæ momentaneæ spatio animam suam, obluctando pravis illius desideriis, et divinæ legi optemperando, salvam faciet illam in vitam æternam. Eligat nunc quisque quod volet. Aut hic brevi tempore cum Christo et electis omnibus abstineat a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, et seminet in lacrymis, ut postea cum gaudio metat : aut hic molliter et delicate vivat cum impiis et reprobis omnibus, ut postea sine fine tormentis ineffabilibus excrucietur. Vix enim cuiquam contingere potest, ut hic floreat et gaudeat in hoc mundo, et postea cœlestibus gaudiis perfruatur. Utinam hæc Domini verba attenderent evangelici nostri, non sic habenas laxarent vitiis suis. Verum, novit Dominus qui sunt ejus. Habeant qui volunt temporarias voluptates : qui autem Deum timent, prospera mundi despiciant, et in lacrymis mittant semina bonarum actionum, lugeant sua et mundi peccata, mollitiem omnem aspernentur, et cum Christo moriantur in cruce.

Anima uti sapienter sit perdenda.

Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?

Communis est hic hominum error, ut tum demum felices se arbitrentur si illis omnia ex sententia eveniant, si ad magnos honores et dignitates provehantur, si floreant in hoc mundo, si affluant bonis hu-

Felicitas fallax quæ sit.

jus vitæ : nec volunt æquo perpendere judicio, quam multa his adjuncta sint animæ pericula : quam multi in his misere pereant, quam denique difficile, ne dicam impossibile, sit fortunæ simul et gratiæ donis abundare. Et tamen si vel omnia unus aliquis mundi hujus bona obtineat, quid prodest, si cum suæ animæ jactura id fiat ? Fit sæpius, ut quidam infimæ conditionis, aut certe non multum fortunati, paulatim jucundos quosdam fortunæ flatus experiantur, et ex abjectis fiant gratiosi ac sublimes. Isti jam se felices putant : a cæteris item prædicantur. Interim quantum illis accedit temporariæ prosperitatis, tanto etiam ipsi sibi plus indulgent, et quasi divinæ sit gratiæ argumentum affluere bonis et voluptatibus temporalibus, totos sese quieti et oblectamentis tradunt. Rident, comessantur, potant, exultant, et vitam, ut ipsi putant, suavissimam transigunt. Sed non est hoc abnegare seipsum, et tollere crucem suam, et sequi Dominum Jesum, et perdere animam suam. Si hic semper victuri essemus, possent tales felices dici. At nunc infelices merito censendi sunt : quia exilium pro patria amplectuntur : et cum sint in carcere teterrimo inter hostes inexpiabili odio ipsos prosequentes constituti, ita securi et hilares sunt, tanquam nullum impendeat periculum. Verum si vel totum lucrentur mundum, quid illis proderit, cum seipsos perdant suis obsequendo voluptatibus, et Christum contemnendo ? Olim quidem sub persecutione impiorum, qui christianos affligebant, quibusdam magna proponebantur præmia, si a Christo deficerent : puta honores, deliciæ, dignitates, divitiæ, largissimæ possessiones, quibus nonnulli deliniti, consentiebant impiis : et felices quidem eos judicavit mundus : sed quid illis profuit momentanea prosperitas, qui animas suas æternæ damnationi obnoxias reddidere ? Felicissimi sane fuissent, si spretis vanis pollicitationibus, Deo ac Domino suo adhæsissent. At illi mala cupidine irretiti, Christum verecundabantur confiteri, et falsa deorum simulacra adorabant. Sed quo tandem fructu ? Audiamus infallibilis judicis sententiam.

Quam hodie vivatur periculosissime.

Nam qui me erubuerit, et meos sermones, hunc et Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum.

Non est satis semper corde credere, sed etiam ore oportet confiteri, ubi id exigit aut honor Dei, aut utilitas et salus proximi. Quod si tum aliquis vel hominum favore delinitus, vel terroribus fractus malit a Christo deficere, et ejus fidem negare, quam ingenue confiteri ac prædicare, is etsi magna acquirat lucra temporaria, tamen miserrimus est, quia Deum perdidit, et animam suam æternis ignibus addixit. Atque ubi extremus venerit judicii dies, Christus Jesus illum coram omnibus creaturis et ipso cœlesti Patre suo confundet, et summa cum ignominia tanquam alienum et apostatam a se repellet. Possunt autem hæc Domini verba etiam ad illos referri, qui ne derideantur, aut illudantur ac vexentur ab improbis, sæpenumero contra conscientiam suam in res illicitas consentiunt, et dum volunt hominibus placere, aut iisdem displicere timent, a justitia deflectunt, et peccant in Deum suum. Qui sane hoc ipso stultissime agunt : et justo Dei judicio sæpe accidit, ut hominibus, quibus se in malo conformare student, magis displiceant, prorsusque derisui et contemptui sint. Sed etsi ea re magnam sibi hominum comparare queant gratiam, semper tamen præferendus est Deus, et ob nullius amorem, vel odium, quidquam iniquum admittendum est. Alioqui si propter homines velimus Deum postponere, ipse itidem in judicio suo nos inter suos minime agnoscet. Verum ut id hominibus persuadeatur, difficillimum fuerit. Innumera est multitudo eorum, qui ne hominum vexationibus infestarentur, relicta justitia, ad diaboli et impietatis castra se transtulerunt, et paucissimos hodie reperias, qui non li-

benter Deum offendant potius quam ab hominibus irrideantur, aut hominum odio laborent. Qui autem Deum ex animo diligunt, neutiquam quidquam agunt contra justitiam, etiamsi sibi inimicos capiendos esse sciant mortales omnes : nec putant sibi cujusquam vel ambiendam esse gratiam, vel odium formidandum cum pietatis jactura ac detrimento. Semper ante oculos obversant suos diem illum extremæ severitatis, quo Dominus venturus est in majestate sua et Patris, et Angelorum, et ut illius tunc mereantur gratia perfrui, et iram subterfugere, jam libenter humanum omnem, quantum Deo et justitiæ inimicus est, contemnunt favorem, et malunt apud omnes inexpiabili laborare odio, quam a Deo et justitia discedere. Sed ne tam arduis propositis præceptis, infirmorum animi discipulorum frangerentur, desperarentque Christi fidem unquam posse increscere et perseverare, jam Dominus sententiam subjungit consolationis plenam, ita dicens :

Dico autem vobis vere : Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.

Passuri quidem estis plurima propter nomen meum, et totus in vos mundus insurget, omnis dæmonum turba debacchabitur, sed tamen omnis eorum conatus mea virtute et sapientia sic elidetur, ut etiam quidam ex vobis usque eo victuri sint, ut Ecclesiam meam videant mirifice augmentatam, atque longe lateque propagatam : nec solum non exstingui posse fidem meam et Evangelium impiorum persecutione, sed etiam majoribus inde incrementis augescere ; quanquam possunt etiam hæc de Petro et Jacobo et Joanne accipi, qui Christi gloriam in monte Thabor conspexere. Et veram quidem hanc fuisse Domini pollicitationem ex sacris Litteris perspicue declaratur. Crevit enim mirum in modum Ecclesia, adhuc Apostolis viventibus : et licet persecutionibus laboraret, tamen quia nihil potest Dei consilium et voluntatem impedire, nulla inde detrimenta sustinuit, sed gloriosius est sublimata. Vanus est enim et inutilis, sive hominum, sive dæmonum conatus adversus Deum, qui sua virtute facile premit et enervat vires omnium ipsi repugnantium : siquidem omnipotens est. Qua ex re magna nobis præstatur consolatio, ut sicut certi sumus Ecclesiam nullis persecutionibus potuisse exstingui, sed magis magisque profecisse : ita et nos Domini adjutorio communiti speremus ex hominum ac malorum spirituum impugnationibus non solum nihil accepturos incommodi, sed etiam, modo velimus, majora gratiæ et gloriæ augmenta capturos.

Ecclesia quibus modis olim creverit.

SERMO IN EODEM FESTO

DE TOLERANDIS AFFLICTIONIBUS : ET DE EARUMDEM MULTIPLICI UTILITATE.

PER multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Actuum XIV, 21.

Charissimi fratres, in omnibus vitis Sanctorum, imo et in vita sancti sanctorum Domini nostri Jesu Christi legitur, quanta adversa, quantas tribulationes et infirmitates, quantas denique persecutiones sustinuerunt, ita ut de nullo sentiendum sit, quod ad vitam æternam pervenerit sine tribulatione : quia via tribulationis est sola et unica via quæ ducit ad vitam : quam instituit et ambulavit Dominus noster Jesus Christus, et princeps omnibus militibus suis ostendit, sicut solent principes militiæ. Unde etiam quando

Sanctorum catalogo quum adscribantur sancti.

sancta mater Ecclesia aliquem vult sanctorum catalogo adscribere, examinat vitam ejus, et interrogat præcipue de patientia, utrum et quomodo sustinuerit tribulationes et labores hujus vitæ : quia pro certissimo habet secundum Apostolum, quod *nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Porro, cum videamus quod mali homines ut plurimum prosperantur in hoc mundo, sancti vero multas sustinent tentationes et pressuras, possumus non inconvenienter causam hujus perquirere. Licet enim non dubitemus, quin judicia Dei sint justa et vera, quamvis nobis occulta, tamen possemus interrogare et admirari cum sancto Jeremia, qui cum Deo disputans, dicit : *Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt. Plantasti eos, et radicem miserunt : producunt et faciunt fructum,* scilicet in temporalibus bonis. *Prope tu es ori eorum* (scilicet ut exaudias eos, quidquid pro temporalibus te petunt) et longe a corde eorum, scilicet quia non contristas eos, et non punis. Et tamen contra S. Apostolus tuus Paulus dicit : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Et tumet dicis in Apocalypsi : *Ego quos amo, arguo et castigo.* Resera nobis, Domine, mirabilium judiciorum tuorum secretum. Nam eos qui te diligunt affligis, et qui te odiunt foves, et concedis eis prospera.

II. *Tim.* II, 5.

Jer. XII, 1.

II. *Tim.* III, 12.

Apoc. III, 19.

Charissimi fratres, licet Dominus noster omnipotens Deus sit erga nos ut misericordissimus Pater, est tamen etiam verax et justus, et ita exhibet misericordiam quod tamen non declinat a justitia. Sicut ergo ad bonitatem ejus spectat, uti nullum bonum maneat irremuneratum : ita ad justitiam ejus pertinet, ut nullum malum maneat impunitum. Constat autem quod nemo ita bonus et justus est in hac vita, qui non habeat aliqua etiam mala, saltem parva : teste Joanne in Epistola sua : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Sic iterum nemo ita malus est in hac vita, qui non faciat etiam aliqua bona, licet modica et insufficientia ad futuram beatitudinem. Quomodo insufficientia ? Quia sine charitate, vel extra charitatem sunt facta. Aut si in charitate aliqua facta sunt, non tamen in charitate permanserunt : et ideo caruerunt præmio infinito. Fructus enim boni operis (secundum Gregorium) perseverantia est. Ne tamen illa licet parva irremunerata maneant, dat Deus talibus hominibus temporalem mercedem, scilicet bona temporalia, honores, fortitudinem et sanitatem corporis, gratiam et favorem coram hominibus, bonam fortunam et prosperitatem in agendis et similia : peccata autem illorum reservantur in futurum punienda : quia non sunt digni, ut hic corripiantur a Domino.

I. *Joann.* I, 8.

Hic potest se quisque considerare cujuscumque sit status, et timere si prospera sibi eveniant, ne forte sibi retribuatur in præsenti : quia, ut dicit Gregorius : Continuus successus temporalium, est certum futuræ calamitatis indicium. Seneca quoque licet gentilis esset, dixit : Nihil infelicius eo, cui nunquam accidit aliquid adversi : male de eo judicaverunt dii. Et sanctus Augustinus inquit nullam plagam majorem esse a Deo, quam quando Deus non defendit hominem a peccato. Et hoc fit quando non corrigit hominem, sed sinit eum agere secundum desideria cordis sui, donec veniat tempus, quando completa est iniquitas illius. Tunc enim sustinebit horrendum judicium. De talibus ponit comparationem sanctus Bernardus, inquiens : Qui in deliciis mundi transit hujus vitæ curriculum, similis est latroni, qui per florida prata trahitur ad suspendium. Uterque enim transit per delectabilia, sed finis malus est. Exemplum habetis in vita sancti Ambrosii, qui quum Romam pergeret, et ad quemdam hospitem magnæ potentiæ et temporalis felicitatis divertisset, interrogavit de statu suo. Qui respondit : Domine, satis bonus fuit semper, felix et gloriosus meus status. Ecce enim divitiis infinitis abundo, servos et famulas quam-

plures habeo, copiosam turbam filiorum et nepotum possideo, et omnia semper ad vota habui, nec unquam mihi aliquid adversi accidit vel quod contristaret advenit. Quod audiens sanctus Ambrosius, vehementer obstupuit, et his qui cum eo erant in comitatu, dixit : Surgite, et hinc quantocius fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Quum ergo fugerent, et aliquantulum processissent, subito terra se aperuit, et illum hominem cum omnibus quæ ad illum pertinebant, ita absorbuit, ut nullum inde vestigium remaneret. Quod cernens sanctissimus episcopus Ambrosius, dixit : Ecce, fratres, quam misericorditer Dominus parcit, quum hic adversa tribuit : et quam severe irascitur, quum semper prospera largitur. Et hoc est dictum de malis, cur prospere habeant in hac vita, et Deus dissimulet peccata eorum, id est, ita se gerat, quasi non videret : sed in fine apparebit bene, quando retribuetur eis, tunc gaudium peccatorum vertetur in perpetuum mœrorem.

minem se vive- ine om- pecca- quomo- intel- ndum.

Sic e contrario justi et boni homines non possunt vivere sine parvis peccatis, ut scilicet nunquam peccent : quia licet possimus a singulis abstinere, scilicet ab illo vel illo, etc., sed non ab omnibus. Sicut enim nullus est cibus, a quo homo non possit abstinere et vivere : quia si non comedit hoc, tunc comedit aliud : sed non potest abstinere ab omni, scilicet ut nihil comedat. Sic boni homines possunt abstinere a quocumque peccato seorsum considerato, sed non ab omni : quia si cavent ab uno, tunc cadunt in aliud : et quando pugnant aut defendunt se contra unam malam cogitationem vel affectionem, interim subintrat alia. Et hoc est dictum de parvis venialibus, quia de mortalibus peccatis per gratiam Dei potest quis abstinere ab omnibus et singulis. Hæc igitur peccata quamvis parva sint ex suo genere, non tamen dimittuntur impunita : aut si magna fuerunt ut mortalia, et per contritionem et confessionem sunt dimissa quantum ad culpam, sed non ex toto dimittuntur quantum ad pœnam : sed oportet, ut satisfiat, vel hic, vel in futuro. Cum ergo sacerdos nimis parvam imponit pœnitentiæ mulctam, et nos etiam nihil adjicimus, tunc Deus vel divina justitia supplet quidquid non est purgatum et limatum : quia non possumus intrare in regnum cœlorum, nisi simus purgati, limati et mundati ab omni macula peccati, ita ut simus puriores ac clariores sole. Et hæc est singularis gratia, quam dat Deus dilectis suis amicis, quod purgat eos in præsenti, et non in futuro : quia illa futura pœna in purgatorio est nimis acerba et ineffabiliter molesta ac aspera : et homo quamdiu est adhuc in foro misericordiæ et in statu merendi, potest cum uno vero cordis gemitu, aut tonsione pectoris tantum delere, quantum aliqua anima post mortem multis diebus aut annis in purgatorio, quia est jam in judicio justitiæ, ubi oportet solvi omnia, usque ad minimum quadrantem vel punctum, sine dimissione. Et etiam alia causa est : quia quidquid homo facit vel patitur in hac vita pro peccatis suis, est voluntarium et multum delet : sed post hanc vitam est involuntarium et coactivum.

ectorum rum ccata modo us hic niat.

Ut vero sancti recipiant purgationem pro peccatis parvis, et reprobi pro quibusdam bonis remunerationem, sit nobis exempli loco parabola, quam Dominus posuit in Evangelio de divite epulone, et paupere Lazaro. Dicatis mihi nunc quando videbatur Lazarus jacens in platea, et tam pauper, quod nec haberet de micis, quæ cadebant de mensa divitis, et quod canes lingebant eum, quis tunc cogitasset, quod tam magnus esset amicus Dei? Quis veneratus fuisset eum tanquam futurum civem cœli? Quis, quæso, putasset nobilem ibi latere margaritam, id est, tam pretiosam animam in sacco putrido corporis ulceribus pleni? Rursus quando dives processit in publicum cum ingenti pompa ac fastu, quis illum deliciis et honoribus plenum contempsisset, tanquam inimicum Dei et socium dæmoniorum futurum? In fine tamen patuit Deum aliter atque homines

Luc. XVI, 21.

judicare, sicut scriptum est : *Mortuus est Lazarus, et portatus ab Angelis in sinum Abrahæ.* Ecce quantus honor fit pauperi et despecto Lazaro. Notate quia civis est cœli. Quid ei jam nocet contemptus ? *Mortuus est autem et dives, ac sepultus in inferno.* Ecce quanta desolatio et miseria. Ubi sunt nunc honores, ubi epulæ delicatæ, ubi tenera et pretiosa vestimenta, vel cæteræ pompæ? Ecce quando uterque fuit in vita, quis non potius optasset divitias divitis, quam mendicitatem et infirmitatem Lazari ? Sed nunc quando judicatum est de utroque, quis non magis commendat paupertatem Lazari, quam velit cum divite esse? Quid fuit illi dictum posteaquam petivit guttam aquæ sibi porrigi a Lazaro quem despexerat in vita, quomodo fuit ei responsum ? *Recordare quia bona recepisti in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc vero hic consolatur, tu autem cruciaris.* Ex quibus verbis innuitur, quod dives ille etiam pauca bona fecerat, pro quibus in hac vita fuit remuneratus : et similiter Lazarus aliqua parva peccata habuit, quorum purgationem recepit in hac vita. Sed tamen quantum dilectus fuerit Deo etiam inter flagella Sacra Scriptura monstrat, cum scriptum sit : Erat dives quidam, etc. postea subjungit : Mendicus quidam nomine Lazarus. Certe apud nos solent magis sciri et scribi nomina divitum quam pauperum. Quis enim illum et illum divitem non sciat? Sed quis de illo vel illo paupere interrogat? Si transit dives, interrogatur : sed pauper nec respicitur. Quare ergo Christus in Evangelio non nominat divitem, sed mendici describit vocabulum, nisi quia illum novit ex nomine, cujus vitam novit ex approbatione ? Propterea dicet reprobis in judicio : *Discedite a me operarii iniquitatis, quia non novi vos.* Quid est, non novi vos ? Id est, non accepto vos, non approbo vos, non volo vos : quia in vita nullam notitiam vel familiaritatem contraxistis mecum, non fuistis me allocuti, sed pactum fecistis cum mundo, et consilium cum diabolo.

Luc. xvi, *passim.*

Nomen Lazari cur Evangelium exprimat, et epulonis taceat.

Luc. xiii, 27.

Ex his jam dictis intelligitis causam, quare sancti multa patiantur et premantur in hac vita. Primo, scilicet ratione culpæ delendæ, et suæ purgationis. Secundo, ratione suæ coronationis, et gloriosæ remunerationis, sive majoris gloriæ promerendæ : quia sicut prius dixi secundum Apostolum : *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Et ideo quos Deus altius vult coronare in cœlo, illos solet hic diutius et alacrius limare et premere tribulationibus : sicut metallum, quanto magis et diutius atteritur et limatur, tanto amplius splendescit. Quum autem nemo (sicut dicit Augustinus) possit coronari, nisi qui vicerit, et nemo queat vincere, nisi qui certaverit, nec certare valeat, nisi qui habuerit tentationes et tribulationes, ergo hinc consequens fit, quod nemo coronabitur, nisi qui habeat tentationes et tribulationes. Certamen vero nostrum, quo pugnamus, est patientia, qua vincamus nosmetipsos. Unde dicit Hieronymus : Nonnisi per patientiam impletur quod dicitur : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud :* quia secundum Gregorium, ad sublime præmium non pervenitur, nisi per magnos labores. Et sanctus Hieronymus : Impossibile est, inquit, ut quis præsentibus fruatur bonis et futuris, ut transeat a deliciis ad delicias. Et divus Gregorius ait : Non potestis hic gaudere cum seculo, et postea regnare cum Christo. Et divus Paulus ait : *Si compatimur, et conregnabimus.* Latro qui Christo socius fuit in passione, fuit et ipsi eodem die socius individuus in paradisi consolatione. Dominus Jesus non habet duos cœlos, scilicet hic et in futuro : alias injuriam fecisset sanctis martyribus, cæterisque sanctis omnibus, qui dilexerunt eum, ipsique placuerunt : qui omnes, sancta Judith attestante, per multas tribulationes transierunt fideles. Oportet nos semper considerare, quod hæc via despectionis et tribulationis, est via et porta ad regnum cœlorum, per quam ipse Christus Dominus ingressus est, et omnes qui volunt eum sequi, oportet eadem via

II. 5.

Rom. 17.

Jud. 23.

ingredi. Quid quæso scriptum est de Chri-
xxiv, sto, qui fuit sine peccato? *Oportebat Christum pati, etc.* Licet Christus etiamsi non esset passus, nihilominus intrasset in gloriam suam, tamen decebat ut non potestate sed merito acciperet sui corporis glorificationem, in hoc quod faceret gratissimum et acceptissimum opus Deo, moriendo pro salute omnium. Super ista verba dicit
nard. sanctus Bernardus: Si oportuit Christum pati, et ita intrare in regnum suum, quomodo nos miseri intrabimus in regnum non nostrum, nisi prius patiamur? Et
egor. sanctus Gregorius: Si ipse hinc sine flagello, inquit, non exit, qui sine peccato venit, quomodo flagellis digni non erunt, qui huc cum peccato venerunt? Sed inter hæc
em. considerandum est, quod ipse Gregorius dicit: Quid illic sunt passuri quos Deus reprobat, si hic sic cruciat quos amat? Aut quomodo ferientur, qui in judicio arguendi sunt, si sic eorum vita premitur, qui ipso judice teste, laudantur?

lictio-
mul-
x uti-
ulatio
or ob-
tum
liat.
Tertio, sancti tribulantur in hac vita ratione suæ utilitatis. Sunt autem multæ utilitates tribulationum. Prima, quia mollit cor obstinatum in malo. Sunt enim multi homines viventes in peccatis, et quia vivunt in deliciis, prosperitatibus et commodis corporis secundum propriam voluntatem, ideo sic obdurantur in peccatis, ut non possint ea abjicere: et quamdiu nihil sentiunt adversi, putant se impune semper acturos omnia, et nihil cogitant de futura retributione. Sed tamen Dominus etiam inexhaustum misericordiæ suæ fontem permittit interdum fluere
sperі- *tem-*
les cur
s ali-
us
rahat.
ad tales, subtrahendo eis prosperitates temporales, et sanitates, et honores, et cætera quæ sunt eis occasio peccati: ita ut ad talem devolvantur statum, quod amplius non libet eis peccare, vel quod non possunt: et tunc faciunt ex necessitate virtutem. Hinc est quod Dominus per prophetam Oseam dicit ad animam peccatricem: *Sepiam viam tuam spinis,* id est,
II, 5. impediam propositum tuum malum tribulationibus, ut non possis perficere voluntatem tuam. Et sanctus Gregorius dicit: *Gregor.*
Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Exemplum habetis in Manasse rege Judæ, qui super omnes reges, qui ante eum fuerunt in Jerusalem, peccavit in idololatria, et effusione sanguinis, et omni iniquitate: et quamdiu fuit in prosperitate sua non agnovit peccatum suum, nec emollitus est ad timorem Dei: sed postquam captus a rege Assyriorum, ductus fuit in Babylonem et vinctus carcere, tunc demum illa tribulatio emollivit cor ipsius, quod recognovit peccata sua, et clamavit ad Dominum: et confitendo peccata sua, et orando pro liberatione, et humiliando se, exaudivit eum Dominus et liberavit eum. Postea emendavit vitam suam, et cessavit a peccatis. Simile exemplum habetis in parabola de filio prodigo, qui patrimonium suum accepit, et profectus in longinquam regionem, quamdiu fuit in prosperitate, tamdiu mansit in iniquitate: sed postea quando nihil amplius habuit, rediit ad se, emollitus per inopiam sive penuriam, ac recognovit se, dicens: Revertar ad patrem meum, et dicam ei: *Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum amplius dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.* *Luc.* xv, 18, 19.

Illuminatur ergo homo per tribulationem, quod venit ad cognitionem sui, et se peccasse erubescit. Sunt enim multi agentes in prosperitate non cognoscentes peccata sua, quia obcæcatum habent intellectum per peccatum, quod non intelligunt se peccare, hoc est, non advertunt vel non curant: tamen quando eveniunt eis adversa, tunc recognoscunt sibi hæc propter peccata sua evenire. Exemplum habetis in superbissimo rege Antiocho, qui Judæos voluit omnes delere, et eorum legem, et templum, et civitatem in cumulum lapidum redigere: sed punitus a Deo in infirmitate maxima, sua recognovit peccata, et glorificavit Deum, et promisit se Judæum futurum, et multa bona facturum, si supervixisset. Nonne recolitis historiam in Genesi, quomodo filii Jacob vendiderunt fratrem

Peccata sua cur quidam agnoscere nolint.

I. *Mach.* I, 6.

suum Joseph in Ægyptum ex invidia, et dixerunt patri, quod fera devorasset eum : qui tamen divina providentia factus fuit princeps totius Ægypti, secundus a Pharaone, sicuti ad longum tradit historia. Orta tandem fame super terram, venerunt fratres ipsius Joseph in Ægyptum ad emenda alimenta, et non cognoverunt eum : sed ipse probe cognovit illos. Breviter Joseph volens eis in memoriam reducere peccatum, quod in ipsum admiserant, dixit eos exploratores esse, et tenuit unum captivum ex eis : et postea quando iterum redierunt, jussit in saccis eorum abscondi scyphum, et furti eos accusavit. Hoc vero totum fecit non ut vindicaret se de fratribus suis, sed ex voluntate Dei et zelo justitiæ, ut peccatum eorum puniretur. Cumque hac essent angustia constricti, collegerunt sese, et peccatum suum vexatione eruditi agnoscentes, dixerunt inter se : *Merito hæc patimur quia peccavimus in fratrem nostrum Joseph, videntes angustiam animæ ejus cum deprecaretur nos, et non audivimus : ideo veniunt nobis hæc mala.* Ecce tantum tempus effluxerat, quod hoc peccatum fecerant, nec leguntur pœnituisse, vel cum dolore commemorasse aut retractasse, sed quando fuere afflicti, recordati sunt justum esse Deum, et quod eos affligeret, eo quod afflixissent fratrem suum, et didicerunt ex ipsa angustia, quomodo male vexassent Joseph.

Joseph cur afflixerit fratres suos in Ægypto.

Gen. XLII, 21.

Secundo, per tribulationem præservatur homo a vitiis : quia quotidie experientia discimus, ut sanctus quisque, si non habeat flagellum custodiens ipsum, prolabatur facile ad vitia. Et hæc maxima causa est, quare sancti ita dilexerunt esse in infirmitatibus et tribulationibus, quia cognoverunt per hujusmodi se custodiri et refrenari a peccatis. Exemplum habetis in vita sancti Thomæ, et de sancta Catharina Senensi, quæ usque adeo sitivit cruces et afflictiones, ut sine illis nollet vivere.

Per tribulationem hominem servari a vitiis.

Sancti cur in adversitatibus gaudere soleant.

Tertio, quia per tribulationem sæpe liberatur homo a tentationibus carnis : quia per illam refrenatur concupiscentia, sicut supra exemplum habuistis de filio prodigo, quod consumpta substantia, quando cœpit famen pati et paupertatem, ab eo discessit desiderium luxuriæ. Et in vitis Patrum habetis exemplum, quomodo quidam tentatus spiritu fornicationis, nulla ratione potuit liberari : tandem Abbas illius præcepit monachis fratribus suis ut vexarent eum, et molestias et injurias facerent ei, et nihilominus accusarent, quod ipse aliis talia fecisset. Tandem interrogatus, ut se haberet erga tentationem fornicationis, respondit : Mihi vivere non licet, hoc est, alius me hic vexat, alius illic, et fornicari libeat? Quarto, quia per tribulationem mens dispersa per exteriora, cogitur redire ad se. Deus enim ita se gerit perinde ut mater, quæ abstrahit filium a lacte : quia quando non invenit homo, quod ipsum delectet foris, cogitur redire et quærere pacem intra se cum Deo : quia si tribulationes non essent, homines in deliciis constituti, obliviscerentur Dei. Quapropter dicit Gregorius : Electis suis Deus iter asperum facit, ne dum delectentur in via, obliviscantur eorum, quæ sunt in patria. Exemplum habetis de Salomone, qui in deliciis semper vixit : et quum esset sapientissimus, ad tantam stultitiam devolutus est, ut idola coleret, victus amore mulierum. Causam hujus assignat sanctus Gregorius, dicens : Cor Salomonis idcirco funditus sapientia deseruit, quando ipsum nulla disciplina exterius custodivit. Et contra sanctus Paulus de seipso dicit : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me : et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* Hinc est quod sancti in tantum diligunt affligi, quandoquidem reipsa experiuntur, sicut prosperitas est ruinæ occasio, ita per afflictiones hominem incitari ad consulendum saluti suæ, et virtutes excolendas, Deumque timendum.

Tribulatione a carnis tentationibus liberari.

II. Cor. XII, 7

Quinto, facit hominem seipsum cognoscere. Multi enim sunt, qui tempore pacis

putant se valde perfectos et patientes esse, et proponunt ardua : sed veniens levis aura adversitatis dissipat totum quod proposuerunt, atque ita apparet, vix unum verbum tolerare posse, quibus videbatur quod vellent et possent pro Christo mori. Similitudinem habetis in milite vel pugnatore, qui non potest scire vires suas et robur, quamdiu non pugnat. Sic electi discunt sæpe et experiuntur infirmitatem spiritus, et paupertatem in tentationibus, quod videlicet sunt usque adeo pauperes, ut non possint unam vincere cogitationem, sicque fiunt humiles. Et ideo dicitur in Ecclesiastico: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Sexto, facit hominem de se diffidere, et spem ponere in Deo, et quærere auxilium ab illo. Unde dicit David de seipso in Psalmo: *Ad Dominum cum tribularer clamavi.* Exemplum habetis in libro secundo Paralipomenon de Josaphat rege Juda, qui quum viderat magnam multitudinem inimicorum venire contra se, a qua se non poterat humano subsidio defendere, clamavit ad Dominum, et dixit: *Quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, ut oculos nostros ad te dirigamus.* Septimo, adducit divinam consolationem, sicut in Psalmo David dicit: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Et Dominus dixit ad discipulos suos: *In mundo pressuram habebitis: mundus gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et sanctus Augustinus ait: Ubi nulla est tentatio, ibi nulla est devotio. Sed putatis aliquem esse qui nullam habeat tentationem, quum scriptum sit: Tentatio est vita hominis super terram? Haud dubio nemo est sine tentatione. Sed ille dicitur esse sine tentatione, qui tentationem suam non agnoscit. Et hæc est tentatio periculosissima et perniciosissima, quando scilicet homo non cognoscit se tentari: quia tunc etiam non resistit, sed cadit de uno malo in aliud, et obcæcatus est adeo, ut nesciat quo tendat, aut quid faciat. Et in hanc tentationem digni sunt vel permittuntur incidere, qui a parvis peccatis non volunt, nec proponunt abstinere, quum facile possint, quia cogitant quod parva sint; ideo Dominus permittit eos sic obcæcari, ut cadant tandem in magna, nec sentiant. Tales similes sunt illi, qui dominum suum non vult quidem occidere, tamen vult ei dare multas alapas, persuasum habens, quod propter has non morietur dominus. Octavo, auget magnam gloriam tribulatio in futuro: quia, sicut prædixi, ut nullum malum manet impunitum, ita nullum bonum irremuneratum. Sed dicit aliquis: Ego multa peccata feci, et tanta, quod nec pro uno sufficio satisfacere et dolere: quomodo ergo possum mereri præmium? quia quidquid facio non sufficit ad solvendum debitum. Debetur ergo adhuc mihi etiam præmium? Respondendum: Verum est, quod omnia opera nostra non sufficiant secundum se, vel ad delendum debitum, vel promerendum præmium : sed tamen virtute passionis Christi, quæ est infinita, possumus aliqua mereri et delere, quia sumus membra Christi, quamdiu sumus ei uniti per charitatem; et ideo meritum ejus est meritum meum. Sed ad quæstionem, quod omnia nostra transeant ad solutionem debiti, et per consequens nihil ad acquisitionem gloriæ, dicendum, tantam esse Dei bonitatem, ut pro unoquoque opere bono facto in charitate reddat duplex præmium. Unum est essentiale vel substantiale, et est gaudium, quod consistit in visione jucunda et fruitione Dei, in quo est perfecta beatitudo, et secundum illud attenditur magis charitas et bona voluntas, ex qua factum est opus : sicut qui facit ex majori charitate, habet tale majus præmium, quam qui facit idem opus ex minori. Unde intelligitur, quod non respiciat quantum, sed ex quanto. Aliud est gaudium accidentale, de aliquo bono creato, vel de remissione debiti, id est, pœnæ, vel collatione donorum Dei. Et in hoc non solum attenditur charitas ex qua, sed etiam operatio, scili-

Tribulatione acquirere quemque gloriam magnam in cœlo.

Opera nostra quo pacto fiant merito præmioque digna.

Pro opere bono dari duplex præmium.

Essentiale gaudium quod.

Gaudium accidentale quod sit.

cet quanta, et quam pœnosa: et secundum hoc percipit homo etiam præmium, id est, absolutionem a graviori pœna, licet etiam charitas in hoc attendatur. Si autem non haberet peccata, datur ei aliquid aliud, id est, devotio, gaudium in conscientia, vel tale meritum convertitur ad thesaurum Ecclesiæ, ubi sunt merita sanctorum et Christi, quæ supererogarunt ultra quam necesse fuit: et inde datur illis, qui propria non habent merita: sicut patet in indulgentiis quas facit Papa. Et ideo patet, quod in uno eodemque opere et peccati pœna aliqua dimittitur, et aliquid præmii in futuro meretur. Unde potest recte dici, quod is, qui habuit multa peccata, vivens in pœnitentia facit multa opera bona, venit ad majorem gloriam, quam aliquis justus, qui pauca fecit peccata, et etiam pauca bona opera fecit: quia, sicut jam audistis, per bona opera simul delentur peccata et datur aliqua gloria. Et ideo dictum est etiam in Evangelio: Majus esse gaudium Angelis Dei super uno peccatore, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. Quod est intelligendum de peccatore, qui ferventer pœnitet et operatur bona, et de justo, qui contentus justitia sua, non ferventer operatur bona. Nam, sicut dicit Gregorius: Sunt etiam aliqui justi, qui deflent parva peccata, et faciunt pœnitentiam sicut magni peccatores: et de illis non intelligitur dictum Evangelii, nec illis comparandi sunt peccatores: quia etiam justi licet non sic peccaverint, æque tamen pœnitent. Quidquid tamen patimur vel operamur, multum juvat intentio, ut scilicet ex charitate omnia procedant. Debemus ergo, si volumus multum placere Deo, in omni opere talem habere intentionem, ut scilicet non faciamus ad evadendam pœnam, sicut faciunt servi, qui timent dominum, nec solum ad merendum præmium, sicut mercenarii qui pro mercede laborant, sed solum ad placendum Deo: quia scilicet si vult, facimus, si non vult, non facimus. Et hoc est filiorum verorum, ut scilicet, quod si etiam non esset damnatio et pœna, nec retributio, nihilominus ad placendum Deo facerent bene. Quod nobis concedat Dominus noster Jesus Christus in secula benedictus, Amen.

Meritum unius applicari alteri.

Luc. xv, 7.

Gregor.

Intentio qualis in quovis opere habenda.

IN FESTO

CONVERSIONIS S. PAULI APOSTOLI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

SAULUS autem adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas : ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Et quum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco : et subito circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit : Quis es, Domine? Et ille : Ego sum Jesus quem tu persequeris; durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens dixit : Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum : Surge et ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, et dixit ad illum in visu Dominus : Anania. At ille ait : Ecce ego, Domine. Et Dominus ad eum : Surge et vade in vicum, qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nomine, Tarsensem, ecce enim orat. (Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem et imponentem sibi manus ut visum recipiat.) Respondit autem Ananias : Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem, et hic habet potestatem a principibus sacerdotum, alligandi omnes qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel; ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abiit Ananias, et introivit in domum, et imponens ei manus dixit : Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas et implearis Spiritu Sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit, et surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuo ingressus in synagogas, prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, et dicebant : Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invo-

cabant nomen istud, et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum? Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. *Act. IX.*

QUAM ineffabilis sit misericordia Dei erga mortalium genus si usquam alibi, in hac præcipue lectione plene adverti potest. O quam bene, quam perite dixit Pro-
Ps. xxxv, 7. pheta: *Judicia tua abyssus multa.* Et hic idem Apostolus, de quo jam lectio recitata
Rom. xi, 33. est: *O altitudo divitiarum,* inquit, *sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Quis unquam credidisset hominem usque adeo servorum, imo et membrorum Christi sanguinem sitientem, atque illius crudeliter fundendi causa exteras quoque regiones cum auctoritate petentem, tam subito, tam præter solitum, tam excellenter ad tantam gratiam perventurum fuisse? O vere bonus es tu, Domine, et natura tua nonnisi merissima et benignissima bonitas est. Ideo benefacis et gratificaris etiam indignis, prævenis immeritos, revocas aversos, blandiris odientibus te, et hostes tuos summa benevolentia, et omni pietate prosequeris. Venite omnes, qui amantissimo Patre vestro Deo Optimo Maximo relicto, vitiis totos vos dedistis, et jam spem omnem resurgendi pene abjecistis. Aspicite insigne divinæ miserationis exemplum, auribus cordis et corporis haurite historiam vere jucundam et salutarem, quæ vobis licet desperatis animum possit addere ut respiretis, ac resipiscatis, itemque modum ostendere, uti resurgere debeatis.

Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini. Toto pectore inexpiabile conceperat odium Saulus in discipulos Domini, ideoque non nisi iram et minas spirabat. Et licet necdum grandi admodum ætate esset, tamen jam tum
Gal. i, 14. maximo fervebat zelo paternæ legis etiam supra multos coætaneos suos, ut ipse de se Galatis scribit. Quo incitatus zelo non contentus erat Jerosolymis intolerabilem exercuisse inhumanitatem ac crudelitatem in fideles, sed etiam procul ad extera loca ire instituebat, ut scilicet christianum dogma penitus deleret. Interim ardebat et furebat, et velut indignatione ebrius, nihil nisi christianorum internecionem meditabatur. Et ut majori esset suffultus auctoritate, accessit ad principem sacerdotum, non quidem vocatus, sed ipse ultro se ingerens. Ergo sane ipse erat de illorum numero, de quibus Dominus Jesus prædixerat: *Venit hora, ut omnis qui interficit* *Joann.* xvi, 2. *vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Et de quibus ipse Paulus ait: Zelum Dei *Rom.* x, 2. habent, sed non secundum scientiam. Quam bene, quam recte se moveri putabat, nec tamen propterea non erat impius, et blasphemus, et persecutor ultra modum, quibus nominibus ipse se appellat. Nemo igitur nimium sibi præfidat, quatumvis bono zelo duci se putet. Multis modis humanum judicium falli potest: atque ideo nihil tutius, quam non altum sapere, sed timere. Petiit autem Saulus epistolas a Pontifice in Damascum ad synagogas, ut si quos inveniret hujus viæ viros ac mulieres, id est, si quos deprehendisset credere in Christum, vinctos perduceret in Jerusalem, ubi in eos severius animadverteretur. Et hæc quidem mens atque voluntas Sauli erit: jamque ibat et fremebat, et tanquam culex unus adversus elephantem sese armabat. Sed quid nititur humana temeritas, et miserandæ potius quam formidandæ carnis infirmitas, adversus majestatem veri et summi Dei? Et quum iter faceret, lætus et securus, contigit ut appropinquaret Damasco. Eo usque sustinuit eum patientia Dei. Sed prope est ut superbia tumentis animi divina virtute prematur. Et subito circumfulsit eum lux de cœlo, quam viderunt comites itineris illius, ut alibi dicitur ab ipso Paulo, et cadens in *Act.* xxii, 7. terram, vel vi cœlesti prostratus, vel ipse

ultro se humi abjiciens, audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me perse-
Bernard. queris? Vere deprehensus es, Saule. Adhucne tumet contra Deum spiritus tuus? Quid jam facturus aut dicturus es? O homo, tu quis es qui resistis Deo? Saule, Saule, quid me persequeris? Vide erga electos charita-
Christus uti in suis membris patiatur. tem Dei. Nihil in sua persona patiebatur Christus, et tamen dicit se a Saulo persecutionem pati. Usque adeo sibi fieri judicabat, quod membris ejus infligebatur. Et quid mirum si tantopere diligebat eos, quorum in se naturam receperat, et pro quibus redimendis sanguinem fuderat? Quod utinam attenderent fabricatores hæresum, aut qui alios suis vel verbis, vel scriptis, vel perniciosis exemplis trahunt in vitia. Tales
Hæretici quinam Christum persequantur. enim revera Christum dirissime persequuntur, et quamvis noceant illis quos pervertunt, sibiipsis tamen nocent gravissime. Nam quot per eos seducti fuerint, tot ipsi pœnis et tormentis subjacebunt. Sed hæc stulti et miseri non curant, quamdiu præsentis licet vitæ prosperitate perfrui: at ubi ad extrema ventum erit, tum demum scient quid egerint.

Et dixit Saulus: Quis es Domine? Merito dicitur eum lux circumfulsisse, non intus illustrasse. Nondum enim cognovit eum, cujus audiebat vocem. Et Dominus: Ego sum, inquit, Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Vere tremenda vox, si Dominus ultionem potius quam clementiam in Saulum exercere voluisset. At quia sciebat Saulum non obstinata animi malitia, sed ignorantia peccare, cum his verbis ad sui cognitionem perducere voluit, ut cognito illo quem ignorans persequebatur in membris ejus, tanto deinceps esset ad eum cæteris annuntiandum ferventior ac studiosior, quanto erga se majorem illius esset expertus benignitatem. Durum est, inquit, tibi contra stimulum calcitrare. Si quid nocere potest stimulo tua quamvis importuna calcitratio, etiam mihi resistere poteris. Si autem nulla est virtus hominis contra Deum, agnosce Salvatorem tuum, ne si illi pertinaciter resistere volueris, deterius pereas. Et tremens corpore, ac stupens animo, dixit: Domine, quid me vis facere? O mutatio dexteræ Excelsi! Quam facile efficacissima Sancti Spiritus gratia ex pessimis optimos potest efficere. Uno eodemque fere momento Saulus et summam animo impietatem meditabatur, et perfectissime ad Christum conversus est. Domine, inquit, quid me vis facere? *Erravi sicut ovis quæ periit,* sed jam *paratum cor meum, Deus,* ad agendum quidquid voles, paratum etiam cor meum ad perferenda omnia. Tantum indica servo tuo voluntatem tuam. Nihil recuso, nihil excipio: tantum dic quid me velis facere. Hæc est perfectæ conversionis et integræ obedientiæ forma. Quisquis ita convertitur, is facile peccatorum omnium veniam obtinet. Talis conversio his deploratis ac egelidis temporibus rara nimis est. Ait autem Dominus ad eum: Surge et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Cur non per seipsum Dominus eum docuit, quod tamen nullo negotio potuisset? Ut saluberrimo exemplo instituremur, neminem subterfugere debere, quominus ab homine discat ea quæ salutis sunt: atque etiam ut intelligeremus, non per seipsum tantum, sed et per homines docere nos Christum voluntatem suam: ubi maxime refelluntur hæretici, qui nihil quidquam momenti habere volunt, quod non ipsis canonicæ Scripturæ libris expresse contineatur, quæ est revera insignis tum imperitia, tum stoliditas ac impudentia.

Ps. CXVIII, 176. *Ibid.* LVI, 8.

Conversionis veræ forma quæ sit.

Christum docere suam voluntatem per homines.

Viri autem qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, non Christi, sed ipsius Pauli, quemadmodum idem ipse affirmat Apostolus alibi: Stupebant enim cuinam diceret Paulus: Quis es Domine, etc: Quid me vis facere? cum tamen neminem viderent. Surrexit autem Saulus de terra. Jam prostratus erat impius persecutor, et surrexit optimus prædicator: apertisque oculis nihil videbat. Nimia enim lucis illius claritas aciem oculorum ejus penitus destrinxerat. Sed multo felicius Paulus excæcatur ut postea me-

Act. XXII, 9.

lius videat, quam olim protoparentum nostrorum oculi aperti fuere. Hi enim cum ante bene vidissent, postea male videre ceperunt, interioribus oculis obcæcatis. Paulus vero corporeo visu aliquamdiu privatus, oculis cordis optime videre cœpit. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Ita erat viribus ex nimio terrore et præsentia Dei destitutus, ut non posset nisi alieno fultus auxilio ingredi. Et erat tribus diebus non videns, et non manducans neque bibens. O quam felix erat isthæc cæcitas? Non videbat oculis carnis lucem hanc corpoream, quam etiam animantes rationis expertes conspiciunt: sed revelata facie et simplici mentis oculo Dei gloriam contemplabatur. Creditur enim hoc triduo raptus usque in tertium cœlum, et Deum per essentiam vidisse audisseque arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Quo tempore divus Paulus raptus fuerit in tertium cœlum.

Erat autem quidam discipulus Damasci nomine Ananias, ex Judæo fidelis effectus et apud Judæos celebris opinionis, ut habetur in Actis Apostolorum. Et dixit ad illum in visu Dominus: Anania. Nominis appellatio, magnæ familiaritatis indicium est. Et ille ait: Ecce ego, Domine: jube quidquid visum erit: præsto sum, ut imperio tuo morem geram. Sic Samuelem puerum docuit senex Heli, Domino per visionem eum vocanti dicere: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus*. Et Dominus ad illum: Surge, vade in vicum qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem, sic dictum a Tarso Ciliciæ, unde traxerat originem. Ecce enim orat. Jam a Christo intimis precibus gratiam mendicat, exemplum præbens omnibus qui se a peccatis ad justitiam convertunt, ut divini auxilii implorent opem, quo possint in bono persistere, quod maxime necessarium est recens conversis, qui ut plurimum ob peccandi consuetudinem et naturam vitiis corruptam facile in peccata recidunt, nisi cœlestis gratiæ adminiculo fulciantur. Et vidit, visione imaginaria ex Christi revelatione, virum, Ananiam nomine, introeuntem et imponentem sibi manus, ut visum recipiat. Ante enim quam Ananias venisset ad Paulum, jam illius adventum et quidquid acturus esset Paulus prævidit. Respondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fecerit in Jerusalem. Ecce quam celebrem fecerat Paulum persecutionis immanitas. Et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum.

II. *Cor.* XII, 4.

I. *Reg.* III, 9.

Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis mihi est iste. Sic ipse Apostolus ait, in magna domo vasa alia apta esse in honorem, quæ sunt vasa electionis, alia in contumeliam. Dicitur autem vas electionis, ut intelligas singularis cujusdam gratiæ prærogativa electum Paulum, in quo ut prius delictum, ita postmodum omnis gratia abundavit. Ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. Præclare hoc implevit Apostolus, ita ut ob gentium multarum conversionem magister et doctor gentium rectissime dicatur. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Jam raptus erat in tertium cœlum, et miris perfruitus deliciis paradisi, et hic multa illi perferenda denuntiantur. Quod quidem non est negligenter prætereundum. Paucissimi ad magnam pertingunt gratiam absque magnis præcedentibus vexationibus, pugnis, certaminibus, impugnationibus dæmonum, carnis et mundi. Quibus autem talis præstatur gratia sine hujusmodi præparamentis, illi plerumque postea duros experiuntur labores et dolores, ne ex concessa gratia subrigantur animis et superbia intumescant. Hoc de seipso manifestissime Apostolus affirmat, ubi ait: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Porro si qui nec ante, nec post gratiæ præsertim magnæ perceptionem molestis tentationibus aut vexationibus fatigantur, illi vel ob hoc ipsum merito de se exiliter ac tenuiter sentire et possunt et debent, quod etiamnum nimis infirmi sint, atque eam ob rem non

II. *Tim.* II, 20.

Vas electionis c[illegible] dictus f[illegible] erit Paul[illegible] Apostol[illegible]

Ad magnam homines præparari gratiam per magnas adversitates et vexationes.

II. *Cor.* XII, 7.

ausit Deus permittere, ut acriter impugnentur, ne penitus deficiant et ruant in profundum vitiorum. Multos enim Deus non sinit molestis vexari tentationibus, sed semper dulcedinis suæ lacte fovet ac nutrit, et gratia sensibili atque internis consolationibus afficit, non quod magna sint sanctitate et perfectione præditi, sed quod bene novit eos, si aliter ipsis eveniret, haudquaquam in bono diu perseveraturos.

Quosnam Deus non sinit vexari molestis tentationibus.

Et abiit Ananias, et introivit in domum, et imponens ei manus, dixit : Saule frater, Dominus Jesus misit me, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas oculis externis, et implearis Spiritu Sancto, tinctus aquis salutaribus baptismi. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit. Ubi sic ait Beda venerabilis : Serpentis corpus squamis tegitur. Judæi serpentes sunt et genimina viperarum, quorum perfidiam Saulus secutus, quasi pelle serpentis oculos cordis texerat : sed cadentibus squamis sub manu Ananiæ, monstratur in facie, quod lumen recepit in mente. Squamas autem istas dicunt quidam fuisse maculas albas et duras instar squamarum, quibus piscium corpora teguntur, quas Saulus ex lucis apparentis nimietate contraxerit. Et surgens baptizatus est, totusque secundum veterem hominem consepultus Christo in baptismo, novumque indutus hominem in justitia et sanctitate veritatis. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Jam vehementer corpus illius confectum et exhaustum erat illis visionibus internis, et triduano jejunio. Itaque cibo sumpto, recreatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuo, statim post baptismum ingressus in synagogas prædicabat Jesum, cujus nomen usque adeo paulo ante persecutus erat, quoniam hic est Filius Dei, non adoptivus, sed consubstantialis et ejusdem cum Patre naturæ. Nota hic quam non erubuerit Paulus id quod perperam prius asseruerat nunc publice recantare, malueritque aliquam sustinere verecundiam ob sententiæ mutationem, quam veritatem agnitam vel impugnare, vel non ad omnium notitiam perducere. Quod utinam imitari voluissent quidam tum superiorum tum nostrorum quoque temporum viri seculari sapientia tumidi, qui perniciosissimis scriptis suis multa in orbem christianum mala se invexisse non erant nescii, et tamen admoniti ab aliis, pertinaciter suos errores tueri quam humiliter corrigere maluerunt : quos tamen mundus hodie usque in cœlum evehit, licet omnibus vere piis imo et ipsi Deo Optimo Maximo omni stercore pejus sordeant.

Beda.

Judæi cur dicti sint serpentes.

Squamæ in oculis Apostoli quid fuerint.

Stupebant autem omnes qui audiebant et dicebant : Nonne hic est qui expugnabat in Jerusalem eos qui invocabant nomen istud Domini Jesu? Et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum. Saulus autem multo magis convalescebat, vulgi atque hominum sermonibus et judiciis contemptis, ut ei placeret, cujus ineffabilem erat consecutus misericordiam: et confundebat apertissimis et certissimis Scripturæ testimoniis Judæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam Jesus Nazarenus Jerosolymis crucifixus, est Christus promissus Patribus, mundi Salvator, per cujus mortem immeritam a merita damnatione redimendum esset totum genus humanum. Hoc exemplo armati quotquot ex Dei gratia vitam suam in melius mutare instituunt, discant hominum ludibria et judicia floccipendere, imo quo se senserint magis retrahi et impugnari ab hujus mundi sectatoribus, eo convalescant magis, et perseverent fortiter usque in finem ob honorem et amorem Salvatoris sui, qui pro ipsis sanguinem suum fundere et crucis ignominiam perferre dignatus est confusione contempta.

Vitam in melius conversuri quid agere debeant.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, MATTHÆI XIX.

EVANGELIUM hujus diei licet verbis breve sit, sed cœlesti consolatione refertum est, qua possint haud mediocriter exhilarari corda eorum, qui præsentis vitæ bona sive facultates et quidquid, id est, quod homini quominus Christo perfecte adhæreat, possit esse impedimento, contemnunt et abjiciunt, ut Christum expeditius sequantur, qui tantam propter nos rerum omnium penuriam amplexus est, ut non haberet, ubi caput suum reclinaret. Et si quis bene perpendat, videbit hujus Evangelii dictis permotos eos qui primi Domino crediderunt, ut omni proprietate rejecta, in commune sua omnia distribuerent, vel facerent omnibus communia : quod tametsi postea apud populum christianum abiit in desuetudinem, tamen constanter in hanc usque diem servatur in cunctis bene reformatis monasteriis, utpote in quibus nulli quidquam licet habere proprii, sed bona quæ habent, æquabiliter in usus omnium distribuuntur, quantum cujusque necessitas et monasticæ vitæ ratio exigit. Et quia beatissimus Christi Apostolus Paulus ad eorum pertinebat numerum, qui sua omnia reliquerant, et Christum secuti erant, commode satis hac die Evangelium istud legitur, ubi Petrus ex persona omnium Apostolorum ita dicit ad Christum :

> Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis ?

Quibus in verbis id primum cuiquam mirum videri possit, quod Petrus alioqui revera pauper se reliquisse omnia tam libere profitetur. Sed ut diximus, non in sua duntaxat, sed etiam cæterorum persona Apostolorum hæc protulit. Constat autem inter Apostolos quosdam fuisse divites, ut Matthæum et Bartholomæum, qui jure dicere poterant se cuncta reliquisse. Sed et Petrus ipse etsi pauca reliquerat, nihil tamen sibi ex omnibus quæ habuerat fecit reliquum, cum rebus possessis omnem simul habendi et acquirendi spem cupiditatemque deserens, quod est revera non vulgaris perfectionis, si Christi contemplatione id fiat, non ob mundi hominumque captandam gloriam, aut aliud quiddam a charitate alienum, quibus Philosophi permoti videntur, qui opes suas penitus abjecerunt. A quibus ut Apostolorum cæterorumque Christi fidelium erga contemnendas opes et alia quæ mundi sunt studium discerneretur, adjecit divus Petrus et ait : Et secuti sumus te : id est, non solum tui amore nos rebus cunctis nudavimus, sed etiam vestigia virtutesque tuas atque præcepta sectati sumus. Id Philosophorum gentilium nemo unquam præstitit. Circa hunc locum divus Hieronymus ita ait : Grandis fiducia. Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibos manu et arte quærebat, et tamen loquitur confidenter : Reliquimus omnia. Et quia non sufficit tantum relinquere, jungit quod perfectum est : Et secuti sumus te. Hæc ille. Nemo putet hunc mundi et rerum omnium contemptum in Apostolis parvipendendum esse. Vocati a Christo, etiam cum nullum adhuc vidissent miraculum, nullam futuræ beatitudinis pollicitationem accepissent, libenter non solum facultates et bona temporaria, sed etiam cognatos omnes reliquerunt. Nos qui tot provocati exemplis, tot firmati pollicitationibus, tot comminationibus deterriti sumus, neque sic adhuc nisi ægerrime a rerum præsentium amore avellimur, et non solum eo adduci non possu-

Philos- phos re- quisse d- vitias q- modo in telligen- dum.

Hieron-

mus, ut propter Christum et futuram beatitudinem vilia et caduca hujus vitæ commoda despiciamus, sed vix paucissimis e nobis persuaderi potest ulla ratione, ut saltem nihil inique, nihil præter fas et justitiam acquiramus, rebus concessis non nimium nec nimis impie abutamur. Felix sane fuit illa primitivæ Ecclesiæ conditio, quando facultates omnium in commune conferebantur, et paucorum administratione ac procuratione singulis necessaria præbebantur, cæteris interim liberius cœlestium contemplationi, orationi, aliisque piis studiis noctes atque dies vacantibus. Sed quia hodie eo adhortari passim omnes non expedit (non enim ea hominum perfectio est, id ut sustinere queant), maximopere tamen admonendi sunt christiani omnes ut bonis a Deo concessis non ad jactantiam, non ad voluptatem, sed tantum ad necessitatem utantur.

Divitiis quomodo utendum sit.

Etsi ante adventum Christi etiam quidam sancti Patres divitiis abundasse leguntur, tamen postquam per Christum jam nobis cœlestis patriæ inæstimabiles divitiæ promissæ sunt, et cœlum jam patefactum, omnino stultissimum est temporariis avare conquirendis divitiis navare operam. Qui enim iis inhiant, vix fidem adhibere videntur pollicitationibus Christi. Si enim credunt non habere nos hic manentem civitatem, sed futuram inquirere, cur opes tanto studio corradunt? cur non potius necessariis rebus contenti sunt? Sed volunt scilicet providere prolibus suis. O si illis bene providere volunt, contemnendarum potius quam accumulandarum opum eis exemplum relinquant. Audiant Christum dicentem: *Nolite solliciti esse in crastinum.* Multi proles suas divites facere voluerunt, sed interim et seipsos et proles traxerunt in tartara, ubi summa rerum omnium penuria est. Verissime namque dicit Apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Unde etiam idem statim præmiserat: *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Quod si omnino volunt et sibi et prolibus suis bene consulere, sequantur ejusdem Apostoli consilium ita scribentis Timothæo: *Divitibus hujus seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum. Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

Prolibus de quibus providendum sit.

Matth. VI, 25.

. Tim. VI, passim.

Et tamen etiam cum divitiis suis bene usi fuerint, sciant beatiores eos esse, qui cum Apostolis dicere possunt Christo: Ecce nos propter te reliquimus omnia. Nisi enim id ita se haberet, frustra Dominus Jesus diviti illi adolescenti præcepta Domini etiam inter divitias observanti dixisset, ut si quidem perfectus esse vellet, iret et venderet omnia sua et daret pauperibus, et sic pauperem Christum ipse quoque pauper sequeretur. Et ne quis putet nihil obesse divitias, attendat hunc ipsum adolescentem hac Domini adhortatione usque adeo animo dejectum esse, ut abiret tristis: siquidem multas habebat possessiones, quæ ejus animam tanto sibi amore devinxerant, ut Christi, id est, ipsius Filii Dei sectatorem et comitem, quo illi nihil poterat contingere felicius, se præstare non posset. Itaque non ignorans Filius Dei ægre divitias sine multis vitiis possideri, vitam egit pauperrimam, non ut sibi, sed nobis suo exemplo consuleret: et quos in suam adscivit disciplinam, itidem pauperes esse, nihilque proprii habere voluit: atque interim etiam terribilibus quibusdam sententiis contra divites usus est, ut est illa: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum.* Et: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Item illa: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram.* Cujus simile quiddam legitur in Amos propheta: *Væ vobis qui opulenti estis in Sion.* Et quia Apostoli

Matth. XIX, 27.

Luc. XVIII, 22.

Paupertatem cur adeo Christus delegerit aliisque consuluerit.

Matth. XIX, 23. *Luc.* XVIII, 25.

Ibid. VI, 24.

Amos VI, 1.

spretis facultatibus Christi paupertatem imitabantur, recte dicit Petrus : Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te pauperem pauperes, nudi nudum : quanquam non de sola paupertate, sed etiam cæteris virtutibus Christi quas Apostoli in se exprimere nitebantur, hæc verba accipienda sunt. Quid ergo erit nobis ? id est, quid propterea gratiæ ac beneficii præstabis nobis ? Hæc percunctatio nonnihil imperfectionis præ se ferre videtur. Et revera Apostolos ante Domini mortem et aliquamdiu postea non omnino perfectos fuisse certum est. Non debebat Petrus exigere præmium, nam id mercenariorum est : sed amore liberali servire Christo. Multos hodie mercenarios invenire est etiam inter illos, qui alioqui pie et honeste vivere videntur : quorum tamen admodum obliquus et impurus est amor : quandoquidem in omnibus quæ recte faciunt, fere semper ad seipsos reflectuntur, et quamdiu gratia sensibilis aut consolationes arrident, libenter serviunt Christo : at ubi gratia nonnihil se abscondit, et ipsi quibusdam adversis casibus aut tentationibus et molestiis divexantur, facile Christo nuntium remittunt. Non enim amant neque spectant pure Christum sed seipsos, tametsi id ipsi non putent. Vitium istud communissimum est, et paucos invenies, qui puro amore semper ferantur in dilectum Deum. Et licet plerique sentiant multum se affici erga Deum, attamen fieri potest ut amor ille nonnisi naturalis sit, non autem gratuitus, atque ideo nec meritorius quidem.

Apostolis ante Spiritus Sancti adventum nonnihil imperfectionis inhæsisse.

Mercenariorum servorum Christi quantus hodie sit numerus.

Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

Hæc verba quibus Dominus ait : Vos qui secuti estis me, in regeneratione, etc. ancipitem habent significationem, propter variam distinctionem. Divus Hilarius ita distinguit. Vos qui secuti estis me in regeneratione : et exponit, id est, in lavacro baptismi, in fidei sanctificatione. Sed divus Hieronymus hæc verba : In regeneratione, nectit consequentibus, cui adstipulatur etiam divus Augustinus, libro de Civitate Dei, et divus Chrysostomus, et Gregorius, et alii quidam. Isthæc enim sententia rectior est. Absit enim ut qui baptisma et fidem Christi consecuti sunt, omnes cum eo judicaturi credantur. Nam innumeri licet baptizati fuerint et crediderint, tamen quia fidem bonis operibus non sunt prosecuti, neque servaverunt ea quæ Christo in baptismo polliciti fuere, jam apud inferos dire puniuntur. Sed neque indifferenter cunctis credentibus, etiam illis qui recte vixerint dictum putandum est, quod eam cujus Christus hic meminit, judiciariam potestatem sint habituri in extremo judicii die : quandoquidem ea solis perfectis et Apostolicis viris promittitur, qui etiam multorum electorum justitiam transcenderint : quos hic Dominus sub Apostolorum duodenario tanquam perfecto numero vult intelligi : quemadmodum etiam ubi consequenter duodecim tribus Israel commemorat, non Judæos tantum, sed etiam universitatem humani generis designat. Vides hic quantam gloriam sibi parant, qui Christum perfecte sequuntur. Recte nimirum ait Sapiens : *Gloria magna est sequi Dominum.* Tales enim non solum impios omnes, sed etiam electos multos judicabunt : atque insuper incomparabili in cœlis gloria et beatitudine supra multos alios perfruentur. Sed nemo sese decipiat, ut tum se putet secutum sese Salvatorem, cum eum credit morte sua peccata nostra expiasse. Hæc enim perfectæ justitiæ nonnisi particula quædam est, quæ si sola sufficeret, frustra Salvator noster tot nobis virtutes alias in se imitandas proposuisset, frustra charitatem, frustra humilitatem, frustra mansuetudinem, patientiam, justitiam, misericordiam, aliasque innumeras virtutes tantopere nobis com-

Gloria quanta sit sequi Dominum. *Eccli* XXIII, 38.

mendasset : frustra denique dixisset Apostolis jam jamque in cœlum ascensurus : Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti : docentes eos non credere duntaxat, sed etiam servare omnia quæcumque mandavi vobis. Quod utinam diligenter perpenderent evangelici nostrorum temporum, qui primo quidem et maxime seipsos, deinde miseram plebeculam misere evertunt, solam fidem eis usque ad nauseam ingerentes, cæteris virtutibus tanquam superfluis aut neglectis, aut rejectis. O stulti et miseri, quem fallitis ? Num semper victuri estis ? An non brevi, velitis nolitis, rapiendi estis ad tribunal æquissimi judicis, qui unicuique reddet secundum opera illius ? Stulti, cur non flammæ tartareæ vos perterrent, ut tandem desinatis evertere ac perdere animas tum vestras, tum aliorum, quas Christus Jesus redemit sanguine suo ?

Matth. xviii, 19.

utherani angelici ænam ios docet.

Sed his omissis, exponamus verba Salvatoris, quæ jam commemoravimus. Ait ergo : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, qui virtutum mearum perfectionem imitati estis, non contenti languere circa communia, et quæ ad salutem necessaria sunt, nec solum præcepta, sed etiam consilia mea executi estis, in regeneratione, id est, ubi mortalia hæc corpora e terræ pulvere excitata immortalitate donabuntur atque in meliorem conditionem transferentur, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, quod erit in extremo die, quando unicuilibet restituet pro meritis singulorum, sedebitis et vos super sedes duodecim, id est, locis præcipuis, judicantes duodecim tribus Israel, imo etiam judicandos omnes. Hic enim uterque numerus duodenarius, sicut jam dictum est, non ad Apostolos, neque ad Judæos tantum, sed ad perfectos et judicandos omnes referri debet : quanquam potest et de Apostolis intelligi et Judæis, ut propterea Judæos Apostoli judicaturi sint, quod ipsis credentibus, Judæi perplures credere noluerint. Sed quia multos illic judicaturos ex Scripturis colligitur, dicamus ex sententia Theologorum, quomodo singuli judicaturi sunt. Judicabit primum tota Trinitas unus Deus per auctoritatem : judicabit Christus quatenus homo per executionem. Unde dicitur : *Pater non judicabit quemquam, sed judicium omne dedit Filio.* Judicabunt Apostoli et viri perfecti per assessoriam dignitatem : cæteri electi per approbationem ; minus mali per comparationem, quemadmodum regina Saba, Ninivæ, Sodomitæ, Judæos in sua malitia obstinatos judicaturi dicuntur.

Judicium extremum per quosnam futurum.

Joann. v, 22.

Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

Quid hic dicturi sunt nostrorum temporum Epicurei hæretici, qui non putant recte factis a Deo mercedem restitui, neque iis vitam nos æternam mereri posse ? Nonne hic manifeste promittit Deus sua relinquentibus centuplum et vitam æternam ? Sed nimirum Lutherus ejusque apostoli et evangelistæ quandoquidem vulgi animos sibi conciliare volebant, quidquid carni et veteri homini molestum est non solum non consulere, sed etiam tanquam supervacaneum, imo et superstitiosum ac impium damnare debuere, ut tanto facilius in omnium gratiam sese insinuarent. Neque sane hic eorum conatus eis, ut ipsi volunt, infeliciter cecidit. Nam tanto plures sibi adjunxere, quanto magis favere carnis desideriis, magisque iis repugnantia rejicere visi sunt. Sed vos, dilectissimi, aliter instituti estis. Nostis enim omnes veteris et novi Testamenti paginas bona opera commendare, iisque præmia polliceri : nec movere vos debet si homines voluptatum amatores magis quam Dei, quidquid virtutis est damnent, quæ autem vitia fovent, laudibus vehant. *Ex abundantia* enim *cordis os loquitur* et

Opera bona hic approbari a Christo.

Lutheranorum hæreticorum intentio cujusmodi sit in concionibus et operibus carnis.

Matth. xii, 34.

quæ cuique cordi sunt aut displicent ea libenter aut laudare aut vituperare solet. Interim habeant ipsi quidquid carni libet, quidquid sensibus plausibile est : veniet, veniet ille dies, quando nonnisi quidquid maxime nolent in omnem æternitatem sine ulla misericordia patientur. Brevis voluptas, in qua se modo efferunt, vertetur in æternam amaritudinem, et inimici crucis Christi nonnisi acerbissimos eosque semper mansuros sentient cruciatus.

Lutheranorum merces post hanc vitam qualis.

Verum nos Christi potius quam illorum dictis fidem adhibeamus. Ait enim : Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, etc. ; quibus verbis non modo ad facultatum sed etiam consanguineorum contemptum nos provocat. Quod si quis dicat, non obesse isthæc cuiquam, si non sit affectus illigatus, respondendum est, affectum ægerrime vinci posse, quamdiu hæc retinentur. Namque divitiarum appetitio vel amor non tam multa possidendo, quam cuncta deserendo vincitur. Esto fuerint nonnulli, qui multa sine ullo affectu possederint, sed e diverso innumerabiles sunt, qui habendi cupiditatem ex rebus possessis, licet non ita multis, contraxerint, ac deinde cupiditate acquirendi plura inflammati, nullis quantumvis largis opibus exsatiari quiverint. Nihil itaque consultius rerum labentium amorem penitus exstirpare volenti, quam labentia cuncta despicere ac relinquere. Nam si quis id assequi se posse putet opes cumulando, is sane nihil aliud molitur, quam incendium oleo infuso exstinguere. Verum ut ita cuncta deserantur, Dominus humanæ infirmitati compatiens, noluit esse in præcepto, nisi forte ex aliqua certa ratione, sed tantum in consilio. Atque ea ex causa non dixit diviti illi adolescenti : Volo ut simpliciter relinquas omnia : sed adjunxit conditionis particulam : Si vis perfectus esse. Impedit igitur perfectionem possessio facultatum : et tamen piissimus Salvator non exigit earum renuntiationem sub præcepto, contentus videlicet indicasse hominibus, quid tutius, quid perfectius, quid Deo gratius sit. Quod si cui non placet quod perfectum est sectari (neque enim omnium est ea animi fortitudo ut possint), malitque res suas servare sibi, non peccat utique : tamen semper sit memor illius admonitionis apostolicæ : *Præterit figura hujus mundi.* Reliquum est, ut qui emunt sint tanquam non possidentes : et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, et quod ipse Christus ait : *Quod superest, date eleemosynam : et omnia munda sunt vobis.* Hoc est, ut paucis multa complectamur, facultatibus suis utatur religiose, benigne, modeste, ut se meminerit in hoc mundo peregrinum, patriamque inquirere debere : sit item liberalis in pauperes et faciet sibi amicos de mammona iniquitatis. Nam plerisque propterea Deus mundi hujus bona tribuit, ut beneficentia in pauperes Dei gratiam emereantur : et certe non desunt exempla quorumdam, qui rebus quidem locupletes fuerint, sed tanta eas liberalitate tum in servorum Dei, tum pauperum usus elargiti sint, ut aliena potius quam sua distribuisse videantur. Qui vero jam opibus abundant, et tamen non desinunt res augere suas, illi revera multis se periculis exponunt : nec facile potet fieri, ut unquam vera pectoris pace gaudeant, quandoquidem curis et sollicitudinibus innumeris distrahuntur ac discerpuntur, quibus etiamsi quid habent gratiæ vel charitatis, facile præfocatur. Nota est enim illa parabola Domini Salvatoris de seminante semen suum quam ipse exponens, ait, semen quod inter spinas cecidit, eos significare qui verbum Dei audiunt quidem, sed sollicitudo seculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. Sed ne simus prolixi nimium, jam omissis istis videamus quid sibi velit Dominus iis verbis, quibus ait : qui reliquerit fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios propter nomem meum. Quæ quidem non parum austera videntur, maxime animis infirmis, quibus durum nimis est avelli a carne et sanguine. Atque eam ob rem piissimus Salvator non hic severo

Amor divitiarum quomodo commodius vincatur.

I. *Cor.* 31.

Luc. XI

Facult bus te nis qu modo u dum.

Opes gere qu sit peri losum.

Luc. v 5.

Amor rentum cognato rum qu nam v cendus.

usus est præcepto, sed tamen præmium grande proposuit, si quis hac in parte vincere sese velit. Verissimum est enim quod divus Gregorius ait. affectus carnales intentionem mentis diverberare, ejusque obscurare aciem. Fit sæpenumero, ut vel parentes, vel fratres, aut sorores, aut cæteri cognati si quem viderint e suis spernere quæ mundi sunt, et uni Deo vacare, mentis puritati navare operam, et præsentibus contemptis bonis, futura inquirere, totis nervis in id incumbant, ut eum a tam salutari conatu revocent, et ad mundi amorem ac studium illiciant. Sed hac in parte contemnendi prorsus sunt etiam sub præcepto, hactenus scilicet, ne propter eos recedamus a voluntate Dei, præcepto nos obligante. Quandoque vero non nos retrahere de industria moliuntur a bono, sed inordinato quodam ac sensuali non tamen præceptis Dei contrario eis amore afficimur, ita ut libeat nobis semper adesse eis, et ægre divellamur ab eis, tametsi sentimus impediri nos a melioribus bonis.

Amor parentum quid male ingerat.

Hic igitur consilii est, relictis illis, ad Christum crucifixum confugere, et ejus amore, qui propter nos omni consolatione destitutus, miser ac miserabilis in cruce animam fudit, ejusmodi carnales affectus salubriter mortificare. Quod ut libentius faceremus, Christus liberalissimus remunerator etiam centuplum in præsenti, et vitam æternam in futuro seculo nobis promittere dignatus est. Et alibi ipse ait : *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam : et inimici hominis, domestici ejus :* ut intelligamus libenter nos contemnere debere licet consanguineos et cognatos, quando saluti nostræ ipsi sæpe præcipue adversantur, atque ob id nobis maxime sunt inimici. Quod autem Dominus dicit, centuplum accipiet, intelligendum est de internis charismatibus, quæ Deus benignissimus copiosissime largiri solet cunctis isthæc visibilia contemnentibus : quibus sæpe tanta præstantur a Deo, ut si cuncta mundi hujus bona in unum conflentur, nulla tamen ratione cum iis conferri possint. Sed hæc homines sensibus dediti neque intelligunt, neque percipiunt; ideoque in has externas plane viles rerum sensibilium voluptates sese effundunt. Denique addit Dominus : Et vitam æternam possidebit. O stulti filii hominum, usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium ? Si veram felicitatem expetitis, ecce vita æterna vobis hic promittitur. Jam accurrite, facite quod hortatur ipse qui est vita æterna, et vere felices eritis.

Matth. x, 34.

Quanta Deus retribuat propter ipsum omnia relinquentibus carnalia.

Ps. IV, 4.

SERMO IN EODEM FESTO

DE SANCTI PAULI CONVERSIONE PLANE MIRACULOSA ATQUE DIVINA : QUOMODO NOS A VITIIS AD DOMINUM CONVERTI DEBEAMUS, ET QUÆNAM AD VERAM CONVERSIONEM PERTINEANT.

SURGENS autem Saulus de terra, apertis oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Act. IX, 8.

Non otiosum est, filii, quod præter morem, Ecclesia unius Apostoli Pauli (qui quidem vere Apostolus fuit, non minus habens ,nec minus, sed fortasse multo plus in Ecclesia laborans cæteris Apostolis quamvis ex Apostolorum numero non fuerit duodenario) conversionem ducit festivam. Fuit enim revera vas electionis qui Jesu

nomen coram gentibus et regibus portavit. Accepit Evangelium, quod prædicavit, non ab homine, nec ab homine didicit, sed per revelationem a Deo. Utilissima igitur supra omnem modum Sauli hujus (ita enim ante conversionem vocabatur) conversio Ecclesiæ fuit. Fuit quoque divinæ bonitatis et sapientiæ mirabiliter ostensiva. Fuit præterea misericordiæ ejus in eum, qui dedita opera erat in studio actuque Ecclesiam persequendi constitutus, suaviter declarativa. Postremo, fuit nobis omnibus pœnitendi forma exemplaris, atque ad Deum perfecte nos convertendi regula. Gaudet quoque de ejus conversione Ecclesia. Siquidem magnus Ecclesiæ hostis et persecutor, mutatus est in amicum et in Apostolum Jesu Christi. Non tantum nocuit Ecclesiæ (tametsi vehementer adversaretur) persecutor, quantum conversus postea profuit piissimus prædicator. Persequebatur autem Dei Ecclesiam in incredulitate zelator legis, quam propter Christi fidem prorsus relinqui et perire metuebat. Erat enim de illis, de quibus Dominus dicit : *Veniet hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Putabat itaque Paulus bene se agere si tutaretur legem, cujus servandæ propugnandæque gratia, omnia destrueret contraria, cujusmodi secta erat christianorum. Quæ ubi invalesceret, de lege et gente Judæorum actum esse sentiebat. Hanc igitur quantum valuit persequens exterminare moliebatur. Verumtamen, quia vir fuit bonus et zelosus, et per ignorantiam peccabat, propterea quod credebat se ad hanc obligari defensionem et zelum legis, misericordiam (quod ipse quoque fatetur) a Domino consecutus est. Neque enim tam grande ejus fuit peccatum, quam Pharisæorum et tyrannorum quorumdam, qui Christi fidem ex malitia et odio persecuti sunt, non amore zelove legis, quam ne ipsi quidem observabant. Et hæc de ejus conversatione, quam ante conversionem habuit, dicta sint.

Conversio S. Pauli quam utilis fuerit Ecclesiæ.

Joann. XVI, 2.

Deinde cujusmodi in conversione, et post conversionem fuerit, dicendum. In itinere erat ad Damascum, in voluntate ac studio malo, ad persequendos christianos constitutus. Quare dicendum, Pauli conversionem fuisse potentem, miraculosam ac plane divinam. Siquidem, circumfulsit illum lux de cœlo, quæ terruit atque mutavit de impio faciens pium, de superbo humilem, de minaci atque crudeli lupo, mansuetum agnum. Vide enim quam cito fuit mutatus et conversus ex persecutore, dicens : Domine, quid me vis facere ? Circumfulserat enim illum lux de cœlo, audieratque vocem sibi dicentem : Saule, Saule, quid me persequeris ? Illustrabatur cœlesti fulgore vel a foris, intus adhuc luminis incapax. Vere deprehensus est Saulus. Non est dissimulandi locus, non est ulla facultas negandi. In manibus sunt litteræ crudelissimæ legationis, auctoritatis execrandæ, potestatis iniquæ. Quis, oro, innocentum non formidaret istius persecutoris animositatem ? Quis furenti, liganti, trahenti, percutienti non expavesceret obviare Saulo ? Proh dolor ! adhuc aspersum sanguinem protomartyris Stephani gestabat in vestibus, adhuc sanctum lambebat cruorem, et tamen adhuc sitiebat. Tenuerat lapidantium vestimenta, saxa porrexerat omniumque manibus lapidaverat, et nihilominus sceleribus istis graviora addere peccata durabat. Talia porro illo agente pluraque molienti multo execrabilia, ingenti lumine perfusus adfuit Dominus Jesus, voceque tonanti illum affatus est dicens : Quid agis, Saule ? Cur sanctis meis necem adeo crudeliter intentas ? Ut quid nomen meum divinum conaris exstinguere? Desine, oro, patrare ejusmodi. Sufficiat tibi quod hactenus pertinaciter nimie peregisti. Exue te, lupe, et agni formam induere. Verum hæc paucis de sancti Pauli Apostoli conversatione plus satis superba et crudeli, conversioneque plane omni admiratione digna, egisse sufficiat.

At quomodo omnis Christi actio nostra est instructio, ita etiam ex sanctorum vita, gestis convenit sugere semper aliquid quod

in nostram trahamus instructionem. Quare operæ pretium duximus hic paulo fusius tractare de vera conversione cujusque veri christiani hominis, quænam videlicet ea esse fierique debeat, quamque sit ad salutem (quandoquidem omnes declinaverunt, nec est qui faciat bonum) necessaria, juxta illud Sapientis : *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* Cum igitur nihil sit homini formidandum magis quam vel momentum unum vivere extra gratiam et in ira Dei, nihil usque adeo admiratione plenum est, quam audere quemquam consentire in quodcumque peccatum mortiferum, quale quale illud sit. Id enim certissime privat hominem gratia et charitate Dei, et efficit inimicum Dei, Deoque odibilem, et dignum cruciatibus sempiternis inferorum. Et tamen quotusquisque hodie est mortalium, qui vel alicujus pensi habeat violare legem Dei, cujus transgressio peccatum constituit ; quotusquisque est, qui non ita licenter ac intemperanter quibuslibet passim vitiis ac sceleribus sese implicet et obstringat, ac si non modo nulla constituta supplicia, sed magna etiam præmia flagitiis proposita sint. Videt hoc omnipotens, magnus, tremendus et justus Deus, videt a toto ferme hominum genere tam impudenter, tam indigne contemni se ac negligi, et tacet ; imo etiam sæpe multa sinit evenire prospera impiis ac peccatoribus. Sed audiant isti Apostolum dicentem : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.*

Eccli. v, 8.

Rom. II, 4-6.

Audiant item et diligenter animadvertant eam quam superius commemoravimus Ecclesiastici sententiam : *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: Subito enim veniet ira illius : et in tempore vindictæ disperdet te.* Totus jam mundus per præceps ruit in vitia, et timor Dei nullus est in hominibus. Editur, bibitur, luditur, garritur, flagitia alia super alia admittuntur. Et revera jam dies mali sunt. Quis unquam credidisset populum christianum tot tamque eximiis Dei beneficiis affectum ad tantam Dei oblivionem, incuriam et contemptum devolutum iri? Extiterunt quidem nostris temporibus, qui se evangelicos jactitent, et corruptos Ecclesiæ mores reformare se velle polliceantur, sed si rem penitius inspicias, nihil aliud quam seipsos, suam carnem, suas voluptates, sua oblectamenta quærunt : homines corrupti mente et reprobi circa fidem, quorum Deus venter est ; qui terrena sapiunt, animales, spiritum non habentes, sine affectione, sine fœdere, sine pace, voluptatum amatores magis quam Dei : qui dicunt hominibus impie agentibus, pax, pax, cum tamen verissime Scriptura dicat, non esse pacem impiis. Non ergo reformare in melius, sed bonos etiam mores potius corrumpere, et omnia humana ac divina miscere conantur. Ita jam ubique jacet pietas, dominatur iniquitas, Deus summe verendus contemnitur, et quantumcumque minetur gehennam solo auditu nimis terribilem, tamen non est qui faciat bonum. Adeo nunc omnes declinaverunt, non a malo ad bonum, sed a bono ad malum, a justitia ad iniquitatem, a virtute ad vitia. Et quod acrius dolendum est, etiam illi qui miseræ ac rudi plebeculæ bene ac beate vivendi exempla præferre deberent, magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. *Incrassati sunt et impinguati, et præterierunt sermones Dei pessime : et non dixerunt in corde suo : Metuamus Dominum Deum nostrum.* O vere dolendam humani generis, maxime plebis christianæ, quam Princeps Apostolorum genus electum, regale sacerdotium, populum acquisitionis appellat, conditionem ! O miserandam et expavendam humanorum pectorum duritiam et excæcationem !

Mundus quibusnam vitiis modo serviat.

Lutherani evangelici quibus mediis reformare nitantur christianorum mores.

II. *Tim.* III, 8.

Is. XLVIII, 22.

Jerem. V, 28.

Ibid. 24.

I. *Petr.* II. 19.

Gratia Spiritus Sancti quanta conversione Pauli Apostoli claruerit.

Itaque Spiritus Sanctus, cui in divinis personis proprie tribuitur charitas, vehementissime sitiens hominum errantium salutem et conversionem, utilissimum et efficax valde hodie nobis perfectæ conversionis in sancta Ecclesia proponit exemplum, quo possint quantumvis scelesti peccatores moveri ad agendum pœnitentiam. Ipsius enim Sancti Spiritus instinctu effectum est, ut hodie beatissimi Apostoli conversionem celebremus, in quo sicut immanis iniquitas et fera crudelitas, ita nihilominus inæstimabilis abundavit gratia, et singularis misericordia Christi. Ibat animo frendens et furibundus ad vinctos etiam ex longinquis regionibus pertrahendos Christicolas Jerusalem ad principes sacerdotum, hoc est, Christum Dominum in membris ejus crucifigere, trucidare, exstinguere moliebatur : et in ipso itinere divinitus correctus totum se ad eum promptissime et perfectissime convertit, quem crudelissime persequebatur. Non igitur patiamur, charissimi, tantum exemplum frustra nobis propositum : sed resipiscamus etiam nos et convertamur ad Dominum. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis :* non permittamus tantam Deum nobis conciliandi præterfluere opportunitatem. Audiamus non corporis tantum, sed et cordis auribus, admonitionem Spiritus Sancti, quam in initio ex Ecclesiastico recitavi, hanc videlicet : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Jam agedum convertamur omnes, prosternamur cum Apostolo in iniquitatibus nostris, et resurgamus cum eodem in vitæ novitatem. Quid prodest, obsecro, hærere in vitiis ? Quid prodest voluptatibus et vanitatibus tempora, nonnisi agendæ pœnitentiæ indulta, miserabiliter transigere ? Et si quædam est in vitiis voluptas et delectatio, tamen præterquam quod illicita et perniciosa est, etiam celerrime fugit, hominemque prorsus miserum relinquit, in Deo autem Optimo Maximo non modo summa et infinita, sed eadem etiam stabilis, casta, firma, honestissima ac suavissima delectatio est. *Quam magna,* inquit Propheta, *multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Ad ipsum ergo totius veræ voluptatis et delectationis fontem inexhaustum, dilectissimi, toto corde convertamur.

II. *Cor.* VI, 2.

Eccli. V, 8.

Ps. XX 20.

Quod si quis scire cupiat, qua ratione se debeat convertere, id jam explicabimus. Omnipotens Deus, Rex et Pater noster ex immenso amore certas quasdam nobis præfixit leges omnino rationabiles, et quæ non excedunt vires nostras, divinæ gratiæ, quæ nulli petenti denegatur, ope subnixas, quas si servemus, æternam nobis pollicetur beatitudinem : si violemus, supplicia minatur æque æterna. Sciebat enim duabus potissimum rebus ad aliquid adduci homines sive fugiendum, sive appetendum, puta vel amore voluptatis, vel timore pœnarum. Ne igitur aut temporariis delectationibus illecti, aut vitæ hujus cruciamentis perterriti a legum illius observatione discederemus, e diverso æternas delectationes promittere, et nunquam finienda supplicia minari dignatus est. Cæterum ubi quis aut propriæ carnis infirmitate, aut mundi vanitate, aut diaboli insidiis eo perducitur, ut plus moveatur aut bonis aut malis temporalibus quam æternis, malitque transgredi legem et præcepta Dei, quam vel bonis istis carere, vel malis affici, is jam misere avertitur a Deo, summo et vero bono, caducaque et vana ac prope nulla, et quorum finis mors est, infelix et insanus præferre non erubescit æterni Patris amori et honori, summoque cum dedecore et ignominia contra natalium suorum dignitatem ac nobilitatem, per amorem inordinatum his infimis rebus sese subjicit, quibus tamen omnibus a Deo prælatus est. Et quia ex ipso peccati demerito spirituali gustu intus privatur, totum se in præsentes rerum labentium voluptates cupiditatesque demergit, tanquam vento sese exsatiare quærens, cum tamen nec corpus voluptate nec cor cupiditate satietur. Huic tali si unquam servari debeat, conversio necessaria est. Aversus

Bifariæ homines attrahi s ve ad bo num si ad malu

Conversi vera cui nam ne cessaria sit.

est a Deo, id est, a vera vita, vera felicitate, vera voluptate, et in creaturas defluxit, quarum amor immoderatus nonnisi mortem, miseriam, cruciatum adducit. Necesse est igitur, ut relictis creaturis, revertatur ad Creatorem. Sed non tam facilis est conversio, quam fuit propensa aversio : eorum autem difficillima est conversio, qui pravæ consuetudinis mole deprimuntur. Sunt enim in peccatis gradus quidam. Alii peccant solo cogitationis consensu, alii operis perpetratione, alii iniqua consuetudine, alii contemptu. Impius enim cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Hi posteriores duo ægerrime convertuntur. Et tamen nisi convertantur, nulla eis salutis spes reliqua esse potest.

Conversio quibusnam difficilis sit.

Gradus in peccatis quosdam esse.

Prov. XVIII, 3.

Quid igitur agendum est tum iis, tum aliis converti volentibus? Principio quidem confugiendum est ad implorandum auxilium et misericordiam Dei. Nam absque gratia cœlesti nemo unquam vere conversus est. Hoc invocato auxilio, magno et firmo animo secum constituent valefacere omnibus quibus offendaturDeus, et libenter amplecti et aggredi ea, quibus ejus gratiam sibi conciliare queant. Sed hic principio labor et dolor sentietur, atque tanto molestior, quanto diutius vitiis inservitum est. Itaque sæpius animo frangi, ac nonnunquam relabi continget iis qui non satis forti et constanti animo sunt. Verum etsi interdum labi contingat, non tamen desperabunt, sed rursus ad Christi poscendam opem, suumque renovandum propositum et conatum sese convertent. Non deerit misericordia Christi viriliter decertantibus : imo vero etiam pro sua benignitate tentationes et impugnationes adversæ partis mitigabit ac temperabit, et sicut Apostolus dicit, non patietur eos tentari supra id quod poterunt, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possint sustinere. Cæterum ut recto quodam ordine in sua ad Deum conversione utantur (ordo enim ubique maxime servandus est, utpote sine quo nullum virtutis exercitium potest aut laudabile, aut frugiferum, aut diuturnum esse), septem quædam hic proponemus, in quibus sese exercitare debebunt. Quod si fecerint, nihil eorum omisisse videbuntur, quæ ad veram conversionem pertineant.

Converte-re se volens ad Deum quid facere debeat.

I. *Cor.* x, 13.

In conversione ad Deum septem quænam servanda sint.

Primo quidem peccata sua præterita ad memoriam revocare studebunt. Hoc maxime necessarium est. Hic tamen observandum est, uti ne nimiam faciant moram in illis recogitandis peccatis quæ adjunctam habent fœdam delectationem, cujusmodi sunt peccata venerea. Alioqui fieri poterit ut memoria talium, immoderata cogitatione refricata, prava excitet desideria, quibus animus inflammatus, rursus in eadem prolabatur. In hac peccatorum commemoratione profundissima est adhibenda humilitas, qua in tantum sese abjiciant coram Deo, ut se omnium indignissimos ex anino fateantur : quæ humilitas quanto fuerit demissior, tanto facilius veniam apud Deum et gratiam impetrabit.

Humilitas quænam Deum facilius reconciliet.

Secundo amaram de admissis peccatis cordis contritionem et dolorem assument. Magna res est vera contritio. Solent stulti homines quamdam sibi in peccatis suis impunitatem polliceri, atque ita secum cogitare : Quid necesse est ut, dum adhuc ætas viget, voluptatibus renuntiemus? Licebit in ipso mortis articulo impetrare veniam. Et interim proponunt sibi latronem qui in cruce veniam meruit : itemque nonnullos alios qui in extremis gratiam adepti sunt. Sed si attendere vellent quam pauci bene moriantur qui, dum incolumes sunt, Deum ac salutem suam negligunt : deinde etiam quam non sit in nostro arbitrio situm, ut nos peccasse vere doleamus, non tam misere sibiipsis imponerent. Esto interim multis qui semper improbe vixerint, tantum concedatur vitæ spatium, ut ante obitum confiteantur et sacramentis Ecclesiæ muniantur, num propterea certum est eos bene obiisse? Bene moritur, quisquis vere dolet unquam se peccasse. Sed hic dolor non est sine charitate. Contritio autem præcipuum Dei

Quisnam bene moriatur.

Contritio vera quam sit præcellens donum Dei.

donum est, quod raro præstatur sero pœnitentibus. Ergo dum adhuc vita incolumis est, hanc veræ contritionis gratiam lacrymis, precibus, votis ac suspiriis a Deo petamus. Ejus enim donum est, quanquam etiam multa sunt, quæ diligenter considerata animos nostros eo permovere queant, ut nos peccasse pœniteat, de quibus jam nimis prolixum foret latius agere.

Contritio vera quantam habeat efficaciam.

Hoc paucis dici potest veram contritionem tantam habere vim et efficaciam, ut etiam facile peccata simul omnia pœnamque delere possit : atqui nihilominus confessio semper facienda est, ut etiam Ecclesiæ judicio satisfiat.

Confessio peccatorum quam sit necessaria.

Tertio igitur peccata sua fideliter, humiliter et integre confitebuntur. In confessione omnia mundantur. Non frustra Deus dedit claves Ecclesiæ suæ, quibus voluit cœlum patefieri pœnitentibus et peccata sua integre confitentibus. Sed jam quidam existunt, qui putent peccatorum licet mortalium enumerationem non esse necessariam. Sed quo spiritu hæc dicunt ? Suo videlicet. Homines stulti et scioli volunt opiniones ex suo parum sano natas cerebro totius Ecclesiæ judicio anteferri ; valeant deliri isti cum somniis suis. Norunt Christi fideles vel propria edocti experientia, quantam pectoris pacem afferat vera ac pura confessio. Necessaria plane etiam ipsa est ad veram conversionem ; o quam pauci hodie bene confitentur, imo quam pauci bene confiteri norunt ! Qui confessiones recipiunt, quandoque ita sunt rudes aut negligentes, ut de eis verissime dici

Matth. xv, 14.

possit illud Salvatoris : Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt. Quidam etiam eorum adeo sunt incurii, ut penitus non curent instituere eos et examinare, quorum confessiones auscultant, etiamsi animadvertant eos non recte confiteri. Ideo sine numero ruunt hisce temporibus homines in tartara. Quamobrem qui confiteri volunt, ejuscemodi sibi virum eligant, qui non minus religiosus quam doctus sit.

Quarto etiam satisfactioni, quæ est tertia pœnitentiæ pars, operam dabunt. Id vero ita est conversioni necessarium, ut sine ea nemo recte conversus dici queat. Hic curandum est, ut pro ratione culparum etiam studeant satisfacere. Si multa et magna admisere peccata, major quoque exigitur satisfactio. Nemo sibi imponat nimium sibi blandiens de divina misericordia. Quidquid hic expiatum non erit, postea nimis dire expiabitur. Christus quidem abunde satisfecit pro nobis, sed oportet nos illius gratiæ et satisfactioni cooperari. Utinam hac in parte diligentius magisque serio admonerentur homines tum in privatis confessionibus, tum concionibus publicis, ut pro peccatis suis dignos studerent pœnitentiæ fructus facere, et injurias summi Dei, quas accipit ex peccatis nostris, in seipsis castigare. Sed non patitur sermonis angustia hic cuncta perstringere.

Satisfactionis necessitas.

Consideratio beneficiorum Dei.

Quinto ut vehementius doleant de peccatis suis, majoremque erga Deum concipiant gratitudinem, beneficia Dei attente considerabunt. Quis enim non acriter doleat eum se vel semel offendisse, a quo se perspicit tot tamque præclaris affectum beneficiis, ut ea nec numerari nec digne ponderari queant ? Præter privata autem beneficia, quæ innumera singulis præstantur a Deo, sunt quædam generalia, puta creationis, quo nos ex mera et summa charitate fecit ad imaginem suam, ut ipsius beatitudinis simus participes : item incarnationis, passionis et mortis, quod solum si bene ruminetur, possit ad quamvis ferrea emollienda corda sufficere : ad hæc præservationis, quo ab innumeris nos servavit corporis et animæ malis, præsertim horrenda damnatione æterna, qua innumeri jam puniuntur, qui minus atque nos peccaverint. Hæc aliaque stupenda Dei beneficia cum ingenti suæ ingratitudinis detestatione, et divinæ benignitatis admiratione recogitabunt.

Sexto alacriter, ferventer, fideliter ac perpetim Deum laudabunt. Id plane exigit tanta erga nos divinæ pietatis multitudo. Et quisquis Deum creatorem, redempto-

rem, conservatorem suum non laudat, omni bruto deterior ac vilior est. Itaque et hoc ipsum veræ conversioni necessarium est. Septimo, quoad poterunt ne recidant in peccata cavebunt, fortiterque in bono perseverabunt. Sola enim perseverantia coronabitur. Multi bene inchoant, sed pauci perseverant. Non potest autem vera dici conversio, ubi perseverantia deest. Quod si quandoque ex infirmitate labi contingat, curent saltem ut illico resurgant : et si millies ceciderint, millies resurgant, nec unquam jaceant in vitiis : sicque perseverent usque in finem. In his septem quisquis bene se exercitaverit, veræ conversionis fructu non fraudabitur. Itaque, dilectissimi, dum adhuc licet, resipiscamus cum Paulo. Habeant sibi corvi cras suum : nos hodie potius convertamur. Habemus Patrem clementissimum in cœlis, qui nihil magis optat quam conversionem, salutem ac beatitudinem nostram, Dominum nostrum Jesum Christum, cum Patre et Sancto Spiritu viventem et regnantem in secula seculorum, Amen.

IN SOLEMNITATE

PURIFICATIONIS B. V. MARIÆ

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

HÆC dicit Dominus : Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum. Et sedebit conflans et emundans quasi argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem sicut dies seculi, et sicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens. *Malach. III.*

QUAM pulchre isthæc lectio hodiernæ celebritati conveniat, ita est cuivis perspicuum, ut id declarare nihil sit necesse. Loquitur enim per prophetam suum Malachiam Filius Dei : Ecce ego mitto Angelum meum, nempe Joannem Baptistam (ita enim hæc verba exponit ipse Salvator apud Matthæum) et præparabit viam ante faciem meam, adhortando homines ut dignos agant fructus pœnitentiæ, ut vitiis repudiatis, virtutibus animæ suæ domicilium decenter exornent, ut sic libeat mihi in ipsum ingredi, in eoque commorari. Namque *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis :* vel sua doctrina et baptismo Judæos ad meæ doctrinæ et baptismatis receptionem aptos ac habiles reddendo. Dicitur autem Joannes Angelus, ratione ministerii, quia nuntius et præcursor Christi fuit, de quo apud Joannem legitur : *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes.* Et statim, id est, paulo post ortum Joannis, veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, id est, ipse ego veniam ad templum offerendus juxta legem a parentibus meis. *Non* enim *veni solvere legem, sed implere.* Et Angelus testamenti, quem vos vultis, qui idem ipse Christus Jesus est, auctor et institutor novi Testamenti, et magni consilii Angelus, qui omnia quæcumque audivit a Patre nota fecit nobis, et nomen Patris sui annuntiavit fidelibus suis. Quod autem dicit: Quem vos quæritis, et quem vos vultis, de bonis omnibus et justis a mundi exordio accipiendum est. Illi enim Christi adventum summopere desiderarunt, de quibus dicit Salvator in Evangelio : *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt.* Ecce venit, dicit Dominus exercituum, cui præsto sunt innumerabiles legiones Angelorum, cui millia millium ministrant, et decies millies centena millia assistunt.

Et quis poterit cogitare diem adventus

Matth. XI, 10.

Sap. I, 4.

Angelus ut dictus sit Joannes Baptista.

Joann. I, 6.

Matth. 17.

Luc. X,

ejus ? Etenim diabolum non potentia, sed humilitate et patientia debellaturus, mitis ac humilis veniet, non regio stipatus exercitu, non seculari fastu tumi-
Zach. IX, 9. dus, sed sicut Zacharias ait, pauper, id est, humilis et vilis, quantum ad humanum judicium attinet : ideoque a paucissimis cognoscetur. Nam divinitatis majestatem in servi forma occultabit. Et quis stabit ad videndum eum ? Multi enim ubi viderunt Dominum Jesum tam humilem ac simplicem ducere vitam, eum penitus despexerunt, nec eum aliquo in pretio habere voluerunt. Alii etiam eo quod eorum vitia acriter reprehenderet, inexpiabili eum odio prosequebantur, ita ut eis etiam gravis esset ad videndum. Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum. Ut igni purgatur aurum et herba fullonum vestes mundantur : ita Dominus Jesus ignitis sermonibus suis, multos purgavit a vitiis, et ad meliorem mentem animique puritatem reduxit. Et sedebit conflans, excoquens igni amoris sui ignitoque eloquio suo sordes peccatorum : et emundans in se credentes quasi argentum quod igni purgatur, et purgabit filios Levi, ut, quemadmo-
I Petr. IV, 17. dum scriptum est, judicium incipiat a domo Dei. Per filios Levi sacerdotes et templi ministri accipiuntur, qui sæpe majoribus inquinantur sordibus, quam homines laici ac vulgares. Quo enim status dignior, eo vita mala sceleratior ac impu-
Levi filii ui mysti- e sint. rior. Hos igitur Dominus quandoque duris permittit vexationibus affligi, ut ejusmodi flagellis correcti, suis monitis et exemplis alios ad Dei timorem et amorem reducant, quos sua improbitate et pessimis exemplis avertunt a Deo. Atque utinam vel vexatio daret intellectum auditui. Et conflabit eos quasi aurum et argentum, ut impleatur Isaiæ sermo, dicentis: *Convertam manum* *Is.* I, 25. *meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam.* Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia, non sicut multi faciunt, qui pollutis manibus regem gloriæ et totius puritatis auctorem tractare et offerre non verentur : quæ res vel præcipua istarum perturbationum et scandalorum causa est. O, resipiscant tandem qui tales sunt, et non sint miseræ plebeculæ in ruinam et laqueum mortis ! Alioqui timendum est, ut ira Dei intolerabilis sæviat in nos. Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, id est, oblatio sacramenti altaris, quod Jerosolymis primo constat esse institutum, sicut dies seculi et sicut anni antiqui, id est, longe magis quam unquam antea. Hebraismus enim est. Veteris enim legis sacrificia hactenus placebant Deo, quatenus piis ac devotis animis offerebantur : sed nostrum sacrificium in seipso sanctum est, nec potest non placere Deo : quanquam ministri illud offerentes ob vitam indignam sæpe vehementer displiceant.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, LUCÆ II.

MAGNÆ humilitatis exemplum nobis ob oculos statuit Evangelium diei hujus, tum in ipsa Virgine Matre, tum in unigenito Filio Dei. Auctor legis ceu peccator quispiam legi se subjicit, et Mater intemerata, quæ absque viri commixtione conceperat, atque ea re lege non tenebatur, legis præscriptum studiosissime exequitur. Qua de re pulcherrime dicit divus Bernardus : Qui sine peccato est, non de- *Bernard.* dignatur peccator reputari. Itemque : Putas non poterat animus Virginis commoveri ac dicere : Quid mihi opus est purificatione ? Cur abstineam ab ingressu

templi, cujus uterus nesciens virum, factus est templum Spiritus Sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi templi Dominum? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cum proles ista fons puritatis sit, et purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato? Vere, o beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed numquid Filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum: nam et Filius tuus sic est in numero puerorum. Ergo his maxime confunditur superbia nostra, qui cum revera miseri ac vitiis pleni simus, tamen non solum non ferimus tales ab aliis nos haberi, sed sæpe etiam justi et sancti videri volumus. Non sic humilis Deus, non sic humilis Mater Dei. Sed videamus ipsa Evangelii verba.

Postquam impleti sunt dies purificationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.

Levit. XII, 6. Divina lege præceptum fuit, ut mulier si suscepto semine peperisset masculum, immunda esset septem diebus, quibus nedum a templi ingressu et tactu sacrorum, sed etiam ab hominum consortio excluderetur. Octavo autem die puer circumcideretur, atque tum liceret matri hominum quidem uti consortio, sed tamen adhuc triginta tribus diebus a templi introitu abstineret. Sin vero feminam peperisset, dies tam quoad hominum consortium, quam templi accessum duplicarentur. Deinde expletis diebus purificationis, templum ingressa, si dives esset, agnum, sin pauper, duos turtures aut duos pullos columbarum offerret. Et ista lex generatim ad omnes recens natas proles pertinebat: præter quam alia erat specialis, quæ sola primogenita tam jumentorum quam hominum complectebatur, ut, quandoquidem Dominus cuncta Ægypti primogenita occiderat, ea illi consecrarentur. Beata igitur Dei Genitrix semperque virgo tametsi ipsius Moysi verbis ab hac priori lege excepta fuit (non enim concepit suscepto semine: quæ verba ob illius reverentiam Moyses ex Sancti Spiritus instinctu adjecit: alioqui superfluo adjuncta viderentur), nihilominus libenter passa fuit, velut immundam, tam ab hominum consortio, quam templi aditu se arceri, manens interim in parvo illo et vili Bethleemitico tugurio cum Filio suo longe amantissimo, cujus unius præsentia omnium hominum consuetudine longe illi et suavior et gratior fuit. Sed et ipse Filius Dei tanquam unus ex cæteris, ut peccator, ut servus, ut pauper redimi voluit. Nam postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Vides quantopere omnem singularitatem, omnem ostentationem Filius Dei et Mater ejus fugerint. Sed quare voluit Mater Dei et suæ purificationis et Filii præsentationis observare legem, cum uterque ab ea immunis esset? Multis videlicet ex causis: quas quia omnes enarrare longum foret, dicamus vel paucas. Fecit igitur hoc, tum ne Judæis ullam vel scandali, vel calumniandi materiam præberet: tum ne legem divinitus datam contemptui habere ac negligere videretur: tum ne gratiam Dei sibi præstitam, et vix paucissimis cognitam, tanquam humanæ laudis avida, omnibus ostentare crederetur: tum ut perfectæ obedientiæ ac humilitatis nobis præstaret exemplum: tum ut diabolo divinæ incarnationis mysterium penitus occultaretur. Si quis plures velit nosse causas, legat scripta doctorum. Tulerunt, inquit, Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, id est, offerrent ac præsentarent: et quia primogenitus erat, etiam redimerent, sicut Evangelista subdit:

Pur tionis gem beata ria se verit.

Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.

O rem omni admiratione prosequendam! In templo præsentatur is, qui pios omnes suum sibi templum efficit: quinque siclis ut servus redimitur, cujus ditioni ac imperio totum subjacet universum: offertur pro eo sacrificium, quo velut peccator expietur, qui cunctorum peccata expurgavit: a Matre virgine parvulus gestatur, qui immensus et omnipotens omnia portat et sustentat verbo virtutis suæ: non divitum sed pauperum oblatione utitur, qui solus est dives, qui per Salomonem dicit: *Mecum sunt divitiæ et gloria.* Tenet puella suum et omnium Creatorem, nutrit suum et omnium nutritorem: portat ad templum suum et omnium rectorem. Sed quærat merito aliquis: Cum certum sit Magos inter cætera munera etiam aurum, et quidem ut tantos decebat viros, haud exiguum Domino obtulisse, quid causæ est, ut Virgo Beata agnum offerre noluerit, turtures vel pullos columbæ instar pauperum obtulisse contenta? Si habuit unde agnum emeret, et noluit, videtur fraudem fecisse sacerdoti: sin vero non habuit, ubi Magorum aurum reliquit? Sed Virgo piissima amatrix summa paupertatis, intelligens certissima ex Sancti Spiritus inspiratione mentem ac propositum Filii, quomodo paupertatem maxime amaret, et toto vitæ suæ spatio amplecti statuisset, ut erat in proximos, maxime inopes et miseros longe piissima, totum illum thesaurum per sanctum Joseph creditur statim in pauperum solatium distribuisse. Si dicas: Unde ergo victura erat cum Domino Salvatore et sancto Josepho? Nos respondemus: Occupet ejuscemodi sollicitudo eorum animos, qui nesciunt divinæ se committere providentiæ, qui non audent confidere Deo, quod posteaquam corpus et animam dedit libentissime, sit etiam vitæ necessaria præstiturus. Beata autem et gloriosa Virgo, quæ totam spem suam contulerat in Deum, non poterat nec tenuissimam in animum suum inanis curæ aut pusillanimitatis cogitationem admittere. Quamobrem pro Filii nutu ac voluntate cuncta dispersit in miseros, malens nudari auro, quam pietate ac misericordia. Curam autem omnem sui in Deum rejecit, convenienter illi admonitioni propheticæ: *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.* Noverat namque etiam alibi eumdem dixisse Prophetam: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit.* Animadvertant hæc divites avari, qui semper metuunt, ne non satis multa relinquant prolibus suis, omne fortassis patrimonium suum comessando, potando, luxuriando absumpturis, et nec tenuem ipsis gratiam habituris, atque interim pauperes et miseros crudelissime negligunt.

Prov. VIII, 1.

rum tri- Magon in uperes sse exnsum.

Ps. LIV, 23.

Ibid. XXXVI, 25.

Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu Sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

Hic porro commemorat Evangelista senem justum et sanctum, dignum qui videret Christum Domini, et qui nato Salvatori redderet testimonium. Dicitque eum fuisse justum et timoratum: justum quidem non modo ob justitiam, quatenus ea virtus particularis est, qua redditur cuique quod suum est: sed etiam quatenus est virtus communis seu generalis, virtutes omnes in se complectens, quam Augustinus definiens, ait eam esse, qua Deus proximusque diligitur. Fuit etiam timoratus, non eo timore quo metuunt homines ne bonis temporariis priventur, ne vitam amittant temporalem, ne temporale patiantur incommodum: quæ omnia ad mundanum aut servilem timorem pertinent, quem perfecta charitas foras mittit. Non enim est fidelis domino suo, sed pro-

Simeon cur fuerit justus.

Justitia quid.

Simeon ut fuerit timoratus.

priis duntaxat lucris ducitur, quod est a vera charitate maxime alienum, quæ non quærit quæ sua sunt, sed tendit in alterum. Non ergo ex hoc timore laudatur sanctus Simeon, ut qui magis in vitio est quam in virtute : sed illo casto et sincero, qualis est filiorum, qui plus veretur injuriam et offensam Dei, quam quodvis proprium incommodum, de quo Scriptura dicit : *Qui timet Deum, nihil negligit.* Et : *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.* Exspectans consolationem Israel. Hoc proprie in hominibus sanctis charitas efficit, ut multorum optent salutem. Ita beatus iste senex, non sui duntaxat, verum totius Israel, omnium videlicet electorum consolationem ac liberationem, quæ Christi adventu præstanda erat, exspectabat idque ardentissimo desiderio, et quotidianis perpetuisque precibus, quibus in tantum placuit Deo, ut etiam jucundissima illius revelatione de adventu Salvatoris certior effectus sit. Et Spiritus Sanctus erat in eo : a quo etiam responsum acceperat, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Beatus plane ille homo, cujus habitator est Spiritus Sanctus. Non potest ille non sanctis fervere desideriis, et in animum suum adventum optare Salvatoris. Olim sancti homines, gravissimi hujus exilii et miserandæ captivitatis pertæsi, vehementissime Christi nascituri præsentiam suspirabant. Sic David sanctus : *Ostende,* inquit, *nobis, Domine, faciem tuam, et salvi erimus.* Itemque : *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.* Et Isaias propheta : *Utinam,* ait, *cœlos disrumperes, et descenderes.* Talis erat et hic venerandus et amabilis senex Simeon, quem dubium non est quotidie ignitis precibus Dominum ut veniret, pulsasse. De talibus dicit S. Bernardus : Ardorem desiderii Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam frequentissime cogitans, compungor et confundor in memetipso : et nunc vix contineo lacrymas, ita pudet me teporis torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum tantum ingerit gaudium gratiæ hujus exhibitio, quantum veteribus sanctis accenderat desiderium promissio ? Lege hinc plura apud ipsum Bernardum, Sermone secundo in Cantica Canticorum. Hodie miseri magis aurum et argentum, id est, lutum, aut corporis voluptates, id est, porcorum siliquas, aut honores et fastus seculi, hoc est, vanitates et insanias falsas, et diaboli pompas appetimus, quam Christum ejusque gratiam. Verum nonnisi nosipsos fallimus. Sequitur :

Timor sincerus et castus quis.

Eccl. VII, 4.

Ps. XVIII, 10.

Desiderium quale fuerit antiquorum patrum pro adventu Christi.

Ps. LXXIX, 4.

Ibid. LXXXIV, 8.

Is. LXIV, 1.

Bernard.

Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent Puerum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo : et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum.

Ne sanctus et venerabilis senex fraudaretur desiderio suo, eodem tempore, quo Christus ferebatur in templum, intus admonitus est a Spiritu Sancto, ut iret ad templum. Ita factum est, ut eodem revelante Spiritu cognosceret puerum qui illuc adducebatur, esse mundi Salvatorem, cujus conspectum ipsi promiserat Spiritus Sanctus. Accurrit itaque, et ferventi desiderio petiit a Matre præberi sibi infantulum, quem ubi pia Mater præbuit, accepit eum lætus in ulnas suas, non utique sine maxima humilitate, devotione et reverentia. Magna profecto hujus senis charitas fuit. Non enim dubitabat Deum ac Dominum suum esse quem sic amplectebatur : unde merito poterat horrore, timore ac tremore concuti : sed amor præstitit fiduciam, ut securus piis stringeret amplexibus, quem super se etiam angelicæ potestates verentur. Hanc fiduciam non prætat fides sterilis ac bonis operibus vacua, sed fervens et perfecta charitas, quæ ubique et semper et in omnibus Domini Dei sui voluntatem diligentissime exequitur, idque non ob aliud, nisi quia novit ita velle eum quem diligit. Sequitur :

Sincharitas quanta erit.

Et dixit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in

pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

Jam adeptus erat quod speraverat, quod totis animæ visceribus concupierat, quod tot annis tam anxius exspectarat : ideoque nihil jam superesse arbitrans, cur diutius vivendum sibi putaret, piissimo et tranquillissimo animi affectu exclamavit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Vidi Christum salutare tuum, vidi Deum ac Dominum meum, quem semper videre concupivi, vidi eum, qui est summa, unica et vera pax animi, tranquillitas mentis : ergo jam dimitti cupio, sicut pollicitus es, in pace, ut in ipso obdormiam et requiescam, quem ulnis teneo, qui, ut dixi, vera pax est omnium electorum. Quid mihi jam ulterius cum hujus miseræ vitæ perturbationibus ? Quid mihi cum hac vita misera, mille periculorum, tentationum, vexationum procellis exposita ? Dimitte me in pace, ut anima mea ab hujus exilii erepta ergastulo ad sinum Abrahæ feliciter quietura transeat, donec peractis omnibus, quæ ad salutem nostram pertinent, Christus Filius tuus me ex inferis eductum cum justis omnibus in cœlum secum abducat, id est, supernam Jerusalem, visionem pacis sempiternæ. Ad hanc pacem quisquis pertingere appetit, expurget se a vitiis, quæ sola impedimento sunt, ne vera pace perfruamur. Quia, inquit, viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. Salutare Dei Christum esse vel ex hoc loco satis intelligitur. Eum Simeon sanctus ubi vidit, jam præter eum nihil optat videre amplius. Fastidit omnia quæ mundus habet, postquam Deum Dei Filium vidit. Quid enim possit in rebus creatis libere ei, qui omnium Creatorem vidit ? Itaque quod multi vilissima præsentis vitæ bona et res caducas charas habent, inde potissimum fit, quod summi boni nullum adhuc gustum perceperunt. Quod si vel tenuiter gustassent, sentirent nimirum ejus comparatione merito contemnenda esse, quæcumque mundus suis offert amicis, sicut verissime dicit Papa Gregorius : Gustato spiritu desipit omnis caro. Quod autem ait : Quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, manifeste indicat Dominum toto humano generi Salvatorem venisse. *Ipse est* enim *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Væ autem illis, qui suis peccatis aditum præcludunt huic luci, quominus eorum pectora illustrare queat : de quibus dicit Evangelista : *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt*, id est, admittere noluerunt. Qui enim peccat, lucem excludit, nec sinit gratiæ lumen in se operari. O si homines vitiis dediti advertere vellent, quantum bonum a se excludant, quanta luce se privent, quantis immergant tenebris internis, horrerent sane, et minus essent proclives in vitia ! Dominus Jesus verum lumen est, removeatur quidquid illi obicem ponit, et confestim gratiæ suæ splendoribus totos nos collustrabit. Sed cur dicit sanctus Simeon : Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel? An ne etiam Judæos Christus illuminavit ? An ne etiam toti humano generi magnam attulit gloriam, quod Dei Filius homo fieri voluit ? Missus plane erat Dominus ad oves quæ perierant domus Israel, et illis illuminandis quantam navaverit operam, Evangelica scripta declarant. Sed quia paucissimi ejus lucem recipere voluerunt, ad gentes gratia ejus translata est. Unde Isaias dicit ex persona Dei : *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Dicitur ergo lumen gentium, quia post ejus adventum gentes dæmonum cultui deditæ ad unius Dei vivi et veri agnitionem conversæ sunt, et Judæi in sua cæcitate permanserunt. Gloriam autem plebis Israel eum vocat, quod illi populo maximam at-

Gregor.

Joann. I, 9.

Ibid. 5.

Lumen verum quomodo sit Dominus Jesus.

Is LV, 4.

tulerit dignitatem, quod Dei Filius ex ipso carnem sumere voluit : quod idem ad totum humanum genus referri potest, cui id non vulgarem advexit gloriam, quod Dei Filius homo fieri dignatus est. Rogemus nunc Dominum, dilectissimi, ut, dum adhuc in hoc exilio degimus, veram pectoris et conscientiæ pacem, cunctis vitiis et perturbationibus exclusis ac sopitis, adipisci, Christum veram salutem interioribus oculis, vel per speculum et in ænigmate conspicere, atque ejus luce, ne erroribus et mendaciis fallamur, illustrari, atque ipsum tandem, qui certa gloria est plebis suæ, in cœlesti patria felicissime possidere, atque in ejus populo, id est, veris Israelitis adnumerari mereamur, Amen.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

UT CHRISTI AC MATRIS EJUS HUMILITATEM ET OBEDIENTIAM IMITARI DEBEAMUS.

QUUM inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Lucæ II, 27.

Etsi dubium non est, dilectissimi, totam Domini Salvatoris vitam omnigenis claruisse virtutibus, nullam tamen fere tam studiose ac sollicite in seipso expressisse, nobisque colendam tradidisse videtur, atque veram ac profundam humilitatem. Unde ipse ait : *Discite a me*, non fabricare cœlos, non excitare mortuos, non mortalium omnium efferri ac celebrari encomiis : sed *quia mitis sum et humilis corde*, videlicet ut et vos beatæ humilitatis, et placidæ mansuetudinis gratiam adipisci conemini. Inspiciamus, si placet, totam Christi mortalem vitam, et in ea ubique humilitatem præcipue eminere conspiciemus. Nascitur in exteris locis procul a paterna domo, ex Virgine humili ac paupere, in vili et fœtenti stabulo, reponitur in præsepio, circumciditur ut peccati reus, offertur in templo ac redimitur ut unus e cæteris, qui est verendus super omnes, Herodis insaniam sentiens, fugit in Ægyptum tanquam sibi ab illo homuncione metuat, quem solo nutu exstinguere poterat : usque ad annum tricesimum latet incognitus, vilibus cum sancto Joseph operibus intentus, denique ubi mundo prædicare exorsus est, tam manifeste ineffabilem ubique humilitatem præ se tulit, ut omnino sepervacaneum sit id declarare velle. Quæ omnia breviter complexus divus Bernardus, ait : *Exinanivit* Christus *semetipsum formam servi accipiens :* filius erat, et factus est tanquam servus. Nec solum formam servi accepit, ut subesset, sed etiam mali servi ut vapularet, et servi peccati, ut pœnam solveret, cum culpam non haberet.

Matth. XI, 29.

Vita Christi tota ut fuerit mera humilitas.

Ita jam habemus Filii Dei admirandam humilitatem : videamus etiam quam ea virtus in ejus Matre dignissima effulserit. Noverat Virgo, supernis splendoribus abunde illustrata, solum humilitatem reddere hominem Deo suo fidelem, eidem adscribere bona omnia, sibi vero nonnisi mala, eamque nec insolescere in prosperis, nec dejici in adversis : ideoque summo studio eam amplexa est. Unde, tametsi ab æterno Patre tam singulariter esset electa, ab ipso Dei Filio in Matrem assumpta, a Sancto Spiritu totius gratiæ plenitudine inundata, ab Angelo officiosissime salutata, multisque aliis eximiis ac inauditis affecta donis Dei, nihilominus tanquam horum nihil ipsi præstitum esset, in profundissimæ humilitatis abyssum sese semper dejecit, gratias quidem agens Deo corde ardentissimo pro beneficiis illius, sed eorum nihil sibi tribuens. Quod in ea admirans sanctus Bernardus, in hæc verba prorumpit : Quæ

est ista tam sublimis humilitas, quæ honori cedere non novit, insolescere gloria nescit? Dei Mater eligitur, et ancillam se nominat. Non est magnum esse humilem in abjectione : magna prorsus et rara virtus humilitas honorata. Et est revera nimis stupendum, quod Virgo sacratissima, Dei Mater veneranda inter tot præclara virtutum charismata, tot divinorum prærogativas munerum, tantam tamque excellentem vitæ sanctimoniam aliaque multa nulli unquam tam sublimiter concessa, non solum non est erecta in superbiam, sed nec tenuissimum elationis motum sensit unquam : imo vero quanto præstantioribus omnipotentis Dei beneficiis augebatur, tanto se semper humilius abjecit, omnibus illis ex animo indignam se judicans. Ubi facile adverti potest, quantum vicerit animi constantia et fortitudine ac profunda humilitate primum illum ac præcipuum Angelum, qui cum non esset tam sublimi affectus honore, ut Mater Dei (nihil enim sub Deo majoris est dignitatis, quam esse Matrem Dei), tamen ex naturali pulchritudine ac decore suo tam intolerandam concepit superbiam, ut irrevocabili benignissimi Creatoris sententia detrusus sit in infimum tartari lacum, semper illic sine fine cruciandus.

gnitio- n quam dam uerit ta Vir- Maria Deo et scipsa.

Jam vero si quis diligentius scire velit, quanta fuerit in Dei Matre humilitas, cogitet si potest quanta in ejus mente serenissima ac lucidissima, tum Dei tum sui ipsius cognitio fuerit. Quæ quanto est major in homine, tanto etiam humilitas demissior sit necesse est. Nemo me putet de nuda illa Dei ac sui cognitione dicere, quæ potest esse etiam in malis ac impiis : sed de illa potius, quæ a Sancto Spiritu supernaturaliter infunditur : qua usque adeo Beatæ semper Virginis Mariæ animam constat impletam fuisse, ut a nemine satis queat comprehendi. Itaque frequentissimis divinæ lucis perfusa fulgoribus, atque in divinitatis creberrime et altissime demersa abyssum, maximam et ineffabilem divinæ majestatis ac celsitudinis, suæque parvitatis notitiam adipiscebatur. Inde vero in tantum sese dejecit, ac omnino nihilipendit, ut Dei erga se benignitatem ac liberalitatem vehementissime admiraretur, eaque se indignissimam toto corde sentiret. Sed et ipse sapientissimus Deus quandoquidem eam supra omnem puram creaturam tam in donis gratiæ gratum facientis, quam gratiæ gratis datæ evehere ac exaltare constituerat, pro suo erga ipsam singulari ac ardentissimo amore, ut eorum omnium donorum et charismatum esset capacissima, ad eaque suscipienda cum primis habilis ac idonea, principio perfectissimam et profundissimam ei præstitit humilitatem : qua in dies in ea mirifice excrescente, simul etiam alia omnia supernorum charismatum dona cumulabantur. Ut enim ad convallium concava ubertim pluviatilis unda confluit : et quo convalles sunt profundiores, eo copiosiorem possunt undam capere, largioresque in eis aquæ colliguntur : ita in animas humiles divina gratia propensissime illabitur, eaque tanto copiosior, quanto sunt humiliores. Quis autem cogitatione complecti queat, quantum in humilitate Virgo sacratissima profectum fecerit, quando veri Dei Filium, cujus summam majestatem optime noverat, tam humiliter tam modeste, tam obedienter quotidie secum victitare perspexit, cujus exemplis non poterat non vehementissime inflammari? Sicut dubium non est, quin ut obedientissima et summe docilis Christi Filii sui discipula, perfectissime ab eodem didicerit, ac executa sit semper, quod ipse dicebat: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Sed quid nos multis de sanctissimæ Virginis humilitate agimus, quæ nunquam potuit, sed nec poterit ullo explicari sermone? Videamus nunc paucis et Filii ejus et ipsius obedientiam.

Profectum quantum fecerit B. Maria in humilitate vera.

Matth. XI, 29.

De se quidem ipse Filius dicit : Non descendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris. Ecce habes obedientiam erga Patrem. Lucas autem Evangelista quodam loco de ipso sic refert : *Descendit Jesus cum parentibus suis*

Obedientia Christi quanta fuerit.

Joann. V, 38.

Luc. II, 51.

in Nazareth, et erat subditus eis. En habes obedientiam erga parentes : sed obedientiam talem, quam aures humanæ sine stupore et tremore vix possint percipere. Quid est enim subditum esse Deum hominibus, Omnipotentem infirmis, Regem regum et Dominum dominorum pauperculis et simplicibus, Creatorem creaturis, Immortalem mortalibus? Neque solum parentibus suis obedivit, sed etiam mortalibus cunctis quantum in ipso fuit. Quis unquam aliquid petiit ab eo, et passus est repulsam? Atque quod magis mirandum, etiam ipsi vilissimo dæmoni se submisit eatenus, quod se permisit ab illo in templi pinnaculum, et in montem excelsum duci.

Obedientia B. Mariæ quanta fuerit.

Quam vero benedicta Mater ejus hanc Deo gratissimam virtutem excoluerit, vel ex hoc solo perspicue liquet, quod nunquam in tota vita sua vel tenuissimo peccato offenderit Deum : adeo semper summe sollicita fuit, ne quid admitteret, quo vel parum displiceret Deo ac Domino suo : potestque rectissime illi aptari versus ille Psalmi primi : *In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Neque contenta fuit languere circa communia, et præcepta duntaxat observare, sed quidquid cognovit præcipue placere Deo, id semper studiosissime executa est. Imo etiam ea, ad quæ non erat adstricta, perfecte servare voluit, humilitatis et obedientiæ causa : cujusmodi est, quod purificationis servavit legem, cum nullas contraxisset sordes, a quibus esset expurganda.

Ps. 1, 2.

Omnis creatura uti merito subjiciatur B. Mariæ.

Merito igitur huic præstantissimæ Virgini ac reverendissimæ Dominæ nostræ subjicitur ac obtemperat creatura omnis cœlestis et terrestris, et quæcumque cœli et terræ ambitu continentur : quandoquidem ipsa perfectissime Deo semper subjecta fuit. Sed quid prodest, dilectissimi, ut has Filii Dei Matrisque ejus virtutes commemoremus, nisi etiam pro modulo nostro eas imitari studeamus? Didicimus humilitatem humilis Dei, didicimus humilitatem Matris Dei, didicimus et utriusque obedientiam, quæ virtus ex humilitate proficiscitur (non enim potest esse vere obediens, nisi qui humilis sit, nec potest non obedire, qui humilitate præditus est), discamus ergo et nos esse humiles, discamus esse morigeri ac obedientes. Utraque virtus ad salutem prorsus necessaria est.

Humilitatem beatus Bernardus definit, quod sit virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi vilescit. Idemque ait quod verus humilis non vult humilis prædicari, sed vilis reputari. Quod est contra hypocritas, qui foris humilitatem simulant, cum animo superbi ac tumidi sint. Quod ut caveamus, divus Hieronymus pulchre admonet, ubi ait : Humilitatem sequere, non quæ ostenditur atque simulatur gestu corporis, ac ficta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimitur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem. Illa multo deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpiora sunt vitia, cum virtutum specie celantur. Hæc ille.

Hum quid

Hi

Ad veram autem humilitatem obtinendam multum prodest, bene perspecta habere, atque ob oculos revocare vitia quibus Deum offendimus, itemque perturbationes sive passiones malas quibus impliciti sumus. Non enim facile erigemur in superbiam, si bene attendere volemus quam viles simus in conspectu Dei ob peccata et vitia nostra, quibus tamen plus satis abundamus. Nihil namque Deo pejus fœtet atque peccatum : et hoc proprie nostrum est. Si qua vero bona in nobis sunt, ea non nostra, sed Dei sunt. Nihil igitur omnino in nobis est, nisi quod pessime fœteat, de illis loquor, quæ vere nostra sunt. Unde igitur superbia intumescimus? Si de ingenii præstantia, si de pulchritudine corporis, si de viribus, si de divitiis, si de quantumvis excellenti eruditione, si denique, quod majus est, de virtutibus ac charismatibus divinitus infusis : hæc omnia aliena sunt, nostra non sunt. Quidquid in

Ad hum tem nam mov

Rat mer null bere nes perb poss

his boni est, quidquid laude dignum est, ex totius boni fonte in nos derivatum est, non ex nobisipsis profectum. Qua igitur fronte inde superbimus? Si extolli animo placet, extollamur de innumeris sceleribus, vitiis et peccatis nostris: hæc enim nostra sunt. Atqui ex his erigi in superbiam, nihil aliud est quam in furorem et insaniam verti. Deinde non parum quoque adjuvat ad humilitatis capessendam gratiam, considerare vilitatem conditionis nostræ quantum ad ipsum corpus attinet, de qua divus *rnard.* Bernardus scribens: Si diligenter, inquit, consideres quid per os et nares, cæterosque corporis meatus egreditur, vilius sterquilinium nunquam vidisti. Itemque: Nihil est aliud homo, nisi saccus stercorum, cibus et esca vermium, post hominem vermis, post vermem fœtor et horror. Et sic in non hominem vertitur omnis homo. Quid ergo superbis, homo, pulvis et cinis? cujus conceptus culpa, nasci miseria, vivere pœna, et mori est angustia. Idem *d.* Bernardus, sermone trigesimo octavo in Cantica canticorum, sententia utitur memorabili, qua non hæc duo tantum, sed etiam alia quædam, quæ animum vehementer humiliant, complexus est, ita dicens: Quomodo non humiliabitur anima in vera cognitione suiipsius, cum se perceperit peccatis oneratam, mole mortalis corporis aggravatam, terrenis curis circumdatam, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicatam multis erroribus, mille periculis expositam, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, et invalidam ad virtutes? Hæc ille.

Magnum præterea ad consequendam humilitatem præstat adjumentum, inspicere sanctorum exèmpla. Hoc enim id efficit in nobis, ut dum aliorum præclara conspicimus gesta ac merita, nos ipsos non solum non extollere audeamus, sed etiam despicere ac deprimere cogamur. Quid est enim vita nostra ad multorum cum Christo in cœlis beatam nunc vitam degentium collata? Hac de re sic dicit beatus Gregorius: Necesse est, qui *Gregor.* in virtute humilitatis proficere desiderat, ut exempla sanctorum virorum conspiciat, atque in eorum comparatione se pensans, se peccatorem esse deprehendat. Hoc adminiculo vel remedio uti debent, qui dum boni quidpiam agunt, aut quædam in se Dei dona animadvertunt, ventum superbiæ patiuntur. Credo equidem si quis præcedentium sanctorum facta æquo perpendat judicio, magis ipsum etiam ex quibuslibet quantumvis præclaris factis suis rubore posse suffundi, quam efferri animo. Verum, ut dicit sanctus Papa Gregorius, hæc reprobi nesciunt: quia mentis oculum semper in infimis premunt Quia, et si quandoque in via Domini veniunt, non ad meliorum vestigia intuenda, sed ad pravorum exempla vertuntur. Neque eorum considerant vitam, quibus se humiliando postponant, sed quibus se superbiendo præferant. Deteriores namque conspiciunt, quibus se meliores esse glorientur. Possent et alia multa, quibus obtineatur humilitas, adduci, sed tempus non patitur. De hac virtute, puta quam ea necessaria sit etiam illis, qui jam virtutibus acquirendis navant opera, pulcherrime dicit Gregorius Papa: Perit omne quod agitur, si non sollicite in humilitate custodiatur. Qui enim virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat.

Ergo, dilectissimi, studeamus humilitati, sine qua nihil Deo gratum esse potest, quantumcumque excellens sit. Si grandem nitimur et sublimem virtutum structuram conficere, fundamenti loco altissimam ponamus humilitatem: quæ quanto fuerit profundior, tanto firmius magisque diuturnum erit totum cæterarum virtutum ædificium. Et si nonnihil laborare oporteat, labor ipse contemnatur virtutis amore. Digna est enim hæc præclara humilitatis virtus, ut ejus adipiscendæ causa labor nullus subterfugiatur. Tot tamque

Fundamentum veri spiritualis ædificii quodnam sit.

eximios effectus habet, de quibus non est jam sigillatim agendum. Deinde ubi humilitatem adepti erimus, virtutes aliæ sua sponte succedent : imprimisque vera tum erga Deum, tum Prælatos, tum alios, maxime quibus parendum est, obedientia, quæ ut diximus, ex humilitate nascitur, nec nisi in humilibus vera ac Deo grata esse potest, nec unquam abest ab humilibus. Quisquis autem illis quibus debet morem gerere non vult, is hoc ipso superbum se esse declarat. Erga Deum quidem summa ac præcipua semper exhibenda est obedientia, ut quidquid ille sive jussit, sive vetuit, ne pro ipsa quidem vita amittenda unquam aut omittatur, aut fiat. Erga Prælatos quoque et Ecclesiæ proceres integra ac sincera obedientia præstanda est, nec dubitet quisquam quin contemptus illis irrogatus in Deum redundet. Sic enim ipse Dominus ait : *Qui vos audit, me audit*; *et qui vos spernit, me spernit*. Et ne quis putet ob malam ipsorum vitam non eis esse obtemperandum, Dominus manifeste ait ad discipulos suos : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite : secundum opera vero illorum nolite facere. Istud difficile non est humilibus, qui neminem contemnunt, neminem judicant, sed se solos omnium vilissimos ex animo putant, atque indiscriminatim quibusvis superioribus suis obediunt, modo ne manifestam præcipiant iniquitatem.

Obedientiam nasci ex humilitate.

Obedientiam quibusnam debeamus.

Luc. x, 16.

Obediendum uti sit etiam malis Prælatis.

Lutherani nostri, spiritu non humilitatis sed elationis pleni, nolunt Romanæ sedis Antistiti atque aliis catholicis Episcopis et superioribus suis obtemperare. Putant enim se nullam eis debere obedientiam. Sed quo auctore ? Luthero scilicet, excucullato monacho, qui ipse primo votum obedientiæ monasticum, omni pudore simul cum habitu religioso rejecto, fregit, ac deinde etiam Romano Pontifici atque adeo toti Ecclesiæ se opposuit. Nec sua damnatione contentus, quoscumque potuit ad eamdem provocavit. Quem libentissime innumera hominum carnalium et mundo huic deditorum turba sectata est. Nimium enim delectabat eos hodieque delectat carnis gaudere libertate, quæ est dirissima servitus, nec ulli parere superiori potestati. Cujus rei præclarum habent exemplum in ipso Lucifero, qui indigne ferens se Deo subjectum esse debere, tale concepit consilium : *Ascendam*, inquit, *super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*. Sed quid evenit misero ? Id quod statim apud Isaiam, unde hæc ejus verba desumpta sunt, sequitur : *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci*. Timeant hæc filii propriæ voluntatis, filii desertores, filii inobedientiæ, qui a catholicæ Ecclesiæ capitibus et membris sese ultro abjungunt, nec per humile ostium quod est Christus, intrare volunt in regnum cœlorum, sed per devia aberrare malunt cum principe tenebrarum, qui nunquam adversus miseros mortales fortior est, quam cum eos a christianæ humilitatis obedientia sese subducere, ac propriæ voluntatis libidini obsequi cernit. Quod utique neque Christus, neque ejus veneranda Genitrix suis nos exemplis docuerunt : qui ut maximum obedientiæ meritum nobis demonstrarent, etiam in illis obedire voluerunt in quibus erant ab omni lege immunes. Quos nos, dilectissimi, imitari decet, et eorum potius quam superbi dæmonis vestigiis ingredi. Nihil est christianæ pietatis humilitate sublimius, nihil submissa obedientia gloriosius. Posteaquam ex paradisi sedibus ob superbiam et inobedientiam detrusi sumus, non alia, qua ad eas reverti liceat, quam humilitatis et obedientiæ, nobis relicta via. Hanc teneamus, in hac perseveremus. Non nos delectet libertas carnis, cujus finis est dæmonum servitus sempiterna apud inferos, sed Christi suave jugum et onus leve mansuetissimis humeris excipiamus. Humiliemur dum in hac misera vita vel potius morte, sumus cum Domino Jesu et ejus piissima Matre, ut exaltemur in die visitationis, quando veniet Dominus exaltare humiles, et humi-

Obedientia Lutheranorum qualis sit.

Luther rebellio in Prælatos Ecclesiæ quanta.

Is. xiv, *Ibid.*

Humili
tem et o
dientia
solam
am esse
regnum
cœlorur

liare superbos, quando pauperes spiritu, id est, humiles obtinebunt regna cœlorum, et superbi cum eo qui est rex super omnes filios superbiæ, demergentur in flammas pice ac sulphure semper arsuras apud chaos tartarorum, justam illis vindictam reddente Domino nostro Jesu Christo, qui est super omnia verendus et benedictus in secula, Amen.

SERMO SECUNDUS IN EADEM SOLEMNITATE

TEMPLUM TRIPLEX, IN QUO CHRISTUS MYSTICE OFFERRI DEBEAT, QUODNAM SIT : QUAS ITEM VIRTUTES IN PURIFICATIONE IDEM CHRISTUS ET DIGNISSIMA IPSIUS MATER NOS DOCUERINT.

SUSCEPIMUS, *Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Psalmo XLVII, 10.

Charissimi fratres, sancta mater Ecclesia peragens solemnitatem hodiernam, solemnitatem Christi, solemnitatem etiam Beatæ et perpetuæ Virginis Mariæ, excitat filios suos ad devotionem et gratiârum actionem Domino Deo Patri pro nativitate Filii sui in carne, pro circumcisione ejusdem, et pro præsentatione seu oblatione illius in templum, et pro illius manifestatione, quæ hodie clarior fuit, quam in ejus nativitate vel apparitione. Nam in nativitate solis pastoribus, in apparitione Magis, hodie vero apparuit omnibus fidelibus cum testimonio solemni justi Simeonis et devotissimæ viduæ sanctæ Annæ. Idcirco statuit mater nostra sancta Ecclesia in principio Missæ præallegata verba cantari hodie : Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Quæ verba tripliciter possunt intelligi, secundum quod templum tripliciter potest accipi : scilicet litteraliter pro templo materiali, vel mystice pro Beata Virgine Maria : sive moraliter pro nobis ipsis.

Templum triplex uo l quo- odointel- gendum.

Primo, litteraliter et secundum historiam accipitur templum pro materiali templo Salomonis, in quo hodie suscepimus misericordiam Dei, id est, Jesum Christum Dominum nostrum, qui non venit judicare mundum, sed salvare, qui semetipsum hodie Deo Patri obtulit et seipsum redemit, et obtulit hostiam pro peccato. Non tamen se redemit quasi obnoxium peccato, vel in aliquo debitorem : sed redemit nos in seipso : quia nos corpus unum multi sumus in ipso. Hanc porro oblationem et præsentationem Christi in templum materiale docet hodie Evangelica historia, in qua breviter tangitur quomodo Christus Dei et Virginis Filius voluit in templum offerri.

Christus quomodo seipsum redemerit.

Sed dicitis : quare voluit in templum offerri? Interrogo et vos : quare voluit nasci? Quare voluit circumcidi ? Quare voluit et postea crucifigi, et tandem mori? Omnia, charissimi, propter nos fecit. Nam sicut non habuit necesse, propter se scilicet, crucifigi aut mori, ita non fuit ei etiam necessarium in templum præsentari aut nasci. Nobis necessarium fuit, nobis utile fuit, non solum ad redemptionem nostram, sed etiam ad instructionem nostram. Talia enim sunt opera et passiones Christi, tam fructuosa, quod non solum prosunt, sed etiam erudiunt. Profuit quidem hæc observantia legis. Nam, ut sanctus Thomas dicit, Christus voluit sub lege fieri, et præcepta legis servare, quum tamen esset auctor legis, ut eos qui sub lege erant redimeret, et ut justificatio legis in suis membris impleretur. Duplex enim præceptum in lege de prole nata traditum erat. Unum quidem generale, quoad omnes, ut scilicet completis diebus purificationis matris, offer-

Christus cur voluerit hodie offerri in templo.

Opera et passiones Christi ut non solum prosint, sed et erudiant.

Galat. IV, 5.

Quænam purificandis lex præscripserit.

retur sacrificium pro filio vel filia. Et hoc sacrificium erat ad expiationem peccati, in quo erat proles concepta et nata, et etiam ad consecrationem quamdam ipsius pueri : et idcirco offerebatur aliquid in holocaustum, et aliquid pro peccato. Aliud autem præceptum erat speciale in lege de primogenitis, tam in hominibus quam in jumentis. Sibi enim deputaverat Deus omne primogenitum filiorum Israel, pro eo quod ad liberationem populi Israel percusserat primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus, primogenitis filiorum Israel reservatis. Quia igitur Christus natus erat ex muliere, et erat primogenitus, et voluit sub lege fieri, idcirco hæc duo servavit, quod scilicet fuit in templum præsentatus, et pro eo oblatum sacrificium, scilicet par turturum vel duo pulli columbarum. Et quia erat etiam primogenitus, ideo fuit redemptus quinque siclis.

Præsentatio Christi in templo quas virtutes nos doceat.

In hac autem præsentatione habemus tria magna documenta, sive exempla trium magnarum virtutum, tam ex parte Domini Jesu, quam ex parte Beatæ Virginis Mariæ. Primum exemplum vel documentum fuit magnæ humilitatis. Primo in Maria Virgine : quæ licet virgo conceperat, virgo et clauso ventre, et sine dolore genuerat, nec cæteris defectibus et inconvenientiis muliebribus, quæ evenire parientibus solent, subjacuerat, tamen ex humilitate voluit se assimilare cæteris corruptis mulieribus. Nam abstinuit per septem dies a consortio hominum, tanquam immunda, et triginta tribus diebus ab ingressu templi, et alia servavit quæ in lege habebantur, ac si indiguisset tali purificatione. Servavit bene illud dictum sancti Gregorii, dicentis : Bonarum est mentium ibi culpam agnoscere, ubi nulla est culpa. Et illud sancti Bernardi : Verus humilis non vult humilis prædicari, sed vilis reputari. Secundo, magna humilitas apparuit Jesu Christi, quod voluit pro se hostiam offerri pro peccato, ac si fuisset conceptus et natus in peccato, a quo oportuit eum expiari. Sed, bone Jesu, quid habes expiandum? Unde contraxisti peccatum? Non a Patre, quia Pater tuus Deus est, in quem non cadit peccatum. Et tu Deus es ex Deo : non tamen duo dii, sed cum Patre et Spiritu Sancto unus es Deus. Nam secundum carnem non habes patrem, sed tantum Matrem, sed virgo est, tota pulchra, et macula non est in ea. Non concepit libidine, sed fide. Accessit ad eam Spiritus Sanctus, et de purissimis guttulis sanguinis ejus formavit tibi corpus in utero virginali, et virginem intactam et clausam reliquit, sicut invenit. Non est ergo in te peccatum, qui es speculum sine macula, imago Dei Patris, et figura substantiæ ejus. Nos sumus qui expiamur a peccato in te, quia membra tua sumus. Tu caput es. Sanum quidem est caput, verum membra infirma sunt, a capite, id est, a te sananda.

Gregor.

Bernard.

Humilitas in purificatione B. V. Mariæ quanta fuerit.

Humilitas Christi in sua præsentatione quanta fuerit.

Secundo, exhibuit exemplum magnæ paupertatis, quia voluit offerre pauperum hostiam, id est, par turturum, vel duos pullos columbarum. Nam soli divites offerebant agnum. Non autem est mirum, quod etiam hic servavit paupertatem, quam in tota vita sua semper elegit. Nam quum in sua optione esset eligere tempus, locum, modum, et conditionem, et parentes de quibus vellet nasci, elegit quod mundo esset abjectius et despectius, et carni pœnalius. Nam parentes pauperes, locum despectum, derelictum et magis ignotum elegit, tempus quod esset pœnalius infanti, scilicet, propter frigora. Unde voluit nasci in tempore magis contrario infanti, scilicet hyeme, et de nocte. O bone Jesu, quum sis Creator omnium, et tuæ sint divitiæ et gloria, quare præ omnibus divitiis elegisti paupertatem ? Si bonum est, quod elegisti, quare non omnes eligunt hoc bonum ? Quare filii hominum, filii hujus seculi sic quærunt divitias, sic quærunt magnificari super terram, exaltari super homines, quum tale exemplum a te non viderunt, qui es summa sapientia ? Certe si hoc bonum esset, tu ipse hoc elegisses. Sed quia non elegisti, vel tu errasti, vel ipsi errant. Sed quis dicere

Paupert Christi ejus Mat quanta f erit in p rificati one.

Paupert tem cur Christus omnibus prætuler divitiis.

Mundu totus cu sit in err re const tutus.

potest te errasse, qui es sapientia summa et æterna? Ergo quia non errasti, nec errare potes eligendo paupertatem, sequitur quod totus mundus errat, qui quærit et colligit perituras divitias.

Obedien-
a Chri-
i et ejus
latris.

Tertio, exhibuit exemplum magnæ obedientiæ, quia servavit Beata Virgo cum Filio legem, ad quam non tenebatur. Notate verba legis, et videte si Beata Maria debuit illi subjici. *Dixit Dominus ad Moysen: Hæc dices filiis Israel: Mulier si susceptio semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus.* Quid necesse fuisset addere, suscepto semine, nisi Moyses a Domino illuminatus, cognovisset Mariæ virgineum partum sine semine? Quia nisi cognovisset, superfluum fuisset addere, suscepto semine. Nam nulla alia mulierum concepit sine suscepto semine. Unde nisi voluisset excipere Mariam, superflua fuisset talis locutio. Nam talis est ejusmodi locutio, ac si vobis diceretur: Quicumque fregerit silentium lingua, recipiet disciplinam. Quid est necesse addere, lingua? Non enim frangitur silentium manibus vel pedibus. Sic non fuisset necesse dicere: Mulier quæ suscepto semine parit, quia omnes de semine pariunt viri. Sed Moyses ex inspiratione divina noluit blasphemiam irrogare in Matrem Domini, ut diceret: Omnis mulier quæ parit, immunda erit: sed propter ipsam excipiendam a tali lege, dixit: Mulier quæ suscepto semine parit, immunda est. Sic non peperit Maria: ideo hæc lex non tangebat eam, nec tenebatur eam servare. Attamen propter obedientiam (quæ facit plus quam tenetur) voluit servare legem istam.

evit. XII,

Mariam
rientem
se puri-
cantem
ceptam
isse a le-
Moysi.

Hic jam licet vobis cogitare, et vobisipsis formare historiam, quomodo scilicet, et cum quanta devotione Beata Virgo Maria et Joseph cum puero Jesu ascenderint de Bethleem in Jerusalem. Non sunt omnia scripta gesta Salvatoris, nisi quæ maxime necessaria fuerunt fidei: quia Deus voluit ut in talibus nos exercitaremus, cogitando quomodo facta sint. Indubium tamen est, quin Beata Virgo maximam devotionem habuit et gaudium, quod Dei Filium et suum bajulavit in templum, et obtulit Deo Patri, et redemit ipsum quinque siclis. Intellexit quoque, quod hoc præsignatio quædam erat, quod videlicet Christus Filius suus se postmodum in perfecta ætate oblaturus erat Deo Patri in cruce pro peccatis totius mundi, et redempturus omnes homines quinque vulneribus suis. Interea autem venit ille sanctus Simeon, de quo audistis in Evangelio. Venit autem in spiritu in templum, hoc est, ex revelatione Spiritus Sancti, qui revelavit præsentiam Mariæ, cum Filio Christo et vero Messia, et dixit: Ecce, Simeon, completum est desiderium tuum. Ecce jam videbis Messiam tibi promissum. Vade igitur cito ad templum, et ibi eum reperies, et brachiis tuis eumdem accipies, et devote adorabis. Cogitate nunc cum quanto gaudio, cum quanto fervore sanctus ille senex properavit ad templum: considerate cum quanta reverentia Salvatorem mundi adoravit, cum quanta fiducia ipsum de manibus Beatæ Virginis accepit, quæ illum benignissime et libentissime eidem dedit: cum quanta item dulcedine et amore illum inter brachia ad pectus suum strinxit, et osculatus est. Credendum est, quod hæc vel similia verba potuit dicere: O benedicte puer, tu es Creator meus, tu es Deus meus, tu es redemptor meus, tu es redemptio Israel, et exspectatio gentium, tu desiderium Patrum nostrorum, tu Prophetarum oraculum. Istæ sunt manus quæ fabricaverunt universum mundum. Isti sunt pedes quorum scabellum adoratur. Isti sunt oculi contemplantes bonos et malos, quibus nihil est absconditum. Nunc lætus moriar, quia videre te merui. Nunc ergo dimitte me exire de hoc seculo, ut tam felix et bonum nuntium deferam Patribus in lymbo, qui te exspectant. Dimitte me cum gaudio mori, ne cum tristitia postea videam te a populo nostro reprobari, crucifigi, et inter duos latrones mori. Tunc convertit se ad circumstantes et prædicavit, quia ipse erat

Devotio et gaudium B. Mariæ in Filii oblatione quanta.

Simeon uti venerit in spiritu in templum.

Devotio Simeonis ad Christum infantem quanta.

Oratio Simeonis ad Christum infantem.

Prophetia et concio Simeonis.

Gesta et
rba om-
i Chri-
cur non
nt scri-
a.

Luc. II, 34. 35. Christus, et quod positus est (sicut in Evangelio habetur) in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Et ad Mariam : Tuam, inquit, animam pertransibit gladius. Ubi prædixit ei Filii passionem, et ejus, scilicet Matris compassionem. Postea in gratiarum actionem cantavit canticum, quod hodie

Canticum Simeonis. cantatur in receptione candelarum : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, id est, secundum promissum tuum, in pace, etc. Adveniebat etiam san-

Annæ viduæ et prophetissæ commendatio. cta Anna, non mater Beatæ Mariæ, sed prophetissa, filia Phanuel, quam laudat Evangelium. Hæc vixerat septem annis cum viro suo a virginitate sua. Et hæc vidua erat usque ad annos octoginta quatuor, quæ non recedebat de templo jejuniis et obsecrationibus, serviens Deo die ac nocte. Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel. Et quum omnia peracta erant secundum legem Domini, rediit Maria cum Joseph et Puero in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. Ivit etiam Simeon domum laudans et benedicens Deum. Et quum ad domum suam pervenisset, genibus flexis in terram, manibusque et oculis in cœlum elevatis, gratias agens Deo de tanto mysterio sibi revelato, feliciter reddidit spiritum.

Luc. II, 37.

Mors S. Simeonis.

Cogitate inter hæc, quantum gaudium habuit Beata Maria quum hæc omnia tam miranda aspiceret : quantum gavisa fuit,

Hostiam quam præcellentem hodie obtulerit B. Maria in templo. quod obtulit Deo gratissimam hostiam, scilicet Filium suum : et idcirco placavit eum mundo. Non fuit talis hostia oblata ab initio mundi. Quantum gavisa fuit, quod Filius suus ita agnoscebatur et prædicabatur Christus a viris et mulieribus tam mirabi-

Compassio B. Mariæ mixta cum gaudio. liter ad Dei gloriam. Habebat tamen dolorem mixtum cum gaudio, quando audivit mentionem fieri de passione Filii, sicut Simeon prædixit : licet ipsamet melius sciret ex Scripturis et revelationibus, quam Simeon : tamen ex verbis Simeonis in memoriam reducebatur magis.

Secundo, dixi quod verba thematis possunt mystice intelligi, ut per templum intelligatur Beata Virgo Maria, sic : Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui, id est, in Beata Virgine, quæ est templum Dei, non solum ob hoc, quia Deus in ea etiam corporaliter habitavit : sed etiam propter multas conditiones conveniens cum templo. Nam sicut ad templum confugiunt omnes, diversas petitiones et vota offerentes Deo : sic ad Beatam Mariam specialiter omnes devoti currunt, qui habent aliqua vota offerre Deo, quæ citius volunt impetrare. Et sicut templum, id est, ecclesia habet privilegium, ut rei qui illuc confugiunt sint immunes ab omni violentia, et judex non potest contra eos agere : sic confugientes ad Beatam Mariam, immunes sunt a violentia dæmoniorum, et suspendunt sententiam judicis Dei, quousque Beata Virgo ipsum placaverit : quia Deus neminem damnat, qui sub alas confugerit Beatæ Mariæ. Propterea dico quod ipsa est templum misericordiæ. Quis fugit ad hoc templum, id est, ad Beatam Mariam, et non munitus est ? Quis invocavit eam pro misericordia, et exauditus non est ? Quis clamavit ad eam in tribulatione, et consolatus non est ? Quis habuit fiduciam in illa, et deceptus est ? Quis commisit se illi, et derelictus est ? A solis ortu usque ad occasum non est qui se abscondat a calore misericordiæ et pietatis ejus. Ipsa est potentissima et benevolentissima reconciliatrix omnium pœnitentium peccatorum. Per ipsam venimus ad Dei gratiam, quotquot venimus. Sicut piscibus ponitur in hamo esca, ut intrent et capiantur : sic Dominus Deus (sicut revelavit Sanctæ Catharinæ de Senis) Beatam Mariam posuit escam miseris et desperatis peccatoribus, ut intrent hamum pœnitentiæ. Multi sunt et innumerabiles peccatores, indurati et desperati in peccatis, qui considerantes sua scelera et Dei justitiam et severitatem, non audent se convertere et intrare hamum pœnitentiæ : quos tamen feliciter et misericorditer Deus decipit, capit et imponit eis escam, id est, recordationem mansuetudinis, pietatis et

dulcedinis Mariæ, et ad illam accedunt, ad illam mordent et capiuntur : quia acquirunt amorem ad illam, incipiunt ei servire, et paulatim cognitionem et confidentiam de Deo, et sic incipit displicere eis vita ipsorum : quia Beata Domina non cessat, donec devotos suos reconciliet cum Deo. Deus et Dominus noster Jesus Christus est justus et misericors, et fecit quasi quamdam divisionem cum Matre sua. Reservavit sibi justitiam, et Matrem suam præfecit super misericordiam, fecitque eam thesaurariam et dispensatricem. Quare non servavit sibi talem dispensationem ? Quare commisit Matri ? Quia scit omnes indigere misericordia, omnes clamare pro misericordia : quia omnes sumus miseri. Nemo autem clamat ad Deum pro justitia. Quare ? Quia omnes sunt rei, malefactores, sibique male conscii. Omnes autem, ut dixi, clamant et quærunt misericordiam, et idcirco dispensationem misericordiæ commisit non viro, sed mulieri piissimæ, benevolentissimæ, largissimæ, dulcissimæ, amicabilissimæ, ad quam omnes bene audent accedere, quia neminem spernit, nemini improperat delicta, sed compatitur, excusat, et omnia vertit in melius, tantum ut se peccator peccatorem agnoscat. Et ideo confidenter accedamus ad eam pro misericordia, quia hoc est officium ejus, commissio ejus, ut subveniat pœnitentibus. Ad hoc enim est ipsa electa, et facta Mater Dei, ut per eam peccatores inveniant gratiam. Et ipsamet dixit ad quemdam suum devotum, quod peccatores sunt gloria sua. Quare ? Quia sicut Christus non fuit incarnatus et passus, nisi propter peccatores (sicut ipsemet dicit : *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Et : *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus*), sic Beata Virgo Maria non fuisset Mater Dei, si non fuissent peccatores. Quia si nullus fuisset peccator, non fuisset opus Deum incarnari. Et si non fuisset Deus incarnatus, ipsa non fuisset Mater Dei, quod est maxima gloria ejus. Ergo propter peccatores venit ei ille supremus honor, quo non potest major esse post Deum, id est, esse Deum. Ideo hoc officium non negligit, sed nec cessat, donec Deum reconciliet omnibus devotis suis pœnitentiam facientibus.

Christus ır Ma- em suam cerit di- ensatri- m super gnum isericor- æ.

eccatores r sint oria B. ariæ.

atth. IX, .

Ibid. 12.

Tertio potest accipi templum pro anima hominis devota, secundum quod dicit Apostolus : *Nescitis quia templum Dei estis vos ?* Et iterum : *Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti qui in vobis est ?* Sumus igitur templum Dei, si in gratia Dei sumus, si charitatem Dei habemus et proximi. Et in hoc templo suscipimus misericordiam Dei et Domini nostri Jesu Christi, per renovationem ferventioris charitatis, si nobis insunt illæ conditiones quæ scribuntur de sancto Simeone, qui figuram gessit nostri. Primum quod de eo scribitur, est interpretatio nominis. Simeon enim interpretatur audiens tristitiam. Ille ergo audit tristitiam, qui compatitur super afflictione proximi, qui tristitiam fratris sui reputat suam, qui portat patienter onera et defectus proximi sui. Tales sunt misericordes, compatientes, et recipiunt Dominum in corde suo. Secundo scribitur de eo, quod fuit in Jerusalem. Jerusalem interpretatur visio pacis. Qui ergo Dominum vult habere in corde suo, oportet ut habeat pacem in corde suo : quia in pace factus est locus ejus, ut dicit Psalmista. Si vis habere pacem in corde tuo, serva mandata Dei, redde ei vota tua, ut non reprehendat te cor tuum in omni conversatione tua. Serva obedientiam et reverentiam superioribus tuis, concordiam et charitatem cum fratribus. Noli intromittere te cum iis quæ ad te non pertinent et quæ tibi non sunt commissa. Noli alios curiose observare : secreta eorum et defectus studeas potius nescire et non videre, quam scire : ut sis tanquam mutus et surdus et cæcus, quia si volueris alios observare, incident tibi suspiciones, amaræ cogitationes, temeraria judicia, quæ communiter erronea sunt, et continuo minoratur charitas, cum minus bene sentis de proximo tuo. Per hoc tamen non debet intelligi, quin aperta et majora peccata debeamus corripere, imo tenemur,

Templum uti signet hominis cujusque animam.

I. *Cor.* III, 16

Ibid. VI, 19.

Simeon quid signet.

Jerusalem quid sonet.

Ps. LXXV, 3.

Pacem pectori quænam præstant.

Observatio aliorum curiosa quæ mala generet.

servatis conditionibus debitis, vel denuntiare iis, qui habent corrigere, quando speratur de emendatione, alias tutius est, vel tempus exspectare, vel pro eis ex charitate orare. Tertio, dicitur quod fuit justus. Ille dicitur justus, qui reddit unicuique quod suum est, qui facit proximo suo sicut vellet sibi fieri : et quæ odit sibi fieri, alteri non facit. Non detrahit, quia non vult sibi detrahi. Non despicit proximum, quia non vult sperni. Non facit injuriam, quia injuriam sibi fieri non vult. Quartum est, quod fuit timoratus : quia *initium sapientiæ timor Domini :* et timorem Dei comitatur humilitas, cum qua libenter habitat Dominus, juxta illud : *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos?* Quintum est, quod exspectabat consolationem Israel, consolationem spiritualem et divinam. Qui Christum vult in templo sui cordis recipere, necesse est ut non quærat humanam et mundanam consolationem quæ repellit divinam, juxta illud divi Bernardi : Delicata est divina consolatio, et non datur admittentibus alienam. Qui ergo hæc quinque præmissa in se habet, necesse sequitur, ut habeat etiam sextum, quod sequitur. Et Spiritus Sanctus erat in eo. Nunc ergo, charissimi, mundemus templa nostra, id est, corda nostra, ut in his recipere mereamur Dominum nostrum Jesum Christum. Studeamus obtinere ab intra in spiritu, quod foris ostendimus signo. Quid est hoc? Quando accedimus ad gradum altaris accipientes candelam, repræsentamus quod recepimus Christum sicut sanctus Simeon. Per candelam enim significatur Christus. Per ceram mundam, caro ejus, quæ est sine viri semine ex Maria Virgine operatione Spiritus Sancti formata. Per lichnum ejus anima, et per ignem divinitas. Hæc tria fuerunt in Christo. Accedamus ergo, non ex consuetudine quadam, sed cum fervore et spirituali meditatione, desiderantes et orantes Dominum, ut dignetur se dare nobis. Cum autem denuo offerimus cereum, offeramus candelam, id est, Christum iterum cum spirituali meditatione. Offeramus eum Patri cœlesti in remissionem omnium peccatorum nostrorum, in suppletionem omnium negligentiarum, et in gratiarum actionem omnium beneficiorum nobis exhibitorum, ut sicut sanctus Simeon, mereamur in pace dormire et æternaliter cum eo gaudere. Quod præstet nobis idem Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, benedictus in seculorum secula, Amen.

Justus quis dicatur.

Timor Domini quomodo acquiratur.

Ps. CX, 10.

Is. LXVI, 9.

Consolatio quænam sola quærenda sit.

Bernard.

Spiritui Sancto uti locus paretur.

IN FESTO

SANCTÆ AGATHÆ

VIRGINIS AC MARTYRIS SPONSÆQUE CHRISTI

Paraphrasim in Epistolam et Exegesim in Evangelium quære supra in festo S. Barbaræ virginis et martyris.

SERMO IN EODEM FESTO

DE SERVANDA MENTIS ET CORPORIS INTEGRITATE.

ECCE *sponsus venit, exite obviam ei.* Matthæi XXV, 6.

Inter cætera omnipotentis Dei miracula, non postremum obtinet locum, dilectissimi, quod virgines quasdam non solum divitiis, nobilitate generis multisque aliis bonis vitæ hujus illustres, sed etiam ætate pariter ac sexu fragiles fecit pro sui amore primum quidem contemnere facultates omnes et quidquid in mundo habere potuissent, deinde etiam corpora sua tormentis omnibus summa cum alacritate exponere. Quis enim non obstupescat teterrimas et solo auditu horribiles tyrannorum carnificinas, promptissimis animis et jucundis vultibus subiisse puellas nobiles, nutritas in deliciis, quæ ex ipsa sexus infirmitate pene ad omnem folii strepitum trepidare solent? Verum hic manifestam Dei virtutem agnoscimus et prædicamus, et quoad possumus benignissimi Creatoris immensæ pietati gratias agimus, quod ob sui nominis propagandam gloriam, suamque potentiam declarandam, illustres ac tenerrimas virgines in tantum cœlestis gratiæ suæ firmavit robore, ut nulla persequentium crudelitate potuerint a fidei catholicæ integritate, a veritatis professione, ab unitate Ecclesiæ, ab individua electorum omnium charitate separari. Quarum certe præclarissimis exemplis nos utilissime instituimur, ne quidquam unquam veritati, justitiæ, ecclesiasticæ unitati, fidei sinceritati, et Dei ac proximi charitati ita præponamus, ub ab his nos abduci aut avelli patiamur. Ad hoc animat nos vel maxime virginis hujus sacratissimæ Agathæ, cujus hodie solemnitate lætamur, invicta constantia, quæ tyranni blandas promissiones juxta ac terribiles comminationes derisit, malens Christo Jesu fortiter inhærere etiam cum rerum omnium atque ipsius etiam florentissimæ juventutis dispendio, quam vel summa cum felicitate præsentis vitæ ab illo discedere. In qua nimirum admiranda virgine multa suppetunt, quæ possint merito summe commendari, sed nos ex pluribus ejus virtutibus integerrimam animi et corporis illius virginitatem, et virgineam integritatem paucis ita suscipimus prædicandam, ut plurimos optemus ad tantæ virtutis amorem ac studium provocare.

Esto impurissima Lutheranorum fæx,

homines mente et corpore corrupti, et Epicuri potius quam Christi sectatores, nobis obganniant, cupiantque omnes sui similes, id est, voluptatum mancipia efficere. Quorum neque exemplis neque verbis quisquam debet commoveri. Nam quod aiunt virginitatem aut continentiam esse servatu impossibilem, idque confirmant verbis illis Sapientis : *Scivi quod aliter non possem esse continens, nisi Deus det,* nihil habet roboris. Quis enim nesciat, qui virginitatem servant non suis viribus, sed Dei adjutorio id agere ? Et ut nemo potest esse absque Dei ope continens, ita nec humilis, nec patiens, nec mitis, nec ulla omnino vera quis virtute potest esse præditus. Atque cum absque Deo nil possimus, num propterea consequens sit cuncta nobis esse impossibilia ? Ipse Dominus ait : *Sine me nihil potestis facere :* sed idem rursus affirmat : *Quæ apud homines impossibilia sunt, possibilia sunt apud Deum.* Cujus simile est illud Apostoli : *Gratia Dei sum, id quod sum.* Itemque illud : *Omnia possum in eo qui me confortat.* Non est igitur consequens virginitatem aut continentiam nobis esse impossibilem, eo quod absque Dei auxilio nobis impossibilis aut imperfecta sit. Cui vero unquam Deus virtutes negavit ? Cui unquam noluit ferre suppetias, quando etiam ipse præcipit ut oremus, seseque daturum pollicetur ? Ille ergo cujus egemus adjutorio, et petere nos jubet, et certissime promittit, quia veritas est, sese preces nostras exauditurum. Verba illius hæc sunt : *Amen dico vobis, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quibus igitur ea a Deo voluntas præstita est, ut velint permanere virgines, ii, teste Apostolo, beatiores sunt. *Qui* enim *cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est,* ac mente distractus ob curas multijuges. *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo :* sicque animo erga Deum collecto et unito permanet.

Sap. VIII, 21.

Joann. XV, 5.

Matth. XVIII, 27.

I. *Cor.* XV, 10.

Philipp. V, 13.

Virginitatem cum Dei gratia fore servatu possibilem.

Joann. XVI, 23.

I. *Cor.* VII, 32, 33.

Attamen nemo præfidat se ex seipso aut habere aut servare posse virginitatem vel continentiam : maximeque caveant qui virgines sunt ne nitantur sibiipsis, ne sibi nimium tribuant virium, ne se jactitent, sed timeant semper, et omnes peccandi vitent occasiones : denique cœlestis gratiæ auxilium perpetuis sibi precibus concilient. Tum vero non dubitent quin Deus sit opem laturus, si tamen pia cum fiducia et perseverantia petant. Ita nimirum sentient sibi possibile permanere virgines aut continentes, uti id innumeris utriusque sexus et fuit et est etiamnum possibile. Et quid hoc de christianis commemorare attinet, quando etiam apud ethnicos plures novimus honestas matronas diuturnam continentiam, et plurimas virgines perpetuam carnis retinuisse integritatem, adeo ut ante Christum natum etiam extiterint multæ, quæ voto fuerint obstrictæ ad servandam virginitatem, itemque inclusæ ? Quarum etiam erant immanissima, si votum dæmoni præstitum violassent, supplicia et terribile mortis genus. Quæ tamen hoc loco exempla referre superfluum fuerit, quandoquidem ejusmodi vel continentia vel virginitas nullam neque laudem, neque gloriam, neque coronam aut præmium habet apud Deum, eo quod ob Dei nomen et gloriam in recta ac vera fide minime servata sit. Et abunde quidem cuilibet sufficere possunt sacræ historiæ Ecclesiæ catholicæ, ubi plurima proponuntur sanctæ virginitatis exempla, etiam in tenerrimis ac ditissimis et nobilissimis puellis, quarum perplures suam Deo obtulerunt virginitatem, neque ullis sive ignis, sive aquæ, sive eculei, sive gladii tormentis, non avulsione uberum, non totius corporis dissipatione, aut etiam denudatione, quæ castis virginibus sæpe molestior est quam alii cruciatus, non denique violentæ mortis acerbitate eo adduci potuere, ut a virginitatis proposito discederent, et extra amantissimum sponsum suum Christum Jesum, cui se dediderant, ullum alium virum amoris aut voluptatis causa admitterent. Usque adeo fortis erat in eis

Dei dilectio, imo ipsa morte fortior. Harum exempla et res gestas, quarum jam nomina scripta sunt in cœlis, quæque annuam in Ecclesia eamque honorificam obtinuere memoriam, ob oculos versare debent, quibus est virginitatis studium, ut eas imitentur. Porro carnales et impuros hæreticos, votifragos monachos et moniales sinant Lutherum suum ejusque similes sectari : nec eorum dictis offendantur, quorum vita non est consona spiritui, neque Evangelio aut verbo Dei, quamvis ore multa garriant de Scripturis, et etiam litteris quibusdam verbum Dei suis gerant assutum manicis aut vestibus. At vita illorum nonnisi carnalis libertas, erga sanctam Ecclesiam catholicam præfracta inobedientia, Dei contemptus, et perversa ac contorta Scripturæ Sacræ interpretatio est. Sed illos modo prætermittimus, sentient propediem severum districtumque Dei judicium.

Cæterum, hortamur et obsecramus omnes in Domino Jesu, qui virgines sunt, ne tantum thesaurum, virginitatem loquor, adeo sibi patiantur vilescere, ut pro vilissima ac momentanea delectatione illum velint amittere. Si quibus aliis mundo huic deditis non libet continenter vivere, sinant illos inire matrimonium, a quo vix anno absoluto se cupiant absolutos, ubi multa ferre habeant jurgia, ubi semper necesse sit timere pellicem aut adulterum, ubi longe majora pluraque experiantur fastidia quam gaudia, ubi denique innumeras cogantur experiri calamitates et curis angi perpetuis. Virginitas sponsum habet immortalem, omnipotentem, nobilissimum, pulcherrimum, nunquam defecturum aut interiturum, cujus pulchritudo et amabilitas nunquam imminuitur, cum quo et ipsa manet immarcescibilis, et æternis perfruetur gaudiis. Sponsus iste nunquam senescit, nunquam discedit, nisi ipse prior derelinquatur. *Ipse prior dilexit nos, et lavit nos in sanguine suo,* et annulo fidei et charitatis despondit sibi, et mortem nostra causa perpessus est. Absit igitur, ut qui virginitatem suam Domino dedicarunt, doleant si consanguineos aut cognatos suos videant gemmis, auro et argento, præclarisque monilibus ac ornamentis fulgere, imo luto et stercore obvolvi, se vero mundo despectos vivere. Illi de terra sunt, et terrenam aucupantur gloriam, lutoque sese ornant, deturpant prope dixerim : quod totum vanum et caducum est. Vos autem (virgines alloquor) meliorem partem elegistis, portio vestra neutiquam de terra est. Niteant illi in oculis hominum : vos potius curetis, ut in oculis Domini humilitate, castimonia, mansuetudine et divina charitate fulgeatis. Hæ vestræ gemmæ, hæc vestra monilia et margaritæ sunt. Nihil vos permoveat, quod illos hic cernitis celebrare nuptias et jucundos dies ducere : neque eorum optetis similes effici. Non vos mœror contrahat, tanquam qui sine nuptiis, sine sponso vel sponsa, sine tripudio et gaudio sitis. Temporaria miserorum gaudia conspicitis, sed quid, obsecro, divus Job ait de illis, qui absque Dei timore exultant? *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Ecce hæc merces eorum, qui sine timore Dei lætantur. Quamvis autem nonnullos reperire liceat Deum timentes, atque etiam in ipso conjugio multi fortassis degant, qui tamen in morem pecorum non totos sese in libidinem abjiciant, sed metuant Dominum, eidemque per amorem potius quam conjugi devincti sint : at nihilominus, qui virginitatem suam Domino dedicarunt, ob carnis integritatem et munditiam, præ illis qui in matrimonio vixerint, singulari eaque splendida fulgebunt corona, nonnisi virginibus præstanda : quod tamen de illis dictum sit virginibus, qui virginitatem custodiunt ob honorem Dei, secumque firmiter statuunt perpetuo virgines permanere, propter Deum. Qui vero sic manent virgines, ut opportunitatem et felicem aliquam conditionem sibi obtingere cupiant, quo possint inire conjugium, nec fixum habent

Ornamenta virginum quænam sint.

Job XXI, 13.

Virginitas quali gaudii corona in cœlo coronabitur.

Virginitas quæ minus placeat Deo.

perseverare in virginitate, ii etiamsi moriantur virgines, non tamen habent virginum coronam aureolam, eo quod ita decesserint ex hac vita, ut si ejus grata se offerret conditio, matrimonium contrahere voluerint, si manerent superstites. Cæterum qui vel in cœnobio vel extra cœnobium fixam habent voluntatem causa amoris Christi in virginitate perseverandi, ii si probe se gerant, cœlestem etiam in terris agunt vitam : adeoque angelica natura virginibus veris tam familiaris et amicabilis est, ut fratres suis sororibus. Quod enim Angeli ex natura obtinent absque carne et sanguine, virgines ex Dei gratia in carne possident : atque eo ipso major est victoria virginum quam Angelorum. Unde etiam delectat Angelos adesse virginibus, utpote in quibus sibi gratissimam inveniunt puritatem, etiamsi id ipsi non sentiant, modo tamen caste et pudice sese gerant. Caste autem sese gerunt, si nulli sensuum aut carnis voluptati consentiant. Porro si quid in somnis aut vigilia invitis eveniat, nihil conscientiam aut animam lædit, quandoquidem nihil inquinare eos potest, nisi quod volentes sive agant, sive patiantur. Quidquid autem voluntati contrarium est, non delectat id quidem, etiamsi inviti delectationem sentiant, sed est animi crux quædam. Et revera, virginitatem probe tueri martyrii genus est. Atque ea re si rite decertent virgines, ut jam diximus, habent coronam aureolam instar martyrum. Siquidem hostem quemdam inexpiabilem perpetuo circumferunt, puta carnem suam : quam si, juxta Pauli doctrinam, ita possint vincere ac mortificare ut secundum spiritum non secundum carnem vivant, magnam sane consecuti sunt victoriam, dignique sunt præ aliis non virginibus, coronam recipere singularem, eo quod multas superarint tentationes, sintque sibi ipsis mortui propter Christum, sicut et Christus illorum causa mortuus est. Nimirum Christus ipse sponsus virginum virgines amat, exspectatque eos, ut in suum et ipsorum regnum eos introducat. Cum enim castæ animæ sint sponsæ Christi, certum est etiam reginas eas esse, et consortes regni ac regiæ dignitatis illius. Igitur curandum est virginibus, ut nullis sese cogitationibus, desideriis, imaginationibus fœdis carnalium, nuptiarum, oblectamentorum aut gaudiorum commaculari sinant : sed certum habeant, qui hic modo etiam summis videntur pollere honoribus, eos ubi in regnum suum ad sponsum suum venerint, vix famuli loco se habituros. Non est enim ulla cœlestium et terrenorum comparatio. Quod altum est hominibus in mundo, vile est apud Deum : et quod mundus despectui habet, Deo charius est. Temporales nuptiæ et gaudia plerumque in tristes desinunt exitus : et licet initio magnam præ se ferant jucunditatem, tamen paulo post multis permiscentur curis et angoribus, et gaudia vana undiquaque conquisita cito evanescunt. Virginum autem nuptiæ, non aut duos, aut sex vel octo dies, sed æternum durabunt, accipientque coronam immarcescibilem, gaudium immortale, nuptias nunquam desituras, et castissimo divinoque cœlestis sponsi amplexu sine ullo separationis metu perfruentur. Abstergetque Deus, ut ait Scriptura, omnem lacrymam ab oculis eorum, nec dolor amplius erit sive cordis sive corporis, neque luctus ullus : sed lætitia sempiterna super capita eorum, qua cuncta eorum explebuntur desideria, licet modo id comprehendere nequeant, dicente Isaia et Apostolo, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*. Hæc pro sanctæ virginitatis laude diximus, charissimi, ut qui ea præditi sunt, tantum donum omni studio et cura asservare nitantur : qui vero eam in se non agnoscunt, congratulentur habentibus, ut quod in se non habent, per charitatem possideant in aliis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

Virginem esse vere quanta sit dignitas.

Caste sese gerere quid sit.

Virginitatem tueri ut sit martyrium quoddam.

IN FESTO

S. MATHIÆ APOSTOLI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

IN diebus illis, exsurgens Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba hominum simul fere centum viginti) : Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus erat sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis ; et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem : ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio ejus deserta, et non sit qui inhabitet in ea. Et episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos : Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Mathiam. Et orantes, dixerunt : Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus et Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis : et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis. *Act. I*

DOMINUS noster Jesus Christus duodecim sibi Apostolos elegerat ex cunctis discipulis suis, non absque grandi mysterio, sed quia unus tantam gratiam contempsit, atque avaritiæ insania correptus, beatissimo sanctorum Apostolorum collegio indignum se fecit, ne tamen propositum Domini, quo Apostolos duodenario voluit numero constare, illius improbitate ac exorbitatione impediretur, statim post suam ascensionem discipulos excitavit ac instigavit, ut in impii Judæ locum alium subrogarent. Hujus rei gestæ historiam præsens lectio complectitur. In illis enim diebus, quibus post Christi ascensum Jerosolymis in cœnaculo discipuli et credentes sese ob Judæorum metum continebant, Petrus tanquam Christi vicarius, et cæteris ab ipso Christo prælatus, exsurgens in medio fratrum, id est, eorum qui unam Christi fidem amplexi, per baptismum renati, atque per ejusdem regenerationis gratiam, vere fratres non tam carne quam spiritu effecti erant : qui eodem in

loco circiter centum ac viginti collecti fuisse scribuntur, ita dixit: Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda. Jam Christus eis sensum aperuerat, ut intelligerent Scripturas: quamobrem ut voluntas Dei suum haberet effectum, Petrus divinitus permotus proponit in communi ut in Judæ locum alius substituatur, qui idoneus sit testis resurrectionis Dominicæ. Interim quædam intermiscet de Juda, ducem eum vocans eorum qui comprehenderunt Jesum, quod et evangelica testatur historia, aitque connumeratum eum fuisse in ipsis, et sortitum sortem ministerii illius, nempe Apostolatus, non quod sorte illi obtigerit ea dignitas (est namque electus a Christo), sed sortem pro parte vult intelligi, tanquam qui apostolicæ gratiæ et officii partem a Salvatore adscitus et admissus fuerit. Et hic, inquit, possedit agrum de mercede iniquitatis. Nam illo pretio, quo Dominum vendiderat, ager ille emptus est. Atque ita tametsi Judas non fuit possessor agri illius (cessit enim in sepulturam peregrinorum), tamen ejus pecunia comparatus est, quam rectissime sanctus Lucas mercedem iniquitatis appellat, quod pro execrabili proditionis scelere ei a pontificibus numerata sit. Et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus. Non enim congruum fuisset, vel illa impiissima anima ex ore quod Christus deosculatus erat, exiret: et viscera quæ proditionem conceperant jure in terram effusa sunt. O breve avaritiæ gaudium! O dignum avari proditoris supplicium!

Merces iniquitatis quæ fuerit.

Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, quia pretio sanguinis Christi emptus. Scriptum est enim in libro Psalmorum: *Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea:* quod sumptum est ex Psalmo sexagesimo octavo et refertur ad omnes Christi persecutores, puta Judæos, quorum urbes post Christi passionem a Romanis vastatæ sunt, et ipsi Judæi procul abducti. Quod autem sequitur: *Et episcopatum ejus accipiat alter,* ex Psalmo centesimo octavo desumptum est, et manifeste, remoto Juda, Mathiæ promotionem significat. Apostoli enim Episcopi fuere, et eorum successores hodie Episcopi vocantur, sicut functio ipsa vel officium, Episcopatus. His et Juda interpositis, jam suum, imo Sancti Spiritus explicat consilium. Oportet, inquiens, ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, nobiscumque vixit familiariter, incipiens a baptismate Joannis, hoc est, postquam Joannis baptismo tinctus est, usque in diem qua assumptus est a nobis in cœlum, qui fuit a resurrectione dies quadragesimus, testem resurrectionis ejus, quæ ut paucissimis erat cognita, ita majori indigebat testimonio, ut populis persuaderetur, nobiscum fieri unum ex istis. Ergo perspicuum fit ex hoc loco, Mathiam cum primis Domino Jesu adhæsisse: quod non parum illi affert laudis et dignitatis. Et statuerunt duos, quos digniores et aptiores judicabant, eosque ut sanctus Clemens auctor est, ex numero septuaginta duorum discipulorum: Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, ob eximiam et apud omnes pervulgatam ejus vitæ sanctitatem, et Matthiam. Et orantes dixerunt, utilissimo scilicet exemplo hominum instruentes vitam, ut in omnibus maxime gravibus rebus discamus precibus opem et auxilium poscere a Deo. Quod quia hodie aut omnino non fit, aut tepide, frigide et negligenter fit, idcirco tanta est rerum confusio ac perturbatio. Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus, quos quidem nos idoneos putamus: sed utrum tu magis probes incertum habemus. Itaque precamur ut certo aliquo indicio declares quem ex his malis accipere locum ministerii et Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum, id est, Judæ apostatæ succederet: quanquam potest et de Juda intelligi, qui

Ps. LXVIII, 26.

in locum suum abiit, justo Dei judicio relegatus in tartara, qui est locus omnium reproborum. Et dederunt sortes eis. Hoc hodie imitari non licet. Sed nec Apostoli post Sancti Spiritus adventum sortibus usi leguntur. Et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis. Ergo licet nihil hic in commendationem Matthiæ dictum sit, hoc ipsum tamen abunde ad illius laudem satis esse potest, quod Joseph Justo, qui fuit Christi consanguineus, prælatus est, et in Apostolorum ordinem divinitus relatus.

ibus
n li-
sit.

Exegesis Evangelii : Confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ etc, *quod quædam Ecclesiæ hodie legunt, quære in prima parte primi tomi, scilicet in Dominica sexta post Christi Nativitatem.*

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI SECUNDUM MOREM QUARUMDAM ECCLESIARUM. JOANNIS XV.

BENIGNISSIMUS et amantissimus humani generis Salvator, sicut ad nos redimendos nonnisi purissimo ac gratuito prorsus amore adductus fuit, ita ut nobis quoque charitatem vel maxime commendatam redderet, sæpius diversis Evangelii locis ad eam nos adhortatur, idque adeo ut in Dei ac proximi dilectione totam Legis et Prophetarum vim et summam contineri affirmet. In eo autem sermone revera dulci ac mellifluo, quem post cœnam habuit, tanquam ultimum vale dicens omnibus, quos hic relicturus erat, electis suis, ad minus tribus vicibus fraternæ charitatis præceptum iteravit : et quidem bis in eodem ipso capite, unde Evangelium quod hic tractandum suscepimus, excerptum est. Ait enim Dominus Jesus pastor bonus, confirmare ac instruere cupiens oves suas, jam jamque relinquendis discipulis suis, et in eis etiam omnibus nobis :

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

moris
mo-
fru-
quis.

Non abs re Dominus Jesus tam solide tamque serio hoc diligendorum fratrum præceptum inculcavit. Nam si hoc solum observetur, summa pax et consensio erit hominum, nedum ad Deum, sed etiam inter ipsos. Cessabunt mox furta, latrocinia, adulteria, avaritia, ambitio, fraus, injuriæ, bella, lites, contentiones, sectæ, invidiæ et quidquid est aliorum vitiorum : ita ut verissime dixerit Apostolus : *Charitas malum non operatur.* Et : *Qui diligit proximum, legem implevit.* Sciens hoc magister bonus, qui est totius fons dilectionis, imo et charitas ipsa, tanquam optimum et saluberrimum, imo et plenissimum salutis compendium, fraternæ charitatis præceptum identidem suis fidelibus præscripsit, idque adeo etiam ad inimicos extendi voluit, ut neget suorum peccatorum veniam quemquam impetraturum apud Deum, qui non omnem ex corde injuriam donaverit ipsi nocentibus atque ipsum offendentibus. Hoc est, inquit, præceptum meum, ut diligatis invicem. Sed numquid quavis ratione proximos dilexisse satis est? Minime. Multi enim se mutuo etiam ardenter amant, et tamen hoc charitatis præceptum non implent. Itaque ut quemadmodum diligendi sint proximi certum haberemus, formam nobis veræ dilectionis expressit, dum mox adjecit, sicut dilexi vos. Quibus verbis omnis amor carnalis, sensualis et quovis modo vitiosus excluditur. Dilexit nos Christus amore castissimo, sincerissimo atque

I. *Cor.* XIII, 4. *Rom.* XIII, 8.

Christus quomodo nos dilexerit.

purissimo : idque eo tantum fine, ut beatitudinem adipiscamur. Ita nimirum et nos fratres diligere debemus, ut nobiscum pertingant ad conspectum Dei, quæ est vita æterna. Et qui sic diligit proximum, non potest illi unquam auctor aut suasor aut adjutor esse ad perpetrandum quodlibet peccatum : imo vero quantum in ipso est, verbis, factis, studio ac voluntate eum ad recte pieque vivendum invitat, excitat et adjuvat. Qui vero aut proximos in vitia illiciunt ac pertrahunt, aut eos a virtutis ac honesti studio abducere et absterrere nituntur, illi a vera charitate adhuc nimium distant. Veræ charitati omne malum proximi præsertim culpæ ex animo dolet, idque impedire conatur : gaudetque et lætatur illius bonis maxime quæ eum efficiant gratum Deo, cujusmodi sunt veræ ac divinitus infusæ virtutes. Habemus hujus locupletem testem Apostolum, ita dicentem: *Charitas non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati.* Simul autem notandum, non dicere Dominum : Hoc est præceptum meum, ut credatis in me, sed, ut diligatis invicem. Nam credere quis potest, ut tamen omnibus vitiis plenus sit. Diligere autem non potest, in quo vel unum hæret vitium mortiferum. Siquidem peccatum mortiferum charitatem penitus exstinguit. Ergo Dominus Jesus breve quidem præceptum, sed tamen quod abunde ad salutem sufficeret, daturus fidelibus suis, dilectionem potius quam fidem in præcepto reliquit, eo quod fides etiam grandis valde esse possit in homine, qui omni gratia gratum faciente vacuus sit, cunctisque sit addictus flagitiis, atque eo ipso a salute et beatitudine remotissimus : charitas autem ea, quam Dominus præcipit, non solum peccata in hominis pectore morari non sinat, sed etiam virtutes alias omnes secum advehat et adducat, faciatque hominem Deo gratissimum, et beatitudinis capacem. Unde curandum nobis est, dilectissimi, ut fides nostra semper cum vera charitate conjuncta sit, uti ea quæ per fidem agenda omittendaque didicimus, ex charitate ferventer ac studiose exequamur. Sequitur :

Charitatis veræ opus quod.

I. *Cor.* XIII, 4.

Fides sine charitate quid monstri.

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Aliquam hæc verba obscuritatem præ se ferre videntur, nisi recte intelligantur. Quis enim dubitet majoris esse charitatis animam ponere pro hostibus, quam pro amicis suis? Sed hic amicorum nomine Dominus etiam inimicos voluit intelligi. Nam et ipse mortuus est non utique pro amicis sed inimicis suis : nempe pro peccatoribus. Ergo inimici potius amici vocandi sunt, exemplo Salvatoris. Et sic revera se res habet. Inimici sæpius plus conferunt nobis quam amici. Diligere amicum etiam naturæ facile est. Inimicum vero diligere sicut majoris est laboris et gratiæ, ita et meriti excellentioris. Unde si quis multum se de inimico suo ulcisci vellet, non posset melius, quam eum ardenter amando, illi benefaciendo, omnigenis benevolentiæ ac humanitatis officiis eum prosequendo. Hac namque ratione maxima sibi virtutum ac meritorum compararet lucra eximiamque in cœlis gloriam: atque eo ipso maxime inimici animum cruciaret. Quisquis enim aliquem odio habet, quod est proprium inimicorum, bonis illius maxime invidet, eaque invidentia misere torquetur. Contra qui tum egregie putant ultos se esse de hostibus suis, cum eos itidem odio prosequuntur aut par pari referunt, illi nimium falluntur. Esto interim gravissimis eos damnis afficiant temporariis : sed sibi ipsis multo atrocius ac pernicialius nocent, dum perdunt et occidunt animas suas, seseque æternæ damnationis reos efficiunt. Sed ut ad Domini dicta redeamus, quotusquisque hodie est, qui vel pro amicis, nedum inimicis animam morti objicere velit? Et tamen divus Joannes ait: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Sed quando illi posituri essent animas pro fratribus, qui cum habeant substantiam hujus

I. III,

mundi, et vident fratrem suum necessitatem habere, tamen claudunt viscera sua ab eo? O quam longe ii absunt a christianæ charitatis sinceritate. Talibus hominibus plenus est orbis terrarum. Quam multi sæpe pauperes fame ac nuditate moriuntur, et nemo est qui vel pereunti dare velit. Interim nihilominus volunt se christianos et dici et haberi, cum tamen esse nolint. Istis olim dicturus est Christus terribiliter: *Matth. 25.* *Ite, maledicti, in ignem æternum. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc.* Hi plane non faciunt quod Christus toties præcepit, ut diligamus invicem. Sed sicut ipsi modo nolunt misericordes, pios ac liberales se præstare de rebus quas divinitionis tus perceperunt, egenis ac miseris fratribus suis christianis: ita et ipsi quandoque nullum apud Deum misericordiæ locum obtinebunt. Qui autem vere diligit, is nedum liberaliter de bonis temporalibus gratificatur ac impertit fratribus inopia oppressis, sed etiam dum res ita postulat, libenter quoque pro fratrum salute mortis discrimini se objicit. Sequitur:

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

Vide ad quantum honoris fastigium hominum genus divina, benignitas evexerit, ut eos etiam amicos suos vocet. Novimus quantæ dignitatis semper fuerit in regum ac principum mundi hujus amicitiam admitti, atque inter eorum amicos numerari. nicum Quantæ igitur gloriæ, quantæ præstantiæ Dei æ sit est esse amicum Dei? Et huc christiani an- omnes pertingere possunt, nec quisquam hinc omnino excluditur. Omnibus ea offertur gratia, ut si velint, possint esse amici Dei. Non tamen absque ullo certamine, ne tantus honos contemptui pateat. Dictum est enim: Vos amici mei estis, sed si fecemici- ritis quæ ego præcipio vobis. Ergo amicidei tia præceptorum executione obtinetur. odo Præcepta autem omnia ut bene impleantur, hoc opus, hic labor est. Ita semper nos divina Scriptura ad bene agendum hortatur, ne quis sterili fide contentus esse velit. Sed quid hic dicemus, tam paucos inveniri, qui pro obtinenda summi ac præpotentis Dei amicitia, qua vix ulla dignitas possit esse major, aliquid laboris suscipere velint, quando tamen videmus innumeros vel pro mulierculæ cujusdam aut hominis in dignitate constituti captanda gratia nullos subterfugere labores, nulla declinare pericula? Et tamen qui amicitia fruitur hominis, quantumcumque vel chari, vel potentis, non potest diu eadem frui. Qui vero amicum habet Deum, non est quod vereatur ne amicitia illa quandoque finem accipiat, cum sit stabilis et sempiterna, nisi ipse ultro se avertat, et sponte labatur in vitia, quibus amicitia Dei dirimitur ac dissipatur. Quamobrem danda opera est christianis omnibus, ut humiliter studeant divinis parere mandatis, facere quæ præcepit Deus, fugere ac devitare quæ vetat, amplecti virtutes quibus delectatur Deus, execrari ac repudiare vitia, quibus offenditur: ut sic possint ejus potiri amicitia, gratia confirmari, donis augeri, atque cum ipso denique sempiterna frui beatitudine: qua utique nonnisi amici Dei fruentur, qui ejus præcepta servaverint.

Amicitia Dei quomodo dissolvatur.

Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

Isthæc verba cum Dominus diceret discipulis suis, adhuc valde erant imperfecti et infirmi, idque adeo ut paulo post cuncti etiam a Domino profugerent, eo solo relicto in manibus furentium inimicorum. Ergo melius hæc verba de futuro, quam præsenti tempore accipiuntur. Non enim timore illo penitus caruisse videntur Apostoli, qui servorum proprie est, donec essent induti virtute ex alto, et spiritus amoris timorem omnem vitiosum prorsus exclusisset. Quo facto ex servis amici intimi effecti sunt, conscii secretorum Dei. Servus autem nescit quid faciat dominus ejus. Qui

Timor servilis quanta mala efficiat.

enim solo ductus timore servili, Deo obtemperat ac famulatur, vix unquam divino illustratur lumine, nulla Dei secreta percipit, occultas et compendiarias ad Deum pertingendi vias nunquam divinitus edocetur. Non enim dignus est, cui isthæc a Deo revelentur. Nam tametsi præstat quamdam Deo servitutem, tamen coactus id facit metu pœnæ, non honesti ac virtutis et ipsius Dei amore impulsus. Unde etiamsi solus agat et patiatur omnia quæ mortales omnes unquam egerint et passi sint, quamdiu tamen solo timore servili ducitur, nihil illis omnibus meretur. Siquidem extra charitatem vivit, sine qua meritum nullum esse potest. Amicis autem secreta communicantur, si tamen fideles sint, de quibus hic agitur, multaque eis præstantur, quæ servis nulla ratione contingunt. Sunt enim et amici infideles : propter quos monent nedum divina, sed etiam Philosophorum scripta probandos esse amicos. Amici veri sunt, qui Deo non pœnæ formidine, non proprii quæstus aut lucri causa, sed ex amore serviunt. Sed plenum admirationis est, quod Dominus adjungit : Quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis : nisi quia de futuro tempore hæc accipienda sunt : ut etiam Augustinus exponit. Aut si de præsenti tempore placeat accipi, ea omnia nota fecisse suis intelligatur, quæ et ipsis et Ecclesiæ forent necessaria, quod tamen in Pentecoste demum impletum est. In futura autem vita non dubium est quin omnia revelata sint Apostolis, imo et beatis omnibus, pro cujusque tamen mensura : quandoquidem ibi præsentem Dei contemplantur vultum, et in eo ceu lucidissimo speculo omnia. Ad quam nos vitam aspirare semper debemus, atque præ ejus amore et desiderio libenter contemnere bona caduca et labentia, ut tantæ felicitatis mereamur esse participes.

Amici veri qui sint.

Nota quomodo omnia Christus fecerit suis discipulis.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat, ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo det vobis.

His verbis commendatur gratia Dei, qua præventi sumus, ut crederemus ei, qui prævenit nos, speraremus quæ pollicitus est, et totum amorem nostrum in ipsum unum ceu summum bonum conferremus. Quis enim crederet Deo, speraret in Deum, amaret Deum, nisi ejus gratia præventus ? Totum hoc gratiæ est, ut ne quis sibi præfidat. Verum, solet hic pios quosdam admodum vexare malus spiritus, tanquam ipsi non pertineant ad numerum electorum, atque inexplicabilibus divinæ prædestinationis perplexitatibus mentes eorum usque adeo sæpe perturbat, involvit ac dejicit, ut pene nullam inveniant salutis obtinendæ viam. Talibus enim susurris perpetuo ad aures cordis eorum perstrepit : Quid necesse est ut Deo serviatis ? Si electi estis, non peribitis, quantumcumque male vivatis. Sin vero electi non estis, non poteritis esse salvi, etiamsi sanctissime vivatis. Ergo ne et hic et in futura vita miseri sitis, missa facite pœnitentiæ opera, et jucundos ducite dies, animumque voluptatibus et bonis hujus vitæ, dum licet, oblectetis. Sed hic scutum fidei arripiendum est, quo tela nequissimi ignea exstinguantur. Credimus Deum non esse personarum acceptorem, sed ex æquo omnibus offerre gratiam suam, omnium desiderare salutem, omnes et singulos ex summo et infinito amore creasse ea sola causa, ut essent æterno beati : nec posse unquam in illius benignissimam naturam ullam cadere injustitiam, sed usque adeo singulorum cupere, velle ac amare salutem, ut etiam paratissimus sit denuo potius omnia perpeti, quæ olim perpessus est, quam ex sua parte sinat aliquem perire. Hæc plane certissima sunt, et qui aliter sentit de Deo, injuriam facit benignitati et charitati illius summæ ac immensæ. Igitur nihil tutius quam sub hujuscemodi periculosis tentationibus non concertare nec disputare cum diabolo, quantumvis multa etiam ex Scripturis in-

gerente argumenta ; sed simpliciter persuadere sibi Deum nihil posse mali facere, atque eo ipso contentum esse et projicere se totum plena cum fiducia in abyssum divinæ misericordiæ, et relinquere diabolo commenta et fallacissima argumenta illius. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Ergo quisquis non convertitur et perit, suapte sponte perit. Sed his omissis, videamus cætera Evangelii verba. Et posui vos, inquit, ut eatis et fructum afferatis. Quamdiu in hoc exilio versamur, nonnisi in itinere positi sumus. Porro alii in ipso itinere subsistunt, contenti videlicet præsentibus bonis, noluntque proficisci ad patriam, eo quod via nonnihil difficilis sit. Verum Dominus posuit nos ut eamus, semper tendendo ad patriam, nusquam in hoc mundo residendo vel hærendo, sed cuncta fortiter pertranseundo, sicque fructum afferamus bonorum operum, quibus et nobis et proximis prosimus. Hæc enim præparavit Deus ut ambulemus in eis. Et fructus vester maneat. Qui divitias, qui honores, qui voluptates, et alia mundi hujus bona conquirunt et expetunt, ea quærunt, quæ tamen diuturna esse non possunt. Qui autem bonis operibus, verisque virtutibus accumulandis navant operam, fructus immarcescibiles ac semper duraturos parant sibi. O stulti filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Facite fructus qui semper maneant. Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. In nomine Salvatoris Patrem petere, nihil est aliud quam ea petere, quæ salutaria sint : hoc est, gratiam et veras virtutes, et quæ ad eas obtinendas conducant. Qui alia petit, etsi exauditur interdum, non tamen petit in nomine Jesu, præstaretque illi non exaudiri : siquidem in suam perniciem exauditur.

h. 23.

Ps. IV, 3.

Petere in nomine Salvatoris quid sit.

SERMO IN EODEM FESTO

DE SERVANDA FRATERNA CHARITATE, VITANDISQUE ILLIS QUÆ EI CONTRARIA SUNT : ET QUÆDAM DE LAUDIBUS S. MATHIÆ APOSTOLI.

HOC est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Joannis XV, 12.

Si omne animal diligit simile sibi, si nihil tam est secundum naturam, quam juvare consortem naturæ (quod utique diligere est), nonne mirum videri possit, quod Scriptura divina toties nobis fratrum sive proximorum diligendorum præceptum ob oculos ponit ? Quid enim opus est divino nos ad id præcepto adigi, ad quod ipsa natura hortatur? Sed usque adeo per peccatum in hominibus natura vitiata est, et voluntas corrupta, ut multa velit ipsi quoque naturæ maxime contraria, multa nolit naturæ summe consentanea. Eam ob rem data nobis divinitus præcepta multa sunt, quæ vel solius naturæ instinctu servanda forent, ut si ea ipsa, id est, natura minus nos permoveat, ad agenda vel omittenda ea quæ vel agere vel omittere convenit, saltem divinæ legis auctoritas, et summi legislatoris Dei majestas nos impellat. Sic itidem de diligendis proximis benignissimus humani generis parens præceptum edidit, cum tamen sola ad id natura exstimulet : sed ne unquam id negligere audeamus, præceptum suum expressit, ut si lex naturæ minus sit efficax ad continendos nos in officio, lex scripta est, et a Deo promulgata, omnibusque proposita ac denuntiata et cum æternæ damnationis manifesta comminatione conjuncta compellat nos. Et tamen nec sic quidem duritia cor-

dis humani permoveri potest ad fraternæ charitatis studium, ad quod tum natura, tum lex divina tam serio nos invitat et cogit. Jubet natura, dictat ratio, præcipit Rex regum et Dominus dominantium, ut diligamus proximos, et tamen ex tanta hominum numerositate vix paucissimos invenies, qui proximos ament.

Ad dilectionem proximi quæ nos exstimulent.

Multi quidem diligunt proximos, sed ut divus Gregorius ait, per affectum cognationis et carnis: qui amor nisi infusa divinitus charitate ornatus sit, nihil meretur, nec sufficit ab obtinendam beatitudinem. Alii proximos turpiter, alii flagitiose, alii ficte, alii propter seipsos tantum, alii aliis iniquis amant modis: paucissimi vere et secundum Deum. Itaque non satisfaciunt menti ipsius legislatoris: qui non simpliciter jussit diligi fratres, sed sicut ipse dilexit nos. Quam multi hodie cupiunt ac nituntur proles suas multis augere opibus, ad honores et dignitates evehere, putantque se tum maxime eas diligere, cum hæc studiosissime eis comparant, sed non sic Christus dilexit suos, qui eos potius ad amplectendam inopiam, ad honores contemnendos, ad mundi adversa perferenda, ad dolores tolerandos exemplo et verbis suis hortatus est. Qui ergo his contraria suis cupiunt ac parant, non diligunt eos sicut Christus dilexit nos: ergo nec diligunt, quia non vere, sed perniciose diligunt.

Diligere proximos vitiose multifariam.

Sunt autem multa, propter quæ merito proximos amore prosequi debeamus. Primum quidem est ipsa voluntas Dei id jubentis, cujus voluntas nobis ita chara esse debet, ut quidquid eum aut velle aut nolle didicerimus, id semper et ubique integro cordis affectu tanquam pii ac obedientes filii, Patrem nostrum cœlestem offendere aut injuria afficere summe verentes, vel facere vel cavere nitamur. Certum est enim nullam posse Domino Deo majorem injuriam ac contumeliam irrogari, quam si ejus voluntas contemnatur. Pii autem filii nulla ratione committere possunt, ut amantissimum ac fidissimum parentem suum, qualis erga nos omnes est Deus, contumelia aut molestia afficiant. Qui vero id facere non curant, non sunt utique boni filii, sed omnis humanitatis ac pudoris expertes. Ipse sane immensus, ineffabilis, omnino gratuitus et vehementissimus in nos Dei amor ac benevolentia, qua summe cupit, sitit, efficit, procurat salutem nostram ac omne bonum, vel sola abunde meretur, ut omnibus ejus jussis libentissime ac studiosissime pareamus. Jussit autem nedum in hodierno Evangelio, sed etiam aliis multis locis, ut dictum est, ut invicem diligamus: *Diliges,* inquiens, *proximum tuum sicut teipsum,* hoc est, diliges in proximo tuo, quod diligis in teipso, scilicet naturam, imaginem et similitudinem Dei, non vitia illius: vel sicut teipsum, id est, opere et veritate, non solum verbo aut signo: vel sicut teipsum, non quia frater vel cognatus, sed quia homo, tecum in cœlesti patria glorificandus. Exponunt autem Theologi hanc particulam, sicut, quod non de æqualitate, sed similitudine amoris accipienda sit. Nam plus utique debet homo amare seipsum quam proximum: sicut etiam commune testatur dictum illud: Charitas incipit a seipsa. Charitas autem hominis erga seipsum nisi sit spiritualis et rectæ rationi consentiens, non est laudabilis: imo nec charitas est, sed odium potius. Quæ vero spiritualis et bene ordinata charitas est, ea corpus quidem propter animam, animam vero propter Deum amat, cuncta referens in Deum, corpusque et animam eo tantum diligens, ut possint servire Deo. Porro, seipsum amare non propter Deum, sed propter se solum, vel propter aliquam mortalem creaturam, non est spiritalis et rationalis, sed sensualis et carnalis amor quo prædi ti sunt illi, quos Apostolus commemorat, dicens: *In diebus novissimis instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes.* Qui amor privatus, improbus, iniquus dicitur, estque fons et radix ac origo vitiorum omnium: qui nisi pessumdetur, crescit usque ad contemptum Dei. Eo igitur nulla ratione

Rationes proximos diligendi variæ quæ.

prosequi nos debemus. Sed quia dictum est magis nos ipsos quam proximos diligere nos debere, num corpus proprium aut nostras facultates plus quam proximorum animas diligere debemus? Minime. Cujus brevem ac facilem rationem sanctus Augustinus reddit (primo libro de Doctrina christiana), dicens : Amplius alius homo diligendus est, quam proprium corpus nostrum : quia potest nobiscum Deo frui, quod non potest corpus.

Secunda ratio, cur proximi diligendi sint, est ipsius charitatis, qua alios diligimus, dignitas, præstantia et utilitas. Certum est enim inter virtutes præcipuum locum charitatem obtinere, ut quæ regina, decor et forma est virtutum omnium, de qua pulcherrimam texit sententiam sanctus Augustinus, sermone quodam, in hæc verba : In charitate, pauper est dives, sine charitate vero dives est pauper. Hæc in adversis tolerat, in prosperis temperat : in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter bonos fratres lætissima, inter falsos patientissima. Charitas inter opprobria secura est, inter odia benefica, inter iras placida, inter insidias innocens, in iniquitate gemens, in veritate respirans, in virtute congratulans. Itemque : Divinarum, inquit, Scripturarum multiplicem abundantiam, latissimamque doctrinam sine ullo errore comprehendit, et sine ullo labore custodit, cujus cor plenum est charitate, dicente Apostolo : *Plenitudo legis est charitas.* Quæ utique non ad Dei tantum, sed etiam proximi dilectionem referenda sunt, cum, eodem Augustino teste, non alia sit charitas, qua diligimus Deum, quam qua et proximum. Itaque libenter fratribus amor impendendus est, quando tot tamque præclaros effectus charitas habet.

Tertia ratio est, quia omnes membra sumus unius corporis mystici Christi Jesu. Quod sane vehementissime et potest et debet nos movere ad fraternum amorem. Si enim membra alia aliis compatiuntur, itemque inserviunt et congratulantur, nimirum etiam nos fratribus et condolere miseris, et congratulari recte habentibus debemus : quæ præcipua sunt veræ charitatis argumenta, et paucis revera insunt.

Quarta ratio est, quia ex uno Patre Deo, itemque uno patre mortali, nempe Adamo prognati sumus. Unde apud Malachiam dicitur : *Numquid non Pater unus omnium nostrum ? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?* Si Deus est Pater omnium nostrum, sicut revera est, quisquis fratres vel proximos suos non diligit, Deum summa injuria afficit : quandoquidem non amat eos, quos ipse suos filios habere dignatur. Comtemptus enim quo filii afficiuntur, redundat in Patrem. Neque est quod quisquam minus amandos putet proximos, quod forte abjecti et pauperes sint. Esto rebus hujus mundi careant, sed ditissimum Patrem habent, Deum. Noli attendere in eis rerum præsentium inopiam, sed cogita Patrem eos tecum habere Deum : qui etsi tibi majores præstitit labentis vitæ facultates, illis tamen fortassis pro temporali penuria, summam bonorum omnium affluentiam in cœlis reposuit : tibi vero præsentes mundi opes pro quibusdam benefactis tuis præmii loco restituit : deinde ubi obieris, in tartara, ubi summa est paupertas et miseria, te relegaturus. Neque etiam minus propterea amandi sunt fratres, quod quibusdam culpis obnoxii sint. Vitia quidem odio prosequenda sunt, sed semper mente retinendum, secundum naturam et gratiam non aliam illorum atque nostram esse originem. Ita nimirum in illis persequi ac detestari debemus vitia, sed amare ac benevolentia prosequi, quod Deum habent Patrem, et ad regni illius hæreditatem capessendam conditi sunt, non minus atque nos. Huc pertinet, quod omnes secundum animam ad imaginem et similitudinem omnipotentis Dei facti sumus : quæ res maximam confert nobis dignitatem. Hujus contemplatione permoti complures sancti

Malach. II, 10.

Ratio cur nullum hominem despicere debeamus.

Ob culpam suam non minus proximum amandum esse.

Amare ac odisse in proximo quæ debeamus.

homines, præcipue sancti Apostoli, totos se animabus Deo lucrandis impenderunt, nihil neque laboris, neque doloris subterfugientes, quo possent servare animas Dei similitudine insignitas. Et quia vehementer amabant Deum, non poterant ejus imaginem non vehementer amare. Ex iis unus, nempe ferventissimus salutis animarum zelator Paulus Apostolus : *Ego,* inquit, *libenter impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.* Itemque : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes faciam salvos.* Consideremus, dilectissimi, etiam nos hanc in hominibus similitudinem Dei, et ex animo diligamus, quos tanto honore Deus extulit. O si animarum, dum a Deo creantur, pulchritudinem, splendorem, dignitatem, gloriam conspicere possemus, summa nos caperet admiratio, et in sui amorem vel invitos nos raperent. Sed hæc nolunt homines attendere, sola externa animadvertunt, animas non intuentur, suosque potius affectus quam verum judicium sequuntur. Sicque fit, ut proximos aut minus aut penitus nihil ament. Quæ est dolenda cæcitas. Siquidem id efficit, ut inter homines tam pene nulla sit charitas. Non enim potest amari incognitum. Quisquis autem Dei in hominibus similitudinem, et quæ illis inde præstatur nobilitatem, probe agnoscit, magnum utique habet fraterni amoris incitamentum.

II. *Cor.* XII, 15.

I. *Cor.* IX, 22.

Animarum præstantia et pulchritudo quanta.

Quinta ratio est, quod ex mutua dilectione adversum dæmonum impugnationes et tentamenta non mediocriter homines communiuntur, sicut ex odio et dissensione hominum dæmonibus adversum eos vires augentur. Eam ob rem nihil ita efficere moliuntur tetri spiritus in hominibus, quam ut a se invicem dissentiant. Inde enim norunt sequi odia, inimicitias, bella, homicidia. Ubi autem isthæc grassantur mala, certe est illic alios pro aliis non orare. Ubi vero preces non fiunt aliorum pro aliis, ibi necesse est dæmones prævalere : quandoquidem divino non protegunt auxilio, utpote quod precibus implorare nolunt. Contra vero, qui se mutuo prosequuntur amore, etiam mutuis sese precibus adjuvant, et ipsis dæmonibus terrori sunt atque horrori, cum et Scriptura testetur, si duo consenserint super terram, quidquid petierint eos impetraturos a Deo.

Dæmones quomodo et cur in hominibus exstinguant charitatem.

Preces quomodo mutuo pro se fundant homines quantæque eædem efficaciæ sint.

Sunt præterea et aliæ rationes, quibus ad fraternam dilectionem excitemur : sed brevitati studendum est. Quod si quispiam jam dictas bene perpenderit, poterit inde satis superque inflammari. Quod si nihil esset aliud præter solum Dei præceptum, solam Dei voluntatem, ea nobis nimis quam sufficere deberet. Nemo ergo posthac suo in pectore permittat residere odium, invidiam, suspiciones malas, temeraria judicia, displicentias, atque id genus alia mortis semina, quæ charitati fraternæ prorsus adversantur, sed simus memores semper verborum illorum, quibus Apostolus fideles hortatur, dicens : *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. Sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et ut firmiorem atque inviolabilem erga proximos charitatem retinere possimus, discamus nihil amare, nihil appetere, nihil aucupari rerum temporalium. Siquidem harum amor et studium fraternum amorem facile exstinguit. Nam si quis appetat bona temporaria, non potest non sæpe invidia morderi adversum eos, quos ea habere novit. Hac ex causa Christus, Dei sapientia, noluit Apostolis et discipulis suis permittere, ut quidquam haberent proprii, quo tanto purius et studiosius totos se animabus convertendis applicarent. Noverat enim cupiditatem esse charitatis venenum, atque radicem malorum omnium. Cupiditas autem ex facultatibus plerumque nasci aut augeri solet, sicut ille ait : Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Inde legimus, quod in primis Ecclesiæ nascentis initiis erant credentibus omnia communia, nec

Charitati fraternæ quænam adversentur.

Col. III, 12-14.

Amorem temporalium rerum exstinguere Dei et proximi charitatem.

Cupiditas quibus fomentis crescat.

quisquam dicebat aliquid suum. Et quamdiu ille rerum contemptus perseveravit, fides et pietas maximis augmentabantur incrementis. Ubi autem cœpit invalescere meum et tuum, et amor ad mundi res vanas translatus est, fides elanguit, et pietas penitus enervata est. Denique eo res rediit, ut multi pro frusto panis etiam vitam proximis eripiant. Apostolorum vero omnium, et eorum qui illos secuti sunt, unum hoc charitatis propositum fuit, neque rerum præsentium, neque quietis, neque vitæ mortalis ullam habere rationem, dum consuleretur saluti proximorum. Talis nimirum fuit Mathias Apostolus, cujus hodie festa celebramus. Enimvero primo quidem relictis omnibus, secutus est Christum, pauper pauperem, ac deinde post ejus ascensionem, quum in partitione provinciarum Judæa illi obtigisset, quibus potuit modis conatus est populum illum duræ cervicis ad fidem religionemque christianam traducere, nihil veritus Pharisæorum insidias, et tyrannidem pontificum, tantum ut animas Christo lucrifaceret, pro quibus eumdem noverat fudisse sanguinem suum.

Mathiæ Apostoli perfectio et zelatio pro animarum salute quantæ.

Mathiæ Apostoli progenies ac propago quæ.

De hoc Apostolo in Chronicis quibusdam scriptum fertur, quod fuerit de tribu Juda, civitateque Bethleem, illustri natus prosapia, in lege et prophetis a pueritia eruditus, lasciviamque devitans, pueriles annos morum gravitate ornarit: in prosperis non elatus, in adversis constans ac intrepidus: corde mundus, animo prudens, consilio providus, in solvendis Scripturarum quæstionibus acutus fuerit. In quibus nos eum virtutibus imitari debemus. Neque dubium est, quin ad eorum numerum referri debeat, in quorum persona Apostolus dicit: *Nos ipsi primitias Spiritus habentes*, id est, dona summa ac præcipua Sancti Spiritus adepti. Et de quibus Propheta ait: *Constitues eos principes super omnem terram.* Itemque: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Magna quidem et mira leguntur de sanctis veteris Testamenti, sed iis omnibus secure Apostoli præponuntur, utpote qui Spiritum Sanctum largissime et abundantissime perceperunt, et ubi Prophetæ vix judaicum populum ad credendum Deo inducere potuerunt, ipsi totum pene mundum ad Christum converterunt. Et licet cum summo vitæ discrimine tum temporis Christi fides prædicaretur, adeo ut Apostoli fere omnes martyrio consumpti sint, nihilominus constantissime ac studiosissime in prædicando perseverabant. Inde factum est, ut Pontifex Judæorum Mathiam Apostolum lapidibus obruere jusserit. Sed cui vivere Christus erat, et mori lucrum, fortiter mortem excipere maluit, quam vel fugere, vel negato Christo, impie vivere. O si nos, dilectissimi, hanc ejus constantiam, fortitudinem et erga Deum fidelitatem imitari vellemus! Nos, proh dolor! sæpe nullo mortis proposito periculo, nulla vi adhibita, sed sola cupiditate carnisque illecebris devicti, relinquimus Deum, relinquimus justitiam, et in præsentia divinæ majestatis turpiter ac indigne nos gerimus. Quid faceremus, si mortis immineret periculum? Nonne perspicue declaramus facile nos et Christum, et omnem christianam religionem abjuraturos, potius quam mortem pateremur? Quare autem voluit omnipotens Deus Apostolorum suorum, aliorumque innumerabilium martyrum pretiosam mortem et gloriosos triumphos in Ecclesia celebrari atque commemorari, nisi ut eorum provocati exemplis, eorum accensi virtutum ac fidei et charitatis æmulatione, quidvis potius perpeti velimus, quam peccare in Dominum Deum nostrum? Non parva res est, transgredi legem Dei. Nihil debet homo christianus æque vereri, horrere ac fugere, quam agere quidquam contra Deum. Hoc nobis loquuntur tormenta Apostolorum et martyrum certamina. Sanctus Mathias Apostolus ne a semel agnita veritate recederet, durissimum mortis genus alacriter sustinuit, nec ulla suppliciorum immanitate eo adduci potuit, ut peccaret in Deum. Et nos ita sumus ad peccandum faciles, ac si nullius momenti sit Deum of-

Apostoli cur omnibus veteris Testamenti sanctis præferantur.

Mathiæ Apostoli martyrium quale fuerit.

Sanctorum festivitates celebrandi ab Ecclesia ratio quæ.

Horrere quidnam supernum debeat vere christianus.

Rom. VIII, 23.

Ps. XLIV, 17.

Ibid. CXXXVIII, 17.

fendisse. Contemplemur, obsecro, sanctorum gesta, et quanta animi magnitudine etiam immanissimos tulere cruciatus, tantum ne divinæ legis essent prævaricatores. Resistamus propriis concupiscentiis, ac dæmonum impugnationibus. Quod si molestum videtur, carere propter Deum præsentibus oblectamentis, et nonnihil laboris ac doloris in Christi servitio, et pro vitiis extirpandis, ac virtutibus obtinendis experiri, longe tamen molestius erit pro vanissimis ac brevissimis carnis voluptatibus postea sempiternos inferni ignes sine ulla spe evadendi perpeti, et cum dæmonibus in stagno pice ac sulphure semper arsuro torqueri, torreri, assari,excarnificari, et ineffabilibus in omnem æternitatem doloribus ac pœnis in cunctis corporis membris , atque singulis animæ viribus excruciari. Ubi jam sunt impii omnes, qui ante nos, spreto Deo, suis voluptatibus serviere? Quid jam illis prodest apud inferos hic semper molliter, delicate, voluptuose vixisse? O si possemus vel ad exiguum spatium videre miserias, quas modo patiuntur, semperque pati cogentur, fortassis melius nobis prospiceremus. Quantum hic in deliciis fuere, tantum jam illic sentiunt luctum et tormentum. Sed hæc nisi Deus vestris in cordibus operetur, nos sermone nostro parum proficimus. Tam multa dicuntur, leguntur, audiuntur, horrenda, tremenda, pavenda, et tamen nos semper iidem permanemus, semper eodem in luto hæremus. Quod utinam videat, et pro sua ineffabili benignitate miserescat Deus ac Dominus noster, qui, ne in æternum periremus, animam suam posuit pro nobis, nihilque exspectat magis, quam ut a vitiis aversi, et ad ipsum conversi, faciamus quæ præcepit nobis, sicque mereamur esse amici sui, et quidquid petierimus in suo nomine impetremus, ad laudem et gloriam ipsius, Amen.

IN FESTO

SANCTI GREGORII PAPÆ

Require omnia supra, in Festo scilicet sancti Nicolai Episcopi.

IN SOLEMNITATE

SANCTI BENEDICTI ABBATIS

Epistolæ hujus Festi Paraphrasim require supra, in Festo sancti Antonii Abbatis.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, LUCÆ XII.

QUUM multa sint adversus vitia valde efficacia et opportuna remedia, nullum tamen fere tantam videtur habere vim et energiam, ut incertissima mortis hora. Ad eam providendam hortatur nos Dominus in Evangelio diei istius. Quid enim tam stultum, tam temerarium, tam impium esse queat, quam quum certus sis te brevi evocandum ex hac vita et rapiendum ad tribunal æquissimi judicis, tamen nihilominus ea perpetrare, quæ te faciant æternæ damnationi obnoxium, et reum judicii æterni? Ergo vel sola mortis ambiguæ sedula et seria cogitatio potest hominem abunde inducere ac permovere ad deserendam seculi iniquitatem, et sectandam justitiam. Videmus, et certissima discimus experientia, innumeros in ipso ætatis flore, in ipso fortunæ arridentis prosperrimo flatu rapi subito ex hac luce: et quia sceleribus obstricti sunt, nec spatium pœnitendi eis præstitum est, mergi in inexplicabiles et immanissimos semperque duraturos cruciatus inferorum. Quæso, non potest hoc totis nos concutere visceribus, ut non audeamus vel ad momentum jacere in quovis mortifero crimine, ne et nobis eveniat tam horrendus et inopinatus exitus? Sed quid agimus, quando plerosque sic fascinat peccandi fallax et cæca libido ac amarissima dulcedo, ut nolint quidquam unquam cogitare de vitæ hujus brevitate: sed adeo totos se dent præsentibus gaudiis et voluptatibus, quasi in iis semper sint

victuri? Videant illi, obsecro, et animum advertant ad amantissima Salvatoris consilia et præcepta, audiantque cordis et corporis auribus ipsum fidelissime admonentem atque dicentem:

Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.

Lumbos præcingere quid sit.

Lumbos præcingere est voluptates molles ac fallaces studio continentiæ edomare ac pessum premere, non sic vivere ut libet carni et sanguini, sed ut ratio dictat, et Deus præcipit: in carne quidem vivere, sed non secundum carnem militare, sed facta carnis spiritu mortificare. Quod est angelicam imitari puritatem, et templum Spiritus Sancti ab omni spurcitiæ servare immaculatum. Hæc continentia usque adeo etiam illis qui in matrimonio degunt necessaria est, ut non liceat illis nisi propriam nosse conjugem, et in ipso usu matrimonii non voluptatem spectare carnis, sed prolium quæ Deo serviant, et hæredes cœli effici mereantur, procreationem. Maxime vero decet homines semper et ubique a se carnis voluptates abjicere, et honestatem amplecti, ut quemadmodum ratione a bestiis secernuntur, sic vitam quoque suam ab illarum consuetudine avocent. Illæ namque prono impetu sensuum appetitionibus obsequuntur, quia nesciunt turpitudinem ab honestate discernere: nos vero qui rationis lumine pollemus, tam debemus virtutis ac honestatis tenaces esse, ut nihil admittamus unquam, quod adjunctam habeat peccati turpitudinem. Quod si sensus voluptatis quædam insania titillat, si alia ad manum non habentur remedia, cogitandus est ignis tartareus, qui dirissime semper uret impios, libidinis ignem hic neutiquam restinguentes, ut sic ignis igni exstinguatur, et flamma flammam superet. Ita habebimus lumbos præcinctos. Sed non sufficit abstinuisse a malis, nisi etiam bene agamus. Unde porro jubet Dominus, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris: quod nihil est aliud, quam ut semper proximis nostris optima exempla præferamus, in quibus sit lumen veritatis, et ardor charitatis, ut suo lumine proximos quid fugiendum, quid sectandum sit doceant: et suo ardore ad peccati odium et virtutis amorem inflamment. Efficacissima namque illa sunt exempla, quæ lucent pariter ac ardent.

Continentia in matrimonio quomodo servanda.

Tentationes quomodo vincendæ sint.

Lucernas ardentes manibus tenere quid sit mystice.

Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis: ut quum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.

Servi qui domi resident, et exspectant domini reditum, non possunt certam nosse horam. Itaque omne temporis punctum suspectum habere coguntur. Ita plane decet et christianum quemlibet omnem vitæ præsentis horam tanquam ultimam habere suspectam, atque ea re semper boni quidpiam agere, et summe vitare omne peccatum, ut possit omni momento paratus occurrere redeunti Domino suo Jesu Christo. Redibit enim ille ad nos, ubi moriendum fuerit, et pro meritis nos aut puniet, aut coronabit. Non potest autem confestim illi aperire, quisquis adhuc a vitiis perfecte purgatus non est. Nam quamdiu adhuc aliquid vitii hæret in animo, quod non satis displiceat, necesse est ejusmodi homo cunctanter aperiat Domino pulsanti, et ad adventum illius trepidet. Confestim ergo aperiunt, qui modo sua mortificant vitia, et externum atque internum hominem suum sollicite reformant, vitiisque funditus mortui sunt: quales sunt homines perfecti, qui vitam habent in patientia, et mortem in desiderio. Facile autem ex his verbis Domini Jesu licet intelligi, quantopere nos velit omnia quæ mundi sunt despicere, curas, sollicitudines et occupationes omnes non necessarias ad beatam consequendam vitam, abjicere, et id solum perpetuo agere et curare, ut quandocumque redire volet, nos prorsus ad iter expediti simus. Quorsum ergo attinet divitiis cumulandis navare operam, honores ambire, terrenis occupationibus implicari, quando hæc omnia nos avocant et abstrahunt ab exspectatio-

Vitæ hujus omne tempus quomodo suspectum haberi debeat.

Quinam Domino redeunti aperiant confestim.

ne Salvatoris? O quam multi fallunt sese, dum obliti salutis suæ, sectantur inania! O homo christiane, in cœlis tua est hæreditas, et tu terram colis? Jam jamque Dominus tuus tecum rationem positurus advenit, et tu aliena tractas?

Beati servi illi, quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes.

Vigilare vere quinam dicantur.

Qui in vitiis jacet, in tenebris est. Ergo qui in gratia et charitate positi sunt, illi vigilant. Itaque beati servi illi, qui iniquitatis tenebras a se sollicite repellunt, et divinæ gratiæ lucem magis ac magis in se augere nituntur, idque semper virtutum actionibus incumbendo, et suæ saluti perpetim invigilando, ut quidquid obscurum ac tenebrosum est, ex se profligent, nulla ratione se patiantur a desidia et torpore superari, sed tanquam fideles ac strenui servi in exequendis mandatis Domini sui jugiter vigilent, dicentes cum Propheta: *Oculi mei semper ad Dominum.* Itemque: *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Et quis non merito vigilet, quando, ut ait divus Petrus Apostolus, *adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret?* Nunquam dormit diabolus: ergo semper vigilet servus Christi, ne incurrat in dentes sævi leonis illius. Undique tela volant, omni ex parte imminent nobis pericula multa, tentationibus variis et insidiosis nunquam non impetimur: nisi ergo vigilemus, fieri non potest quin graviter vulneremur. Eam ob rem admonet nos Propheta, ut solliciti ambulemus cum Deo nostro, non ut insipientes ac stolidi, qui non vident aut non curant sua discrimina, sed ut sapientes, ne per incuriam et dissolutionem ab hostibus capiamur.

Ps. XXIV, 15.

Ibid. CXXII, 2.

I. *Petr.* V, 8.

Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere: et transiens ministrabit illis.

Solent homines magnis propositis præmiis effici alacriores. Ea de causa Dominus Jesus cupiens nos ad amplectenda et exequenda præcepta ac monita sua promptos ac strenuos reddere, maximam pollicetur nobis mercedem: nempe ut post hujus miseræ vitæ excubias, vigilias et labores, in regno cœlorum felicissime quiescamus. Si enim quamdiu hic vivimus, ipsi fideliter et ex animo servierimus, neque nos laboris molestia frangi, aut illecebrosis abduci voluptatibus permiserimus, potius eligentes cum ipso Domino nostro perseverare fortiter in cruce, et in via veritatis ac justitiæ, etiamsi multa propterea sint adversa sustinenda, nimirum ubi tempus advenerit, quo ex præcepto Imperatoris nostri ex castris militiæ temporalis ad superna cœli palatia evocandi sumus, tum per seipsum præcinget ac præparabit sese ad remunerandos nos pro regia majestate et opulentia, et faciet nos discumbere, id est summa et ineffabili quiete refici, tanto felicius et gloriosius, quanto hic duriores et crebriores illius causa labores perpessi erimus. Et transiens, id est, singulos quosque jucundissime visitans, ministrabit nobis seipsum totum. Ipse est enim præmium nostrum, ipse tota beatitudo nostra. Quæ vero mens capere, nedum lingua explicare sufficiat, quid felicitatis, quid gloriæ, quid gaudii, contineat quod dicitur: Ministrabit illis? Beati quibus tu ministrabis, Domine Jesu! O homo christiane, viriliter age, et confortetur cor tuum, et noli deficere in laboribus et doloribus vitæ hujus momentaneæ: sustine Dominum Jesum: quia ecce veniet, et ministrabit seipsum tibi, ut sis totus plenus Deo, id est, omni bono. Væ miseris, quos talia promissa non alliciunt ad recte agendum.

Discumbere quidnam mystice sit.

Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.

Ne quis desperare possit, eo quod ætatem in vitiis detriverit, divina misericordia omnibus spem præbet veniæ, si tantum velint resipiscere. Peccasti in pueritia: malum quidem id est, quia sacramentum

militiæ tuæ violasti, et fidem Domino tuo præstitam non servasti, atque adeo vero Domino tuo contempto, ad castra vilissimi et crudelissimi hostis illius diaboli transfugisti. Sed noli desperare. Rex tuus paratus est in gratiam te recipere, si vel in adolescentia, tanquam secunda vigilia probe te gesseris. Quod si jam multos habes ætatis annos, eosque male exegisti, major est illa injuria regis tui tot annis militasse inimico suo: verum adhuc revertere, et priorem infidelitatem majori studio ac fide compensa, et haudquaquam abjiciet te Dominus tuus. Noli tertiam senescentis ætatis vigiliam negligere : teipsum pœnitentiæ lamentis affice, placa lacrymis iram Imperatoris tui, præveni faciem ejus in confessione, illius benignitatem profunda humilitate et continuis obsecrationibus tibi concilia : et quanto fuisti sceleratior, tanto sis deinceps ad omnem regis tui exequendam voluntatem studiosior. Crede mihi, si sic egeris, brevi inter amicos suos te annumerabit, omnium injuriarum prorsus oblitus. Videmus hic immensam Dei bonitatem, hominum improbos mores et duras iniquitates tam benigne tolerantem, tam paratum remittere. Sed nemo illius clementia abutatur. Misericordissimus est : at si te non emendaveris, justissimum experieris.

Hoc autem scitote, quia si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Aptissima similitudine provocat nos ad præveniendam incertam mortis horam, ne nobis improvisis superveniat, quemadmodum fur solet, tum maxime domibus suffodiendis incumbere : quando nihil minus timetur. Quod si tempore vigilet paterfamilias, non potest aliquod furis damnum metueri. Ita et nos si semper præparati simus ad mortem, nihil est quod ex ipsa nobis formidemus. Sed quare voluit Dominus nescire nos illam tam metuendam horam? Ut semper solliciti simus, nec unquam vana securitate dissolvamur. Ergo, dilectissimi, semper nobis ob oculos versetur illa certo certius venturæ mortis hora, atque ejus contemplatione vilescat nobis mundus cum omnibus nugis suis, virtus et pro Deo suscepti labores dulcescant. Ecce adest præ foribus judex, jam sententia data est ut emigremus. Cur ergo vanis nos damus gaudiis? Cur animum præsentibus rebus implicamus? Moriamur dum adhuc vivere licet, ut mors ipsa irruens, non terrori nobis sit, sed gaudio et desiderio. Moriamur quotidie huic mundo, moriamur vitiis et concupiscentiis nostris, et nulla erit nobis ex corporis morte formidanda jactura. Qui vero nolunt sibi consulere dum licet, sed ita vivunt, tanquam mors nulla sequatur, illis Filius hominis terribilis adveniet, dum minime putabunt, et raptis ad tribunal suum summa cum severitate exprobrabit, dicens: Stulti et miseri, quare non audistis benignissimam admonitionem meam, ne tam imparati veniretis ad conspectum meum? Ubi jam sunt voluptates, quibus me contempto totos vos dedidistis? Ite nunc, maledicti, in ignem æternum, et qui noluistis vitiis emori, nunc sine fine moriamini in stagno pice et sulphure semper arsuro.

Horam mortis cum Dominus nobis voluerit forte incognitam.

Morientes dum quibusnam simus dum vivimus.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

DE CHARITATE ET JUSTITIA DUPLICI : OMNIUM OPERUM NOSTRORUM QUIS SCOPUS FORE DEBEAT, ET DE SANCTORUM EXEMPLIS IMITANDIS.

PLACUIT *Deo, et inventus est justus.* Ecclesiastici XLIV, 16, 17.

Charissimi fratres, Evangelica historia, omnis Sacra Scriptura, imo Veritas ipsa Dominus noster Jesus Christus docet nos omnem perfectionem nostram consistere in charitate, quæ omnium observantiam mandatorum in se includit, omnem virtutem in se continet. Hæc autem charitas, etsi una virtus sit et unum donum, est tamen gemina, quia per duo præcepta mandatur, et duo (ut ita dicam) habet objecta, scilicet Deum et proximum. Quisquis igitur diligit Deum, non luxuriatur, non maledicit, non est ebriosus, non est comessator vel compotator : sed est castus, verax, sobrius. Quare? Quia quidquid præcipit aut vult ille quem diligit, libenter quoque facit ille qui diligit : et quidquid prohibet dilectus, ab eo abstinet is qui diligit : quia non vult offendere illum quem diligit, sed contendit illi placere : quia si non curat offendere, jam utique non diligit. Similiter est de proximi dilectione. Hujus porro charitatis, quantum ad ejus utramque partem, perfectio in præallegatis verbis clarius exprimitur, quando sanctus iste Pater Benedictus, cujus festum diem hodie celebrem ducimus, commendatur ab eo quod placuit Deo, et quod inventus est justus. In eo enim quod dicitur placuisse Deo, designatur perfecta charitas ad Deum, quæ est, ut faciamus voluntatem Dei. Hanc autem facit ille, qui diligit Deum : et qui diligit et facit beneplacitum Dei, placet utique Deo. Ille vero Deo non placet, qui voluntatem ejus non facit. Unde Dominus Jesus quosdam in Evangelio reprehendens : *Quid me,* inquit, *vocatis Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* Ergo placuit Deo, hoc est, dilexit Deum, fecit quæ Deo sunt placita : et inventus est justus (intelligendum est utique ad proximum), quia non possumus esse justi ad Deum, ut reddamus Deo quod suum est (nam hæc est justitia et sic describitur, quod reddit unicuique quod suum est), quidquid facimus, adhuc inutiles coram Deo et debitores manemus. Quid enim possumus facere, in quo possimus satisfacere tantæ ejus nobis charitati prærogatæ, tantæ liberalitati exhibitæ, tantis beneficiis acceptis, tantis promissionibus consequendis, cum nihil sine ipso possimus facere ? *In ipso* enim *vivimus, movemur et sumus,* inquit Apostolus. *Quid retribuam Domino,* inquit Psalmista, *pro omnibus quæ retribuit mihi?* Nunquam possum satisfacere pro culpis et peccatis jam abolendis, quando satisfaciam pro beneficiis acceptis, quando merebor et dignum me faciam pro accipiendis ? Ergo non possumus justi esse coram Deo, id est, retribuere et reddere ei, sicut debemus. Sed ipse quia videt impossibilitatem nostram, de parvo contentus est. Sufficit namque ei ut faciamus quod possumus, et quæ ipse vult. Ergo cum fecerimus quod possumus, et desideramus adhuc multa, et omnia quæ debemus facere, perficere, ipse nihil requirit ultra posse nostrum, sed justificabit nos, et dabit omnia gratis, ita ut in hoc quo placemus ei de ejus dono sit. Quapropter per hoc quod dicitur: inventus est justus, intelligitur ad proximum : quia proximo fecit, et ad eum se habuit, sicut debuit, et justum fuit. Et per hoc designatur charitas quam habuit ad proximum.

Et videte quam discrete Sacra Scriptura

Charitas cum una sit virtus cur duplex dicatur.

Justitia vera quid sit.

Act. XVII, 22.

Ps. CXV, 12.

Luc. VI, 46.

loquitur, et modum hujus præcepti indicat, quem debeamus servare. Instruimur namque ex commendatione hujus sancti Patris Benedicti, quomodo debeamus placere Deo, et justi esse erga proximum. Jam dixi, quod non possumus justi esse erga Deum, ut reddamus omnia quæ debemus ei, et retribuamus pro his quæ accepimus, sed ut placeamus. Non possumus autem ei placere, nisi fuerimus boni et virtuosi : et ideo secure totum studium nostrum ad hoc convertere debemus, ut ei placeamus. Hoc porro studium est charitas et ex charitate. Non tamen sic monemur ut placeamus proximo : quia hoc non requiritur ad dilectionem proximi, ut ei placeamus semper : quia si deberemus ei semper placere, oporteret ut voluntati ejus conformaremus nos. Nunc autem, quia proximi nostri voluntas non est semper sincera et bona, ut illi consentiamus et obediamus : et ideo possumus boni esse, proximum diligere, et tamen non placere ei. Exempli gratia : Quia si ipse malus est, non amans bonum, cupiens quod non est secundum Deum, si vellemus ei in hoc placere, ut assentiremus ei, jam non essemus boni, neque ipsum, neque Deum diligentes. Quod si voluntati ejus pravæ resistimus, eumque corripimus, revera diligimus eum, licet ei non placeamus. Unde latrones sibimetipsis complacent, suntque sæpenumero ejusdem voluntatis et voti, et tamen non diligunt, scilicet ea dilectione, quam Dominus præcipit : quia quando Dominus mandavit dilectionem proximi, dedit etiam formam dilectionis, dicens: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Ita non diligunt se homines mali, latrones, incesti et potatores, sicut Christus : quia non in bono, non in Deo, non ad beatitudinem æternam, sed in diabolo et ad æternam damnationem sese diligunt. Ergo non jubemur semper et omni proximo placere, sed justi esse erga proximum, id est, ut faciamus ei sicut faciendum est, et sicut vellemus nobis fieri, procuremus ei salutem et bona animæ (etiamsi ipse talia non requirat) et negemus ei saluti ejus contraria, etiam si ipse concupiscat. Pertinet tamen etiam ad justitiam, ut in his quæ licita sunt, quæ Deum non offendunt, et nostram salutem non impediunt, nec proximi, placeamus proximo, faciamus ejus voluntatem, quæramus ejus pacem et consolationem. Hæc ergo dixi, quo ostenderem, quam convenienter describatur dilectio Dei per hoc, quod placemus : quia quanto plus diligimus, tanto plus placemus, et contra. Dilectio vero proximi describitur per hoc quod est esse justum.

Placere quomodo possumus Deo.

Placere proximo quando debeamus.

Joann. xv, 12.

Mali quomodo se diligant.

Proximo quænam debeamus.

Dixi ergo, charissimi fratres, quomodo sanctus Pater Benedictus commendetur in prædictis verbis (scilicet, placuit Deo, et inventus est justus) a perfectione charitatis, quæ est perfectio et consummatio omnium virtutum. Placuit etenim Deo, nec potuisset ei placere, nisi omnia fecisset, quæ illi sunt beneplacita. Fuit namque justus ad proximum, nec fuisset, nisi omnia fecisset proximo, quæ debuit facere, et quæ sibi ipsi vellet fieri. Verum, ut hæc quæ dicimus lucidius capiantur, paulo altius repetenda, fusiusque explicanda sunt. Et primo quidem ut ab hoc sancto Patre Benedicto sumamus exemplum, qui, uti jam recitatum est, placuit Deo, et inventus est justus : ita nos quoque omnia quæ facimus vel cavemus, finem ponamus, scilicet ad beneplacendum Deo : ut videlicet in quovis opere si quis interrogaret nos, quare faciamus, respondere possimus veraciter, ut placeam Deo. Qui sic facit, omnia scilicet dirigendo in Deum et faciendo ad beneplacendum Deo, semper in omnibus meretur, etiam his quæ alias non essent meritoria. Et hoc est principale quod Deus inspicit et ei gratum est, scilicet desiderium ei placendi, et studium in aliquo illi gratificandi : qui tamen operibus nostris non eget, nec ipse nos inspicit, nisi propter hanc bonam voluntatem : quia sic facere, est charitatem habere et ex charitate operari. Et si proximus finis et immediatus non sit in Deum, si tamen sit ordi-

Benedi sancti ju titia quæ ta fuerit

Placendi Deo desiderium quam sit Deo acceptum.

Referenda quomodo sint omnia in Deum.

natus in Deum per media aliqua, ita quod ultimus finis est in Deum directe, omnes medii fines reputantur in Deum, et omnia intermedia opera facta sunt meritoria, sibi invicem subordinata.

Sumamus hujus rei exemplum, quo clarius quod intendimus, explicemus. Est aliquis finis immediatus, in quem refertur proxime intentio operantis sine medio, et ille quandoque est simul ultimus, quia non refertur ulterius, sed ibi quiescitur. Aliquando refertur in alium, et ille alius in alium, donec venitur ad unum, ubi est status, et ille est ultimus. Quando ergo ille ultimus est Deus, sive sit mediatus, id est, per aliquos medios fines intentus, sive immediatus sit, opus semper est meritorium. Verbi gratia : aliquis intravit hic ad concionem, immediate dirigendo intentionem ad hunc finem scilicet, quod velit placere Deo, ita quod si etiam nihil proficeret in concione, tamen propter Deum vult audire verbum Dei. Iste finis est immediatus, estque ultimus, quia non est referibilis in alium: ideo fecit meritorie, et opus ejus est bonum. Alius intravit huc, ut audiat concionem propter obedientiam, quandoquidem sic vult prælati auctoritas. Ille est immediatus finis, et primo intentus, sed non est ultimus : quia potest adhuc interrogari, quare servat obedientiam istam, vel quare vult esse obediens. Si dicit propter Deum, ille finis est ultimus in Deum: et propter hunc etiam primus est in Deum, licet non immediate, sed mediante secundo : ergo est bonus et meritorius. Sed si diceret : Ego volo esse obediens, ne pœnam incurram. Ecce jam non ordinat in Deum, sed ad vitandam pœnam: et sic etiam illius finis non ordinatur in Deum, qui fuit, audire concionem propter obedientiam : et ideo nullus horum meritorius est. Aliud adsumamus exemplum. Aliquis vadit ad forum. Quare ? Ad emendum scilicet calceos. Quare emit calceos ? Ad eumdum ad sanctum Jacobum. Quare ad sanctum Jacobum ? Pro peccatis suis, et ad reconciliandum se Deo. Hic est illius ultimus finis, estque bonus, et ideo meritorius : et propter hunc finem omnes alii priores sunt Deo accepti, meritoque digni. Exemplum item aliud proponamus. Aliquis servit domino alicui. Quare? Ad emerendum stipendium. Quare ? Ut det eleemosynam pauperi mulieri. Quare? Ad alliciendum eam ad amorem et inde ad peccatum. Ecce, ultimus finis est malus et cum peccato : et propter hunc etiam omnes alii mali sunt. Qui si fuisset bonus, alii priores etiam fuissent boni.

Finis omnis nostri operis quærendus.

Ecce, charissimi fratres, quantum juvat ordinare ad bonum finem, per intentionem, opus suum. Contingit subinde tres facere unum idemque opus pari labore : unus ordinat finem suum ad placendum Deo et meretur vitam æternam : alius ad placendum hominibus, vel alium illicitum finem, et meretur æternam damnationem: tertius ad nullum finem ordinat, sed facit quasi irrationalis bestia, quæ vadit ad stabulum, ad præsepe, ad aquam, ad pascua, ad domum, ex quadam assuefactione. Sunt quædam opera, quæ nullo modo, nulloque tempore possunt bona intentione fieri, vel ad bonum finem dirigi ut fiant bona, ut sunt ea quæ ex suo genere sunt mala, et a Deo prohibita, ut sunt sacrificare idolo, incantationes facere, consilium quærere vel auxilium a diabolo vel a divinatoribus, mentiri, fornicari, id est, extra conjugium copulari, etc. ista semper sunt mala, et nunquam possunt Deo placere, qualicumque fine fiant, etiam si sequeretur effectus bonus inde, ut liberatio alicujus a morte, etc., ut si conjugata sciret maritum suum interficiendum, ex dilectione ad maritum vellet adulterium committere cum judice, ut liberet virum a morte. Quod non licet utique. Mala tamen quandoque sustinentur, vel non puniuntur propter effectus bonos, vel ad vitanda majora mala. Aliqua item sunt bona ex suo genere, et fieri possunt bona intentione, vel ad bonum finem, et manere bona vel fieri meliora : quæ nihilo secius possunt fieri ad malum finem, et fieri mala ex or-

Opera quænam nullo pacto possint vel tempore bona fieri intentione.

Mala quædam cur non puniantur.

Bona quænam possint fieri mala intentione.

dinatione perversæ intentionis, sicut jam dixi. Eleemosynam namque dare, vel celebrare ex suo genere est bonum. Sed eleemosynam dare ad provocandum mulierem in peccati consensum, vel celebrare principaliter propter pecuniam, est malum, licet Missa in se tamen maneat bona. Facilius est opus facere malum, quam bonum: quia sidebet esse bonum, oportet finem et omnes circumstantias esse bona. Si una earum fuerit mala, totum illud opus amittit bonitatem et destruitur, quia ad faciendum malum opus, sufficit vel unam conditionem apponere malam. Ex una namque conditione bona non fit bonum opus, sed oportet quod omnia sint bona, quæ conveniunt ad tale opus. Sunt iterum aliqua opera quæ ex suo genere nec bona nec mala sunt, sed indifferentia ad utrumque fiunt secundum intentionem, sicut bibere, comedere, dormire, laborare : et alia multa, quæ ex se nec bona, nec mala sunt, sed judicanda sunt secundum quod per intentionem ordinantur. Si namque comedimus propter obedientiam, meritorium est : si propter sustentationem vitæ, ut simus validi ad serviendum Deo, meritorium est. Si comedimus (intellige tempore licito et non ultra mensuram) ad cavendam singularitatem, et ne gravemus aspectum aliorum abstinentia singulari, scilicet propter pacem aliorum ut concordemus nos communitati, meritorium est : si propter delectationem tantum cibi, jam est peccatum ; quia licet non possumus quin comedendo sentiamus delectationem, vel naturaliter placeat tanquam naturæ conveniens (hoc enim sentire in se non est peccatum), sed comedere propter delectationem, ut delectatio sit finis, quem quærimus in cibo, hoc est peccatum. Abstinere autem a tali delectatione et similibus, non statim et de se est meritorium, nisi fiat ad minus ultimo fine, ut placeat per hoc Deo : quia potest fieri immediate, ut caro humilietur et castigetur, ne insurgat et prævaleat contra spiritum : vel ad faciendam pœnitentiam, quando licita subtrahimus nobis, quia multa commisimus illicita contra Deum : si tamen ultime referatur ad Deum, est utique meritorium. Legitur de quibusdam philosophis gentilium, qui temperatissime vixerunt in cibo et potu, terrena omnia contempserunt et abjecerunt, ex quibus fuit Crates, qui divitias jactavit in mare, dicens : Ite, pessimæ divitiæ, ego mergam vos in profundum, ne mergar a vobis, etc., et tamen nihil profuit eis ad salutem. Quare nihil profuit? Quia non ordinaverunt ad debitum finem, ut per hoc placerent Deo, sed ne gravarentur curis pro divitiis, ne superfluitate cibi vel potus intellectus eorum obfuscaretur, vel impediretur a philosophando et quærendo sapientiam. Ipsi etiam studebant mortificationi passionum et virtutibus maxime : quidam eorum ad habendam quietem cordis, et virtutem diligebant propter seipsam tanquam aliquod pulchrum, ulterius non referendo : ideo etiam non pervenerunt ad veras virtutes. In scholis disputabant et persuadebant unum esse Deum, et in templo adorabant idola. Hæc paulo fusius tractata sint, propter ea verba quæ dicta sunt de hocce sancto Patre Benedicto, quod scilicet placuit Deo.

Secundo loco admonendi sumus, alteram charitatis partem servare, ut simus justi in proximum. Justitia, sicut ante dixi, virtus est, quæ reddit unicuique quod suum est. In triplici autem differentia est proximus noster. Aut enim est nobis superior, vel æqualis, vel inferior. Cuilibet eorum aliquid debemus : quod si reddimus, tunc justi censebimur, et charitatis legem adimplebimus. Hæc autem concinne et pulchre describit sanctus Pater Bernardus (in sermone tertio de Adventu Domini), dicens : Tribue tribus quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes. Redde, inquam, reverentiam prælato et obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis est. Nec enim sufficit exterius obtemperare majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimi-

Opus aliquod quænam bonum et Deo gratum illud efficiant.

Opera quænam indifferentia sint ad bonum et malum.

Opus indifferens quomodo Deo acceptum fiat.

Delectatio quæ sentitur comedendo, etc. quando sit bona vel mala.

Abstinere a delectabilibus quando fiat meritorium.

Abstinentia quorumdam philosophorum qualis fuerit.

Cratis philosophorum contemptus quantus.

Philosophorum studia pro virtutibus quo spectaverint

Justitia quæ sit

Proximus noster ut sit triplex

Bernard

Prælatis nostris quænam debeamus

Prælatorum indignitas quanta sit patienda.

ter sentiamus de eis. Quod etsi tam manifeste innotuerit indigna prælati alicujus vita, ut nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat : propter eum tamen, a quo est omnis potestas, ipsum quem modo talem novimus, excelsum reputare debemus, non præsentibus personæ meritis, sed ordinationi divinæ et dignitati ipsius officii deferentes. Sic et fratribus nostris, inter quos vivimus, ipso jure fraternitatis et societatis humanæ, consilii sumus et auxilii debitores. Hæc enim volumus ut et ipsi nobis impendant. Consilium, quo erudiatur ignorantia nostra : auxilium, quo juvetur infirmitas nostra. Porro, si cui forte prælatus es, huic sine dubio teneris debitor sollicitudinis amplioris. Exigit a te et ipse custodiam et disciplinam. Custodiam quidem, ut possit cavere peccatum : disciplinam vero, ut quod minus cavit, minime maneat impunitum. Quod etsi nemini fratrum præesse videris, habes tamen sub te cui custodiam hanc et disciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpus tuum, quod sine dubio regendum accepit spiritus tuus. Debes ei custodiam ut non regnet in eo peccatum, nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes ei et disciplinam , ut dignos faciat fructus pœnitentiæ , castigatum et subditum servituti. Ecce, charissimi, ut sanctus Bernardus pulchre jam descripsit, debemus superioribus reverentiam et obedientiam, æqualibus consilium et auxilium , inferioribus vel corpori nostro (quod est inferius spiritu) custodiam et disciplinam.

Quibuscum vivimus quænam debeamus.

Prelati quænam suis subditis debeant.

Corpori proprio quænam quique debeat.

Verum, non possumus singula fusius declarare, propter brevitatem servandam: sed accipiamus unum quod ad festivitatem præsentem magis convenit, scilicet quod proximis debemus consilium et auxilium. Cogitate, fratres, si quis inter nos in adversitate, anxietate et perplexitate dubius esset, nesciens quomodo posset relevari, quantum putatis desideraret consilium sanum ? Et cum illud agnoverit, quantum desideraret auxilium, quam libenter vellet omnium corda sibi inclinata et compatientia fore, et auxilium sibi impendi ? Qualem ergo ejusmodi homo animum alterius erga se vult haberi, talem habeat et ipse erga proximum, ita ut semper cum pauperem, tribulatum et infirmum inspexerit, interroget seipsum : Si tu esses in tali necessitate vel tentatione, quid cuperes ? Respondet illi cor suum : Ego vellem consolari, mihi consuli, juvari. Hoc ergo faciat etiam alteri. Quum autem tu talis fueris, inspirabit Deus etiam alteri, qui pro te sollicitus sit, sicut tu pro alio.

Verum, hæc quæ dicimus melius exemplis sanctorum, quam verbis persuadebimus. Validiora, inquit, ille sanctissimus doctor et Pontifex Gregorius, sunt exempla, quam verba. Hic idem in libro secundo Dialogorum refert inter cætera vitæ gesta hujus sanctissimi Patris Benedicti (cujus festivitate hæc dies solemnis est) quod is ex nobilibus parentibus progenitus fuerit secundum seculum. Qui posteaquam utcumque in liberalibus, ut vocant, studiis institutus esset, non solum studia ipsa, sed et parentes, notos, substantiamque dereliquit , in puerili pene ætate adhuc constitutus, locumque aptum ad serviendum Conditori liberius sibi delegit. Quem non modo ob singularem mentis puritatem, humilitatem, castitatem, sobrietatem aliasque virtutes ejus, sed et propter prophetiæ gratiam, miramque erga suos inimicos mansuetudinem et charitatem, minime dubitarit idem solemnis et fortis Ecclesiæ columna, Pontifex idem sanctissimus, divus scilicet Gregorius in eodem Dialogorum libro, Moysi et Eliæ æquiparare. Nec dissimilia scribunt Severus Sulpitius et Gallus de sancto Turonensium Episcopo Martino : qui utique piissimus et misericordissimus pater pauperum, adjutor et consolator omnium tribulatorum fuit. Qui etiam omnia quæ habuit ex pietatis affectu in pauperes erogavit, adeo ut ante episcopatum et in episcopatu etiam vestimenta sibi necessaria a corpore subtraheret, et egenis daret. Paulinus quoque sanctus episcopus Nolanæ civitatis, postquam omnia sua in

Benedicti abbatis ortus quis.

Benedictus cur Moysi et Eliæ æqualis.

Martini sancti liberalitas.

Paulini episcopi charitas quanta.

egenos et captivos contulisset, ut testis est divus Gregorius in libro secundo Dialogorum, capitulo primo; tandem seipsum ad redimendum captivum viduæ filium vendi fecit, et magno cuidam principi, ut puta regis Vandalorum genero, in vilissimo opere, scilicet horti cultura fideliter diu servivit, spiritu prophetiæ miraculorumque gloria illustris. Sanctus quoque Mamertinus spoliatus pallio a latronibus, revocavit eos, dicens se adhuc habere denarium unum, quem rogavit ut tollerent, si forte in itinere illis posset necessarius fore. Traditum quoque memoriæ posterorum est de sancta Elisabeth, regis Hungariæ filia nobilissima, Lantgravii Turingiæ conjuge, quæ tantæ fuisse legitur pietatis et liberalitatis in pauperes et desperatos homines, ut matrem eam pauperum omnes prædicarent. Quæ non modo pauperes et inopes liberalissime alebat, sed et nudos vestiebat, mortuos sepeliebat, infirmos visitabat, cæteraque christianæ pietatis opera in pauperes et miseros desolatosque strenue exercebat, ipsisque sicut fideliter ita et humiliter inserviebat. Quæ omnia in ipsius quoque matertera sancta videlicet Hedwige regina, regis Poloniæ conjuge, non modo devotissima et liberalissima, sed et humillima, excelluisse constat, adeo ut illa genibus flexis pauperibus eleemosynam daret, eorumque manus oscularetur.

Gregor. — Mamertinus sanctus contemptor rerum pereuntium quantus fuerit. — Elisabeth reginæ charitas erga pauperes. — Hedwigis reginæ humilitas quanta.

Verum, quonam hæc omnia spectant, nisi ut ea nos quoque in ædificationis exemplum trahere debeamus ? Debemus namque ex talibus vivis exemplis discere et moveri ad compassionem, pietatem, charitatem reliquaque christianæ pietatis officia erga proximum. Quod si non habemus quod demus de temporalibus rebus, demus de corpore nostro officia membrorum nostrorum, laborem, sollicitudinem, servitium, consolationem, orationem infirmis et egentibus, quibus quidquid fecerimus eleemosyna est. Demum offeramus voluntatem bonam majora faciendi, si possemus. Hæc namque voluntas bona faciendi operis ubique sufficit, etiam sine effectu, dum facultas deest operandi. Nam si adesset operandi facultas, voluntas bona sola, hoc est, absque opere, non sufficeret. Idcirco cum non potestis eleemosynam dare, habeatis compassionem et dandi voluntatem, et habebitis meritum æquale cum divite porrigente eleemosynam, si charitas par fuerit : quia meritum non facit ipsum munus, sed charitas, ex qua pensatur munus, et propter quam respicit Deus ad munus : unde nec munus Deo placeret sine charitate, id est, sine bona voluntate. Potest contingere non habentem dare eleemosynam plus mereri eo, qui habet et dat, si majorem habet voluntatem dandi et compassionis affectum. Potest etiam huic egeno, vel non habenti unde tribuat, compassionis affectus major inde oriri, id est, ex sua paupertate. Nam dives qui tribuit, inde consolatur : quia paupertatem egeni sublevavit. Qui autem et ipse egenus est, videns alterius egeni inopiam compatitur, nec consolatur, sed crescit compassio et anxietas in corde ejus : quia non habet unde posset inopiæ alterius subvenire, inde etiam crescit meritum. Postremo, cogitur etiam orare, impellente charitate, pro egeno quem juvare non potest, ad Deum qui potest : et hinc iterum crescit meritum ex hac occasione præ divite. Demum habet et ipse suæ propriæ paupertatis meritum, in quo rursus excedit divitem. Ecce, charissimi fratres, non debetis jam dolere si actualiter vel opere non potestis exercere omnia opera misericordiæ ab extra : quia mentaliter et voluntate omnia potestis, si modo bonam voluntatem habueritis, quam præstet nobis Dominus noster Jesus Christus in secula benedictus, Amen.

Eleemosyna quanc sit merit digna. — Pauper quomod eleemosy nam tri buat. — Pietatis opera quomodo exercenda.

IN SOLEMNITATE

ANNUNTIATIONIS B. V. MARIÆ

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

IN diebus illis : Locutus est Dominus ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit : Audite ergo domus David : Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo ? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. *Is. VII.*

MAXIMA sese nunc offert lætandi materia, charissimi filii, et in laudem Dei, atque ex ipsis animæ medullis procedentem gratiarum actionem vel nolentes cogit immensitas beneficii, quod hac die præstitum nobis annua solemnitate recolimus. Hæc est enim dies, in qua opifex mundi Deus hominem, quem sua benignitate crearat, sed diaboli invidia, ac ipsius hominis inobedientia amiserat, ex miserrima servitute cœpit in libertatem revocare ac restituere, virgineo illapsus utero: atque ex eadem Virgine sumpta humana natura, in qua pro peccatis nostris Deo Patri patiendo, moriendo, satisfaceret. Creaverat quidem omnipotens Deus hominem in paradiso, absque ullo peccato, ut diabolo peccatum persuasuro resisteret, ac resistendo vinceret, non consentiendo suasioni pestiferæ : idque ad maximum honorem Dei, et summam diaboli ignominiam, quandoquidem ipse licet infirmior in terra non egisset contra præceptum Dei, quamvis a dæmone tentatus : diabolus vero licet fortior, in ipso cœlo etiam nullo tentante peccasset. Sed quia miser homo, tametsi facile maligni suasionem contemnere potuisset, improbo consultori, nulla vi adactus sed sponte sua, obtemperare maluit, contra voluntatem et honorem Dei, quam ipsi Deo, in confusionem et dedecus diaboli, in tantam, nedum seipsum sed etiam omnem posteritatem suam, et quotquot ex ipso nascituri essent, miseriam adduxit, ut omnino nulla nobis apud Deum consequendæ misericordiæ spes relicta fuerit, nisi peccata nostra ipse in quem peccavimus, per seipsum aboleret. Id vero quis unquam non dico sperare, sed vel cogitare sine horrore potuisset ? Quid enim tam crudele, tam intolerabile, tam iniquum videtur : quam ut pro peccatis nostris Deus summæ majestatis patiendo satisfaciat ? Et tamen nulla alia ratione in gratiam cum Deo restitui potuissemus. Ex quo perspicue licet intelligi, in quas angustias per peccatum Adæ conjecti fuerimus.

Lapsus protoparentum quomodo acciderit.

Sed misericors et miserator Dominus, videns hominem callidissimi ac malignis-

simi dæmonis eversum malitia, ab ipso mox casu illius polliceri dignatus est, quod nemo unquam fuisset ausus petere. Lege Geneseos caput tertium, et ibi scriptum invenies in hæc verba : Inimicitias, ait Dominus serpenti, ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa, vel ut alii legunt, Ipsum conteret caput tuum. Quæ est ista mulier, nisi virgo intemerata, de qua Salomon ait : *Mulierem fortem quis inveniet ?* Quod hujus mulieris semen, nisi Dominus noster Jesus Christus, quem Paulus dicit, factum ex muliere, id est, natum ex virgine ? Ipse nimirum contrivit caput draconis, quando quidquid is in hominem juris acquisierat voluntario peccati consensu, Dominus crucis indebitam perferendo mortem penitus abolevit, suaque humilitate superbissimum spiritum elisit atque prostravit.

Prov. XXXI, 10.

Gal. V, 14.

Maria quomodo contriverit caput infernalis serpentis.

Quod quidem hodie facere exorsus est, quando intra materni ejusdemque pudicissimi corpusculi viscera humanam assumpsit naturam, factus homo, uti jam longe ante prædixerat Isaias propheta, et quidem apertissimis verbis, eo præsertim capite, unde extracta est lectio, quæ hodie Epistolæ loco in Ecclesia recitatur catholica. Locutus est, inquit, Dominus ad Achaz impiissimum regem, idolorum cultorem, et qui neque Deo omnipotenti, neque servis ejus prophetis fidem commodaret : Pete tibi signum a Domino Deo tuo, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Prædixerat Isaias regi Achaz brevi finem habitura regna Syriæ et Samariæ, sed is minime credidit. Jubetur ergo a Domino petere signum, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra, id est, aliquod quamvis eximium ac admirandum prodigium, quod vel circa ipsa terræ viscera, vel inter cœli sidera divinitus ederetur, uti visis difficillimis, ac soli Deo possibilibus effectibus, citius credat minus difficiles. Sed quid Achaz respondit ? Quod scilicet vulpem decebat. Homo versipellis timens ne ex tali signo verus Deus agnosceretur atque coleretur, ejusque gloriæ invidens, malensque suis idolis honorem tribui, dissimulata animi sui impietate, ait se idcirco nolle signum petere, ne tentet Dominum. Id enim erat lege vetitum, ne quis Deum tentaret. Sed numquid fefellit Deum cordis ejus intimos recessus perspicientem ? Minime. Noverat Dominus non religionis causa, ut qui multa alia fecisset contra legem, sed animi elatione nolle eum signum petere. Et quamvis prohibitum erat, ne tentaretur Deus, obediendum tamen erat Deo jubenti etiam quod legi contrarium videretur, cum sit utique Deus supra legem. Divus Hieronymus ait, nomen hebræum et tentare et exaltare posse reddi, ut Achaz dixisse videatur : Non petam, et non exaltabo Dominum, scilicet ob causas antedictas.

Et dixit, scilicet Isaias propheta : Audite ergo domus David, tu rex Achaz, et qui ex Davidis stirpe ducitis originem cæterique domestici tui : Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, dum affligitis servos Dei, qui vobis in nomine Domini loquuntur et ex vestris iniquitatibus ac summi Dei contemptu gravissime cruciantur, atque insuper etiam vestris injuriis et persecutionibus divexantur : quæ utique satis magna est impietas, meritoque a vobis parvipendi non deberet. Sed vos tanquam homines fatigasse nihil sit, etiam ipsi Deo molesti estis, dum duras vestras portat iniquitates, et quotidie maximum ex vobis contemptum accipit, quando ipso neglecto dæmones colitis, et vitiis quæ ipse prorsus odit, dediti estis. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Quæ verba ad id referenda sunt, quod superius dixit Isaias : Pete tibi signum, etc. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Vere signum divina majestate dignum, vere admirabile prodigium, a seculis inauditum, ut virgo concipiat et pariat filium. O virginem ex omni æternitate electam a Deo, ac singulariter et excellenter præ creaturis omnibus benedictam ! O virginem post Deum præcipue

Virgo Deum conceptura quæ intelligatur.

venerandam, colendam atque omni devotionis et pietatis officio prosequendam, quæ non ex homine, sed summo Spiritu concepit, concipiendo integerrima permansit, novem mensibus Deum ac hominem intra pudicissimi corporis viscera portavit, a quo etiam ipsa et totius mundi machina portabatur, ac denique sine ullo dolore, sine ulla virginitatis injuria, imo cum maximo puritatis incremento eumdem peperit tot exspectatum seculis, tot votis ac precibus expetitum, qui mundum erat redempturus, homines cum Deo in gratiam restituturus, ruinam angelicam instauraturus, summa imis conciliaturus. Et vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est, nobiscum Deus, quod nomen nulli nisi Christo hujus sacratissimæ Virginis Filio congruere potest : qui solus est in unitate personæ Deus verus, et verus homo. Calumnias Judæorum, quibus hic adversus Ecclesiam impie utuntur, Doctores abunde dissolvunt, quas nos brevitatis causa præterimus.

Emmanuel cuinam alii conveniat.

Butyrum et mel comedet, hoc est, cibis vescetur quibus et alii infantes nutriuntur, ut veram se carnem et humanam naturam sumpsisse declaret. Ut sciat reprobare malum, id est, hoc ipso confutet hæreticos, qui eum carnem phantasticam sumpsisse, aut non verum hominem fuisse dicturi sunt : et eligere bonum, id est, fidei catholicæ veritatem confirmet, qua creditur revera humanum corpus accepisse. Vel, etiam butyrum et mel eo comedet, ut cibo illo ad justam perductus ætatem, publice concionando, vitia hominum increpet, rejiciat, damnet, virtutes sectandas, colendas, amplectendas doceat. Id quod post baptismum studio ac zelo ingenti eum fecisse certum est ex Evangeliis. Atque utinam ipse etiam nobis præstet, ut sciamus semper reprobare malum, execrari omne peccatum, et eligere bonum, exequi et amplecti quidquid ipsi placet, ne frustra nobis tantus tantæ Virginis Filius conceptus et missus sit.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, LUCÆ I.

SANCTUS Lucas Evangelista, qui Beatissimæ Matris Dei familiaritate usus fuisse, ab eaque multa Salvatoris mysteria didicisse creditur, jucundissimam ac vere saluberrimam Dominicæ incarnationis sive annuntiationis historiam pulcherrime describit, singulaque diligenter exprimit, puta et Angeli, et ejus a quo is missus est, Dei, et oppidi quo missus est, et virginis ad quam missus est, et sponsi virginis nomen, atque etiam ejusdem sponsi familiam sive genus. Nihil enim putavit omittendum, quod ad tantæ rei seriem pertineret. Et nos igitur, quod Spiritus Sanctus tam exacte per Evangelistam suum describi voluit, attentis animis et liberis atque devotis cordibus audiamus. Proponitur enim hic nobis historia salutis nostræ, quam qui negligenter auscultat, aut frigido, duro et ingrato corde percipit, vix est inter vivos numerandus. Nam etsi corpore vivit, tamen animo pene mortuus esse videtur. Excutiatur igitur omnis tepor ac desidia, cedant terrenarum sollicitudines occupationum, facessat omnis incuria, fastidium mortiferum depellatur, ut alacri mente et arrectis auribus, nostræ reparationis exordia percipiamus. Ait ergo sanctus Lucas Evangelista :

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Naza-

reth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen virginis Maria.

En, dilectissimi, audistis missum a Deo Angelum. Jam tot annorum millia præterierant, et humanæ captivitatis miseria semper in deterius excrescebat, et is cujus natura bonitas, cujus opus misericordia est, cui omnino proprium est misereri semper et parcere, tanquam nihil curæ esset illi hominum innumerabilium perditio, totum pene humanum genus ob peccata et ingratitudinem, præsertim dæmonum cultum et vitia carnis, a facie sua abjecerat, paucis de genere Abrahami ad sui notitiam et cultum vocatis et institutis, ex quibus sancti quidam qui noverant venturum in carne Deum, gravissime illius adventum suspirabant, hujus miserabilis exilii pertæsi, precibusque et lacrymis assiduis pulsabant aures Dei, ut tamen veniret ad liberandos nos. *Utinam*, aiebant, *cœlos dirumperes et descenderes.* Itemque : *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.* Sed quantumcumque illi clamarent, plorarent, quasi surdæ erant aures Dei. Promittebat quidem se venturum, sed res in longum differebatur, ita ut multi etiam ex illo populo electo Israel desperatione absorpti, dicerent : *Manda, remanda, exspecta, reexspecta, modicum ibi, modicum ibi.* Atqui hac demum die pius et clemens Creator, non ferens ultra hominum exitium, tactus ineffabili misericordia, Angelum non quemcumque, sed ex principibus unum, nempe Gabrielem Archangelum misit in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ubi futuræ Matris Dei parentes habitasse feruntur, in quorum ædibus virginem sacratissimam jam ex templo reversam sanctoque Joseph desponsatam mansisse colligitur. Sed cur non potius in Judæam quam Galilæam missus est Angelus? Ut hoc ipsum argumento foret relicta Judæa, Dominum ad gentes demigraturum. Siquidem Galilæa transmigrationem significat.

Is. LXIV, 1.

Ps. LXXXIV, 8.

Is. XXVIII, 10.

Angelus cur in Galilæam missus.

Galilæa quid interpretetur.

Missus est autem ad virginem. O vere virginem, semper virginem, corpore et mente virginem! virginem etiam plusquam angelica puritate nitentem! virginem denique tanta pulchritudine præditam, ut ex immensa hominum numerositate, ipsam unam rex cœlestis, Filius Altissimi matrem habere concupierit! Sequitur : Virginem desponsatam viro. Creditur Virgo Beata virginitatis amore prima omnium perpetuæ castitatis emisisse votum. Quid est igitur, quod jam desponsata dicitur? Quomodo enim potuit in matrimonium consentire, voto virginitatis obstricta? Sed qui illi inspirarat ut hoc votum præstaret Deo, idem ipse certam eam reddidit, quod nihil ex matrimonio contrahendo ipsius virginitas detrimenti passura esset, sed virgo perpetua permaneret. Sicque consensit ordinationi divinæ, nihil hæsitans. Desponsata est autem benignissimo juxta ac sapientissimo totius Trinitatis consilio, tum ut pudicissimæ Virginis famæ et existimationi consuleretur, tum ne ipse Filius Dei ex corrupta natus diceretur, tum ut sancti Joseph officiosissimis ministeriis tam ipsa quam filius adjuvaretur. Adhuc enim tenera valde erat Virgo Beata, quando Dei Filium concepit, isque paulò post nativitatem suam in exilium relegandus erat, quo itinere nisi Virgo tam tenera et verecunda mariti solatio relevata fuisset, maximis injuriis et incommodis cum parvulo Jesu haud dubie objecta foret. Sunt et aliæ rationes, sed brevitas servanda est. Porro desponsata fuit viro, cui nomen Joseph erat, qui de tribu Juda ac stirpe David, sicut et ipsa Virgo, prognatus erat, sicut Evangelista mox addit, de domo David. Hic sanctus Joseph justus fuisse apud Matthæum manifeste dicitur. Sed etsi id tacerent Evangelistæ, anne sanctitatis ejus sufficientissimum possit esse documentum, quod in talis tantæque Virginis sponsum, et in Filii Dei patrem putatitium electus est? O vere beatum hunc patriarcham, cui unum concessum est a Deo, quod nulli alii ut sit

Maria c… dicatur despons… viro po… emissum… votum v… ginitatis…

Despo… sata qu… fuerit M… ria viro…

Joseph… sponsi M… riæ laus … sanctitas … quanta.

conjux Matris Dei, gaudeatque nomine patris Filii Dei. Major est ista dignitas, imo incomparabiliter major, quam vel Davidis, vel Salomonis fuerit, videlicet potentissimorum regum. De hoc sancto Joseph supra in festo sanctorum Innocentium quædam dicta sunt. Itaque nunc ad alia properamus. Interim observandum est, tum demum Filium Dei mortale accepisse corpus, quando regia dignitas apud Judæos pene ad extremam erat redacta inopiam. Non enim voluit mundi hujus gloriam quærere, imo nec attingere quidem, sed potius contemnere, contemnendamque docere. Itaque nasci quidem voluit ex stirpe David, sed eo tempore quando regni Davidici successores etiam fabri lignarii erant, uti in sancto Josepho perspicue videre licet. Sequitur : Et nomen virginis Maria. Quid hic dicemus ? Aut undenam exordiemur ? Dulcissimum et omni melle dulcius est nomen Virginis hujus, nec est quisquam qui id pro dignitate possit explicare. Nomen Mariæ exhilarat justos, confirmat pusillanimes, solatur mœrentes, desperatos erigit, miseros fovet, recreat languidos, dæmones terret et fugat, vitia et tentationes diabolicas pellit : denique morbis omnibus animæ et corporis medetur. Sed tum materiæ ubertas, tum temporis angustia cogit nos ad alia procedere.

Christus cur nasci voluerit ex semine David.

Mariæ nominis virtus quanta sit.

Et ingressus Angelus ad eam dixit : Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Ad hanc igitur Virginem ingressus est Angelus salutandam, nuntiumque illi a Deo perferendum, quale ante eum diem nunquam erat allatum in terras. Sed quo ingressus est ad Virginem ? Sedebat illa abscondita in ædibus paternis, residens in conclavi, et tota mentis intentione Deum exorans pro liberatione hominum, divinæque contemplationi prorsus intenta, ac tota velut absorpta in Deum. Semper enim animus ejus Deo conjunctissimus erat ob nimiam cordis puritatem, ita ut quoties vellet, posset per contemplationem in Deum tendere. Itaque dum ita sederet ardentissime obsecrans Deum pro Christi et Messiæ adventu, ingressus est Angelus ad eam intra conclave, ubi soli Deo vacabat et sibi, et ait, scilicet summa cum reverentia, ita ut decebat erga mox futuram Dei Genitricem :

Maria ubinam receperit Angelicam salutationem.

Ave, gratia plena, cunctis virtutibus, omnigenis donis, omnimodis charismatibus excellenter ornata et repleta. Nam cæteris per partes præstatur : tibi autem totius gratiæ plenitudo se infudit. O vere gratia plena, de cujus plenitudine, ut ait divus Bernardus, accipiunt universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam. De qua etiam divus Anselmus ait : O femina plena et superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia, respersa sic virescit omnis creatura ! O Virgo benedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis creatura : non solum creaturæ a Creatore, sed etiam Creator a creatura ! Ave igitur, o Maria, gratia plena, ab omni vel tenuissimi vitii labe prorsus immunis, tota pulchra, tota immaculata, tota gratia plena, ita ut nunquam in te quidquam vel ad momentum hæserit, quod displicuerit Deo, sed totam te gratia occupavit, totam possedit. Dominus tecum, tota Trinitas tecum idque, non vulgariter, sed modo quodam peculiari atque plane singulari. Quia complacuit Domino in te, et qui creavit te, etiam semper delectatur commorari tecum, illectus decore tuo. Ipse totam te circumcinxit, ut nulla ex parte hostibus pateat aditus in te, semperque tecum, et in te permanet, confirmans et circumdans te gratia sua, nec unquam deserens te, sed præparans intra te dignum et congruum habitaculum Filio suo, quem ex te nasci cupit. Benedicta tu in mulieribus, imo præ creaturis omnibus, quæ tantis es prævenita benedictionibus divinæ dulcedinis, ut omnipotens Creator tuus decreverit esse filius tuus, et qui in seipso immensus est, ex te

Gratia plena quomodo Maria salutata sit ab Angelo.

Maria quænam beneficia exhibeat fidelibus.

Anselmus.

Dominus quomodo miro modo fuerit cum beata Maria.

Beata Maria quomodo prædicetur benedicta inter omnes mulieres.

parvulus nasci velit. Benedicta tu in mulieribus, quæ et virginis gaudebis honore et Mater eris Altissimi, et sola ex cunctis feminis sine damno pudoris concipies et absque ullo dolore paries, atque ex ipso conceptu et partu multo et sanctior et purior eris. Obsecro, dilectissimi, nonne ejuscemodi isthæc est salutatio, ut possit etiam quamvis firmum animum nonnihil commovere? Sed quid effecit, oro, in Virgine et Matre Domini nostri? Dicitur gratia plena, dicitur Dominum habere secum, dicitur præ cunctis benedicta mulieribus. Quidni igitur non parvi se esse meriti præfidat, cui talia dicuntur? Sed Virgo in humilitate profundissima firmissime radicata ejuscemodi encomiis non erigitur, sed terretur. Sic enim ait Evangelista:

Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.

Turbata cur dicatur beata Maria ad salutationem Angeli.

Cur, obsecro, turbata? Num ad aspectum aut affatum Angeli? Minime. Jam enim assueta erat et videre et colloqui beatis spiritibus. Sed turbata in sermone ejus. Cum enim nihil magnum, nihil altum, imo nonnisi tenuissime et vilissime de se sentiret, suoque judicio omnium infima esset, turbata est, id est, verecundata, quod tantis veheretur encomiis, quibus se prorsus indignam crederet. Quid hic nos miseri dicturi sumus, qui tametsi cunctis pene virtutibus vacui sumus, tamen non solum non horremus ab aliis laudari, sed id etiam summopere appetimus? et si quis minus bene de nobis sentiat, admodum perturbamur. O quam longe absumus ab humilitate Matris Dei! Quæ licet esset cunctis plena virtutibus, tamen audiens se laudari, pertimuit, verita ne forte illusio esset diabolica, eo quod ipsa nil tale de se sentiret, nec tanta de se vel suspicari auderet. Unde etiam noluit respondere salutanti Angelo, sed cogitabat secum qualis esset ista salutatio. Quod nimirum summæ erat prudentiæ. Ita dum humilis Virgo virtutes cupit celare suas, magis eas prodit. Quid est, Domina nostra, quod turbaris? Diceris gratia plena: sed tu te omnium infimam putas, nec ullam tibi gratiam tribuis, nulla virtute præditam te opinaris: et tamen dum ita de te sentis, en certatim sese produnt virtutes tuæ, et quidem valde admirabiles. Nam quod turbaris, summæ est humilitatis et pudicissimæ verecundiæ. Quod cogitas qualis est ista salutatio, admirandæ est prudentiæ et circumspectionis. Quod non statim respondes, modestiæ est singularis. Fortitudo item et justitia aliæque virtutes manifestæ satis hic apparent, et tum verbis tum factis tuis sese proferunt. Discamus et nos, dilectissimi, ad omnem nostri laudationem pertimescere, atque usque adeo in vitiorum ac totius vilitatis et fragilitatis nostræ consideratione fixi permanere, ut nulla unquam laude vel tenuiter permoveamur: sed solum Deum cupiamus in omnibus ac de omnibus laude et honore affici: nobis vero id solum tribuamus, quod propriæ nostrum est, id est, vitia et peccata nostra.

Laus
minum
quanto
studio
fugiend

Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria. Invenisti enim gratiam apud Deum.

Appari
tiones b
norum
malorum
spiritu
quomod
interno
scendæ.

Sensit Archangelus Virginem pudentissimam quodam verecundo ac humili timore correptam. Itaque mox eam jubet omnem ponere metum, nec quidquam esse sollicitam. Ita enim solent boni spiritus, dum apparent hominibus, pellere ab eis formidinem et quamdam animi præstare securitatem et tranquillitatem. Contra mali spiritus timorem incutiunt et horrorem, eumque in hominibus relinquunt. Invenisti, inquit, gratiam apud Deum. Etsi novi timorem ac turbationem hanc tuam non ex vitio, sed virtute proficisci, tamen interim esto secura, certa invenisse te gratiam apud Deum, multum illi, imo supra modum placere et gratam esse ob præstantissimas animi tui virtutes, precesque assiduas et ferventissimas, quibus illius gratiam expetiisti, quam et invenisti. O felix Maria, quæ non hominum

sed Dei gratiam quæsivit et obtinuit! At nunc cæci filii hominum gratiam Dei floccipendunt, et summo studio miserorum hominum gratiam ambiunt: quam tamen sæpenumero aut non impetrant, aut impetrata neque diu, neque tuto frui queunt.

Ecce concipies in utero, et paries filium: et vocabis nomen ejus Jesum.

O inæstimabilem Dei dignationem, o incomprehensibilem virginis excellentiam! Adeone dejicere se in ima potuisse Deum ut in virgine concipi, in virginis utero augmenta sumere corporea, et ex virgine nasci voluerit? Adeone virginem potuisse in sublime erigi, ut digna fuerit esse Mater Dei? O homo, attende quo se tua causa abjiciat Deus, et pudeat te tantæ charitati posthac ingratum inveniri! Ecce, inquit Angelus ad virginem, concipies in utero, non humanitus, sed divinitus: et paries filium, cujus Pater Deus est, cujus majestas finem et modum nescit, cujus est omnis potestas in cœlo et in terra, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, quem in cœlis verentur et adorant omnes virtutes et angelicæ potestates, denique qui solus est, et extra quem nihil est. Et vocabis nomen ejus Jesum, hoc est, Salvatorem; cujus rationem nominis Matthæus explicans: *Ipse enim*, ait, *salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. De hoc præstantissimo et dulcissimo nomine possent hic multa dici, sed superius in festo Circumcisionis inde tractatum est. At nihilominus in gratiam piorum, quibus sapit quod pietati et devotioni congruit, quiddam hic commemorare placet. Temporibus divi Joannis Tauleri, insignis concionatoris et sanctissimi viri, quidam floruit Henricus Suso nomine, professione Dominicanus, non solum rara ac paucis experta sanctitate præditus, sed etiam miraculorum gloria celebris, qui tanto hujus dignissimi nominis ardebat amore, ut quodam tempore acuto stylo ferreo grandiusculis litteris in ipso cordis sui loco id exararet, videlicet in manifestum perpetui inter Deum et ipsum amoris signum. Perseveravit autem hoc ipsum nomen in ejus pectore ad mortem usque. Neque contentus erat si ipse solus usque adeo ejus ferveret amore, sed etiam multos alios ad ejus amorem et venerationem summo studio, ingentique labore conatus est excitare. Inter complures autem, quos ad Deum converterat, habuit filiam quamdam spiritualem, virginem sanctissimæ vitæ, cui divinitus fuit revelatum, ut idem Suso in suis scriptis recitat, quisquis nomen Jesu scriptum secreto apud sese deferret aut circumferret, diceretque illi quotidie orationem Dominicam cum angelica salutatione, illi in vita quidem benigne facturum, et in morte propitium se præstiturum Deum. Adduntur autem hæc verba ad orationem Dominicam et angelicam salutationem: Benedictum sit dulcissimum nomen Domini nostri Jesu Christi, et gloriosissimæ Virginis Mariæ dulcissimæ Matris ejus in æternum et ultra. Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria: Amen. Quod est revera perexiguum servitium, sed non parum Deo gratum, utpote cui tanta polliceri dignatus est. Olim quidem temporibus jam dictis, perplures hæc faciebant, non absque benedictione divina: sed jam maledictus tepor ac execrabilis ingratitudo hominum ejuscemodi pietatis studia nihilipendit. Dominus Jesus sui nominis amorem et venerationem nostris in cordibus excitare dignetur. *Non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Hoc nimirum sanctissimum nomen a Deo est nominatum, ab Angelo denuntiatum, impositum a parentibus, celebratum a mundo, veneratum ab omni genu, positumque omnibus in salutem, dæmonibus tamen in terrorem, et operantibus in virtutem. Nam in Seraphinis vi ignea inflammat, in Cherubinis splendet, in Thronis compaginat, in Dominationibus imperat, in Virtutibus exequitur, in Potestatibus arcet, in Principatibus curat provincias, principes et magistratus, in Archangelis sacerdotio fungens dirigit

Exercitium pium ad nomen Jesu suavissimum.

Matth. I, 21.

Henricus Suso nominis Jesu tientissimus amator.

Act. IV, 12.

Nominis Jesu dignitas quanta.

mortales in Deum, in Angelis omnia nostra curat, in homine omnium vinculo omnia operatur. Docet namque et variis loquitur linguis in Apostolis, veritate fulget in Evangelistis et Doctoribus, virtute diffunditur in operantibus miracula, dulcedine replet contemplantes, veniam præstat pœnitentibus, et omnigenum auxilium omnibus indigentibus. Hujus nominis tanta est virtus, ut omnes in eo ditari possint, dicente Apostolo : *Dives in omnes qui invocant illum:* hoc est, nomen Jesu, quod tam lene, tam communicabile sui ipsius est, ut oleo in Canticis comparetur, ubi scriptum est : *Oleum effusum nomen tuum :* quia ejus virtus chrismate plena diffunditur in eos quos tangit, sicut oleum in panno, et quia sanat, quia condit, et omnia facit sicut verum oleum, scientibus ipsum suscipere et invocare, sicut Apostoli faciebant, qui in Jesu nomine loquebantur linguis, dæmones expellebant, infirmos sanabant. Hæc pauca licet minima sint comparatione eorum, quæ de hoc reverendissimo nomine dici possent, tamen ob gratiam brevitatis sufficiant. Pius quilibet in scriptis sanctorum aut aliunde plura sibi conquirat, ut in ejus amorem castissimum possit inardescere.

Nominis Jesu virtus quanta.

Rom. x, 12.

Cant. i, 2.

Nomen Jesu cur oleo comparetur.

Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum : et regni ejus non erit finis.

Hic erit magnus, quia Deus immensus, de quo Propheta dicit : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Sed et secundum humanitatem magnus erit, quia princeps regum terræ, et caput electorum omnium, præsidens cœlo et terræ, et omnibus imperans : atque ob unionem humanitatis cum Verbo major toto universo, id est, creaturis omnibus. Et Filius Altissimi vocabitur : Filius utique non Patre minor, sed omnino æqualis, consempiternus, naturalis ,unicus. Adverte hic qualis filius promittatur Virgini Beatæ, et obstupesce tum dignitatem illius, quod talem meruerit habere filium, tum humilitatem, quod nec tenuissimum senserit elationis motum : quod est revera omni admiratione plenum. Nos sæpe etiam ex minimis Dei donis non minime extollimur, ipsa ex summis nec levissime inflata est. Sed talem decebat esse futuram Dei Matrem, scilicet omni virtute absolutam atque perfectam. Et dabit illi secundum humanitatem Dominus Deus Pater æternus, sedem David Patris ejus, id est, cujus typum David rex gessit: qui quidem pater ejus erit, quantum ad humanitatem attinet : siquidem ex te nascetur, quæ ex stirpe Davidica processisti. Nemo hæc de temporali sede Davidis accipienda putet. Non enim voluit Dominus regnare in hoc mundo : quin potius regiam dignitatem sprevit et fugit, ut et nos mundi honores fugiendos contemnendosque noverimus : sed de æterna, cujus typus præcessit in regno Davidico. Itemque quod sequitur : Et regnabit in domo Jacob in æternum non de filiis carnis, sed spiritus intelligendum est, id est, non de Israelitis secundum carnem, sed qui fidem pietatis Israelis, sive Jacob patriarchæ, fuerint imitati, quod Apostolus ita dicit : *Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ : neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii. Sed in Isaac vocabitur tibi semen :* id est, non, qui filii carnis hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Domus igitur Jacob tota est Ecclesia electorum, qui adversum vitia viriliter dimicantes, et contra inimicum Dei diabolum perpetim reluctantes, carnem, sanguinem, peccata omnia, et ipsos nequam spiritus supplantant. In quibus videlicet Dominus Jesus, regnabit in æternum, quia ipsi populus ejus erunt, et ipse cum eis erit eorum Deus, rex et princeps. Atque hujus regni non erit finis. Temporale regnum finem habet : sed regnum Christi sempiternum est. O si nos quoque, dilectissimi, hujus regni cives esse

Ps. xliv, 3.

Jesus Christus cur dictus sit magnus.

Rom.

mereamur! Erimus quidem, si mundum, carnem et diabolum supplantaverimus. Sed væ tepori ac ignaviæ nostræ. Promittitur militi vilissimum stipendium, et mille corpus animamque periculis exponit. Mercator spe lucri exigui per mare, per terras, per horrenda vitæ discrimina impiger proficiscitur. Et multi alii amici seculi hujus nihil non attentant, nihil non perferendum putant, ut vel vitæ possint necessaria obtinere. Nobis regni hæreditas promittitur, cujus non erit finis, et vix dignamur pedem digitumve movere. Tanta est cæcitas, imo amentia et insania pectoris nostri.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

rudentia V. Ma- æ quanta erit.

Vide sacratissimæ Virginis prudentiam. Non diffidit verbis angelicis: sed neque temere assentitur. Optat edoceri modum quo id quod pollicebatur Angelus perficiendum esset. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Equidem quantum in me est, nihil magis opto quam casta permanere, imo jam castitatis voto ultro obstricta sum, et virum nunquam cognoscere statui (ita enim sancti Doctores ex his verbis acute colligunt, et est omnino rationi consentaneum). Nosse itaque velim hujus generationis modum. Virgo quidem Beata, utpote in lege divina et Prophetis, teste Origene, erudita, noverat parituram virginem, sed ut divus Ambrosius ait, modum non noverat: quem nunc optat angelico discere eloquio. Siquidem virginitatis servandæ ingens eam tenebat sollicitudo: quanquam dicunt Doctores, sub honestissima conditione votum eam virginitatis edidisse, hac videlicet, nisi Deo aliter visum foret. Unde prudentissime jam dictam Angelo quæstionem movit. Nihil hic attinet respondere hæreticis, qui nuptias virginitati anteponunt. Faciunt enim quod porci solent, qui suis delectati sordibus, cœnum margaritis et auro charius amplectuntur. Noverat Virgo Beata, etsi necdum legerat, bene quidem virginem facere, si nubat: sed melius facere, et beatiorem fore, si virgo permaneat. Nec sibi putabat admittendas, quamvis a Deo concessas, carnalis matrimonii voluptates, quæ ineffabilibus quotidie, iisdemque castissimis spiritalis connubii, quod inter Deum et mundas animas agitur, deliciis frueretur. O beatas illas animas, quæ virginitatem Matris Dei æmulari malunt, et angelicam in terris imitari puritatem, quam immundis se subdere corporis voluptatibus. Olim sentient vere dulcissimos virginitatis fructus, quos non experientur, quicumque virginitatis expertes erunt.

Votum stitatis i B. Ma- a emise- t.

æreticos rcorum res ha- re.

Virginitatis fructus qui olim experientur.

Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

His verbis omnis pudicissimæ Virginis metus et percunctatio solvitur. Non enim est, ait Angelus, quod timeas, Virgo castitatis amantissima, ullam pudoris intemerati jacturam. Nam totum hoc opus erit omnipotentis Dei, qui ut mundum solo verbo produxit ex nihilo, ita ex te corpus assumet, nullo integritatis tuæ detrimento. En Spiritus Sanctus, cujus est una cum Patre Filioque majestas, indissimilis potentia, eademque voluntas, superveniet in te modo quodam cunctis retroactis seculis inexperto: nec, ut passim in alios, sed longe excellentius et divinius: non quo jam primum illum habere incipias, quo nunquam caruisti: sed gratia abundantiori, gratia prorsus singulari superveniet in te, tibi sese infundet, tibique illabetur, atque ex purissimis sanguinibus tuis repente integrum Filii Dei corpus efficiet, membris suis omnibus constans. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi, hoc est incomprehensibilem potentiam ac majestatem suam ita intra te temperabit, ut tantum opus ferre queas. Vel obumbrabit tibi, hoc est, sub umbra carnis tuæ latebit. Abdita valde sunt hæc, et vix ulli bene intellecta.

Incarnatio Christi quam sit abditissimum secretum.

Quis enim possit capere modum conceptus divini, nisi forte ipsa Virgo, quæ eum in se experire felicissime meruit? Itaque occultissimo hæc mysterio plena sunt, quod, ut insignis quidam Theologus ait, nemo adhuc in scriptis explicasse videtur. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Longe majorem vim habet, quod dicit neutro genere sanctum, tanquam diceret: Christus, qui ex te nascetur, non erit simpliciter sanctus, sed sanctitas ipsa, atque totius sanctimoniæ fons et plenitudo secundum divinitatem : quin et secundum humanitatem electis simul omnibus sanctior erit. Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei: non tamen ita Filius Dei, ut non sit etiam filius tuus, id est, hominis filius: siquidem et perfectus Deus in forma Dei, et perfectus homo in forma servi erit. Vocabitur Filius Dei. Digna plane Filio Dei tam nova et supernaturalis conceptio, qua nonnisi de Spiritu Sancto et in virgine conciperetur: haberetque communem quidem nobiscum naturam, in qua pro peccatis nostris satisfaceret, non tamen eamdem haberet originis rationem. Sed quia vehementer desiderabat Angelus assensum Virginis, ut fides adstrueretur exemplo, sterilis feminæ partum mirabilem illi nuntiavit dicens:

Et ecce Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Quasi dicat Angelus: En cognata tua Elisabeth, quæ jam ab omnibus ubique sterilis non sine probro dicitur, etiam in hac ætate senili filium beneficio Dei concepit, jamque sextus volvitur mensis, quo id contigit. Itaque qui sterili præstitit ut conciperet etiam supra ætatis tempus: facile tibi quoque præstabit, ut virgo concipias, virgo parias, et virgo nihilominus perpetuo perseveres. Non est quidquam impossibile omnipotenti Deo, sicut et Jeremias ait: Domine Deus, non erit tibi impossibile omne verbum. Sed quid jam, Virgo Beata, ultra moraris? En tota Trinitas exspectat assensum tuum : tota cœlestis curia, itemque genus humanum tuum præstolatur responsum, ex quo salus pendet omnium. His igitur ab Angelo dictis, Virgo sacratissima tota devotione plena, nec ullam animi sentiens elationem, sed in ipsam usque humilitatis abyssum sese demergens, corde, animo, spiritu ac labiis brevem quidem, sed efficacissimum nobisque saluberrimum protulit sermonem, quo nec Deo gratior, nec Angelis optatior, nec hominum generi magis salutaris, magisque necessarius ullus esse potuisset. *Jer.* 17.

Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum.

Quis ad hanc vocem non exclamet cum sancto Augustino : O felix obedientia, o insignis gratia, quæ dum humiliter fidem dedit, cœli in se opificem comparavit? Itemque : O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, Paradisum aperuit, et hominum animas liberavit! Hæc ille. Revera, dilectissimi, plena miraculi sunt hæc Virginis verba, plenaque mysterii. Quomodo jam potuisset ultra se cohibere Deus, ne humanam sumeret substantiam, qui non solum virginis accepit assensum: sed etiam tantam in ea invenit humilitatem, ut quamvis Mater esset electa, se tamen nonnisi ancillæ loco haberet? O humilitas Deo grata! O dignam talem virginem, quæ Dei Filium conciperet! Superbus ille Lucifer in cœlo magnus quidem creatus erat a Deo, non tamen ad tantam electus dignitatem, ut Mater Dei, sed nihilominus non contentus honore divinitus ipsi præstito, Dei æqualitatem impius appetere ausus est. Virgo autem Beata ad maximum a Deo assumpta honorem, non solum majorem non petiit, sed nec illum quidem sibi sumere ausa est. Unde in tantum placuit Deo, ut eam ultra creaturas omnes mirifice exaltarit,

ejusque Filius esse dignatus sit. Ita verissimum est, quod Salvator ait : *Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* Et quod ipsa Virgo Beata cecinit : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Mox autem ut sacratissima Virgo isthæc verba protulit, Filius Dei totus in pudicissimi corporis ejus viscera se recepit, manens nihilominus totus in sinu Patris, atque ex ea carnem assumpsit : eodemque momento totum Christi corpus formatum est, anima ejus rationalis creata, et simul utrumque divinitati in persona Filii conjunctum, ut idem esset Deus et homo, salva utriusque naturæ proprietate. Simul autem ut Christus Dei Filius nostram in Virgine Matre naturam suscepit, etiam pro nobis pati cœpit. Ab illo namque momento usque ad spiritus exhalationem in cruce nunquam gravissimis cordis doloribus caruit, sed toto vitæ suæ spatio propter nos dirissime sese afflixit, ut nos cum Patre in gratiam restitueret : simul etiam ut suo exemplo animaret nos ad perferenda hujus vitæ mala, et ad fugiendam omnem mundi dissolutionem et voluptatem, amplectandamque pœnitentiam, et arctam viam illam, quæ ducit ad vitam. Sumus enim in exilio, ubi lugere potius nos convenit quam lætari, quanquam hodie cæci mortales libenter gaudent et rident etiam inter mille corporis et animæ pericula constituti, cum tamen merito plorare deberent, nec unquam inaniter aut dissolute lætari.

SERMO PRIMUS IN EADEM SOLEMNITATE

DE BENEFICIO INCARNATIONIS DOMINICÆ, ET DE EXCELLENTIA MATRIS DEI.

ECCE concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Lucæ I, 31,32.

Magna prorsus, et vere magna hodie, dilectissimi filii, solemnitas agitur, et omnium radix, fundamentum et origo solemnitatum, in qua Deus Pater Filio suo in Virginis utero, humanæ naturæ desponsatione, nuptias fecit : in qua Filius Dei amore captus, imo ebrius, nostram sibi naturam, hoc est, Deus gloriæ limum inæstimabili dignatione conjunxit : in qua Spiritus Sanctus hujus mirifici auctor operis, nunquam antehac expertam in nos declarare cœpit benignitatem suam : in qua Virgo intemerata a Patre in filiam, a Filio in Matrem, a Spiritu Sancto in sponsam est assumpta et consecrata, in qua tota cœlestis curia novis exultavit gaudiis ob sui propediem futuram instaurationem: in qua humani generis est inchoata liberatio, mundo cœlestis lux divinitus infusa et invecta, quibus nostræ pellantur tenebræ, et totius peccati nox discutiatur ac profugetur : in qua denique Filius Dei factus est quasi unus ex nobis, et frater noster, particepsque miseriæ et exilii ac peregrinationis nostræ. Quis jam non totus exhilarescat animo, quis non novo exardescat fervore charitatis ac devotionis studio, quis non omnibus animæ medullis tantam amplectatur bonitatem Dei, nisi qui ita sit durus, ut penitus non sentiat, quid ipsi, imo nobis omnibus præstetur a Deo? vel ita sit cæcus, ut non videat, ex quibus hodie eripiatur malis, ad quæ bona invitetur ac evehatur? vel denique ita sit ingratus, ut tantam gratiam, tanta beneficia, tantum benefactorem negligere, aut minus digne, reverenter, alacriter excipere non vereatur?

Certum est enim, dilectissimi filii, in tantam Dei iram per protoparentum nostrorum culpam nos fuisse prolapsos, quod nulla unquam mera creatura nos in gra-

tiam cum Deo revocare, nec pro nobis satisfacere potuisset. Hanc igitur infelicitatem nostram pro suo erga nos amore et fidelitate miseratus Dei Filius, quod unum supererat remedium, nobis reparandis adhibuit, factus homo, idque hac ipsa die quam nunc festivam ducimus. Neque solum Patris a nobis avertit iram, et damnationis sententiam, sed etiam amissam longe cumulatius restituit beatitudinem. Ex quo nimirum patet et summa calamitas nostra unde erepti sumus, et summa felicitas, quam adepti sumus, et inæstimabilis charitas ac benignitas erga nos Dei, qua ex tam miseris, tam felices effecti sumus. Obsecro, Domine, *quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?* Nunc vere cognovimus quanti facias nos, quantum diligas nos, non solum immeritos, sed etiam nimis male de te meritos, quanta denique sit erga nos fidelitas et benevolentia tua. Jam nunc, Domine Deus, in nos declarare incipis, quod promiseras per Prophetam tuum, ita dicens : *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Nunc igitur *excutere de pulvere, consurge; sede, Jerusalem. Solve vincula colli tui, captiva filia Sion : quia hæc dicit Dominus : Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini. Prope est justus meus, egressus est Salvator meus. Ego, ego ipse consolabor vos. Laudate, cœli, et exulta, terra, jubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum et pauperum suorum miserebitur.*

Ps. VIII, 5.

Is. LIV, 7-8.

Ib. LII, 1, 2, 3.

Ib. XLIX, 13.

Quanta cum reverentia Incarnatio Filii Dei suscipienda.

Ita plane, dilectissimi, excipiamus summa cum animi exultatione, cum voce laudis et gratiarum actionis Salvatorem nostrum, totisque viribus, quoad possumus, illius amplectamur misericordiam. Quid nobis deinceps cum hoc mundo, aut quibuslibet mundi rebus negotii est, qui Deum Dei Filium ad nos descendisse cognovimus ? Valeat mundus cum vanitatibus et voluptatibus suis : nos potius unigenito Dei Filio salvatori ac liberatori nostro occurramus, totumque tempus nostrum loco digno et tantæ majestati congruo præparando impendamus. O si præstet nobis is, qui propter nos hodie descendit ad nos, ut sui contemplatione et amore totus hic mundus nobis vertatur in nauseam, nec quidquam omnino libeat, nisi tantam considerare gratiam, mirari charitatem, amplecti dignationem, exosculari fidelitatem, venerari majestatem : atque e diverso propriam commemorare ingratitudinem, plorare teporem, detestari improbitatem et superbiam, execrari infidelitatem atque ex animo despicere vilitatem ! Sed hæc paucos movent : quia pauci agnoscunt, quid hodie præstitum sit nobis. Et tamen verissime atque gravissime dixit S. Augustinus: Quanquam enim quod sumus, quod vivimus, quod cœlum terramque conspicimus, quod habemus mentem atque rationem, qua eum ipsum qui hæc omnia condidit inquiramus, nequaquam valeamus actioni sufficere gratiarum : tamen quod nos oneratos obrutosque peccatis, et a contemplatione suæ lucis aversos, ac tenebrarum, id est, iniquitatis dilectione cæcatos, non omnino deseruit : misitque nobis Verbum suum, qui est unicus Filius, quo pro nobis in assumpta carne nato atque passo, quanti Deus hominem penderet nosceremus, atque in illo sacrificio singulari a peccatis omnibus mundaremur, ejusque spiritum in cordibus nostris dilectione diffusa, omnibus difficultatibus superatis, in æternam requiem et contemplationis ejus ineffabilem dulcedinem veniremus, quæ corda, quot linguæ ad agendas ei gratias esse satis contenderint? Hæc Augustinus. Verum ut ad præstiti nobis hodierna die beneficii majorem notitiam, simulque ferventiorem gratiarum actionem, laudem et amorem utcumque perducamur, paucis videndum est, in quæ mala peccando cecideramus : unde nonnisi per Dei Filium liberari potuimus.

Nostis, dilectissimi, quemadmodum pri-

quænam ntaque la homo iderit.

ccatum otopa- tum am gra- er puni- n fuerit Deo.

ppetitus imæ.

Vulnera ænam ex ccato otopa- tum imæ stræ in- cta sint.

oluntas imæ.

Sensitiva imæ rs.

om. VII, 25.

mi parentes nostri in paradiso divinum transgrediendo mandatum seipsos, et omnem posteritatem suam gravissimo et pene inexpiabili peccato obstrinxerint. Atque illud peccatum mox a Deo acriter et severe castigatum et punitum est, ejectis illis et nobis omnibus ex amœnissima paradisi sede, atque in hoc miserabile exilium et mortis umbram detrusis. Simul autem ut peccatum ab eis admissum est, mox superior vis appetitiva, sive voluntas corrupta misereque eversa et perversa est, portio rationis expers, id est, homo animalis et exterior adversum rationis imperium, cui jure ac merito subditus esse deberet, rebellare cœpit : mortis damnatio inflicta est, et naturalis omnis rectitudo prorsus incurvata ac depravata est. Voluntatem sive appetentiam superiorem vitiatam et corruptam esse, vel inde satis liquet, quod ad vitia quam ad virtutes affectu propensiori ferimur, libetque magis, toxicum quam cibum salubrem sumere : quod item delectat nos corpori ornando, fovendo, tuendo, omnem navare operam et sumptus etiam grandes impendere, potius quam ornare et locupletes reddere animas veris excolendis virtutibus : cum tamen citra ullam controversiam longe major sit animarum quam corporum dignitas, et excellentia. Ita autem non est a Deo creata voluntas, sed quemadmodum pravis humoribus infectus stomachus sæpe noxiis libentius quam salutaribus utitur cibis vel potionibus : ita voluntas peccato depravata, respuit utilia, nociva appetit et amplectitur. O vere pessimum peccati effectum ! Partem autem sensitivam perpetuum adversus rationem bellum procaciter gerere non est necesse ratione adstruere, quando experientia quotidiana id addiscimus. *Video,* ait Apostolus ipse vas electionis, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in legem peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei : carne autem legi peccati.* Ergo, velimus, nolimus, sentimus legem peccati in membris nostris : sed tamen per Dei gratiam et nostrum conatum fit ut, sicut idem Apostolus monet, non regnet peccatum in mortali corpore nostro. Sed tamen isthæc carnis rebellio in pœnam peccati inflicta est, et admodum molesta ac periculosa est multis. Quod si Adam in innocentia perstitisset, rationi corpus, et ratio Deo penitus obtemperaret. Jam mors ipsa quam nonnisi ob peccatum irrogata sit, vel sola illa Genesis sententia confirmat, dicente ad hominem Deo : Quacumque die ex arbore illa comederis, morte morieris. Deinde etiam inde id constare potest, quod animam immortalem, non decebat nisi immortale habere corpus, quale etiam habuisset, nisi ex ipsa per peccatum mortua, mors etiam in corpus redundasset. Denique a naturali ac prima illa rectitudine, in qua conditus est Adam, penitus nos defecisse ac deflexisse satis inde manifestum est, quod a summis et spiritalibus bonis cognoscendis, videndis et sentiendis, ad isthæc infima et caduca prolapsi sumus : cum tamen ex ipsa corporis statura recta, de qua Cicero ait, quod cætera animalia natura dejecerit ad pastum, solum hominum erexerit ad sidera, facile quis possit admoneri ac invitari, ut terram terrenaque despiciat, et ad cœlestia mente et cogitatione, amore ac desiderio feratur. Isthæc ergo mala ex peccato Adæ contracta sunt, et in nos omnes propagata. Unde facile colligi potest, quam grave illud peccatum fuerit, quod tot mala sunt consecuta.

Peccati lex.

Rom. VI, 17

Mors cur illata sit post peccatum.

Gen. II, 17.

Videamus nunc breviter et Adæ iniquitatem, et necessariam satisfactionem. Peccavit Adam inobedientia, superbia et avaritia. Et quia in eum peccavit cujus est usquequaque infinita potentia, sapientia et bonitas, peccatum etiam illius infinitæ, quodammodo malitiæ fuit. Unde statim id sequitur, a nulla creatura id potuisse peccatum aboleri, quando omnis creaturæ virtus finita est. Quod autem finitæ virtu-

Peccatum Adæ quotuplex et quam enorme fuerit.

tis est, non potest habere efficaciam infinitam. Sed singulatim ejus et inobedientiam et superbiam et avaritiam expendamus. Debebat quidem et modis omnibus, atque omni jure obstrictus erat integram præstare obedientiam Deo ac Domino suo, a quo gratuita bonitate creatus erat : neque simpliciter creatus, sed ita, ut posset, modo vellet, sempiternam facillime adipisci beatitudinem, in qua Deo ipso, id est, summo bono frueretur, ubi haberet quidquid vellet, nec unquam pateretur quod nollet. Sed in tantum mulieris blandimentis eversus est, ut summum, optimum, munificentissimum Creatorem desereret, ejusque præceptum feminæ persuasioni posthaberet. Qua re sane gravissime peccavit. Quod si adhibeas aliquam quantumvis sanctam et innocentem creaturam, sive Angelum, sive hominem, modo pura sit creatura, nunquam poterit hanc expiare inobedientiam. Siquidem unaquælibet creatura pro seipsa tum creationis, tum conservationis sui causa benignissimo conditori omnimodam debet obedientiam : et licet totum præstet quod possit, non tamen nisi suum ipsius exolvit debitum, quo ratione creationis est obligata Deo : sicque transgressio manet, quandoquidem singularem ejus expiatio satisfactionem exigit, quam exhibere non potest, nisi qui et ab omni debito sit alienus, nec cuiquam parere teneatur : qualis non est, nisi solus Deus. Necesse ergo fuit pro Adæ abolenda inobedientia Filium Dei eam sumere naturam, in qua summam ac omnimodam præstaret obedientiam, qui alioqui secundum divinitatem Patri æqualis nullum habebat, cujus esset subjectus imperio, majorem aut excellentiorem. Ita factum est, ut quemadmodum Apostolus ait, semetipsum exinaniens, formam servi acceperit, in qua Deo Patri perfectissime obtemperando, nostram inobedientiam penitus expiaret.

Inobedientia protoparentum quam fuerit gravissima.

Incarnationis Christi necessitas quomodo probetur.

Phil. II, 7.

Superbia protoparentis quam fuerit effrenis.

Porro quod ad superbiam Adæ attinet, ea sane admodum intolerabilis, effrenis ac impudens fuit. Cum enim divinæ majestatis jussum atque præceptum summa cum veneratione ac sui demissione excipere et exequi debuisset, uti creaturam rationis participem decebat, ipse e diverso in tantum animo elatus est, ut penitus servitutem omnem, quam debebat optimo et piissimo Creatori, recusaret ac abjiceret, et summum ipse sibi dominium ac auctoritatem contra jus fasque usurparet, nihil veritus comminationem Dei, neque motus quidquam illius, quamvis nimis expertus erat, benignitate. Enimvero spreta lege Dei, propriæ obtemperavit voluntati, maluitque summa injuria et contemptu afficere Deum, quam suis non indulgere affectibus. Quis jam, obsecro, tantam unquam potuisset superbiam quavis ratione diluere? Nemo sane, nisi ipse Filius Dei, cui ex ipsa natura competit auctoritas omnis, ac summa potestas et excellentia. Is ergo summe sese abjecit, exinanivit, humiliavit. Et sicut homo insipiens temere ad Dei aspiravit similitudinem, ita etiam infra mortales omnes sese demisit, ut ipse in Psalmo dicat : *Ego sum vermis et non homo,* rei vilissimæ, puta vermiculo sese comparans : ea ipsa humilitate condemnans maligni serpentis suggestionem pestiferam : Eritis sicut dii ; et hominis stoliditatem ac elationem, Dei similitudinem iniquis modis rapere, quam pie ac humiliter mereri malentis, expians. Quæ quidem divinitatis rapina etiam ad tertium pertinet puta avaritiam Adæ, de qua nunc aliquid consequenter dicendum est.

Quam quidem si quis justo perpendat judicio, inveniet eam plane crudelem nimisque intemperantem fuisse. Quid est enim aliud hominem usurpare sibi, aut ambire divinitatem, quam Deum gloriæ sua privare dignitate, suis spoliare opibus, et quidquid ille habet, sibi vindicare velle? Quod si contraria curanda sunt contrariis, et si æqua debet esse transgressionis et satisfactionis magnitudo, quis non videat tantam avaritiam, nonnisi a solo Deo expiari potuisse? Sicut enim homo summam admiserat avaritiam, divinitatem temere

appetendo ac usurpando : ita necesse erat summa liberalitate ac munificentia eamdem aboleri, tanta videlicet, qua homini divinitatis participatio quædam conferretur. Id vero soli Deo possibile fuit. Divinitas ab homine avare concupita, eidem alterius liberalitate donari debuit : ut sicut ille alienum impudenter appetiit, ita Deus dando proprium, id est, homini communicando suam Deitatem, eum liberalissime ac indulgentissime redimeret. Decebat item, et quidem secundum justitiæ rationem necesse erat, ut sicut homo, qui revera totus erat pauper, nec quidquam habebat quod posset suum dicere, nisi peccatum, sua illa avaritia dives fieri concupivit : ita is qui totus et omnino dives erat in seipso et ex seipso, pauper fieret, et sua inopia inordinatum divitiarum appetitum primi hominis aboleret. Sed sic dives nemo est, nisi Deus. Nam creaturæ omnes quidquid habent boni, ex Deo habent, non ex seipsis. Unde jam intelligi licet, avaritiam Adæ nonnisi per Filium Dei expiari potuisse.

oni quidquid habent creaturæ, a Deo olo eas id abere.

Quibus omnibus simul collectis, perspicue videmus, quam enorme ac immane fuerit illud primorum hominum peccatum, quo simul etiam nos omnes obstricti sumus, quandoquidem nonnisi per Deum et hominem digna potuit exhiberi satisfactio. Sicut autem peccatum ipsum nonnisi hac ratione elui potuit, ita nec a malis illis quatuor superius commemoratis, quæ in hujus peccati pœnam a justo judice Deo inflicta sunt, aliter quam per Dei Filium eripi ac liberari potuissemus. Cujus utique excellentissimo merito et gratia voluntas nostra in melius reformatur, et carnis rebellio etsi sentitur, nihil tamen officit, nisi consentientibus, imo etiam fit virtutis incrementum, et corpus, etsi moritur, tamen ad vitam revocabitur beatam ac immortalem, et rectitudo depravata restituitur. Et hæc quidem etiam in hac vita adipisci licet. Cæterum, post judicium corporis et animæ summam obtinebimus integritatem, perfectionem ac felicitatem. Ita nunc, charissimi, animadvertere potuistis, quantum nobis collatum beneficium sit verbi incarnatione, quæ hodie facta est.

Pro sua incarnatione quantam Deo debeamus gratitudinem.

Tantum, obsecro, simus grati Deo ac Domino nostro. Quid, quæso, animi gereremus erga mortalem quemlibet, si nos ex carcere aliquo, aut ullo corporis periculo liberasset ? Anne maximas ei semper gratias habituri essemus, nisi vellemus penitus ingrati inveniri ? Quid ergo illi nos præstare, quales in eum esse nos convenit, qui, cum sine nobis sit perfecte beatus, nec indigeat nostri, atque adeo etiam tanta a nobis injuria affectus fuerit, tamen immemor malorum omnium, sua morte nos ex tartareo carcere, ubi est summa miseria et infelicitas, extraxit, et aditum ad regna cœlorum, ubi est infinita beatitudo, patefecit ? O cor durum, cor impium, cor execrabile et merito cum dæmonibus semper excruciandum, quod tantam gratiam, tantam benignitatem ducit contemptui, nec ulla ratione ad reddendas gratias potest permoveri ! O filii Adam, genus ingratum, usquequo non pudebit vos post tantam Creatoris pietatem et benevolentiam addere peccatum super peccatum, et semper illi ingratos atque immorigeros, imo et contrarios vos præbere illi, qui vos tam ferventer, tam fideliter, tam gratuito dilexit ? Videte, obsecro, et etiam atque etiam videte, ne quandoque audiatis eum dicentem : *Heu ! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.* *Is.* 1, 24. *Reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me, retribuam. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.* *Deut.* XXXII 23, 41. *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. Dissipabo et absorbebo simul, desertos faciam montes et colles.* *Is.* XLII, 14, 15. Videte, inquam, ne dum modo Dei patientiam impudenter contemnitis, quandoque ad eum detrudamini divinæ vindictæ carcerem metuendum, cujus pœnas quasdam Isaias describens ait : *Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur. Et erit terra ejus in picem ardentem, nocte et die non exstinguetur, in sem-* *Ib.* XXXIV, 9, 10.

piternum ascendet fumus ejus : a generatione in generationem desolabitur. Merito sane ignem illum pice ac sulphure semper arsurum sentire cogentur, quos jam immensa Dei beneficia, charitas, benignitas, beneficentia, pietas, misericordia, dulcedo, fidelitas non possunt ad amandum Deum accendere.

Libet adhuc paulo fusius Dei in nos explicare charitatem, hac ipsa die nobis exhibitam, et evidentius ponere omnibus ob oculos quantopere dilexerit nos, qui fecit nos. Non enim potest unquam hac de re tantum dici vel cogitari, quin multo plura et dicenda et cogitanda, imo et quæ nemo possit comprehendere, supersint. Boni eam esse naturam certum est, ut se aliis communicet. Cum igitur Deus omnipotens summe bonus sit, ejusque bonitas prorsus immensa ac infinita sit, creaturæ suæ rationali, puta homini, tantum sese communicavit, dum humanam sibi copulavit naturam, quantum illa capere potuit. Neque sane majus aliquid humanæ naturæ præstari potuisset, quam ut a Dei Verbo in personæ unitatem assumeretur. Et licet inæstimabilis sit bonitas et dilectio Dei, quod mentibus creatis felicissime sese fruendum, atque clarissime conspiciendum in cœlesti patria communicat, magis tamen longeque excellentius ejus erga nos charitas, dignatio, bonitas inde elucescit, quod ipsemet unigenitus Dei Filius factus est naturæ assumptæ hypostasis, ita ut verissime Dei Filius et egisse et perpessus esse dicatur, quidquid in Christo humana natura sive egit, sive pertulit. Quod quidem nec angelicis est præstitum spiritibus. Quanto autem Filii Dei, Verbi increati, æternæ sapientiæ, præstantior et excellentior est dignitas atque majestas, et naturæ humanæ major abjectio et humilitas ; tanto inæstimabilior benignitas, et incomprehensibilior Dei erga nos dignatio declaratur, dum tantam humilitatem tantæ voluit conjungere sublimitati. Ad quod utique nihil eum aliud permovit, nisi amor illius prorsus gratuitus, ex quo etiam condiderat nos, ut semper cum ipso felices essemus. Ubi etiam advertendum est (quandoquidem amoris id proprium est, ut dilectum uniat dilecto), liberalissimam ac omnino absolutam in nos Filii Dei dilectionem vel hoc solo abunde ostensam esse, quod absque medio et inseparabiliter ac hypostatice nostram sibi junxit naturam : cum dubio procul tanto sit amor perfectior, quanto unio conjunctior ac indissolubilior.

Deus quantum sese naturæ humanæ communicaverit in ejusdem assumptione.

Quid Deum moverit ad assumendam humanam naturam.

Quis vero digne possit comprehendere, quantæ pietatis ac dignationis fuerit, quod Deus Pater omnipotens, æternus, colendus, prædicandus, consubstantialem sibi atque charissimum Filium suum voluit et dici et esse hominis, et quidem paupercule Virginis Filium, atque hominum fratrem, et eamdem Virginem ejusdem Unigeniti sui verissimam Genitricem ? Sed et ipsius Spiritus Sancti nonne omnino indissimilis et par bonitas, charitas, pietas, dignatio est, quod illius voluit incarnationi intra Beatæ Virginis viscera cooperari, a quo vere ac æterno procedit : eamdemque Virginem fecundare, ut illum felicissime pareret, a quo ipse æque ut a Patre promanat ? Jam vero, quod illa majestas, Deus sublimis et verendus super omnia, proprii plasmatis sui non respuit fragilitatem, sed ut illi mederetur, eamdem, absque tamen peccato, in se recepit, quid nisi ineffabilem ejus misericordiam testatur ? Qua scilicet devictus et impulsus, tam extreme sese dejecit, ut nos sublimissime eveheret : nec dedignatus est miser, fragilis, despectus, inops, mendicus, mortalis effici, ut nos divitias immortales, beatissimam immortalitatem, et summam beatitudinem consequamur. Deinde quam evidens infinitæ sapientiæ illius argumentum est, quod ad nos redimendos, qui pene desperatæ salutis eramus, tam aptum, congruum, ac decentem invenit modum, quo nostra quidem peccata misericorditer dilueret, nec tamen justitiæ quidquam derogaretur : idque nobis quidem clementissime indulgendo, et totum satisfactionis

In Chr incarna tione q Spiritu Sanctu gratiæ contule homin bus.

pondus in se recipiendo, atque eo ipso gravissimis sese pœnis sponte obstringendo, quas nos omnino pati debueramus. Possent hinc plura alia dici, sed quia sanctorum Patrum libri his referti sunt, inde petat, qui plura nosse volet.

Amorem um im- ensum ibusnam gumen- s Deus nos te- atus sit.

Nobis quidem, dilectissimi, jam dicta clarissime testatum reddunt erga nos immensum Dei amorem, quo sic voluit nostræ miseriæ opitulari. Et licet pro sua sapientia optime compertum haberet, quanta in eum nostra esset futura ingratitudo et impietas, tamen noluit vinci a malitia nostra, sed satisfecit charitati suæ, etsi non meritis nostris. Nolebat attendere indignitatem nostram, sed obsecutus est bonitati suæ. Et licet nonnisi unam se scisset animam cunctis suis laboribus et pœnis ex diaboli potestate erepturum, tamen libentissime propter illam solam in hoc exilium demigrasset. Vehementissimus namque animarum amor eum obtinet, nec potest ulla ratione admittere, ut ulla ex eis pereat, quantum in ipso est. Sicut igitur ex omni æternitate statuerat hoc pacto redimere hominem suapte culpa perditum, ita opportuno tempore executus est consilium suum : idque eo tempore, quando jam iniquitas maxime abundabat, et veri Dei notitia pene extincta erat, atque adeo in illo electo populo Israelitico tanta excreverat impietas, ut ipsum Deum ac Dominum suum etiam in ipsis cunabulis et etiamnum materna sugentem ubera perdere sint conati : quod etiam tandem revera executi sunt. Porro, ad sui executionem propositi, quo, ut diximus, humanam sumere naturam decreverat, virginem sibi condidit talem tamque excellentem, qualem decebat esse futuram Dei Genitricem, id est, innocentissimam, purissimam, nec tenuissimam quidem peccati cujuscumque maculam habentem; totam pulchram, omnimoda sanctitate, cunctis virtutibus, omni gratia, omnigenisque donis illustrissimam ac ornatissimam : quam ipse qui condidit, semper moderatus est, solisque divinis servavit usibus, omnemque hostis tartarei vim, dolum, machinas, tentationes ita ab ea removit, repulit ac elisit, ut impius ille omni conatu malignitatis suæ, omnique arte fallaciæ suæ non potuerit unquam vel levissimam illi maculam aspergere : sed semper ab ea attritus, victus, proculcatus sit, superbissimus videlicet ab humillima, spurcissimus a purissima, flagitiosissimus ab innocentissima : denique crudelissimus a regina et matre misericordiæ. Neque solum ita victus sit ab ea, ut nihil illi nocere potuerit, verum etiam usque adeo fractus et enervatus, ut nec adversus quemquam illorum prævalere queat, qui hujus reverendissimæ Virginis pii cultores sint.

Matrem ualem bi Chris- s præpa- rit.

Talem igitur ac tantam æterna sapientia sibi Matrem condidit, in ejusque intemeratis visceribus velut sponsus in thalamo novem mensibus dulcissime requievit, nimium delectatus animæ ejus pulchritudine, quam efficiebat virtutum varietas, et multiplicium splendor donorum. Quanta autem hinc accesserit dignitas huic Beatissimæ Virgini, quod verus Deus eam sibi voluit habere Matrem, quis capere, nedum explicare queat ? Si enim ea dignitas est creaturæ, ut ad Dei sui quantum potest, accedat similitudinem, eaque dignitas tanto est præclarior, quanto est major similitudo, quanta est, obsecro, Virginis Matris excellentia, quæ eumdem sine viri consortio meruit concipere et parere Filium, quem Deus Pater ab omni æternitate sine femina ex se genuit sibi coæternum et consubstantialem ? Quanta est, inquam, dignitas Virginis sacratissimæ, quanta majestas, auctoritas, præstantia, illum concepisse hodie, ac postmodum peperisse Filium, quem super se veretur ac suppliciter adorat numerositas Angelorum, quem tremunt omnes virtutes cœlorum, ex cujus manibus, nutu ac arbitrio pendet universitas creaturarum, sine quo nihil est, quidquid uspiam est, cujus imperio reges et tyranni et quotquot in cœlis, sub cœlo, et apud inferos degunt, colla submittunt ac parere coguntur ? Unde

Mariæ Matris Dei dignitas quanta sit.

Mariæ matris Dei potestas quanta sit.

Bernard. non immerito exclamat ferventissimus hujus Virginis amator divus Bernardus, admirans ejus celsissimam dignitatem, et dignissimam celsitudinem : O Virgo virga sublimis, in quam sublime verticem sanctum erigis ? usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O vere cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis ! O vere lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis nostræ !

Maria mater Dei quonam modo honoranda.

Eia, dilectissimi, omnibus medullis cordis laudemus, amemus, veneremur, colamus, amplectamur, efferamus etiam nos hanc Virginem, Dei Matrem, cœli reginam, Angelorum dominam, patronam et advocatam nostram. Offeramus illi quotidie piæ devotionis pensum aliquod, nec ullum sinamus præterire diem, quo non aliquo pietatis officio eam honoremus. Sic enim est voluntas ejus, qui nonnisi per eam voluit descendere ad nos. Si Matrem non honoramus, certum est ejus Filium summa contumelia nos afficere, qui utique quidquid præstatur veneratio-nis Matri suæ, sibi ducit præstitum, et quidquid erga eam negligitur, suam putat injuriam. Quod si quis nosse cupiat, quidnam illi venerationis impendere debeat, dici potest, gratissimum esse Virgini Matri, si crebro salutetur verbis angelicis, sive angelica salutatione. Hanc enim Pater cœlestis imperavit, Filius, qui est æterna sapientia, dictavit, Spiritus Sanctus conscripsit, et tota beatissima Trinitas Gabrieli Archangelo deferendam commisit : de qua divus Bernardus ait : Est tibi, Virgo Maria, quasi osculum, audire hunc versum angelicum : Ave, Maria. Toties enim, beatissima, oscularis, quoties per Ave devote salutaris. Hæc ille. Neque id cuiquam mirum videri debet. Enimvero in illa prima Angeli salutatione, mox ubi Virgo Beata assensum præbuit, Deum majestatis cum ineffabili gaudio et totius interioris ac exterioris hominis jubilo concepit : et quoties ea salutatio repetitur, toties illius gaudii ei memoria quasi refricatur, quod non potest illi non esse acceptissimum. Itaque libenter ac devote hanc illi salutationem crebris vicibus offeramus : itemque aliis, quibus possumus modis, eam studiosissime veneremur. Ipsa est enim post Deum unica spes nostra, et quam divus Bernardus non dubitat dicere totam rationem spei suæ. Currite, dilectissimi, ad matrem misericordiæ : non enim potest quemquam repellere. Commisit illi Deus misericordiæ regnum : et nihil in ea nisi dulcedo, nisi pietas, nisi benignitas, nisi clementia inveniri potest. O quot illa jam plane desperatos revocavit ad spem veniæ portumque salutis ? Quot perditos saluti restituit ? Quot in peccatis obstinatos emollivit ad pœnitentiam ? Quot vitiis assuetos ad optimam reduxit vitam? Quot miseros consolata est? Quot tentatos relevavit ? Quot mœrore absorptos, inopinato affecit gaudio ? Denique nemo unquam ejus poposcit opem, quin illius sit clementissimam ac propensissimam expertus misericordiam, ita ut confidenter dicat divus Bernardus : Sileat misericordiam tuam, o Beata Virgo, si quis invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Misericordia tua miseris sapit dulcius, quia misericordiam complectimur charius, recordamur sæpius, et crebrius invocamus. Hæc est enim illa, quæ totius mundi reparationem obtinuit, et salutem omnibus impetravit.

Angelicæ salutationis præcellentia quanta.

Bernard.

Ergo, dilectissimi, ut quandoque finem dicendi faciamus, accedamus et nos cum eodem divo Bernardo ad thronum gratiæ Matris Dei, dicamusque ei totis animæ medullis : Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis : ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas tua Deo grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat me-

ritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta. Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriæ nostræ, te quoque intercedente, participes nos faciat gloriæ et beatitudinis suæ : et qui hodie intra virginalis uteri tui templum pudicissimum verus Deus et homo verus concipi voluit, in nostris mentibus et cordibus horis ac momentis omnibus concipi et nasci dignetur Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.

SERMO SECUNDUS IN EADEM SOLEMNITATE

MYSTERIA RATIONESQUE DOMINICÆ INCARNATIONIS, LAUDES, VIRTUTESQUE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ EXPLICAT.

RECORDATUS est Deus misericordiæ suæ. Lucæ I, 54.

Verba sunt hæc, fratres charissimi, superbenedictæ Virginis, et dignissimæ Matris Dei, quæ una cum aliis verbis suavissimis in cantico suo apud Elisabeth locuta est, gratias agens Deo pro inæstimabili dignatione ipsius erga humanum genus, quod disposuit redimere, et sibi reconciliare per incarnationem Filii sui. Quam dignationem considerans Beata Maria dixit : Recordatus est Deus misericordiæ suæ. Nam cum Deus sit æqualiter justus et misericors, quia sic utrumque exhibet, quod tamen unum aliud non excludit, videbatur quasi misericordiæ oblitus, et solam exercere justitiam, quando humanam naturam in peccato Adæ vitiatam, et propter hoc a regno beatitudinis æternæ, ad quam et propter quam creata fuerat, et seipsum juvare non poterat, ultra quinque millia annorum distulit relevare et ad sui gratiam eam recipere : in quo apparebat magna ejus justitia, sed misericordia non sic elucebat. Et licet etiam hoc non sine misericordia fuit, quod distulit redemptionem nostram, aliquando exhibendam, illa tamen ejus dispensatio, et in veniendo mora non sentiebatur ut misericordia, ab his qui miseriam tolerabant. Repromiserat enim diu misericordiam, misericordia quoque diu exspectata est, sed hodie primum manifestata, quando inchoavit opus redemptionis nostræ. Et hoc est quod dixit Beata Maria : Recordatus est Deus misericordiæ suæ. Hoc prævideratolim sanctus David in spiritu, quando dixit in Psalmo : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.* Sed misericordiam hanc quomodo inchoaverit Dominus, docet nos lectio sacri Evangelii, ex quo desumptum est quod jam audistis verbum, scilicet : Recordatus est Dominus misericordiæ suæ. Charissimi fratres, jam diu videbatur, et multo tempore continuata quasi disputatio quædam, utrum homo qui peccaverat, et Deum offenderat, debuit salvari : et allegationes erant pro utraque parte. Ad cujus quæstionis intellectum repetamus altius et interrogemus, utrum homo vel Angelus debuit creari. Imaginemur itaque quasi ante mundi creationem consilium habuerit Sancta Trinitas de creatione mundi, et movisse sequentes quæstiones. Licet enim in Sancta illa Trinitate proprie non sit quæstio, vel consultatio, sed scit, et potest, et facit quod vult (nihil autem vult nisi quod bonum est) tamen propter illuminandum nostrum intellectum imaginemur, sicut etiam

Ps. LXXXIV, 11.

Consilium S. Trinitatis super salvatione generis humani quale.

Doctores scribunt, et Scripturæ sonant.

Angelus cur fuerit creatus.

Quæritur ergo primo, utrum angelica natura debuerit creari, id est, utrum fuerit conveniens; et fuit determinatum per divinam sapientiam quod sic. Ratio quare: quia bonum, ut bonum, sui ipsius debet esse communicativum (sicut dicit sanctus Dionysius) hoc est, bonum de ratione sui, quod est bonum, est communicativum: quia si se non communicaret, quale esset bonum? Tanto etiam perfectius, sive (ut Aristoteles dicit) divinius dicitur bonum, quanto est communius. Cum igitur Deus sit summum bonum, videtur quod aliqua creatura rationalis ab eo debuerit produci in esse, quam faceret participem suæ bonitatis. Et sic definitum fuit ut Angelus crearetur in esse spirituali et intellectuali, et ipso intellectu participaretur ab eodem ipse Deus.

Petrus Lombardus.

Unde Sententiarum Magister, in secunda, distinctione centesima, ex verbis sancti

Causa creationis rerum omnium quæ fuerit.

Augustini ponit illam rationem. Credimus (inquit) rerum creatarum cœlestium et terrestrium, visibilium et invisibilium causam non esse, nisi bonitatem Creatoris, qui est Deus unus et verus: cujus tanta est bonitas, ut summe bonus, beatitudinis suæ, qua æternaliter beatus est, alios velit esse participes: quam vidit et communicari posse, et minui omnino non posse. Illud igitur bonum quod ipse erat, et quo beatus erat, sola bonitate, non necessitate aliis communicari voluit, et ita fecit. Fecit igitur Deus creaturam rationalem quæ summum bonum, id est, Deum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, et possidendo frueretur. Creavit itaque Deus multa millia Angelorum in multiplici decore, in vario ordine et specie. Ex quibus tamen omnium pulcherrimus cum sibi adhærentibus cecidit in superbiam: ideo detrusi sunt e cœlo in infernum, sive in istum aerem, cæteris permanentibus bonis.

Angelorum creatio qualis fuerit.

Homo an creari debuerit.

Secundo quæritur, quare Deus creavit hominem, vel: utrum decuit ut crearet hominem. Respondetur primo secundum Bonaventuram et Magistrum in Sententia secunda, distinctione prima, propter perfectionem et decorem universi, quia Deus creaverat duo extrema, inter quæ invenire est medium componibile ex terminis. Creaverat enim creaturam pure spiritualem et intellectualem, scilicet, Angelum: creavit et creaturas pure corporales, sicut inanimata: ideo, sicut scriptum est, quod perfecta sunt ejus opera, debuit creare etiam creaturam quasi mediam, compositam ex spirituali et corporali, quæ est homo. Alia ratio est principalior secundum Magistrum, ubi supra, scilicet, propter bonitatem Dei ad laudandum Deum: in quo proficit homo, non ipse Deus. Sicut enim mundus et cæteræ creaturæ factæ sunt propter hominem, ut servirent ei (nam ideo etiam ultimo inter alias creaturas creatus est homo), sic homo factus est propter Deum, ut serviret Deo, ut laudaret Deum in terris, sicut Angeli laudant eum in cœlis. Non quia Deus, qui est summe beatus, indiguerit ejus officio vel servitio (qui bonorum nostrorum non eget), sed ut serviret ei, ac frueretur eo, cui servire regnare est. In hoc ergo proficit serviens, non ille cui servitur. Iste igitur nobiliter plasmatus positus in paradisum voluptatis, accepit solum unum præceptum, ne comederet de ligno scientiæ boni et mali. Sed quia non custodivit præceptum Dei, ideo offendit Deum, quod nec ipse nec aliquis qui generaretur de semine ejus posset percipere illam felicitatem, ad quam creatus fuerat.

Tertio quæritur, utrum potuit homo reconciliari Deo, et quomodo. Dicendum, quod licet Deo sint omnia possibilia, et ideo potuit hominem reconciliare quomodo voluisset: tamen non fuit conveniens quod per alium modum fieret, quam per satisfactionem, scilicet pro peccato. Et quia Deus est justus et misericors, si dimisisset peccatum sine satisfactione, tenuisset misericordiam sine justitia: et hæc misericordia (sicut dicit Anselmus) potius dicenda esset injustitia, quia esset inordinata. Quare? Quia peccatum dimittere sine satisfactione, nihil

aliud est, quam non punire : non punire autem peccatum, est aliquid inordinatum : sed inordinatum nihil est apud Deum. Debuit ergo homo redimi per satisfactionem. Istam satisfactionem oportebat fieri ab aliquo homine : quia congruebat ut peccatum puniretur in illa natura, in qua commissum fuerat. Sed nullus hominum, nec quæcumque alia creatura poterat fatisfacere pro peccato. Quare ? Quia non sufficiens erat ad satisfaciendum. Quomodo ? Quia cum homo, vel alia creatura sit finitæ virtutis, non potest facere aliquod opus, quod sit infinitæ virtutis. Satisfactionem autem illam, qua debebat peccatum deleri, oportebat esse infinitæ virtutis. Quare ? Quia peccatum erat infinitum ex eo quia erat in infinitam bonitatem, id est, Deum, et privavit naturam humanam infinito bono : ideo nullus homo purus potuit satisfacere. Sequitur ergo primo, quod satisfaciens debebat esse homo, qui debuit satisfacere, id est, qui reus tenebatur : oportebat quod simul esset etiam Deus, qui potuit satisfacere : quia (sicut dixi) solus homo debuit, sed non potuit : Deus solus potuit, sed non debuit. Oportebat igitur quod esset simul Deus et homo, qui posset et deberet. Quid ergo nunc aliud faciendum est, bone Deus? Nos debemus pro peccato satisfacere, et non possumus : tu potes, et non debes. Convenit enim tibi, qui sine peccato es, et contra quem omne peccatum est, peccatum judicare et punire potius quam pro illo satisfacere. Quid igitur faciemus, nisi ut oculos nostros ad cœlum levemus, et clamemus ad te, ut hominem quem creasti recrees, id est, repares a novo ? Non enim possumus nos ipsos juvare. Quomodo enim quis pro peccato posset alterius satisfacere, qui nequit pro suo ? Nemo est enim sine peccato, nec infans unius diei, sicut habetur in Job. Et in Psalmo : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,* id est, Christum.

eaturam llam posse sa- facere o omnis hominibus.

s. XIII, 3.

Cum ergo in creatura reperiretur nullus, qui possit perditæ humanæ naturæ sufficienter subvenire, compassione Dominus Deus, cujus natura est bonitas, cujus proprium est misereri et parcere, permotus, elegit quemdam satisfactionis modum, ubi justitia servaretur simul et misericordia, et homo liberaretur : scilicet ut ipse susciperet humanam carnem in qua posset ac vellet pati et satisfacere, quæ alias debuisset puniri. Sic ergo non potuit merito causari justitia, quia plenissime fieret satisfactio : nec potuit causari quasi se neglectam misericordia, quia copiosa fiebat peccatori miseratio et remissio.

Incarnatio cur potius conveniebat Filio quam personæ alteri

Illa autem incarnatio magis conveniebat Filio, ut sicut in divinitate est Filius Dei Patris, sic in humanitate esset Filius Virginis Matris. Item, quia per Filium omnia creata sunt, congruebat per Filium omnia reparari. Licet tamen Filius solus fuit incarnatus, tamen opus hoc fuit totius Trinitatis, scilicet cooperando. Sed inter hæc incidit quæstio, quare videlicet Deus non fuit misertus Angeli lapsi, qui modo dicitur diabolus, ut repararet ipsum, sicut hominem ? Dicendum, non est simile de homine et Angelo, quia peccatum Angeli non est remediabile. Quare ? Quia Angelus cognitionem habet perfectam sine aliqua ignorantia in luce plena per intellectum deiformem, et non potest decipi. Homo vero intelligit discurrendo et investigando, quasi in quadam caligine, et ideo potest decipi. Item, Angeli voluntas est invertibilis, et ideo quidquid elegit, illi immobiliter inhæret, Itaque Angeli mali inhærent inavertibiliter malo, quod elegerunt, scilicet superbiæ, et non possunt pœnitere : sicut boni inavertibiliter adhærent bono. Homo autem est vertibilis in voluntate et mutabilis in eligendo, ideo potuit pœnitere. Item, Angeli peccaverunt nullo suggerente, sed propria malitia : ideo non debet eis prodesse charitas aliena. Homo vero diabolo instigante cecidit, ideo Dei virtute sublevari potuit.

Angelus post lapsum cur non debuerit redimi.

Quarto quæritur, ex quo voluit Deus incarnari, quare non statim post lapsum Adæ fuit incarnatus et redemit homi-

nem ? Respondendum, quod qui dare vult alicui aliquod donum, si sapiens est et discretus, primo considerat utrum illi expediat donari cui vult, et quando expediat : nec exhibet se nimis facilem vel promptum in dando, ne alteri vilescat, vel non reputet pro beneficio hoc idem datum vel ne fiat immemor dati. Sic etiam Christus, quando hoc summum beneficium exhibere voluit humano generi, non statim exhibuit : quia homo non cognovisset, vel putasset se non indiguisse, vel per observantiam legis naturæ vel Mosaicæ suam redemptionem meruisse. Ideo tam diu distulit ut homo videret suam miseriam, et suæ liberationis impossibilitatem, nisi a Deo adjuvetur. Voluit etiam, quod hoc ipsum quærerent, et peterent cum magna difficultate : quia quod difficilius acquiritur, hoc charius æstimatur, et diligentius conservatur. Sub hac dilatione tamen Deus revelavit servis suis Prophetis et sanctis Patribus se venturum et redempturum humanum genus, sicut varia habentur in Bibliis oracula. Item, ostendit per varia signa et prodigia suam incarnationem futuram (de quibus jam transeo, ut veniamus ad alia magis necessaria). Interim tamen sancti Patres, quantumcumque Deo dilecti, vel mundi et purgati ab actualibus et propriis peccatis, tamen ratione communis naturæ vitiatæ et irreconciliatæ, non poterant intrare in æternam beatitudinem, sed ad lymbum omnes descendebant qui bene vixerant (quia male viventes descendebant tunc in perpetuam damnationem, sicut modo), ubi non habebant pœnam sensualem, sed carebant visione Dei (quod tamen non est parva pœna, quia sancti etiam qui sunt in cœlo, potius vellent esse in pœnis inferni sensibilibus, et videre faciem Dei, quam in cœlo esse et carere beatifica ipsius visione), quia facies Dei est tam delectabilis et gaudiosa, quod intuens illam non posset sentire aliquam pœnam. Et ideo interim sanctæ animæ illæ clamabant, dicentes: *Domine, inclina cœlos tuos, et descende.*

Incarnatio Dei cur dilata sit.

Oracula prophetarum quo spectarint.

Ps. CXLIII, 5.

Et : *Ostende nobis, Domine, faciem tuam, et salvi erimus.* Et : *Usquequo, Domine, oblivisceris nos in finem, usquequo avertis faciem tuam a nobis ?* Et : *Quousque irasceris super orationes servorum tuorum ?* Et iterum : *Ubi sunt misericordiæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in veritate tua? Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ ? Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te. Tu exsurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. Rorate cœli desuper et nubes pluant justum.* Ps. LX 4. Ib. XIX Ib. LX 5. Ib. LXXXVI 50. Ib. XL 24. Ib. LX 2. Ib. XX 22. Ib. CI, Isa. X 8.

His itaque cum magno gemitu clamantibus, cum magno desiderio exspectantibus, post quinque millia annorum et centum nonaginta novem pene annos a creatione mundi, creavit Deus Virginem, quam sibi ab æterno præelegerat in Matrem, de qua locutus fuerat ad serpentem, id est, diabolum qui deceperat Evam, quando expulit Adam de paradiso : *Inimicitiam ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Hanc creavit formosissimam quæ unquam nata fuit, quia decuit, ut sicut in anima erat purissima, sic etiam esset et in corpore. Et virtutes excellentiores apparent in pulchris (sicut sunt humilitas et castitas) quam in turpibus, quæ videntur quasi ex necessitate humiles et castæ. Item, creavit eam excellenter nobilem, ut puta de sacerdotali et regali genere, licet pauper fuit et humilis, et ideo non fuit usa sua nobilitate ad gloriam vel ostentationem. Item, servavit eam purissimam ab omni peccato, ab omni macula : quia non decebat ut templum, in quo Deus corporaliter habitare disposuerat, et in quo, et de quo carnem sumere volebat, inquinaretur aliqua macula. Replevit insuper eam omni sanctitate, omni gratia, omni virtute, omnibusque donis Spiritus Sancti, sicut in subditis fusius dicemus. Ad hanc itaque Virginem (dum Gen. 15. Mariæ ginis ca atio qu fuerit rissima. Nobili B. Mar quanta fuerit. Puritas Mariæ quanta erit. Sancti B. Mari quanta erit.

venisset plenitudo temporis, quam ab æterno Deus prævidit) misit Deus Angelum suum, ut eam salutaret, ut assensum ejus requireret : quia non potuit fieri Mater Dei invita.

Cogitate nunc, quando illa benedicta Virgo sine macula, candida ut lilium per virginalem castitatem, rubicunda ut rosa per charitatem, electa non solum ex millibus, sed ex universitate omnium creaturarum propter excellentem ejus humilitatem, quando sic splendebat in conspectu Altissimi, et erat gratissima in oculis ejus. Cogitate, inquam, quomodo Deus vocavit Angelum, non quemlibet, sed unum ex principibus Angelorum (quia solet esse magnus legatus, vel ex parte mittentis, si est magnus dominus, vel ex parte ejus, ad quem mittitur, si est honorata persona, vel ex parte causæ, si est magna vel prægnans : quæ tria simul hic concurrunt, quare legatus fuit nobilis et magnus assumptus). Vocavit ergo, inquam, Angelum Gabrielem, dicens hæc et similia : Ecce vides, Gabriel, illam Virginem, cujus suavissimus odor sic coram nobis fragrat? Vides puellam illam omnium virtutum pulchritudine rutilantem? Vides paradisum voluptatis, quem plantavimus a principio? Vides fontem pietatis, quo irrigatur universa terra? Vides sacrarium mentis suæ, divinitatis nostræ habitaculum gratiosum? Vides hortum conclusum, fontem signatum, rubum Moysi, virgam Aaron, vellus Gedeonis, arcam Testamenti, portam clausam Ezechielis, et denique virginem, in quam omnes figuræ legis et Prophetarum oracula repromissa sunt, et implenda? Hæc est illa quam amavi, cujus decorem concupivi, quam exquisivi et proposui sponsam mihi accipere. Amator factus sum formæ illius, ut Unigenitus meus sit Unigenitus ejus, et Spiritus Sanctus sit habitator eam fecundans. Curre ergo cito, nuntia illi nostrum placitum, nuntia ei Trinitatis consilium. Et hoc est, quod Lucas Evangelista dicit : Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.

Ecce audistis quis missus est, a quo missus est, propter quid missus est, ubi missus est, scilicet in Nazareth, ad quam missus est : ad virginem, inquit, desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Non sine causa Scriptura tam diligenter exprimit nomina, quia latent ubique mysteria, et spirituales intelligentiæ : de quibus non est nobis jam tempus dicendi. Missus est ergo Angelus ad virginem, non noviter aut fortuito inventam, sed a seculo electam, ab Altissimo præcognitam et sibi præparatam, ab Angelis servatam, a Patribus præfiguratam, a Prophetis promissam.

Angelus cur missus sit ad Virginem.

Mittitur ad virginem. Bene convenit ut Angelus mittatur ad virginem : quia, ut inquit Hieronymus, semper Angelis cognata est virginitas. Profecto in carne præter carnem vivere, non humana vita est, sed cœlestis. Unde in carne angelicam gloriam acquirere majoris est meriti, quam habere. Esse quippe Angelum, felicitatis est ; esse virginem, virtutis ; dum scilicet hoc gratia obtinere nititur virgo, quod habet Angelus ex natura. Et sanctus ait Bernardus : O quam felix virginitas, quæ ex homine Angelum facit. Sanctus tamen Ambrosius dicit, quod major est victoria virginum quam Angelorum : quia Angeli sine carne et sine prælio vivunt, virgines vero in carne et in prælio triumphant.

Virginitatis carnis quanta sit gloria.

Bernard.

Notate tamen quam laudanda fuerit virginitas Mariæ. Nondum legerat in libris, quantum Deo placeret virginitas. Nondum erat præceptum nec consilium de servanda virginitate : nullum viderat ante se exemplum. Nondum scriptum erat, laudabiles esse qui se castrant (scilicet spiritualiter per castitatem) propter regnum Dei. Nondum legerat quod virgines cantabunt canticum novum : et quod sequentur Agnum, quocumque ierit : et quod empti sunt ex omnibus primitiæ Dei et Agno. Sed magis legerat, quod Dominus in exordio mundi dixerat : *Crescite et multiplicamini, et replete terram.* Et : *Maledicta sterilis in*

Virginitas B. V. Mariæ quam præcellens fuerit.

Gen. I, 22. *Deut.* VII, 14.

Israel, et tamen ita dilexit virginitatem, ut antequam vellet corpus suum pollui, aut concupiscentia libidinis uri, potius eligeret incidere illam maledictionem et opprobrium sterilitatis, potius voluit carere honore fecunditatis et gloria posteritatis. Quia sciebat quod hæc maledictio non erat a Deo, sed solum erat opprobrium apud homines: quia semper Deo placuit castitas (nam Elias fuit virgo, et raptus est in cœlum) sed adhuc in Scriptura tacebatur, quia privilegium hoc Mariæ servabatur. Hoc tamen opprobrium potius elegit, quam virginitatis dispendium. Sciebat enim, quod virginitas non usquequaque esset sterilis : quia sicut conjugalitas replet terram filiis, ita virginitas cœlos. De quo marito ? De Domino Deo, qui est sponsus virginitatis. Omnis namque virginis anima sponsa est Dei, sive secundum carnem sit vir vel mulier : quia non est discretio sexus apud Deum. Quid igitur plus mirabimur in te, o benedicta virgo, humilitatem, an virginitatem? Laudabilis plane in te virginitas electa et servata, non præcepta, non consulta, non exemplo apud alias mulieres monstrata, et adhuc illaudata. Longe aliter cogitasti, quam filia Jephte, quam pater voverat Deo immolandam. Et quia adhuc erat incognita viro, petiit, ut antequam moreretur, permitteret ad aliquot dies plangere virginitatem suam, scilicet quod discederet sine semine, sine fructu, sine sui memoria et sine populi Dei augmento. Sed non minor in te fuit humilitas, qua elegisti fieri opprobrium inter mulieres. Hæc proculdubio fecit, ut virginitas placeret, quia sine humilitate virginitas non est virtus, et respexit, sicut tuipsa testata es, Deus humilitatem tuam. O Maria, quia igitur fortiter egisti pro castitate, ideo non solum cares opprobrio, sed etiam benedicta es inter omnes mulieres, habebisque fructum, qui melior et nobilior erit omnibus filiis totius mundi. Dabit enim tibi Deus gaudium matris cum honore virginitatis. Auferet sterilitatem, et servabit incorruptionem. Quid enim mirum, si a cæteris non fuit observata virginitas, vel non cognita ejus pulchritudo ? Tibi enim servatum est illud privilegium, ut novo seculo novi filii mater nova, novam adveheres virtutem.

Castitatem semper Deo placuisse.

Fecunditas virginum qualis sit.

Quum igitur hæc ita se habeant, cur Evangelistæ scribunt hanc Virginem sanctissimam fuisse viro desponsatam ? Puto equidem neminem id latere, quare Virgo hæc fuerit desponsata, scilicet, ut omnis suspicio mala tolleretur a Beata Virgine et opprobrium : quia si genuisset non desponsata, putassent homines eam adulteram vel fornicariam : ideo Deus voluit providere famæ Virginis, et potius voluit homines errare in ejus conceptu, quam matrem exponere opprobrio. Voluit etiam potius, quod putaretur filius Joseph, quam quod aliquid sinistre suspicaretur de beata Maria Virgine. Sunt tamen etiam aliæ rationes, quas hic brevitatis gratia prætermitto.

Quæritur quoque hoc in loco haud inconvenienter, quo scilicet tempore Angelus venit ad Beatam Virginem, et quando Christus fuit incarnatus. Respondetur, secundum tempus a creatione mundi fuit in sexto millenario, id est, post quinque millia annorum et pene ducentos annos. Si tempus anni inquiras, dicimus in mense Martio, eodem die scilicet, quo Adam fuit formatus. Dies porro Dominicæ incarnationis fuit feria sexta qua et passus est, et Adam hac eadem die peccavit. Horam autem aliqui dicunt de sero, alii de nocte, alii diluculo. Sed concordando, pie sentiendum est, quod Angelus venit ad Virginem de sero, et loquendo cum ea usque ad noctis medium, Virgo tandem consensit (quia non est credendum, quod hoc magnum negotium ita subito factum sit), et tunc Deus descendit in uterum Virginis, et homo factus est. Permansit autem cum Beata Maria Angelus, imo (ut potius credendum est) totus exercitus Angelorum, usque mane, diluculo, et tunc recessit Gabriel Angelus ab ea. Et hoc repræsentat Ecclesia, quando de sero pulsatur, ad Ave Maria, et post Matutinas, scilicet mane.

Specie li apuerit gelus Mariæ ginis.

Quæritur iterum hic, in qua specie Angelus apparuit. Respondetur, in specie hominis, id est, pulcherrimi adolescentis : et hoc propter majorem certificationem Beatæ Virgini, quæ ipsum non solum intellectualibus oculis vidit (sicut consueverat videre Angelos continue) sed etiam corporalibus.

cus sationis gelicæ B. Man quis rit.

Quæritur item, ubi tunc fuerit Beata Virgo, vel quid fecerit. Respondetur secundum devotos sanctosque Doctores, quod jam recesserat de templo : quia erat desponsata viro Joseph, sed nondum celebratæ erant nuptiæ. Et ideo erat vel in domo matris suæ Annæ, vel, ut communiter scribitur, in domo Joseph (vel forte etiam Joseph tum temporis habitabat in domo Annæ). Ibique erat in camera et clausa, quia non consueverat videri multum in publico. Ibi ergo legebat et meditabatur Scripturas Prophetarum de repromissa incarnatione Filii Dei : et ideo ferventissimis suspiriis et lacrymis compassionis et devotionis rogabat Deum, ut acceleraret promissum, et liberaret genus humanum. Non credendum tamen, quod oraverit vel quod putaverit se fore Matrem Domini : quia depresserat se adeo in abyssum humilitatis, quod nihil tale de se potuit cogitare : nam nulla creatura pura sic descendit in seipsam ad cognoscendum nihileitatem suam et tam parvam sicut Beata Virgo Maria. Et ideo non fuit mirum, quod oratio tantæ humilitatis penetravit cœlos. Scribunt autem multi Doctores, quod tunc legebat in Isaia propheta, illum textum : *Ecce virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Erat autem plus solito devotione et consolatione divina superfusa, et contemplationi ferventius diligentiusque insistebat super secreto mysterio Incarnationis, et ideo flexis genibus, et elevatis oculis ac mente ad Deum hæc vel similia præcabatur : O clementissime Domine, Deus, rex regum, qui bonitate tua mundum creasti de nihilo, et post Angelos hominem ad tuam imaginem formatum, dominum constituisti creaturarum, ut tibi serviret, et te diligeret, tibique in omnibus obtemperaret : miserere ei jam perdito per peccatum, miserere bonitate tua : miserere clementia et charitate tua. Aperi cœlos, et descende. Jam tot annorum millia percurrerunt, et sancti Patres, et Prophetæ, et Patriarchæ, et amici tui in tenebris habitant exspectantes lumen tuum. Veni, obsecro, Pater benignissime, veni, et ne respicias peccata hominum, descende de cœlis verus Deus, verum lumen, gaudium, solatium, dulcedo et consolatio afflictorum. O si oculis propriis tam grande mysterium aspicerem ! O quam lætarer, cum Deum in carne viderem ! O quantum sancti Patres gaudium susciperent ! Rumpe moras, Creator optime, et veni ad liberandum nos. Fac mihi hanc gratiam, ut tuæ matris ancilla et pedissequa efficiar. O si cernere possem antequam moriar illam benedictam virginem, quæ paritura est meum Salvatorem! Profecto illius pedibus provoluta, ejus me servam facerem, et illius semper mandatis obtemperarem.

umilitas virginis riæ nta fu-

s. VII.

atio B. riæ ad um pro arnatio- Filii.

Dum hæc et similia in oratione flexis genibus pertractaret, interim etiam sancti Patres in lymbo clamabant : *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo.* Quorum clamoribus, suspiriis, gemitibus et necessitatibus tandem Deus piissimus, præcipue quoniam plenitudo temporis jam adesset, inclinatus, recordatus est tandem misericordiæ suæ quam promisit domui Israel, et misit Angelum suum, sicut jam audistis, ad Virginem. Apud quam quid egerit, Evangelista declarat, dicens : Et ingressus Angelus ad eam dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus. Hæc verba ab Angelo allata quidem, sed composita sunt in consilio Sanctæ Trinitatis, et missa Beatæ Virgini : suntque tam sublimia et tam excelsa, quod nunquam humanus intellectus potuit illa penetrare, vel ut componeret meliora invenire : tam quoque grata sunt Beatæ Virgini, quod nulla oratio alia potest tam grata illi offerri

Ps. CV, 4.

Verba Angelicæ salutationis quantæ sunt præcellentiæ quamque grata B. V. Mariæ.

(sicut revelatum fuit sanctæ Mechtildi) quia quoties ei porrigitur, reducitur ei in memoriam, et renovatur ei illud gaudium quod habuit in conceptione Filii Dei : quod majus est omnibus gaudiis, quæ habuit in hac vita : ideo volo singula verba exponere.

. Sine væ uti fuerit B. Virgo Maria multipliciter.

Ave, id est, sine væ. Fuit enim Beata Virgo Maria sine væ concupiscentiæ. In ipsa enim locum non habuit quod scribitur de cæteris hominibus : Caro concupiscit adversus spiritum. Fuit sine væ culpæ, quia nec originalem nec actualem habuit : et ideo etiam exempta fuit a generali illo vinculo, de quo dicitur : *Nemo mundus a sorde, neque infans cujus est unius diei vita super terram.* Item fuit sine væ pœnæ, quia sine dolore peperit : ideo non tetigit eam maledictio Evæ, cui dictum est : *In dolore paries filios.* Ideo etiam dicitur ei, Ave : quod verbum si convertatur, et retrograde legatur, sonat Eva : quia ipsa habuit privilegia contraria maledictionibus Evæ. Item, fuit sine væ corruptionis : quia in anima et corpore erat, mansitque integra virgo perpetuo, nec in morte caro ejus fuit incinerata, sed ut pie Ecclesia credit, ad cœlos assumpta et glorificata.

Gal. v, 17.

Gen. III, 16.

Ave conversum quid signet.

B. Maria novum nomen hoc loco accipit.

Gratia plena. Quare non salutavit eam nominatim, sicut nos facimus, Maria? Dicendum, quod omisit proprium nomen, et loco ejus imposuit ei novum nomen, sicut solet fieri quando conferuntur magnæ dignitates, ut Papæ, etc., et ideo mutantur nomina. Sic fiebat Dei futuræ Matri, quia imposuit ei Angelus nomen, quod ante nulli unquam homini impositum erat, scilicet gratia plena. Sic nominat eam, quia inter omnes creaturas puras soli huic Beatissimæ Virgini conveniebat per excellentiam, ut diceretur gratia plena. Quia licet Apostoli dicti sint pleni Spiritu Sancto, et similiter sanctus Stephanus : hoc tamen fuit dissimiliter valde. Quia, licet habuerunt plenitudinem gratiæ Apostoli non solum sufficienter, et quantum opus est ad salutem, sed etiam abundanter, id est, copiose : Beata tamen Virgo Maria fuit plena gratia excellentissima prærogativa per exclusionem omnis vacuitatis : quia tantum recepit quantum potuit aliqua creatura recipere, in tantum ut (secundum Doctores) Deus ultimam perfectionem creaturarum demonstraverit in ipsa, nec potuerit ipsam facere majorem, quam est, scilicet, quod est Mater Dei, nisi fieret et ipsa Deus, id est, uniretur cum divina natura, sed tunc non esset amplius pura creatura : quia, secundum Bernardum, licet Stephanus vel aliquis alius sanctus dicatur plenus Spiritu Sancto, hoc tamen est longe dissimiliter a Maria : quia nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, nec concepit Deum de Spiritu Sancto. Unde dicit sanctus Hieronymus : Cæteris sanctis per partes gratia præstatur : Mariæ vero tota se infudit gratiæ plenitudo.

Spiritu Sancto pleni quomodo dicti sint Apostoli.

Gratia plena quomodo fuerit B. Maria.

Habuit ergo præ cæteris excellentiam vel prærogativam plenitudinis gratiæ, quæ consistit in tribus. Primo, quia fuit excellentior dignitate. Quod patet in hoc, quia est Mater Dei : quod tantum est, sicut jam dixi, quod non solum non potest major fieri, sed nec cogitari. Ideo comparatur cedro, quæ altior est inter omnes arbores. Secundo, fuit excellentior in præeminentia sanctitatis, quia infra Deum ipsa est super omnes sanctos et Angelos sanctissima et purissima (sicut dicit Anselmus) ea puritate, qua sub Deo nequit major intelligi. Nec solum in se sancta est, sed etiam alios potest sanctificare. Unde non injuria comparatur cypresso, quæ est arbor medicinalis. Unde sanctus Hugo ait : Benedicta es et gratia plena, et in tantum plena, ut ex tua redundantia totus hauriat mundus. Propterea dicitur fluvius gratiarum. Unde in Canticis de ea dicitur : Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Imo gratia ita plena fuit, quod omnis gratia quæ ad nos venit, secundum Bernardum, nonnisi per manus Mariæ fluit : et ideo frustra exspectat, quisque aliunde, quam per Beatam Mariam aliquid se recepturum sperat. Unde notate (sicut dicit idem Bernardus) quanto devotionis affectu Mariam a nobis honorari voluit

Deus, qui totius boni plenitudinem in ea posuit : ut si quid in nobis est spei, si quid gratiæ vel salutis, ab ea noverimus redundare. Totis ergo medullis cordis veneremur Mariam, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per illam. Tertio, fuit excellentior in superabundantia capacitatis, quia fuit superabundantissime capax omnis gratiæ. Habuit enim omnes gratias generales et speciales omnium sanctorum et omnium creaturarum in excellentia summa. Unde in Ecclesiastico ipsa dicit : *in me omnis gratia vitæ et veritatis*. Et sanctus Bernardus super illud Ecclesiastici ibidem, *In plenitudine sanctorum detentio mea*, dicit : Vere in plenitudine sanctorum detentio ejus, cui non defuit fides Patriarcharum, nec spes Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec constantia martyrum, nec sobrietas confessorum, nec castitas virginum, nec fecunditas conjugatorum, nec puritas Angelorum. Nihilominus habuit etiam singulares gratias, quæ nullus sanctorum habuit, a quibus omnis creatura vacua fuit, scilicet quod esset virgo et mater, Mater Dei et hominis, domina mundi, regina cœli.

Dominus tecum. Bernardus : Longe excellentius est Dominus tecum, quam cum aliis sanctis, cum quibus est spiritualiter tantum et in corde : sed est tecum spiritualiter n corde, iet corporaliter in ventre. Itemque, Dominus tecum, Dominus scilicet Pater tecum, qui suum Filium fecit esse et tuum. Dominus Filius tecum, qui ex te carnem assumpsit miro modo. Et Dominus Spíritus Sanctus tecum, qui tuum cum Patre et Filio sanctificavit uterum.

Benedicta tu in mulieribus, id est, præ omnibus mulieribus. Non dico benedicta tu in virginibus, sed in mulieribus, ut sis sola quæ omnes superexcellis, cui nulla cujuscumque status possit æquari, ut sicut non habuisti similem priorem, sic nec es habitura sequentem. Benedicta ergo in mulieribus, id est, in virginibus, in conjugatis et in viduis : quia omnes hosce tres status comprehendis in te, et omnes in te benedicuntur. Unde iterum divus ait Bernardus : Benedicta tu in mulieribus, quæ generalem mulierum evasisti maledictionem, ut nec sterilis permaneas, nec cum dolore parias. Hæc sunt quæ per Angelum dicta vel posita sunt in salutatione virginis, id est, in Ave Maria. Reliqua quæ Evangelica narrat historia, prolata sunt ad eamdem Virginem per sanctam Elisabeth, loquente per os ejus Spiritu Sancto, qui etiam locutus est præcedentia per Angelum. Unde ipsa Elisabeth incepit, ubi Angelus dimisit, repetendo eadem ultima verba. Dixit enim etiam ipsa, sicut Angelus : Benedicta tu inter mulieres, et postea subjunxit : Et benedictus fructus ventris tui, et sic alia complevit, quæ Angelus non dixit : quia non fuit conveniens, ut Angelus hoc diceret, eo quod Maria nondum concepit Filium Dei in utero suo. Cum itaque (sicut prædixi) Beata Virgo Maria maxime desideraverat Dei incarnationem et Patrum liberationem, reputans pro maximo beneficio, si ipsa mereretur talis Filii matrem videre, vel ancilla ejus fore, venit Angelus portans litteras ex consistorio Sanctissimæ Trinitatis, dicens : Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Ac si diceret : O Maria Virgo super omnes præelecta, quantum te humilias ! Tu non eris hujus virginis et Matris Dei famula, non eris ancilla, non pedissequa : sed eris tu ipsa Mater Dei, sicut es ab æterno ad hoc præordinata. Tu enim es illa virgo, de qua locuti sunt Prophetæ omnes : tu es regina cœlorum et imperatrix omnium hominum et Angelorum, et omnium gratiarum Dei receptaculum.

Bernard.

Hæc autem omnia dixit Angelus cum decenti et magna reverentia. Similiter Beata Virgo statim assurrexit Angelo : et turbata videbatur ex verbis ejus, ut inquit Evangelista. Non quidem ob hoc fuit simpliciter turbata, quia videbat Angelum (consueverat enim quotidie Angelos videre) sed fuit turbata, primo pudore et verecundia ratione salutantis : quia apparuit ei

Turbata cur fuerit B. Maria in sermone Angeli.

Angelus in qua specie ac forma B. Mariæ apparuerit.

Angelus in insolita specie, scilicet virili et corporali, in ætate pulcherrimi juvenis, cum clara et præfulgida veste, ostio clauso : quia, sicut Bernardus dicit, non est suspicandum, quod Angelus apertum invenerit ostium Virginis, cui nimirum erat in proposito frequentias hominum fugere, et colloquia vitare, ne vel orantis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur. Clauserat itaque etiam illa hora suum super se habitaculum Virgo prudentissima : sed hominibus, non Angelis. Trepidata ergo fuit ad viri ingressum et

Hieron. ad se solam : quia, sicut dicit Hieronymus, nunquam fuerat a viro salutata : et ita verecundabatur : quia tam subito non cognovit, quod fuit Angelus, sed statim post. Et

Ambros. sanctus Ambrosius ait : Notare hic possumus, quantum erubescebat consortia hominum, si ita erubuit sermones Angelorum.

Secundo, fuit turbata ratione salutationis novæ, et ex humilitate. Nunquam enim audierat vel legerat talem salutationem, et talia verba. Admirabatur enim valde, quomodo ei talia dicerentur, quod esset gratia plena, et benedicta in mulieribus. Humilitas enim sua non sinebat eam aliquod magnum de se sentire : sed reputabat se parvam et indignam qualicumque salutatione

Humilitati proprium quidnam sit.

Angeli. Est enim proprium humilitati, quod laudes suas erubescit, et ex eis gravatur. Et ideo in corde revolvebat : O unde hoc mihi, ut veniat Angelus Domini mei ad me ? Si enim Salomon expavit, quod deberet ædificare templum nomini et memoriæ Domini, quanto magis Maria, quæ ipsamet debebat esse templum Domini, non solum nomini ejus, sed deberet eum etiam hospitio recipere, id est, in ventrem suum.

Cum ergo sic turbatam eam Angelus vidisset, consolabatur eam, dicens : Ne timeas, Maria : Invenisti enim gratiam apud

Bernard. Deum. Ubi sic, inquit divus Bernardus : Ac si diceret : O si scires quantum Altissimo tua placeat humilitas, quantaque tibi apud ipsum sublimitas maneat, angelico te indignam nec obsequio judicares, nec alloquio. Non mireris ergo, Maria, quia Angelus ad te venit. Nam et major Angelo in te venit. Non mireris Angelum Dominicum, quia Angelorum Dominus est tecum. Postremo, quidni Angelum videas, cum jam angelice vivas ? Cur autem indebitam tibi duxeris gratiam Angelorum, quæ invenisti gratiam apud Deum ? Invenisti enim gratiam apud Deum. Super quæ verba idem divus Bernardus iterum sic dicit : Invenisti quod ante te invenire nemo potuit, gratiam scilicet apud Deum. Quam gratiam ? Dei et hominum pacem, mortis destructionem, et vitæ reparationem. Invenisti gratiam, non pro te sola, sed pro universo mundo. Invenisti reis veniam, ægris medelam, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium et liberationem.

Deinde Angelus secutus, adjunxit : Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. In utero, non ab extrinseco, non a viro, sed ab intra concipies, clausis sigillis virginitatis. Et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum, id est, Salvatorem. Unde Bernardus : Hoc est, nomen quod dedit cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, sermonem mutis, vitam mortuis, totamque diaboli potestatem de obsessis corporibus effugat. Hic erit magnus. Semper quidem fuit magnus Deus : sed jam erit magnus Propheta, et magnus homo in miraculis et doctrina. Et Filius Altissimi vocabitur, sicut in veritate est. Et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus. Non loquitur hic de sede temporalis regni, quia ipse idem dixit Christus in passione ante Pilatum : *Regnum meum non est de hoc mundo ;* sed de spirituali regno, quod significatur per regnum David, id est, de cœlesti Jerusalem. Et regnabit in domo Jacob in æternum, id est, super omnes electos : quia omnes filii Jacob fuerunt electi. Non sic aliorum Patriarcharum filii, quorum fuerunt aliqui reprobi, et aliqui electi, etc., et regni ejus non erit finis.

Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non co-

gnosco? Ac si diceret : Non dubito, sed credo, quod fiet sicut dixisti : sed quæro de modo concipiendi : quia virum non cognosco, id est, non cognoscere propono, quia virginitatem perpetuam servare propono. Jam enim voverat virginitatem, sicut dicit Augustinus. Ac si diceret, secundum Bernardum : Si oportebit me concipere filium talem et tantum de viro, scilicet Joseph : gaudebo quidem de filio, sed dolebo de proposito fracto, id est, de virginitate amissa. O quantus fuit amor virginitatis in Maria, quam etiam in tali casu pro incarnatione Filii Dei cum sponso licite et sine libidine timuit amittere, licet tamen, si ita Deus voluisset vel præcepisset ipsa consensisset. Utinam homines agnoscerent pretium hujus thesauri, hujus margaritæ scilicet virginitatis, utique non tam faciliter projicerent eum in lutum. O quam vilis reputatur hoc tempore, quam faciliter abjicitur! Tantum sollicitant homines ut possint hac virtute privari vel eam amittere, sicut sancti eam curabant custodire. Et quod pejus est, jam quidam erubescunt de virtute, maxime de castitate vel virginitate, etc. Et respondens Angelus, dixit ei : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, non concipies de humano semine, sed de Spiritu Sancto. Et ne dicas : Quomodo possum sufferre claritatem, lucemque divinæ majestatis, audi : Et virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, virtus divinitatis assumet de carne tua, ubi se velabit, et obumbrabit tibi, scilicet quia sub corpore tuo tegetur quasi sub umbra : quia si oculi non possunt intueri in solem, quis mortalium posset inspicere solem infinitæ claritatis, id est, Deum, nisi sub umbra obtegeretur carnis? Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Postea dixit Angelus de Elisabeth multa Mariæ ad illi persuadendum et commovendum quatenus consentiret. O miram dignitatem tuam, Beata Virgo, quod usque ad tuum consensum pervenit nostra redemptio! Tantum ipsa respondeas verbum, et suscipias Dei Verbum. Præbeas consensum, et concipias Dei Filium. Exspectat tota Trinitas, exspectant Patres in lymbo, exspectat totus mundus : tam prope nobis est redemptio nostra, ut si ipsa duntaxat consenseris, tunc salvi erimus. In fine autem consentiendo Maria dixit : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ac si diceret : Ex quo ita est voluntas Domini, offero me paratam in ancillam ejus. Hæc verba creditur dixisse iterum flexis genibus, elevatis oculis in cœlum, cum lacrymis et incredibili humilitate et devotione. In quibus verbis, hoc est, in tali consensu, quod fieret Mater Dei, et cum virtute prolatis, creditur plus meruisse quam omnes electi totius mundi.

In consensu B. Mariæ quænam virtutes splendeant.

Fuerunt ista verba et iste consensus virtutibus plenus, e quibus quatuor præcipue elucescunt. Primo, cum dixit : Ecce, notatur maxima ejus obedientia. Quasi diceret: Parata sum ad omnem voluntatem Domini. Secundo, humilitas immensa per hæc verba : Ancilla Domini. Unde Bernardus : *Bernard.* O veneranda virginitas, o prædicanda humilitas! Ab Angelo Mater Domini appellatur, et se ancillam Domini confitetur. Tertio, charitas inflammata per hæc verba : Fiat mihi. Quarto, fides devota et firma, quæ insinuatur per hæc verba : Secundum verbum tuum, id est, sicut dixisti, et sicut ego credo. Hæc autem verba fuerunt miræ virtutis, quia statim his completis, Dei Filius, imo et tota Trinitas intravit in uterum Virginis salva virginitate ejus, et cum ineffabili superfusione et repletione consolationis et gaudii in Spiritu Sancto. Licet enim solus Filius homo sit factus, id est, carnem assumpsit : tamen hoc factum est ex operatione totius Trinitatis. Adscribitur tamen magis hæc operatio, id est, formatio carnis Christi Spiritui Sancto, ad ostendendum causam incarnationis: quia Spiritus Sanctus dicitur amor Patris et Filii. Amor autem quo dilexit nos Deus est causa quare incarnari voluit. Unde dicitur in Evangelio : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Et secundum hoc

Incarnatio Christi cur adscribatur Spiritui Sancto.

Joann. III, 16.

intelligitur Christus conceptus de Spiritu Sancto : non quod Spiritus Sanctus aliquam materiam ministraverit Christo, sed quia ipse separavit de purissimis guttulis sanguinis virginei cordis Mariæ, et deduxit in clausum uterum, et formavit illas in corpus Christi. Notandum, quod in uno et eodem instanti quatuor hæc fuerunt perfecta in incarnatione Dei, scilicet conversio sanguinis purissimi Virginis Mariæ in carnem, et alias partes corporis Christi. Secundo, perfecta organisatio membrorum. Tertio, animatio corporis organici. Quarto, assumptio et unio corporis Christi cum divinitate. Hæc autem omnia facta sunt non per prius et posterius, sed simul, et in instanti. Unde sequitur, quod in primo instanti Christus, licet fuerit minimæ quantitatis secundum corpus, ut vix discerni vel apprehendi potuisset, tamen fuit tam perfectæ virtutis, potestatis, scientiæ et omnium bonorum capax et plenus et perfectus, sicut cum fuit triginta annorum, et sicut jam est in cœlo. Crevit tamen in utero secundum molem corporis, et etiam post nativitatem : crevit etiam virtute et gratia, sed hoc intelligitur quoad ostensionem secundum tempus ætatis. Nam in se nihil novæ perfectionis acquisivit post nativitatem suam aliquo tempore, quam prius non habuerit, qui est cum Patre et Spiritu Sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Quatuor mira facta in incarnatione Christi.

DE S. AMBROSIO EPISCOPO

Paraphrasim in Epistolam quære in Festo S. Nicolai. Exegesim in Evangelium reperies ibidem, nisi post Festum Paschæ de eodem celebretur : tum namque require Exegesim in Evangelium : Ego sum vitis vera, etc. *in Festo S. Georgii martyris. Sermonem autem quære in Festo S. Nicolai, vel S. Martini.*

FERIA SECUNDA

POST SOLEMNITATEM PASCHÆ

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

STANS Petrus in medio plebis, dixit : Viri fratres, vos scitis, quod factum est verbum per universam Judæam, incipiens a Galilæa post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum et Jerusalem, quem occiderunt, suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis, et præcepit nobis prædicare populo et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum. *Act. X.*

ANTE hanc lectionem scribit Lucas in Actis, quomodo Centurio ab Angelo jussus fuerat accersire Petrum, doctürum quid oporteret illum, ut salvus fieret, facere. Petrus quoque per visionem instructus (cum ante ad Judæos tantum putaret missos Apostolos) ut gentes quoque ad fidem colligeret, profectus fuit ad Cornelium. Et ibi stans in medio plebis, quam secum Cornelius habebat ex amicis collectam, cujus grandior erat pars ex gentibus, dixit : Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam, quisnam rumor, quæ fama quoque de Christo ubique sese diffuderit. Qui incipiens prædicationem suam a Galilæa, post baptismum, quo Joannes illum baptizavit, prædicavitque eumdem Jesum a Nazareth esse Christum, dicens populo : *Medius vestrum stetit quem vos nescitis,* docens nihilominus quomodo unctione spirituali unxerit eum Deus Pater, Spiritu Sancto et virtute gratiarum ac miraculorum. Hic Jesus pertransivit universas regiones, beneficia indigentibus præstando, sanandoque omnes oppressos a diabolo. Diabolus enim alios opprimit morbis et calamitatibus ut ad impatientiam perducat, alios onerat peccatis, ut Deo auferat, alios vanitatibus implicat, ut a Deo abstrahat impediatque, Jesus vero sanavit omnes oppressos a diabolo, quotquot ab illo remedium quæsierunt. Quoniam Deus erat cum illo, quare non humana tantum, sed divina etiam operabatur virtute, cum esset Deus et homo.

nn. I,

Porro nos Apostoli testes sumus omnium mirabilium, quæ fecit in regione Judæorum

et in Jerusalem. Quem Judæi propterea quod eorum corripuit vitia, occiderunt, suspendentes in ligno crucis. Hunc mortuum et sepultum Deus suscitavit tertia die, et dedit eum post resurrectionem manifestum fieri non omni populo indifferenter, nec ut omnibus qui crederent in illum appareret, sed testibus manifestavit ad hoc præordinatis a Deo, puta nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo : et hoc postquam resurrexit a mortuis. Hæc autem causa, quare præcipue nobis præ aliis se post resurrectionem manifestavit, est : Quia præcepit nobis prædicare populo ac testimonium ferre, quia ipse est, qui a Deo Patre etiam secundum naturam humanam constitutus est judex vivorum et mortuorum, hoc est, eorum qui in Dei gratia ab hac vita decesserunt tanquam viventium, et illorum quoque, qui in peccato mortali ab hac vita demigrarunt, tanquam mortuorum. Aut ita : Judex erit vivorum, qui in fine mundi viventes reperientur, in mundi conflagratione morituri, et qui ante finem seculi, hac luce sunt defuncti. In illo autem judicio duo erunt : Unum est auctoritas judicandi. Hæc æque una est et communis tribus in divinitate personis. Alterum est executio judicii, seu sententiæ prolatio. Hoc competit Christo secundum humanam naturam, quam suiipsius humiliatione, subjectione passioneque meruit. Et ideo dicitur de eo apud Joannem : *Potestatem dedit ei et judicium facere, quia Filius hominis est.* Itemque : *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Huic denique Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere peccatorum suorum per invocationem nominis ejus, omnes qui credunt in eum, hoc est, omnes qui fide et charitate illi conjunguntur seu incorporantur. Prophetarum enim unus est sermo omnium, eos qui in Christum credunt, quique Christum invocant, in nomine ejus a peccatis suis justificari.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FERIÆ, LUCÆ XXIV.

CHRISTUS Dominus noster non phantastica aliqua specie nec apparenter tantum, ut quorumdam hæreticorum astruxerunt figmenta, sed vere se surrexisse, multis voluit ipsemet Dominus probare argumentis. Siquidem vulnera sua quæ recepit ex clavis, quibus affixus est cruci, et lancea qua est perfossus, gloriosa, hoc est, vulnerum cicatrices suo in corpore retinuit, eadem Apostolis monstravit, palpandum, hoc est, tangendum se præbuit, cum eisdem denique manducavit. E quibus omnibus argumentis vere et non phantastice se surrexisse ostendit. *Videte,* inquit, *et palpate quia spiritus carnem et ossa non habet, cujusmodi me videtis habere.* Præterea, sicut hodie legitur in Evangelio, cum duobus ex discipulis euntibus Emmaus loquens in specie peregrini ambulabat, cum eisdem quoque ad mensam, quoad ex fractione panis illum cognoscerent, sedit. Sic namque scribit Lucas :

Resurrectionem suam quibus argumentis probaverit Christus veram. *Luc.* XXIV, 39.

> Duo ex discipulis ibant in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.

Qui fuerint hi duo discipuli, qui ad Emmaus se conferebant castellum, quamvis Ambrosius alterum nominet Amaon, in Evangelio vero unus eorum nominatur Cleophas, non improbanda tamen est sententia Theophili et Gregorii, qui eum quem Lucas hic tacet, Cleophæ socium, dicunt ipsum fuisse Lucam, qui hoc Evangelium scripsit,

et pro modestia suum nomen tacuisse. Ibant autem in castellum Emmaus, quod distabat ab Jerusalem sexaginta stadiis.

adium sit. Stadium vocant spatium centum viginti quinque passuum, quod Hercules uno, ut aiunt, anhelitu cucurrerit, et tunc steterit, a standō dictum. Porro octo stadia unum faciunt milliare, quasi mille passuum spatium. Colligitur igitur septem milliaribus ab Jerusalem Emmaus distare, et quatuor stadiis. Castellum hoc post vastationem Jerusalem sub Marco Aurelio reparatum, dictum est Nicopolis.

Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur et simul quærerent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent.

Discipuli hi loquebantur de Christi vita et morte, admirantes, non ut hi qui crederent eum resurrecturum, sed quam innocenter esset passus, quam insipienter ac timide ab Apostolis derelictus, et quomodo ipsi quoque deinceps suam instituerent vitam. Dum itaque sic fabularentur, id est, Christi facta fabulantium more recitarent, et ab invicem quærerent, ipse Jesus appropinquans, ibat cum illis. Semper enim præsto est de se loquentibus, juxta illud: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent. Ambulabat enim Jesus cum eis ut peregrinus, habitu et gestibus utens peregrini.

Matth. I, 20.

Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?

Tristes erant discipuli ex his quæ circa Jesum viderant accidisse, quem amiserant desolatione nimia, quem resurrecturum audierant, sed modicum jam inde sperabant. Exspectaverant quidem dubii et tristes si fortasse resurgentem perciperent. Verum, cum nihil audirent de illius resurrectione, jam ferme desperabant. Tristes igitur erant. Cum vero omnia sint nuda et aperta oculis Christi, non eos interrogat discere cupiens, sed ex verbis eorum occasionem ut eos doceat vult sumere. Ideo enim agnosci ab eis noluit Christus, ut pectoris sui cogitationes scrupulosque externos omnes libere, tanquam cum homine simplici et ignoto enudarent, et ipse ad singula eorum responderet dubia.

Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo, et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum.

Tu solus peregrinus es in Jerusalem, qui hæc ignoras? Quomodo te latere potuit quod adeo palam factum est, ut non solum hujus rei fama aut rumor diffusus sit undique, sed spectaculum quoque miserabile manifestum est omnibus qui fuerunt Jerosolymis? Qui dixit eis: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo. Prophetam nominant Christum, Dei Filium tacentes, vel quia hoc non credebant, vel quia hoc confiteri coram ignoto homine non audebant, qui eorumdem posset ad Judæos deferre testimonium. Et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. Vide hic, licet non confiteantur eum Dei Filium, multifariam tamen commendant eum. Nominant enim illum Prophetam et virum a constantia et sinceritate: laudant quod verax in sermone, quod sincerus, quod denique potens absque fictione et simulatione in sermone fuerit et opere.

Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel.

Sperabamus, quasi non amodo sperantes. Temporalis erat hæc redemptio, cujus spes fere omnibus erat Judæis insita, adeo ut nec discipuli Domini Jesu aliud putarent, quam quod temporalis esset Christus rex futurus, aut quod Judæos de potestate Romanorum atque omni alia subjectione esset humana redempturus. Siquidem ubi eum resurrexisse etiam cognoverant, interrogabant eum, dicentes : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Dicunt igitur : Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel. Vide autem, quia de ejus resurrectione nonnihil speraverant, præsertim cum ab eorum nondum recessisset memoria, id quod olim Apostolis, cum passionem suam illis prædiceret, insinuarat : *Ecce ascendimus,* inquiens, *Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis. Tradetur enim gentibus et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur. Et postquam flagellaverint, occident eum : et tertia die resurget.* Hujus verbi videbantur adhuc memores, et tertia die resurget. Siquidem mox subjungunt :

Act. I, 6.

Luc. XVIII, 31.

Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore ejus, venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt : ipsum vero non invenerunt.

Ut hominibus solet mœstis et perturbatis contingere, ita discipuli hic cuncta narrant cum formidine et suspicione erroris aut falsitatis. Dicunt enim : Sperabamus eum resurrecturum, et narrant testimonia resurrectionis, nec tamen credunt, sed adhuc hæsitant. Optabant quidem verum esse, quod mulieres narraverant, et alias formidabant ab his qui fuerant ad monumentum, rem non recte ab Angelis intellectam. Idcirco adhuc diffidentia trepidantes dicunt : Insuper tertia est dies hodie a tempore passionis ejus, quo sicut nobis prædixerat, ipse deberet resurgere. Ad hoc autem, ut simus dubii ac incerti, multum facit hoc quod nos facit quoque mirari, quia mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, terruerunt nos, id est, in majorem admirationem et dubietatem nos perduxerunt. Siquidem non invento corpore ejus, venerunt dicentes, se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. In perplexitate quadam constituti erant, qua neque omnino credebant, neque etiam ex toto diffidebant. Optabant enim quod dicebatur vivere, verum esse, sed quomodo id crederent, quomodove dicentibus assentirent, quippe qui viderant illum mortuum sepeliri, ignorabant. Et abierunt quidam ex nostris scilicet Petrus et Joannes, aut fortasse plures ad monumentum, et ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt, monumentum scilicet vacuum : ipsum vero non invenerunt. Inter fluctus spei et desperationis hi discipuli erant constituti, ut vix ipsi scirent quid credere deberent, ex omni parte et scrupulos et argumenta, et contrarietates et persuasiones e diverso habentes, ideo pro hac parte modo, mox iterum pro alia parte disputant, donec eos magister illuminaret veritatis. Propterea sequitur :

Et ipse dixit ad eos : O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ ! Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?

Quid, inquit, adeo estis cæci et ignorantes, ut non capiatis hæc quæ facta sunt ? Quandoquidem eadem omnia olim sunt prædicta a Prophetis futura. Nonne

hæc oportuit pati Christum, quæ scilicet illum pati vidistis, pro redemptione generis humani, et sic per hujusmodi victoriam mortis redire in patriam suam? Hoc enim est redire in gloriam suam. Non putes autem si Christum oportebat pati, eos propterea excusatos a peccato, qui Domino passionem intulerunt. Neque enim redemptioni nostræ, cui necessarium fuit pati Christum, servire cupiebant, sed suæ invidiæ et furori satisfacere. Eorum itaque nequitiam sapientissima Dei providentia nobis convertit in remedium. Vide autem hic, cum dicitur oportere Christum pati, et sic intrare in gloriam suam, quid nobis exspectandum est. An meliora habere cupiunt membra, quam caput? An mollius quiescent quam caput membra? Aut aliud nos exspectabimus, quam de omnibus quidam pronuntiat: *Per multas tribulationes, nos oportet intrare in regnum cœlorum?* Non ergo, si regnum cupis introire cœlorum, aliud quam tribulationem te oportet exspectare. Absit ut sine tribulatione sis. Hæc vita si cuipiam salutaris est, tribulatione non caret. Qua si caret, salutaris non est. Id igitur elige, id amplectere, quod Christus. Oportebat, inquit, Christum pati. Quare? Primo, propter Patris ordinationem. Calicem (propterea ait) quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum? Secundo, propter impletionem Scripturæ. Quomodo ergo, inquit, implebuntur Scripturæ? Tertio, propter suam exaltationem, de quo in præsentiarum dicit: Oportebat Christum pati, et ita intrare in gloriam suam. Et Apostolus ait: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. Propter quod exaltavit illum Deus.* Quarto, propter nostram eruditionem. Ideo a Petro Apostolo dicitur: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Quinto, propter nostram redemptionem. De hoc denuo Petrus dicit: *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis, sed sanguine immaculati Agni Filii Dei.* Sexto, propter nostram reconciliationem. De quo Paulus: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filii ejus.* Septimo, propter inferni spoliationem et patrum ibi captivorum liberationem. De hoc Zacharias loquitur, dicens: *Tu vero in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu.* Zach. IX, 11.

Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Et appropinquaverunt castello quo ibant, et ipse se finxit longius ire.

Incipiens Jesus a Moyse, id est, a quinque libris Mysi, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ erant de illo, hoc est, ubicumque in Scriptura Sacra, sive id fuisset in lege et in libris Moysi, sive in Prophetis aliquid erat de Christo scriptum, declarabat hoc in Jesu ita impletum. Quod tamen intelligendum est de locis præcipuis, quæ evidenter monstrabant in Christo aliquid implendum, quod modo in Jesu fuerat impletum. Et appropinquaverunt castello quo ibant, haud dubium parum fatigati itinere, sed illuminationibus potius recreati divinis, quæ per Christi eruditionem in eos irradiabant. Et ipse se finxit longius ire. Discipuli enim hi duo ibi voluerunt manere; Dominus autem speciem præferebat ituri ad locum adhuc magis distantem. Hoc enim erat ejus fingere, significare scilicet se non mansurum in hoc loco per noctem. Quod nec fecit, nam postea sequitur: Evanuit ex oculis eorum. Finxit quoque ad significandum quod longe a cordibus eorum aberat, non ad decipiendum, aut aliquid quod non erat, persuadendum.

Et coegerunt eum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit eum eis.

Coegerunt, inquit, eum, haud dubium suavi molestia atque reverentia pia illum rogando, invitando, et quasi precum addendo gravamina, quibus honestum erat non refragari, non vim inferendo. Coactio

hæc non displicet Christo : quin potius adeo hæc illi fuit accepta, ut propterea finxisse, hoc est, exhibuisse speciem longius ituri credatur, quo eos, quos jam colloquendo ad sui cognitionem aliquanto præparaverat, et propulso perfidei frigore calefecerat ad ferventiora desideria provocaret. Ideo, inquam, finxit se longius ire, quia hoc verbum audire voluit : Mane nobiscum, Domine. Illos namque per charitatis excitationem, qua se invitabant, ad capiendum Dei verbum reddere cupiebat aptiores, et ad sua verba attentiores. Voluit præterea hic nos Dominus docere, quam studiosi esse debeamus operum pietatis, hospitalitatis et charitatis in proximos christianos. Siquidem pauperes et peregrini non solum admittendi, sed nec tantum invitandi, verum trahendi sunt etiam ad mensam et hospitium propter Christum. Et intravit cum illis. Ibi mensam, ut Gregorius ait, ponunt, cibos afferunt, et eum quem in expositione Scripturæ Sacræ non cognoverant, in panis cognoscunt fractione. Eleemosyna enim interdum profundius illuminat, seu misericordiæ opus, quam lectio.

Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit ac fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum. Et ipse evanuit ex oculis eorum.

Multa fuerant, quæ detinebant eos, ne Christum agnoscerent, puta timor, stupor, luctus, recensque memoria de Christi morte. Nec facile agnosceretur, si quis in aliena specie, aut aliter vestitus, qui sciretur mortuus, rediret. Hoc enim nemo suspicatur, nec sperat quod redeat. Volunt tamen aliqui (ut Augustinus) a satana oculos discipulorum detentos, ne Christum inter tot eruditionis verba cognoscerent, idque illis ex defectu fidei accidisse, donec Christo simul recumbente, morem, quem in eo sæpe olim viderant assuetum, cernerent, puta, quia benedicebat panem, frangebat et porrigebat. Volunt etiam devoti quidam hunc fuisse Christo morem, ut panem frangeret nullis decidentibus micis, non aliter atque cultro quis illum scidisset. Hunc igitur morem illi solitum cum vidissent, aperti sunt oculi eorum, id est, quem videbant, cœperunt agnoscere. Sunt qui hæc verba, quæ de fractione, benedictione et porrectione panis narrantur, intelligunt de pane illo sancto, id est, de Eucharistia, cujus perceptione fuerint discipuli perfecte illuminati. Utunturque hoc loco in neochristianos qui sub utraque specie contra ritum Ecclesiæ putant corporis et sanguinis sacramentum laicis dandum, quandoquidem hic sub una tantum specie discipulis dederit illis panem, non solum sanctificatum, sed ipsam quoque sanctificationem. Siquidem de calice hic nihil dicitur. Nam mox ubi illi acceperunt de ejus manu panem hunc consecratum, aperti sunt oculi eorum, et illum cœperunt agnoscere. Agnitus vero mox evanuit ex oculis eorum.

Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas ? Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Jerusalem, et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant dicentes : Quia surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.

In seipsos reversi discipuli dicebant : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis in via ? Quasi dicerent : Merito debuissemus illum agnovisse, qui suis verbis nos erudiens, tam insolito corda nostra fervore calefecit. Et surgentes eadem hora regressi sunt ad Jerusalem. Lætitia enim erant pleni et dicere poterant : *Dies hæc boni est nuntii. Si tacuerimus, sceleris arguemur.* Ideo curarunt mox ad alios Apostolos reverti, et quæ acciderant, nuntiare. Et surgentes eadem hora, nondum peracta

IV. *Reg.* VII, 9

cœna, nec instantis noctis crepusculum horrentes, regressi sunt Jerusalem. Et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant, dicentes, quoniam surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. Quasi dicant : Non ut putavimus, deliramenta sunt mulierum, quæ dicunt Christum vivere, sed vere surrexit, apparuitque Simoni.

Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, et quomodo eum cognoverunt in fractione panis.

Propterea hi duo discipuli festinaverunt redire Jerosolymam, quo Apostolis læta nuntiarent. Verum, interim quod paululum abfuerant, lætiora illis quoque evenerunt. Quare, ubi ad Apostolos venerunt, lætitia duplicatur tantis gaudiorum novitatibus. Post gravem autem illam tristitiam, quam sustinuerunt discipuli ex morte et passione Domini his diebus, suavior hæc erat illis gaudiorum novitas, qua eos Christus voluit refici : ut quomodo tristitia illis venerat super tristitiam, ita lætitiam nunc super lætitiam acciperent. Secundum enim multitudinem dolorum in cordibus eorum, consolationes divinæ lætificaverunt animas eorum.

Præstet nobis omnipotens Deus, ut hujus quoque sanctæ lætitiæ participes efficiamur. Sentiamus quoque Christum vere resurrexisse in nobis, præstante eodem Domino nostro qui est benedictus in secula, Amen.

SERMO IN EADEM FERIA

PEREGRINI CONDITIONES CUJUSMODI SINT NOBIS IMITABILES : ET QUID AMOR FACIAT.

NON habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Heb. XIII, 14.

Certum est nos omnes hic esse advenas et peregrinos, ut Petrus ait Apostolus, super terram, quare hic non ut in patria, sed in exilio vivimus. Aliter autem longe vivendum est peregrino et exuli, aliter civi. Qui enim peregrinus est, viatorem se agnoscit, nec diutinam se uno in loco habere mansionem, sed locum videre illi conceditur et transire. Quocirca bene dixit Paulus, ut ab amore nos vitæ abduceret præsentis : Non habemus hic manentem civitatem, quam scilicet diligamus, aut credamus diu inhabitare, sed futuram inquirimus. Quasi volens dicere : Non est nobis cogitandum quomodo in hac vita sit nobis bene, nec ita prospiciamus nobis, quasi semper victuris, sed de patria nostra, de civitate quam perpetuo inhabitabimus, cogitemus, ad illam aspiremus, ad illam tendamus, ad illamque continue ambulemus. Hoc ut nobis Christus quoque commendaret, in specie apparuit peregrini. Peregrinus non paucas habet conditiones nobis imitabiles.

Peregrinorum mores qui.

Peregrinorum conditiones.

Prima est, quod cogitat scitque in quovis loco non diu mansurum se, ideo non diu quiescit, præterquam ubi manere eum oportet, hoc est, in patria sua, aut ubi in loco habitat quasi in patria sua. Si bene illi est in via, minus inde exultat, propterea quod hoc gaudium scit secum diu perseverare non posse, et quod transibit inde. Si vero triste quid illi occurrerit, minus gravatur, sciens id fore quod tolerat breve et transitorium, quod mox evadat. Hoc modo omnes nos convenit esse peregrinos, qui ab amore hujus vitæ præsentis ab omnique gaudio caduco et terreno esse debemus alieni, non ut nihil mundani gaudii unquam sentiamus, sed ut nihil his

confidamus, nihil nos implicemus, nihil inde consolemur, nihilque ibi quiescamus, scientes quia *vanitas vanitatum et omnia vanitas*, nihilque est quod fixum stabileve permaneat sub sole. *Filii* igitur *hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* Quæritis quæ vobiscum non perseverant, quæ coram Deo vos excusare non possunt, quæ juvare nequeunt, quæ postremo vos quoque fallunt et decipiunt. Secundo, nihil graviter nos contristet, memores quod leve et momentaneum est pondus tribulationis nostræ, quod hic sustinemus, si comparetur ad futuram gloriam æternitatis. Quidquid enim nos hic torquet, etsi diuturnum sit, propterea quod nulla tribulatio non affligat et diuturna videatur, perpetuum tamen nihil hic est, sed finitur omnis terrena calamitas hic æque ut felicitas. Hæc igitur peregrini conditio nos hic tam instruit quam consolatur, quod peregrinatio nostra perpetua non est, nec diuturna super terram. Quid igitur bona pereuntia multo labore quærimus, quæ diu non possidebimus ? Aut quomodo lætabimur super re aliqua, cum qua diu non versabimur, cum qua ne ad momentum quidem ut moremur, securi sumus ? Recordemur divitis illius, qui præ nimia rerum abundantia horrea sua dilatavit, et consolans seipsum, dicebat : *Epulare, anima mea, et gaude, quia in multos annos bona habes reposita.* Sed quid illi dixit Deus ? Nempe : *Stulte, hac nocte a te repetent animam tuam, et ea quæ parasti cujus erunt ?* Vides, quia super divitiis exultavit, quibus frui diu non potuit ? Nonne satius se cogitasset peregrinum super terram, qui nihil in terrenis omnibus fideret, sed ubicumque ambulat, sciret eadem sua non esse, se cum illis manere non posse, nec illa ut secum asportet, sibi licere ? Sunt alii qui gaudent ad organum et sonitum tympani, ducuntque in bonis dies suos, vivuntque hic ut semper victuri, utpote cives hujus mundi, non peregrini. At cum se vivere putant, cum sibi salva omnia credunt (ut sequitur) in puncto ad infernum descendunt. Imitemur igitur peregrinorum conditionem, ut in itinere ea quæ nobis occurrant, intueamur tantum, vidisse sufficiat, transeamus, nihil nos detineat aut remoretur, alioqui nunquam ad patriam veniemus. Nihil etiam nos impediat, sed aspera et dura penetremus.

Eccl. I, 2.

Ps. IV, 2.

Luc. XII, 19.

. Secunda est peregrinorum ac viatorum conditio nihil secum sumere præterquam viaticum. Sciunt enim viatores se gravari ac premi, quidquid secum portare præter viaticum voluerint. Hoc modo non plura quæramus, quam nobis ad sustentationem sit necessarium. Habentes enim alimenta et ea quibus tegamur, his contenti simus. Sed quis hæc mundo persuadebit ? Thesaurizant, et ignorant cui congregabunt ea, omni quo vivunt tempore, in angustiis, in tribulationibus, in metu, in tristitia, in invidia, sese consumentes. Quid dicam de curis et afflictionibus animi ? In mollibus lectis inquieti dormiunt, nocte diuque sollicitudinibus anguntur, discruciantur curâ filiorum, ut illos divites efficiant, ut illos beant solliciti. Sic easdem miserias, quibus ipsi fatigantur, et calamitosas infelicitates quasi hæreditatem quamdam filiis relinquunt. Quam feliciores sunt hi, qui paucis contenti, peregrinos se agnoscunt super terram, nec onerari se consentiunt in itinere, quibus sufficit ut tandem habeant, quo ad patriam perveniant.

Tertia peregrinorum conditio est, quod si calumnia aut injuria illis irrogatur, transeunt et contemnunt. Neque enim se apud illos, cum quibus vix ad horam manent, arbitrantur se humiliatos. Nullas idcirco lites, nulla instituunt jurgia, sed eo velocius declinant, ad patriam festinantes. Sic tibi, fili, qui non vis de hoc esse mundo, qui non manentem hic habere te putas civitatem, sed futuram inquiris, vivendum est, ut si tibi injuria aut contumelia fiat, cogites te de hoc mundo non esse, nec convenire tibi, ut judicii tibi forum quæras inter alienos, ubi manere non

potes. Nec ulcisci injuriam quæras, nec contendere velis aut rixari, sed dissimulare et transire, memor te advenam et peregrinum inter filios hominum. Interea enim quod peregrinus staret pugnans et litigans, aut forum judicii quærens, interim ab itinere remoraretur, sic tu quoque a profectu impediris, si omnibus volueris respondere, omnia discutere, in omni loco te propugnare aut excusare.

Quarto, circa ea quæ sibi occurrunt pulchra et amœna, parum advertit viator et peregrinus. Si pratum floridum, si fontes et rivos limpidos, si frondosum transierit nemus, si denique alia videt quæ illum delectant, non cupit ibi morari, aut quiescere, aut domum locare, nec manere, sed de patria sua cogitat, sollicitus ne ab illa deferatur, ne prorogetur suum desiderium, quo illam semper optat, ad illam aspirat, et quantum adhuc ab illa distet, quotidie emetitur. Hoc modo viator et peregrinus, dum hujus vitæ oblectamenta transit, non in his debet hærere, non ibi animum figere, sed ubi amœna, aut ea quæ delectant, aut animum quærunt irretire, viderit, confestim ea derelinquat et prætereat, semper expendens meditando, quantum distet a patria, quid superaverit, et quid sibi adhuc immineat, quæ difficultates adhuc superandæ, donec perveniat quo interim suspirat. In omnibus igitur quæ tibi occurrunt : sive jucunda fuerint, sive adversa, teipsum consolare, teipsum excita, teipsum frange et cohibe, teipsum contine, ut ad quæcumque effrenis petulansque appetitus tuus se convertere voluerit, cum Davide dicas : Advena ego hic sum et peregrinus sicut omnes patres mei. Itemque cum Apostolo : Non hic habeo manentem civitatem. Et : Nihil in hunc mundum intuli, nihil inde exportaturus. Omnia mihi hic aliena et accommodata tantum sunt. Hæc de mundo sunt, ego non sum de mundo. Cur igitur propter hæc velim turbari, pacem meam amittere, digladiari livorem et virulentum in corde vulnus accipere ? Transeant quæ volunt, et ego illa transeam. Christus mihi vivere est, et mori lucrum.

Ps. XXXVIII, 13.

Hebr. XIII, 14.

Dixi ergo in principio : Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Sed quæ, inquis, est hæc civitas, quam futuram inquirimus ? Hæc profecto est, quam Joannes vidit *sanctam descendentem de cœlo, a Deo paratam, et sicut sponsam ornatam viro suo.* In qua *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor erit ultra.* Hæc est illa civitas, quæ habet *claritatem Dei, et lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum ;* quam habere Joannes vidit *murum magnum et altum, habentem portas duodecim, et in portis Angelos duodecim, et erat structura muri ex lapide jaspide : ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamentum muri civitatis omni lapide pretioso ornatum. Et duodecim portæ civitatis duodecim sunt margaritæ. Singulæ enim portæ ex singulis erant margaritis, et platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum. Et civitas hæc non eget sole, neque luna, nam claritas Dei illuminavit eam. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* Hanc itaque civitatem inquirimus.

Philipp. I, 21.

Apoc. XXI. *passim.*

Verum non ignorare nos hic oportet, quod via quæ ducit ad hanc civitatem, est arcta et angusta, paucisque adamata. Hanc tamen quotquot salvati sunt, omnes ambulaverunt. Ideo autem est arcta et a paucis frequentata, quia sita est in mortificatione propriorum desideriorum, in abnegatione sui, in humilitate, in patientia, et in paupertate voluntaria, quæ omnia habent laborem et difficultatem, quæ nemo amat. Virtutem certe nemo est qui non amet, at non ita amant omnes virtutis exercitium, et pro virtutis assecutione laborem ac pugnam. Est alia via spatiosior, amœnior et jucundior, sec hæc non ad civitatem hanc ducit, sed ad miseram quam-

Via quænam sit quæ ducit ad vitam.

dam captivitatem. Hæc est via propriæ voluntatis et privati amoris, quæ cultores habet multos, sed stipendia mala. Ducit enim, teste veritate, ad perditionem. Porro arcta via et angusta ducit ad regnum cœlorum. Dicit quis : Quid est quod hujus arctæ et difficilis viæ possit temperare laborem ? Dicendum, nihil magis potest efficere, ut quod alioqui foret in hac via labor, pœna, difficultas et molestia, jam neque sit labor, neque aliud aliorum, sed jucundum etiam ac desideratum, quam fervens amor ; hic enim omnia dura, omnia aspera, tolerabilia, suavia et propemodum desiderata facit. Quid enim, quæso, non facit amor se mutuo amantium ? Quid amor facit gloriæ aut potestatis ? Quid non subire suadet ? Quid alioqui intolerabile non facit suave ? An amor Dei non potest, quod amor potest mundi ? Nonne videmus multos, qui hominem præsertim alterius sexus amant, nullo labore, non æstu, non grandine, non metu, sed nec minis arceri posse, nulla difficultate vinci, cum velint amore potiri optato ? Nonne magis est potens Deus, suavis et bonus, qui trahat, sapienterque juxta seculi judicium dementet amantes se ? Est ergo amor solus qui ea quæ difficillima et prope impossibilia sunt, facit tolerabilia et suavia. Hoc videmus in sanctis martyribus. Quid enim non sustinuerunt pro eo, quem toto corde suaviter amaverunt ? Quis horum conquestus est de pœna ? Nonne provocaverunt etiam ad cruciatus sibi inferendos tortores ? Videamus antiquorum eremitarum priscorumque monachorum fervorem. Quis eos docuit tanta austeritate jejunare, non solum a deliciis, sed a necessariis quoque abstinere, penuriam et contemptum pati, nisi amor Christi ?

Amori proprium quid.

Verum dicit quis, ut audio, maxime necessarius est mihi amor Christi quomodo alia, quoque, quæ ex amore fieri debent suavia, sunt necessaria. At ego omnibus careo. Quis hunc dabit amorem vehementem, qui alia facit omnia levia ? Quomodo amorem Dei hunc assequar ? Dicendum : Omnium piorum est hæc querimonia, et amantium et non amantium : hoc est, Dei amorem sentientium, et non sentientium. His enim qui amorem Dei in se advertunt, videtur (atque id juste) quod Deum tepide nimis ament, et quod de sancto Dei amore sibi (ut revera est) desit nimium. Sunt etiam qui Dei habent sed non sentiunt amorem. Opera enim et studia eorum indicant eos absque Dei non esse amore. Conqueruntur tamen et plangunt vehementer, quod insipida sint illis ea potissimum, quæ maximopere cum fervore et devotione perficere desiderant. Verum, ut quæstioni satisfaciam : Pro amore, o filii, habendo, necessaria vobis est bona voluntas. Orate Deum ut hunc vobis ac suam gloriam infundat. Interim sive amorem senseritis, sive non senseritis, cavete omne peccatum. Quidquid noveritis Deo displicere, hoc nunquam veniat in consensum vestrum. Nunquam velitis admittere, nunquam etiam negligere, quidquid prohibuerit, aut quidquid voluerit ille. Hoc unum studium sit vobis continuum, nolle scilicet agere quæ Deo displicent, nolleque omittere quæ placent. Quod si per subreptionem aut quocumque alio in vos modo intraverit delictum, illud cum dolore ac fletu cordis delete, expurgate, corrigite, et deinceps cavete. Hæc faciendo, filii, non solum obtinebitis, sed habebitis (credite mihi) Dei amorem : quia id nequaquam possetis, nisi Dei amor sanctus hoc operetur in vobis. Neque enim oportet ut sentiatis amorem sed ut habeatis. Nec amor est, sed fervor est amoris seu amoris incendium quod sentitis. Sentire autem (ut dixi) non semper est necessarium, sed habere. Quod nobis omnibus largiatur Jesus Christus in æternum benedictus, Amen.

Amo quomodo obtineatu bonus.

FERIA TERTIA

POST SOLEMNITATEM PASCHÆ

PARAPHRASIS IN EAMDEM EPISTOLAM

IN diebus illis : Surgens Paulus, et manu silentium indicens, ait : Viri fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum : vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitant Jerusalem, et principes ejus, ignorantes Jesum et voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt. Et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis die tertia. Qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis vestris, resuscitans Jesum Christum Dominum nostrum. *Act. XIII.*

CHRISTI resurrectio admonet nos, fratres charissimi, ut abnegantes impie-
Tit. 11,12 tatem et secularia desideria, id est, cunctis vitiis emorientes (mors enim præcedat necesse est, antequam liceat resurgere : sicut et Christus prius mortuus est, deinde resurrexit), sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc seculo, quæ est vita gratiæ, exspectantes beatam spem futuræ resurrectionis nostræ, et adventum gloriæ magni Dei, qui reformabit corpora nostra, configurata corpori claritatis suæ, ut cum ipso semper vivamus in gloria, tanto beatiores, quanto nunc vitiis studiosius mortui fuerimus. Ergo ut digne celebremus resurrectionem Servatoris nostri, quanta possumus animi contentione ac pia mentis sedulitate inhæreamus Deo ac Domino nostro, mundum despiciamus, peccatum execremur, et ad cœlum nobis jam aditu reserato, illic semper corde, cogitatione, affectu, amore versemur. Huc nos invitat sancta mater Ecclesia, continuis hisce diebus quasdam lectiones recitans, unde Christi resurrectionem discere queamus : simulque nostrum deplorare exilium, et eo suspirare, quo caput nostrum præcessit.

Hodie quidem ex Actis Apostolicis ejusmodi nobis lectio proponitur. Paulus Apostolus cum esset Antiochiæ Pisidiæ, in Judæorum synagoga invitatus a synagogæ principibus, inter multa alia, etiam hac oratione usus est ad populum Israel. Cum enim surrexisset, et manu silentium indixisset, tanquam attentos eos efficere cupiens, utpote de rebus maximis dictu-

rus, ita ait : Viri fratres, qui ex clarissimo patriarchæ Abraham genere estis oriundi, quod vobis magno est decori et ornamento, si tamen non sitis degeneres, sed cujus filii estis, ejus etiam sectatores esse conemini, et sicut ille Deum adeo timuit, ut proprium filium occidere maluerit, si Deus permisisset, quam non parere jussis illius, ita et vos Deum timeatis. Vobis enim divino præditis timore, qui unum verum Deum et colitis et timetis, verbum et annuntiatio salutis hujus, quæ per Christum nobis parta et aucta est, missa est, ut credatis in Filium Dei, olim patribus promissum, nunc vero etiam missum, et per fidem vivam in illius membra transeatis, uniti corpori illius quod est Ecclesia, vivatisque de spiritu illius, ut jam non timore servili, quem incussit legis terror et severitas, sed spiritu amoris, quem Evangelii gratia præstat, ducamini, respiretisque in libertatem filiorum Dei, et Christi quidem cohæredes, Dei autem hæredes efficiamini. Quod quidem etiam illis qui Jerosolymis habitant, annuntiatum est, sed illi cum principibus suis excæcati, ac invidia stimulati, ignorantes Jesum esse verum Messiam Patribus promissum, quanquam quidam eorum fortasse id non ignoraverint, sed ex mera malitia ac invidentia se ignorare finxerint, nec etiam ob mentis cæcitatem perspecta habentes sensa vocum propheticarum, quibus Christum venturum annuntiarunt, tametsi omni sabbato publice in synagogis ipsorum legantur , judicantes inique, reum scilicet mortis esse vitæ auctorem, qui venerat mortis destruere imperium, et a mortis sententia absolvere genus humanum, impleverunt oracula Prophetarum, quibus subinde prædictum est passurum Christum, et per crucis supplicium de diabolo triumphaturum.

Sed quia tanta erat in Christo vitæ innocentia, puritas, candor, justitia, veritas, ut nullam in eo causam mortis reperire possent, ad mendacia et calumnias confugerunt, et tamen ne ipsi eum occidisse viderentur, petierunt a Pilato, ut interficerent eum, ipsi quidem animo et voluntate, præses autem sententiæ prolatione, et milites ejus, manibus. Non enim volebant ipsi interficere eum. Unde dicebant : Nobis non licet interficere quemquam, ut scilicet apud homines essent innoxii, sed apud Deum tanto sceleratiores. Atque hac de causa summa importunitate præsidem renitentem etiam compulerunt morti addicere eum, cujus vita erat innocentissima. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, occidissentque summa crudelitate eum, qui ipsis specialiter a Deo Patre missus erat Salvator et liberator, qui maxima ipsis præstiterat beneficia, nec ullos subterfugerat labores, ut eos posset ad sui agnitionem et amorem traducere, viri quidam religiosi deponentes eum de ligno crucis, posuerunt in monumento, eoque valde curiose et diligenter a pontificibus obsignato, ne quid per discipulos ejus fieret, quia noverant prædixisse eum se a mortuis resurrecturum. Sed incassum perfidia laboravit. Deus enim suscitavit eum a mortuis tertia die, et visus est per dies multos, ut nulla omnino de illius resurrectione in eorum pectoribus hæreret ambiguitas, iis qui simul cum eo regni cœlestis et Evangelii prædicationem exorso ascenderant a Galilæa in Jerusalem, qui usque nunc tanto constantiores, quanto certiores sunt testes resurrectionis ejus ad plebem. Et nos auctoritate Dei, missi a Spiritu Sancto, quem effudit in nos abunde, vobis annuntiamus eam quæ de Messia venturo ad Patres nostros facta est repromissio, quoniam hanc Deus verax et justus adimplevit filiis vestris : ut si quidem velitis, per Christum cum Deo possitis redire in gratiam, quem omnipotenti virtute sua excitavit a mortuis, nunquam deinceps moriturum.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FERIÆ, LUCÆ XXIV.

QUIS non gaudeat, quis non exultet hac die, qua morte devicta, diabolo in tartara relegato, gloriosus et immortalis surrexit Christus Jesus Deus et Dominus noster ? Nunc, ut ait Ecclesiæ lumen et doctor præcipuus Hieronymus, aromatibus redolentibus cum sponsa et adolescentulis, quæ currunt post eam, conspergimus lectum et cubiculum mentis nostræ. Nunc introducit nos rex in cellaria sua : nunc surgit amica Maria : hyems abiit, pluvia recessit, flores visi sunt in terra nostra. Vox turturis audita est in terra nostra. Vineæ florentes dederunt odorem. Rediit sponsus de umbra, sub qua dormit in meridie. Radix amara crucis evanuit, flos vitæ cum fructibus erupit : et qui jacuit in morte, surrexit in gloria. Sol post occasum oritur : aquilæ ad corpus congregantur. Post sabbata tristia, felix irradiat dies, quæ primatum in diebus tenet, luce prima in ea lucescente, et Domino cum triumpho in ea resurgente, et dicente : *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.* Sed quia amici absentis ac multum exoptati subitus et inopinatus adventus maximam solet afferre lætitiam, et ejus verba cupidissime audiuntur, nos quoque quid Dominus noster redivivus fecerit dixeritve auscultemus.

Cant. II, 12.

Psalm. CXVII, 24.

Stetit Jesus in medio discipulorum suorum, et dixit eis : Pax vobis. Ego sum : nolite timere. Conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre.

Jam reversi erant ex Emmaus duo illi discipuli, quibus Dominus in via apparuit, narrabantque Apostolis se vidisse Dominum. Atque hæc illis commemorantibus, pius Dominus qui libenter adest sui mentionem habentibus, subito stetit in medio discipulorum suorum, qui congregati erant uno in loco, firmiter clausis ostiis ob metum Judæorum, et dixit eis ; Pax vobis ; tanquam diceret : Hactenus quidem humano generi pax integra non fuit, manente prævaricationis antiquæ reatu, et Deo Patre juste hominibus irascente : sed nunc morte mea Patris ira sopita, pax vobis, quæ exsuperat omnem sensum, ad quam perventuri estis, si dictis meis obtemperaveritis. Vobis, inquam, pax, qui discipuli mei estis, qui a mea voluntate non discordatis, qui amatis ea quæ ipse diligo, et odio habetis, quæ mihi displicent : non autem pax impiis, qui licet hic pace quadam et felicitate perfrui videantur, tamen præterquam quod etiamnum amarissimos conscientiæ stimulos patiuntur, etiam ignis æterni flammas exspectant, quibus sine fine exurantur, semperque sint in locis tartareis, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Itaque pax vobis diligentibus legem meam. Nec timeatis quidquam, tanquam visio hæc et apparitio sit vana aut fictitia, et cum fraude conjuncta : quia ego sum verus Deus, et homo verus, qui paulo ante in cruce mortuus sum, at nunc mea virtute vivus prodii e sepulchro. Sed quia humana infirmitas facile trepidat, ubi quid insolitum acciderit, quidam ex discipulis conturbati sunt ob rei novitatem, quia videbant corpus humanum clausis ad se ostiis ingressum, et conterriti ad aspectum subito apparentis hominis, existimabant se spiritum videre. Nondum enim bene cognitas habebant dotes cor-

Job. X, 22.

poris gloriosi, quod ob sui subtilitatem etiam ferreos potest muros penetrare, nec quidquam illi ex rebus corporeis non pervium est. Verum pius Dominus falsam hanc persuasionem cito dispellere volens e cordibus suorum, ait illis :

Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra ? Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes.

Non est sane cur perturbemini, et cogitationibus æstuetis, tanquam spiritum videatis. En manus et pedes meos vobis offero, in quibus vestigia inflictorum vulnerum dum cernitis, et certa experientia exploratis, non potestis dubitare, quin ego ipse sim, Magister et Dominus vester, qui vobis ante mortem meam pollicitus sum me rediturum ad vos, et mea præsentia vos exhilaraturum. Palpate, quæso, manibus, videte oculis non solum carnis sed etiam cordis, et credite me non spiritum, sed verum hominem esse, vera carne indutum. Spiritus autem carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et quum hoc dixisset, quia forsan trepidabant, ac cunctantius ad ipsum tangendum movebantur, ipse eis manus et pedes ostendit. Ubi sane, quod divus Gregorius annotavit, maximum exhibuit miraculum, quando seipsum jam immortalem, tamen palpabilem præbuit. Non enim potest non esse corruptioni obnoxium, quod contrectabile est : nec potest contrectari, quod est incorruptibile. Fecit autem hoc Dominus, ut nos in fide resurrectionis ejus simus certissimi. Et, ut divus Gregorius ait, miro et ineffabili modo corpus suum palpabile præbuit, ut nos reformaret ad fidem : et incorruptibile demonstravit, ut invitaret ad præmium. Vel etiam palpabile simul ac incorruptibile exhibuit, ut ostenderet ejusdem se esse naturæ, cujus fuerat ante passionem, id est, carnem habere : et alterius gloriæ, id est, eamdem carnem incorruptibilem esse. Quare autem Dominus in manibus ac pedibus et latere vulnerum cicatrices servare voluerit, quamvis multæ possint assignari rationes, inter illas tamen una est non minima, ut se vere surrexisse probaret. Altera, ut dum eas perpetim in cœlis beati contemplantur, inde majori erga Christum amore et gratitudine inflammentur, certi illis vulneribus sua vulnera curata esse. Tertia, ut impii et ingrati iis visis amplius confundantur. Nec quisquam dubitare debet, quin ex illis vulneribus maxima cœli civibus, imo et nobis adhuc in exilio degentibus bona proveniant. Sunt enim velut apothecæ quædam divinorum munerum : et beatus est, quisquis ea modo sedulo veneratur. Væ autem ter execrandis hominibus, qui illa nonnisi sceleratissime jurando et blasphemando commemorant, inde sibi majora cumulantes supplicia, unde possent facillime et veniam et gratiam impetrare. Quidam ad id usque impietatis devoluti sunt, ut pene ad tertium quodque verbum immaniter jurando adhibeant vulnera vel crucem Christi, aut aliquid ejusmodi, quos mirum est, non vivos a terra absorberi, aut igni cœlitus misso concremari : sicut quandoque nonnullis accidit.

Corpus suum cur Christus palpabile præbuerit.

Cicatrices vulnerum cur Christus servaverit.

Vulnera Christi sint apothecæ munerum divinorum.

Jurare per vulnera Christi quanta sit impietas.

Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur ? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

Non facile fides accommodatur, ubi ejusmodi aliquid accidit, quod naturæ usum et consuetudinem excedit. Et tamen dum Apostoli cunctantius assentiuntur, nos in fide reddimur constantiores et confirmatiores. Jam quidem tot signis admoniti, cœperant nonnihil credere, et tamen quia

erat quiddam in rebus humanis inusitatum, ut quis sua virtute resurgeret, stupebant quidem ad rei novitatem, simulque animis exultabant ob præsentiam sui Salvatoris. Sed ut omnis abscederet incredulitas, et quia jam visu et tactu didicerant veram esse Christi personam, quæ illis apparuit, etiam gustu idem probarent, quæsivit non ut nescius, sed humano more loquens cum hominibus, si quid escæ haberent. Oblatumque piscem assum et favum mellis comedit coram eis, deditque illis reliquias. Primum quidem hic maxima elucet Christi Jesu benignitas, humanitas, mansuetudo, humilitas, qua se usque adeo ad eorum infirmitatem accommodavit, nihil prætermittens, quod putaret esse necessarium ad persuadendum eis suæ resurrectionis veritatem. Poterat indigne ferre tarditatem illorum, sed ut solent matres fovere parvulos suos, ita Christus etiamnum infirmos discipulorum animos summa lenitate ac ineffabili suavitate tractavit, donec perfecte crederent : in illis nimirum etiam nobis consulens, qui forsitan ad credendum induci non possemus, nisi tam multiplici argumento confirmati. O quanta est erga nos omnipotentis Dei charitas, quantopere nostram optavit promovere salutem! Dulcissima est horum contemplatio, ubi Dominus majestatis cum rudibus et pauperculis piscatoribus etiam post resurrectionem tam familiariter ac suaviter conversatur, intrans et exiens, edens et bibens cum illis. Non tamen putandus est cibus ille in ejus transisse substantiam, sed divina virtute consumptus. Nec vacat a mysterio, quod piscem assum et favum mellis legitur comedisse. Ipse enim est piscis assus, igni ardentissimæ charitatis in crucis ara decoctus, secundum humanitatem: ipse etiam est favus mellis secundum divinitatem, cujus contemplatio longe suavissima est. Merito quidem et nos hisce duobus assidue vesci debemus, semper in mente circumferendo Christum crucifixum, et operam dando, ut divinæ contemplationis gratiam adipisci, et adeptam in nobis augere possimus, donec videamus facie ad faciem Deum deorum in Sion. Propterea enim Dominus discipulis suis reliquias dedit, ut et ipsi eodem cibo vescerentur. Nec quidquam sic confortat animam hominis, atque hic cibus, id est, Christi patientis et cum Patre regnantis contemplatio : quorum altero ad perferenda mala præsentia, altero ad speranda et concupiscenda bona æterna accendimur. Christus enim pro nobis crucem et mortem patiens, nostrum exemplar est, cui conformari debeamus : Christus cum Patre regnans, nostrum præmium est, quod suspiremus. Comedamus ergo semper assum piscem, imitantes vestigia Salvatoris : comedamus etiam favum mellis, gustantes quam suavis sit Dominus.

Piscis assus quomodo significet Christum gloriosum.

Favus mellis quomodo dicatur Christus.

Et dixit ad eos : Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum : Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.

Prædixerat quidem discipulis suis se passurum et resurrecturum, sed illi nihil horum intellexerant. Itaque nunc illis dicta sua in memoriam reducit, ut etiam hoc ipso magis ad credendum permoveantur, quod recognoscant sibi hæc ante prædicta esse. Omnia eo spectant, ut indubitata fide credant Dominum revera a mortuis surrexisse, nobisque aditum ad cœlos reserasse, et spem resurgendi contulisse. Observa hic, quanto studio conatus sit Dominus discipulos de sua resurrectione certissimos efficere, ut et ipsi cæteris constantius et certius eam affirmare possent. Quod autem dicit, necesse fuisse impleri omnia, quæ de ipso scripta erant in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis, totum exprimit vetus Testamentum : ubi sub figuris et verborum involucris plurima tractantur de Christo, quæ nunquam poterunt intelligere, qui in Christum non credide-

rint. Christus enim est clavis David, qui aperit abdita Scripturarum : quem qui ignorat, in Scripturis haud aliter quam in cimmeriis tenebris versatur. Nisi enim Christum intelligas, Scriptura tibi prorsus muta et elinguis erit. Si autem Christum bene noris, in Scripturæ amœnissimis pratis haud secus, quam in ipso paradiso versaberis. Christus enim est opus Prophetarum et omnium scriptorum divinorum summa. Quem cum ignorent Ethnici, Judæi, hæretici, etsi Scripturas legant, tamen non intelligunt, atque ea re ex luce sibi cæcitatis materiam sumunt. Denique Dominus aperuit sensum discipulis suis, ut intelligerent Scripturas. Nemo ergo putet se unquam posse abdita Scripturæ sensa assequi, nisi Dominus Jesus suo spiritu revelet. Vis autem habere doctorem spiritum Christi ? Sis humilis et contritus spiritu, et timeas sermones Dei tui. Ita nimirum docet te Isaias propheta : Si superbus es, si dissolutus et vanus, si temerarius et negligens, non te docebit spiritus Christi. Omnium causa errorum hæc est, versari in Scripturis dissoluto, elato, impuro, ac vano corde. Custodit autem parvulos Dominus, et revelat secreta sua parvulis, non elatis. Ita etiam simplicibus et idiotis Apostolis hodie Scripturas patefecit : quia humiles erant. Humilitas quidvis a Deo obtinet : superbia semper manet inanis.

Scopus et summa omnium Propheta-rum et Scriptura-rum uti sit Christus.

SensaScri-pturarum quænam solo doc-tore refe-rentur.

Errorum omnium in Scripturis quænam causa sit.

Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.

In ipso Scripturæ exordio, discimus hominem quadam temeritate ac animi levitate consensisse serpenti illi antiquo in divinæ legis transgressionem : qua re tanta tum est in hominem conflata ira Dei, ut nulla salutis recuperandæ spes reliqua foret, nisi ipse Deus homo fieret, et per seipsum pro nobis sibi satisfaceret. Quod quidem licet valde absonum et absurdum videretur, ut qui tantam ab homine accepisset injuriam, ipse et ejusdem injuriæ pœnas lueret, tamen Unigenitus Filius Dei maluit totam hominis causam in se recipere, et tanquam ipse peccasset, Patris iram sustinere, quam hominem damnatum videre. Itaque mox ab illa hominis ruina, et deinceps per omnes ætates temporum prædixit se quandoque hominem futurum, et sua morte homini apud Deum Patrem gratiæ locum impetraturum. Quod quia infallibili ac certissima veritate prædictum erat, necesse erat impleri : quia non potest mentiri Deus, et nisi factum esset, homini non liceret ad vitam regredi, unde corruerat. Ergo necesse erat Christum pati, non sua sed nostra causa, et resurgere a mortuis tertia die, ut moriendo mortem nostram destrueret, et resurgendo nobis vitæ aditum reseraret. Quod quantæ sit pietatis, quantæ misericordiæ argumentum, nullus neque humanus, neque angelicus potest intellectus assequi. Quid enim necesse erat Christum pati, nisi quia Deus omnipotens, velut amore hominis ebrius, maluit homo fieri, et in seipso castigare quod homo deliquerat, quam hominem perditum relinquere ? O duritiam cordis humani, quæ tanta bonitate non flectitur, tanta charitate non inflammatur ! Oportebat Christum pati, ait Dominus ; imo vero non oportebat Christum innocentem, sed hominem reum pati : sed Agnus innocens prævaricatoris Adæ et causam et pœnam in se recepit, ut lupus abiret impunitus, ovis vapularet. Inter hæc nos cogitare debemus quid pro nobisipsis pati et agere nos jure meritoque conveniat, quando talia pro nobis egit et pertulit, qui a nobis placari debuit, sed non potuit, et tamen ut posset placari ab homine, homo fieri voluit, nihilominus manens Deus, ut ex humanitate pateretur, ex divinitate propitius fieret. Ne quis tamen in sola Christi satisfactione securus asquiescat, et ipse jam nihil sibi faciendum putet, subjecit Dominus : Prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remis-

Chris-pati cu fuerit cessariu

Christus quod pro nobis satisfecit, non sufficere ad salutem.

sionem peccatorum in omnes gentes. Non ergo sufficere sibi putet christianus jam baptizatus et rationis compos, quod pro nobis Christus satisfecit, nisi et ipse se peccasse doleat, et vitam in melius commutare proponat. *Si quis sermonem meum servaverit,* ait Christus apud Joannem, *non videbit mortem in æternum.* Supervacanea, imo et perniciosa est fides in Christum, quæ non vult obedire mandatis Christi. *Quid vocatis me, Domine, Domine,* ait idem, *et non facitis quæ dico?* Ubi autem quis se peccasse dolet, et baptismo Christi abluitur, is plane peccatorum remissionem consequitur, idque apud omnes gentes.

Joann. VIII, 51.

Luc. VI, 46.

SERMO PRIMUS IN EADEM FERIA

VULNERA QUINQUE CUR CHRISTUS SERVAVERIT, ET CUJUSMODI DEVOTIONIS EXERCITIO SINT HONORANDA.

VIDETE manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Luc. XXIV, 39.

Christus Jesus Dominus noster, fratres charissimi, resurgens, quinque vulnera, quibus sumus redempti, gloriosa in suo corpore servavit. In omnibus operibus Salvatoris nostri, in singulis ejus beneficiis nihil tam elucet, quam immensa ipsius ad nos charitas. Ejus nativitas, ejus prædicatio, ejus passio, ejus denique hodierna resurrectio quid clamant aliud, quid monent, quam ut attendamus, quanti nos fecerit ipse, quantum nos dilexerit? Quid enim attinet, ut resurgens, quinque vulnera, videlicet signa clavorum ac lanceæ suo in corpore retinuerit adeo manifesta, ut videri, adeo profunda ac magna, ut immissis digitis poterant tangi, quam ut suam in nos charitatem nobis hoc modo prædicaret? Atqui quod olim verbis per Isaiam nunc vulneribus propriis ad quemlibet nostrum clamat: *Numquid mulier potest oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. In manibus meis descripsi te.* Ecce in manibus, ecce in pedibus, ecce in corde quoque redemptoris nostri scripti sumus, ne unquam nostri apud Deum memoriam putemus abolitam. Ingens prorsus fiducia hic nobis donata est, ut nequeat nos oblivisci Christus: quandoquidem signa passionis, signa redemptionis, signa denique dilectionis suæ membris suis inarata circumfert, oculis propriis semper objiciens. Unde prima hæc causa putanda est, quare suo in corpore vulnera retinuerit, videlicet ut nulla nos unquam oblivione a suæ dilectionis memoria delendos significaret, tametsi alia quoque causa sit, ut prædilecto Patri suo pro reatibus nostris supplicando hæc tanquam redemptionis nostræ pretium pro nobis quotidie offerat, et ipsum Patrem misericordiarum ac totius consolationis ad misericordiam erga nos invitet. Est præterea tertia causa fortasse cæteris non inferior, ut facilius hoc modo suæ nobis passionis memoriam persuadeat imprimendam in terris, cujus signa circumfert ipse in gloria majestatis. Et certe immodica foret ingratitudo, acceptum non recolere beneficium, quando is qui impendit, ne cesset benefacere, exhibitæ jam charitatis suæ sibi retinet monumentum. Idcirco Apostolis, imo nobis omnibus: *Videte,* inquit, *manus meas et pedes.* Videte et tanquam in libro vitæ legite, quid pro vobis fecerim, quid in exemplum vobis reliquerim. Videte volumen expansum novi Testamenti, quinque vulnera tanquam libros quinque Moysi in se continens: quibus quid ego amore vestri fecerim, et quid

Vulnera cur Christus in corpore suo servaverit.

Is. XLIX, 15.

Luc. XXIV, 39.

mei amore vos deceat agere, legatis.

Contemplanda quænam sint in vulneribus Christi.

Scrutemur igitur quid in his Christi vulneribus scriptum sit, ut quoties in crucifixi imagine hæc quinque Christi membra aut plagas osculamur, objectum ibi aliquod reperiamus contemplandum, venerandum, imitandum, et oratione impetrandum. Itaque imaginemur, ut in quinque vulneribus Christi quinque sigillatim virtutes nobis occurrant, membris eorumdem vulnerum congruentes. Verbi gratia: Manifestum

Pedes mystice quid signent.

est omnibus per pedes in Scriptura Sacra plerumque significari solere hominis affectus. Ut etenim pedibus corpus, ita affectibus graditur animus. Eam ob rem in vulneribus pedum Christi duas virtutes

Virtutes affectivæ quæ.

affectivas ipsius meditemur, humilitatem videlicet et paupertatem. Quas propterea voco affectivas, quia quatenus in affectu sunt, eatenus etiam et non aliter dicuntur virtutes. His duabus virtutibus mundum universum Christus, et quidquid mundi ambitu exstat vitiosum, calcavit: quæ cum in omni vita sua, præcipue tamen in passione enitent. Quocirca ne a memoria, hoc est, ab imitandi studio virtutes hæ nobis excidant, in pedibus (in quibus dixi significari affectus) Christi manserunt stigmata sacra, quæ oculis nostris objecta, etiam harum virtutum in Christo nos commonefaciunt, simulque ad imitationem invitent.

Ad hunc modum in manibus Christi vul-

Virtutes activæ quæ

nera duo, duas etiam nobis virtutes alias significant, obedientiam scilicet et patientiam. Quæ propterea in manibus locum

Manus mystice quid signent.

suum sortiuntur, quod per manus in Scriptura operationes intelligimus. Porro in Christi passione, tam obedientia quam patientia eatenus dici possunt virtutes activæ, quatenus obediendo ac patiendo Christus, et Patris voluntatem, et nostri operatus est redemptionem. In lateris vulnere, quod est cordis, innuitur nobis quinta

Virtus cordis quæ.

virtus, quæ est Christi viscerosa charitas, quæ omnes Christi actus, omnia verba, cuncta denique quæ et passus est, et ineffabili decore illustravit, incredibili suavitate condivit. Itaque in quinque Christi vulneribus, Christi jam quinque legimus et veneramur virtutes, quæ quomodo in Christi vita ac passione emineant, sigillatim explicabo paucis. Neminem tamen movere debet, si in festo resurrectionis de Christi loquimur passione, quandoquidem victoribus etiam profanis in triumpho recensentur aut concinuntur, quæ ante gesserint, aut passi sint in præliis. Christus quoque resurgens hodie, vulnera sua gloriosa non ad tristitiam, sed ad gaudium Apostolis ostendit. Verum de hoc satis.

Duas ante dixeram virtutes in Christi pedibus nobis significatas, quibus mundum omnem calcavit, non solum nihil gloriæ nihilve divitiarum ambiens, verum ex affectu etiam et desiderio contemptum et egestatem sustinens. Principio igitur de humilitate ejus dicamus. Hæc in nullo fuit homine profundior atque abjectior, quam in Christo. Quippe qua conculcat et confutat omnem elationem humanam, ut vel sub humili Deo deinceps non altum sapiat homo, nec ultra apponat se magnificare super terram. Sed videamus nunc quam nihil gloriæ, quam nihil honoris ambivit super terram, Dominus ipse Rex gloriæ. Volens incarnari, non divitem, non mundano stemmate insignem elegit Matrem: sed pauperem, humilem, et juxta seculi opinionem abjectam. Jam nasciturus noluit civitatem magnam eligere, noluit amplum palatium, noluit nasci ubi servientium et occurrentium famulorum adulatrix adesset turba, noluit ubi hominum adesset frequentia, sed elegit tuguriolum desertum, vile, et ubi nihil esset, quod non præferret abjectionem. Vitavit aurea, sprevit holoserica, execratus est quæque pomposa: non admisit præter parentes famulantium obsequia, vilibus involutus est pannis, contemptibili præsepio honoratus. Adde jam, quod nec voluit nisi a paucissimis et his vilibus, utpote pastoribus, idque solum pro suæ nativitatis testimonio, cognosci, noluit prædicari: voluit sui persecutionem fugere, non ulcisci, voluit quasi impotens et imbecillis,

Humi Chris quant

non gloriosus haberi. Accedit, quod ignotus mundo atque inglorius triginta annis latuit. Cæterum, prædicans atque miracula faciens, quam honorari aut commendari noluit ! quam neminem sprevit ! quam familiaris pœnitentibus, miseris atque egentibus fuit! Deinde observa opprobria, derisiones, contemptum Scribarum, et Pharisæorum dolos, in omni vita ac passione sua quam patienter sustinuit ! Accusationes iniquas, et sui infamationes quam humiliter non excusavit ! ad contumelias, ad convitia quam innocens tacuit ? Quid quod ad pedes piscatorum lavandos divina se majestas inclinavit ? Quid quod corpus suum virgineum laceratum et cruore perfusum, ante oculos hostium suorum passus est nudari ? Quod pudicissimis quibusque virginum sæpenumero intolerabilius fuit morte. Quid, quod deinde cum latrone comparari, latrone sibi ad vitam præferri, cum latronibus educi, inter latrones medius non dedignatur crucifigi ? Nonne passionis locum ignominiosissimum, mortis genus turpissimum et (quod dixi) consortium despectissimum, conditiones mortis et moriendi modum abjectissimum elegit ? *Non est species ei* (inquit Isaias) *neque decor. Et vidimus eum, et non erat ei aspectus. Et desideravimus eum despectum, et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum.* Itemque : *Et nos reputavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum.* Itaque nihil abjectionis, nihil vilitatis, nihil fuit ignominiæ, quod impii humili Jesu (in quo divina contemnebatur majestas) non irrogarent : nihil inferre poterant ejusmodi, quod humilis Jesus non affectaret. Hanc Christi humilitatem quasi in primo vulnere pedis reconditam meditemur, hanc gestiamus imitari, hanc rogemus nobis infundi.

Hinc ad alteram virtutem quæ est paupertas, accedamus. Cum Domini Jesu jam humilitatem prædicaremus, dictum est, et plus dici posset, quantum abjectionis juxta humanam ostensionem, ejus habuit nativitas. Inde liquet etiam, quanta ejus fuerit paupertas. Defuit hospitium, defuit cunabulum: et quid ibi, bone Deus, non defuit, ubi tenera Virgo ac Mater inter ignotos peregrina, diversoriis exclusa, præ inopia sub vili tuguriolo seu stabulo juxta præsepe boum natum habens infantulum habitabat ? Et quid, quod nemo ibi non modo quæ ad commoditatem, sed quæ ad necessitatem etiam maximam deerant, offerebat ? Rigebat gelida hyems, et frigore nox media stridebat, quando interim tenero regioque mox nato infantulo fœnum substernitur, quia plumarum aut pellium ne mentio quidem præ inopia fuit. Jacebat in præsepio ante jumentorum ora : quæ Creatorem suum cognoscentes, spiritu suo, hoc est, anhelitu calido frigus ei temperabant. Et hæc tum quidem, cum in propria terra, hoc est, cum in sua adhuc morabatur gente. Quid subinde paupertatis et inediæ existimabimus passum, cum subita persecutione agitur in exilium, defertur per desertum, degit inter alienos, parentibus tenuitatem victus manuum labore quærentibus ? Operabatur Virgo nobilissima filo et acu, aut opere textrino, et parvulus Jesus, quod creditur, Matris opera detulit vicinis, pretiumque piæ Matri reportavit laboris. Et, ut obiter hæc dicam, erat puellus amabilis nimium, et (ut habent sanctorum revelationes) quicumque ei loquebatur, adeo non poterat ejus aspectu et alloquio satiari, adeo non poterat abstrahi, ut etiam omnis adversitatis interim aut mœroris (si quibus premebatur) colloquens oblivisceretur. Unde omnes cupiebant puero Jesu loqui, quia nemo non magno gaudio potiebatur, quisquis hujus aspectu et moribus frui potuisset. Verum ad ejus paupertatem revertamur. In deserto quadraginta diebus ac noctibus moratus, ubi quæso cubabat, ubi requiescebat ? Pari modo in monte sæpenumero orans pernoctabat : et quieti si quando voluit fessum corpus dare, nonne in terram nudam (ut sancti scribunt) membra

Amabilis quantum fuerit puer Jesus.

virginea colligebat ? Nihil in mundo (cujus opifex erat ipse et gubernator) possidens, de eleemosynis vivebat oblatis. Quas ubi nemo obtulisset (quod docti quidam aiunt, vel tum maxime eidem usu venisse, cum duodennis in templo Jerosolymis triduo manebat) ostiatim mendicabat. Quid tandem in passione ? Fugiunt discipuli, longe stant ab eo noti, non cognoscunt amici : tandem etiam a Patre derelinquitur, et solus ducitur inter hostium cuneos, omnibus destitutus. Nudatur vestibus, terra privatur, hoc est, inter cœlum et terram in aerem suspenditur. Sitiens et clamans aquæ guttam non habet. Crucifixo deest quo caput reclinet, alieno mortuus utitur sepulchro, et superstitem relinquit Matrem pauperem sine proprio.

Obedientia Jesu quanta.

Tertia virtus est obedientia, quam in vulnere manus ejus reconditam comperimus. Descendi, inquit Christus, de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Et alibi dum esurienti cibum offerebant sui : *Meus*, inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui misit me.* Item in dura illa agonia orando, Patris voluntati se subdidit offerens in mortem, et dicens: *Pater, si non potest transire calix iste, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Cæterum, obedientia ejus tanto perfectior emicat, quanto gravius duriusque fuit præceptum Patris, quod subivit. Nam iniquitates omnium nostrum posuit super eum Pater, atque in eo punivit, ut sub dura ipse lueret disciplina pro nobis, nos essemus in pace. *Ipse* enim *vulneratus est propter iniquitates nostras, et nos ejus livore sanati sumus.* Sed numquid soli obedivit Patri? Nequaquam. Obedivit Patri, obedivit legi, obedivit parentibus, obedivit sacerdotibus, obedivit Judæis quoque et tortoribus. Et cui tandem citra vitium non obedivit ? Cui unquam suam ob voluntatem statuendam restitit ? Itaque totus *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Joann. VI, 38.

Ib. IV, 34.

Matth. XXVI, 42.

Is. LIII, 5.

Philipp. II, 8.

Patientia Jesu quanta.

Quarta virtus, alterius videlicet manus, est patientia in adversis. Nulla inventa est mansuetior, nulla tranquillior patientia Domini Jesu : tametsi Marcus illum referat duros et impios aliquando circumspexisse cum ira. Quæ ira tamen ne putaretur livoris aut impatientiæ, sed charitatis, sequitur : Et contristatus est super illorum cæcitate. Sic durissime interdum objurgavit hypocritas, ambitiosos, avaros, et cæteris vitiis inquinatos. Sic ejecit flagello homines quæstuosos de templo, veritatem sinceritatemque zelans, non vitia, quibus nulla debetur patientia palpans aut dissimulans. Utrumque enim docuit, zelum videlicet et patientiam. Utrumque suo et loco et tempore exhibuit. Nam dicebatur filius fabri, vorax et potator vini, amicus Publicanorum, Samaritanus, dicebatur insanire, dicebatur ex Deo non esse, dicebatur dæmonium habere: nec tamen his, nec quibuscumque aliis derisionibus, contumeliis, injuriis, persecutionibus, oblocutionibus quas frequenter patiebatur inventus est vel levis indignationis impatientiæve indicia dedisse. Nunquam ne signo quidem acceptam visus est retaliare injuriam. Passus est truculentos atque minaces hostium vultus, passus est impia et dura verba, passus est dira ac crudelissima tormenta : neque tamen querula ab eo vox ulla auditur, neque nisi ubi ratio cogeret, persequentibus aut calumniantibus respondet. *Siquidem cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste, et sicut ovis ad occisionem ducitur, et sicut agnus coram tondente se obmutuit, nec aperuit os suum.*

I. II, 2

LIII,

Quinta virtus est charitas, hæc in vulnere cordis congruum sortita est locum, ardentissima, latissima, maximeque profusa, puta ad ingratos, ad inimicos, ad omnes. Hæc illum de cœlis traxit, hæc incarnari, hæc pati, hæc illum pro nobis mori coegit. Hæc ne tantillo quidem suo parceret corpori fecit : adeo ut etiam interiori semetipsum tristitia gravius afflige-ret, externis passionibus occurreret, cuncta membra sua omnesque vires in supplicium

CI
Jesu
ta.

ultro expenderet, omnes sanguinis guttas profunderet, ne non copiosa esset ipsius pro nobis redemptio, et ut evidentissima sui erga nos esset amoris manifestatio, et vigorosa ad se nostri attractio. Ideo nihil eidem obstitit, quin totus effluueret pietate, totum se erogaret commiseratione, totum se impenderet charitate. Unde cum ineffabilibus in cruce doloribus et angustiis premeretur, et non aliud quam impias in se blasphemantium voces, improperantiumque audiret insultus, numquid in eo charitas tunc defecit? Haudquaquam. Et quomodo has ultus est injurias? Obortis lacrymis, pietate pariter ac compassione fluentibus, excæcatos et impios miseratus est: quos etiam excusans oratione Patri commendavit. Postremo, cujus nemo tollere potuit animam, charitas ipsum quasi vicit, atque in mortem pro nobis ut se traderet, coegit: nec tamen mors charitatem exstinguere potuit. Nam mortuus cur, quæso, lancea cor suum nobis aperiri voluit, nisi ut ostium in se, intrandique nobis copiam faceret, charitatem qua cuncta perfecerat, nobis ostenderet, et liquoris id quod in se pauxillum supererat, pro nobis simul effunderet, et quam nihil nostri causa sibi servare vellet, nobis insinuaret? Postremo, a morte resurgens, quando jam data est ei omnis potestas in cœlo et in terra, quomodo, putatis, perdet deicidas istos? *Ite,* inquit Apostolis, *in mundum universum*, ad ulciscendam injuriam meam. Quomodo? Ite, *prædicate Evangelium omni creaturæ : qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Aqua se lavent lateris mei, et quem fuderunt, meo sanguine omnibus sese expient peccatis. *Marc.* XVI 15, 16.

Age, age, sic loquatur Dominus meus. Talis ultio talem decet charitatem, quæ tam exuberans in te est, Domine Jesu, ut vestimenta quoque tua se attingentibus effundant pietatem. Hæc sunt, charissimi fratres, quinque virtutes Christi meditandæ, et e quinque vulneribus ejusdem petendæ, nisi quis sex virtutes maluerit, quod non improbandum est, et vulneri cordis duas tribuat hac ratione permotus, quod cum e cæteris vulneribus sanguis tantum, ex corde fluxerint pariter sanguis et aqua, et ita in sanguine suæ devotioni præfigat ferventissimam Christi charitatem, de qua dictum est, in aqua vero candidissimam castissimamque ipsius puritatem, quippe cum sit Agnus sine macula, candor lucis æternæ, et splendor paternæ gloriæ. Cui laus sit, honor et gloria et gratiarum actio sine fine, Amen. Puritas Christi. *Sap.* VII, 26.

SERMO SECUNDUS IN EADEM FERIA

PASCHALIS SOLEMNITATIS DIGNITAS ET PRÆROGATIVA : QUIBUS, QUOT MODIS CONGAUDENDUM IN EA : DENIQUE QUAS, QUOTQUE DOTES GLORIFICATIONIS CHRISTUS PER RESURRECTIONEM INDUERIT, NOBISQUE QUANDOQUE ASSUMENDAS RELIQUERIT.

HÆC *est dies, quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.* Psalm. CXVII, 24.

Charissimi fratres, quid est quod in præsenti solemnitate Paschæ, in omnibus Missis, et ad omnes Horas cantatur, et per octavas totas continuatur: Hæc est dies, quam fecit Dominus, etc., quasi hunc solum diem fecerit Dominus, quum tamen conditor sit omnium? Profecto aliquid singulare et præcipuum est, quod de illis solis diebus ita canitur: Hæc est dies quam fecit Dominus, etc. Non sunt igitur hæc verba intelligenda de die illa naturali, quæ Dies ista quam fecit Dominus quæ sit.

solis motione crescit et decrescit, incipit et finitur, dividiturque in præsens et futurum ; omnes enim dies anni, ratione suæ creationis secundum id quod sunt, ejusdem sunt dignitatis. Sed cum diem nomino, hanc indubie intelligo, quæ signat impensi operis et beneficii claritatem : quæ sicut major est hodie nobis exhibita, ita dies solemnior celebranda. Cæteræ enim Christi festivitates licet magnæ sint, non tamen sunt nisi quædam præambula et dispositiones ad nostram redemptionem. Hæc autem solemnitas, id est, Christi resurrectio est consummatio nostræ salvationis, et causa nostræ glorificationis. Unde non immerito hæc dies Domini omnium festivitatum obtinet principatum. Hinc est quod dicit sanctus Gregorius : Sicut in sacro eloquio Sancta Sanctorum, vel Cantica Canticorum pro sui magnitudine dicuntur, ita hæc præsens festivitas dici potest solemnitas solemnitatum : quoniam omnium major est quæ per anni circulum celebrantur. Hinc est quod sublimis doctor Augustinus dicit : Quomodo Mater Domini Maria inter omnes mulieres principatum tenet, ita et inter cæteros dies hæc omnium dierum mater est. Hæc est dies quam illustrat non solum ortus solis, qui iterum occidit, id est, hujus visibilis luminis, sed quam decorat et lætificat ortus solis justitiæ, id est, Christi, occasum nescientis, qui elucescit non de cœlo, sed de inferno, de clauso sepulchro, ubi latuit per tres dies, sicut sol in nocte. Propterea exultemus et lætemur in ea. Et id bene quidem. Dignum enim est, ut qui doluimus vehementer in ejus passione, gaudeamus ex animo in ejus resurrectione. Justum est, inquam, ut qui socii fuimus passionis dolendo, flendo, socii etiam simus resurrectionis ejus, gaudendo et jubilando. Consequens namque est, ut qui non communicavit Christi passionibus, sed sicco corde ipsius passionem audivit, aridoque corde dies præcedentes celebravit, quod non potest etiam particeps esse gaudii, et gloriæ resurrectionis. Quod utique miserabile est, in illo scilicet die non gaudere, in illo die vacuum remanere a consolatione spirituali, in quo non solum homines, sed etiam omnia elementa gloriantur, ut dicit Maximus in sermone. Quomodo dicit ? In Christi resurrectione omnia elementa gloriantur. Nam et solem ipsum arbitror in hac die solito clariorem, ut in ejus resurrectione gaudeat, jucundioris lucis splendorem suscipiens, in cujus passione condoluit, et cujus mortem lugubri quadam caligine prosecutus est. Propterea gaudeamus et nos ac exultemus in Domino totis cordis medullis.

Paschalis solemnitas quo spectet.

Gregor.

Paschæ solemnitas uti sit omnium celeberrima.

Debemus autem gaudere in Christo et cum Christo, non in cachinnis et levitatibus, non in cibo delicato et potu. Nam qui ob hoc solum læti sunt hisce diebus, quia transivit jejunium, tempus tristitiæ, et quod possunt iterum cibos delicatos habere, quisque secundum statum suum, seculares scilicet carnes, etc., monachi ova et lacticinia cum cæteris lautioribus superfluis, illi profecto non faciunt festum Christo, sed suo ventri. Licitum est tamen servis Dei in festis etiam lautius vivere ultra consuetum rigorem, vel propter labores majores, vel etiam ob jucunditatem festi : tantum sit ibi intentio simplex, et usus moderatus. Sunt tamen alii qui lætantur (ut Scriptura dicit) quum malefecerint, et exultant in rebus pessimis : qui idcirco diebus istis gaudent, quia tempus luctus et pœnitentiæ et confessionis transiit, et rediit tempus vernale, dies festivi, læti et amœni, in quibus vacare possunt ad perficienda desideria sua, et rediit illis licentia peccandi ad annum. Illos non dico per Christi resurrectionem ab inferno liberatos, sed magis captivatos, quia ex occasione hujus festi, iterum sua peccata repetunt. Illis non dico exultate, sed iterum flete : quia timere habent, ne superveniat illis, quod de quibusdam dicitur : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Vobis autem, charissimi, dico gaudete, et iterum dico, gaudete. Sed dicitis : Propter quid debemus magis gaudere ? Respondeo : Etsi non possum vobis enu-

merare singula quæ dant nobis materiam gaudendi, dicam tamen aliqua, propter quæ debemus gaudere, vel congaudere.

Christus ir ex sua lorifica- one exul- ri merito ebeat.

Primo debemus exultare et lætari cum Christo. In quibus? In his, in quibus ipse exultavit. In quibus exultavit Christus? Quod hodie tam potenter et sapienter, tam victoriose et gloriose triumphavit contra mortem. Quod tantas passiones et dolores, quos ex immensa charitate pro nobis suscepit, superavit. Quod injunctam sibi a Patre obedientiam et a se sponte susceptam, scilicet opus redemptionis nostræ tam laudabiliter, tam perfecte, tamque feliciter consummavit. Quantum putatis Christo gaudium fuisse, quod tam copiosum fructum de sua passione tam ex inferno quam in mundo reportavit; item, quod qui mortuus fuit cum magna ignominia secundum æstimationem inimicorum suórum, jam cum ineffabili gloria resurrexit; quod corpus suum, quod deposuit mortale et vulneratum, resumpsit immortale, incorruptibile, impassibile, pulchrum et gloriosum; quod resurrexit propria virtute in majestate præfulgentis gloriæ, cum famulatu angelicæ militiæ, cum comitatu et multitudine sanctorum Patrum?

Patrum x lymbo berationi uantum ongratu- ndum. t.

Secundo debemus exultare propter sanctorum Patrum liberationem ex lymbo, qui jam a tempore creationis mundi usque ad illud tempus sederant ibi captivi in carcere, exules et exclusi sive retardati a regno æternæ beatitudinis, ad quam fuerant creati. In quo apparet maxima justitia Dei, quod illos tam prædilectos amicos suos, scilicet Abraham, Isaac, Jacob, Joannem Baptistam, quo surrexit major nemo, et cæteros omnes, qui decesserant ab hac vita ante Christi mortem, quique, quantum ad proprios defectus pertinet, erant purgati vel in hac vita, vel in purgatorio, tamen non admisit intrare in regnum suum, nec ostendit eis gloriam suæ beatitudinis, solum propter illum communem defectum naturæ vitiatæ, quod scilicet concepti erant de massa peccati, quod originale peccatum contraxerant hæreditarie, de semine descendentes Adam. Si ergo illi antiqui venerandique Patres tam diu a gloria propter aliorum peccata remoti sunt, quid fiet nobis de peccatis nostris propriis? Indubie, si hic non fuerimus purgati, postea purgabimur absque misericordia, sineque propitiatione oportebit nos solvere exactius, quam ponderatur aurum, si tamen peccata sunt quæ possunt purgari, sive deleri. Væ illis animabus, quas infernalis flamma cum peccatis eorum absorbet in æternum! Sed redeamus ad materiam, unde paululum digressi sumus. Debemus ergo, ut dixi, congaudere illis sanctis Patribus, qui cum tanto gemitu, crebris clamoribus, tam immensis desideriis, et tanto tempore clamaverunt ad Dominum, ut mitteret eis Salvatorem: et jam tandem meruerunt accipere, quod petierunt. Nam postquam Dominus et redemptor noster redemptionem humani generis in cruce per mortem consummavit, et cum jam valido clamore animam suam nobilissimam Patri commendaverat, emisit spiritum inclinato capite: sicque anima ejus benedicta, unita deitate cum Verbo, descendit ad inferna, derelicto corpore in cruce deitati unito. Notate hic bene, ut intelligatis. Ego dico, quod Christi anima fuit separata a corpore, et tamen utrumque, scilicet corpus et anima, mansit unitum divinitati. In Christo namque duplex fuit unio: Una scilicet corporis et animæ, per quam constituitur humana natura: et illa fuit soluta in morte: quia nihil aliud dicit mors, quam separationem animæ et corporis: et ideo per hoc triduum vere Christus non fuit homo, quia alias non fuisset vere mortuus. Alia est unio eorumdem, scilicet corporis et animæ cum Verbo: et illa nunquam fuit soluta: quia Verbum, id est, Filius Dei, quod semel (secundum divum Joannem Damascenum) assumpsit, nunquam dimisit, quia naturam humanam, quam assumpsit, quantum ad partes ejus essentiales, nunquam dimisit, quia mansit cum anima et corpore: et idcirco semper mansit Christus. Christus in inferno, quia ani-

Descensus Christi ad inferos quomodo quandoque acciderit.

Unio duplex in Christo quæ fuerit.

ma unita cum Verbo fuit in inferno. Eodem tempore Christus in sepulchro, quia corpus unitum deitati jacuit in sepulchro. Nec tamen Christus divisus est in duas personas : sed mansit una hypostasis ; quia corpus et anima licet essent divisa inter se per mortem, tamen erant personali unitate unita cum Verbo.

Hypostasis una ut semper fuerit in Christo.

Nec putandum est, quod quia corpus erat unitum divinitati, quod tunc ex illa vivebat in sepulchro (quia divinitas non dabat vitam formaliter corpori, sed anima, quæ tunc aberat); idcirco corpus jacebat sine vita naturali. Descendit igitur anima Christi unita Verbo in deitate ad lymbum Patrum, ut impleretur quod nuntiaverat in libro Ecclesiastici, dicens : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Vestrum est nunc, charissimi, cogitare, quomodo descenderit, cum quali gaudio, jubilatione, cantu et processione sanctorum Angelorum circumvallatus, quomodo intrans dixerit : Pax vobis filiis et electis meis. Quomodo sancti Patres præ gaudio, lachrymabili voce et genibus flexis clamaverint : Advenisti redemptor mundi ; advenisti, quem desiderantes quotidie exspectabamus : advenisti quem nobis venturum lex annuntiaverat et Prophetæ : advenisti donans in carne vivis indulgentiam peccatorum, solvens defunctos et captivos inferni. Tunc carcer ille tenebrosus factus est lucidus, coruscante et illuminante illum divina anima Christi. Tunc impletum est quod Isaias prædixit : *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Tunc infernus conversus est in paradisum : quia ubi Christus est, ibi est paradisus, sicut ubi Papa est, ibi dicitur esse Roma : Et sic verificatum est verbum, quod Christus dixerat latroni : *Hodie mecum eris in paradiso,* id est, in felicitate. Remansit autem Christus ibi per totum illud triduum cum magno gaudio sanctorum Patrum, omnis enim tristitia eorum versa erat in lætitiam : quia videbant animam Christi et essentiam divinitatis ejus (in qua omnis gloria paradisi cœlestis consistit), usque post medium noctis Dominicæ resurrectionis : quia tunc evacuato et destructo inferno, eduxit omnes qui fuerant in lymbo. Et sicut aliqui dicunt, ex singulari privilegio suæ præsentiæ et gloriosi triumphi, eduxit etiam omnes qui fuerant in purgatorio, vel saltem magnam partem (de damnatis vero neminem eripuit, nec secundum animam ad illos descendit), et sic venit ad sepulchrum, et anima reunivit sibi corpus depositum, quod jacebat in sepulchro sine corruptione, et sanguinem reassumens quem effuderat, resurrexit, id est, corpus mortuum revivificavit, et sic processit gloriosus clauso sepulchro. Factusque est terræmotus magnus, qualis non fuit (ut creditur) ab initio mundi, ita ut excitarentur quoque custodes sepulchri, ut vellent nollent, viderent gloriam resurgentis, et contra voluntatem suam fierent testes resurrectionis.

Eccli. XXIV, 45.

In lymbo quænam contigerint quando anima Christi advenit.

Is. IX, 2.

Luc. XXIII, 43.

In lymbo quamdiu manserit Christus.

Tertio debemus gaudere propter consolationem Matris Christi et omnium mœstorum cordium, quæ sicut in passione Christi condoluerunt, sic in resurrectione ejus exultaverunt. Nam postquam Dominus resurrexit, primo apparuit suæ benedictæ Matri ad consolandum eam, non solum quia Mater sua erat (secundum divum Joannem Cassianum), sed quia plus diligebat, plus anxiata in passione ejus fuerat, et sola perfecte credebat, sola ipsum indubitanter resurrecturum exspectabat. Credendum est quoque quod sanctum Gabrielem et alios Angelos præmisit ad Virginem orantem, et cum ingenti suspirio et ardore desiderantem Filii sui resurrectionem. Qui scilicet prope venientes, angelica voce cantaverunt : Regina cœli lætare, alleluia : quia quem meruisti portare, alleluia : resurrexit, sicut dixit, alleluia. Nam hæc antiphona primitus audita est cantari ab Angelis tempore paschali per beatum Gregorium. Nec credendum est, quod tunc primo Angeli eam

Chri
spolia
et lym
et pur
torium

Modu
surge,
quem
stus s
verit.

Appa
se C
stum
mo M

R
cœli
re, qu
et a q
bus c
tum.

composuerunt vel cantaverunt, cum erat illud tempus diu post resurrectionem Domini : sed antea cantatam Beatæ Mariæ, scilicet quando Christus resurrexit. Post hoc etiam Ecclesiæ revelaverunt, et idcirco Ecclesia frequentat inter Pascha et Trinitatem.

Gaudium Virginis Mariæ ex resurrectione Filii sui.

Ad hunc igitur Angelorum concentum, statim adfuit Dominus Jesus in claritate immensa, cum multis millibus sanctorum Patrum, salutans piissimam Matrem suam, eam consolans : et statim recessit ab ea nubes omnis tristitiæ. O quis poterit cogitare, cum quanta lætitia superfusa fuit benedicta Virgo, videns Filium suum in tanta gloria, cum tam nobili præda sanctorum, cum tam insigni victoria ! O quam dulcia verba fuerunt inter eos, scilicet Filium et Matrem ! O quam suavia oscula ipsa impressit sacris quinque vulneribus Jesu, quæ reservavit in testimonium veræ resurrectionis, quod ipse-idem esset, qui affixus fuit cruci. Reservavit etiam et reservat adhuc ad quotidie ostendendum Patri pro peccatoribus, et placandam iram ejus super eosdem. Cogitare potestis hic, charissimi, quomodo sancti Patres Beatam Mariam contemplabantur et mirabantur in decore, in sapientia, in pudicitia, in humilitate ejus et perfectione omnium virtutum, et gaudebant quod ex se genita esset talis Virgo. Ideo non inconvenienter procidebant ante eam, dicentes illud Judith : *Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.*

Vulnera cur Christus post resurrectionem reservaverit.

Judith XIII, 22.

Quarto debemus exultare ratione nostri. Nam sicut per passionem Christi deletum est chirographum peccati, quo omnes obnoxii tenebamur ad mortem, et abluta sunt peccata nostra in sanguine Agni Christi Jesu : sic per resurrectionem ejus restituta est nobis beatitudo cœlestis stabilis et æterna : quia per hanc accepimus spem nostræ similiter futuræ resurrectionis et reformationis nostræ naturæ ad inamissibilem perfectionem. Quomodo ? Quia Christus est caput nostrum, et nos membra ejus, scilicet per fidem. Necesse est autem, ut sequamur caput, si tamen membra ejus sumus : quia caput non est sine membris. Hinc dicit Leo Papa : Dubitandum non est de consortio gloriæ, sicut dubitandum non est de communione naturæ : nimirum quia sicut, Isaia testante, natus est nobis, id est, propter nos, et ad utilitatem nostram, ita est crucifixus nobis, nobis mortuus est, solemnitate hodierna resuscitatus immortalis et gloriosus. Nos enim in Christo sumus crucifixi, nos in Christo sumus mortui et sepulti, nos in Christo die tertia resuscitati, jam in spe, et postea in re. Unde dicit Apostolus : *Qui suscitavit Jesum a mortuis et nos cum Jesu suscitabit.* Hinc est quod dicit sanctus Gregorius : Ex hac solemnitate exemplum nobis datum est resurrectionis, spes cœlestis patriæ aperta est, et facta est præsumptibilis cœlestis regni gloria, quia Christi resurrectio est causa efficiens et similitudo nostræ resurrectionis, juxta illud Apostoli : *Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

Leo Papa.

Is. IX, 6.

Rom. IV, 24.

Gregor.

Philipp. III, 20, 21.

Sed quare noluit Dominus differre suam resurrectionem usque ad nostram in fine mundi ? Præter alias rationes ista est una : videlicet, ut non deficeret in nobis spes resurrectionis nostræ : quia si Christum non resurrexisse sciremus, nec nos speraremus. Unde ait Gregorius : Christus suo exemplo monstravit in seipso, quod promisit nobis in præmio : ut sicut ipsum fideles resurrexisse agnoscerent, ita in seipsis in fine mundi præmia resurrectionis sperarent.

Gregor.

Gaudendum uti nobis sit hoc festo ob nostri liberationem.

Sed quare nos non etiam resurgimus statim tertia die ? Præter alias rationes dicendum, quod voluit Dominus perfectam beatitudinem sanctorum, scilicet in corpore et anima non seorsum compleri, sed ut simul omnes eam exspectarent, et qui nos antecesserunt non sine nobis consummarentur. Qui licet habeant in

Resurrectio nostra cur non fiat die tertia sicut Christi.

anima perfectam beatitudinem, tamen corpora eorum nobiscum sunt in spem et consolationem nostram : et ipsi orant pro nobis, ut cito compleatur numerus electorum, et ipsi recipiant duplicem stolam gloriæ nobiscum : quia, ut dixi, sciunt se tamdiu oportere exspectare, donec omnes electi sint parati : et tunc fiet una communis reformatio omnium electorum, et commune gaudium, adeo quod unusquisque non solum de sua, sed etiam æqualiter de alterius glorificatione gaudebit. Sed dicit forte aliquis : Jam per passionem Christi consecuti sumus perfectam salutem, quid opus fuit nobis futura resurrectione, id est, beatitudine? Respondendum : Verum est, quia consecuti sumus per passionem ejus plenam liberationem et mundationem ab omni peccato quoad animam, sed non quoad corpus : quia corpus nostrum etiam ultra peccata habet defectus et gravamina, quæ ablata sunt perfecte in Christi resurrectione. Caro nostra fuerat nobiliter formata in paradiso, sed hanc nobilitatem et pulchritudinem amisit per peccatum. Reformata est autem modo per Christi resurrectionem longe perfectior, quam olim fuit in paradiso : quia si mansisset in statu innocentiæ, non fuisset mortua, fuisset tamen mortalis, id est, potuisset mori : fuisset inedia consumpta elementisque subjecta, id est, quod potuisset pati : idcirco pro sui restauratione et conservatione indiguisset cibo restaurativo, loco temperato, et ligno vitæ virtutis reformativo. Quæ omnia Deus providerat homini in paradiso, si stetisset. Sed non sic caro Christi in sua resurrectione glorificata est, cui nostra conformabitur, sicut jam dixi : quia hæc per dotes gloriæ facta est immortalis, id est, quod non potest mori, subtilis, agilis, clara, non indigens pro sua conservatione loco neque cibo. Totus mundus ei paradisus est : et in quocumque elemento nec in inferno pati posset quidquam molestiæ. Assumpsit quidem Christus molestias nostras, et omnes pœnales defectus nostræ naturæ, omnes languores et dolores carnis nostræ sine peccato, et quæ nos patimur ex peccato, et vere portavit vivendo et moriendo, sed jam deposuit omnia resurgendo.

Resurrectio corporum quid conferat ad beatitudinis profectum.

Carnis humanæ deformatio uti per Christi resurrectionem sit reformata.

Dotes quasnam Christus glorificatus assumpsit.

Resurrectione sua quænam mala Christus deposuerit.

Quadruplici autem onere gravi premitur et laborat natura humana post lapsum primorum parentum. Primo est corruptibilis, passibilis et mortalis, continuo tendens ad non esse, adeo quod, sicut habetur in Job, *quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet*. Secundo, natura seu potius corpus hominis est grossum et impedibile, id est, impeditur alio corpore, ita quod non potest penetrare ea quæ vult : angustiatur quoque et premitur. Tertio, corpus humanum est tardum et fatigabile : quia non potest esse ubi vult, et quando vult. Quarto, est obscurum et turpe, ita ut non solum ad protectionem a frigoribus, sed etiam ad tegendam turpitudinem opus habet vestimento. Hos defectus quomodo Christus habuerit in passione, sicut credo, sufficienter audistis et intellexistis. Sed hos omnes in sua resurrectione deposuit. Licet enim idem fuerit corpus ante passionem, in passione et post resurrectionem in Christo, ejusdem naturæ, ejusdemque substantiæ : fuit tamen alterius gloriæ post resurrectionem, majoribusque dotibus gloriæ adornatum. Habuit enim contra primum defectum impassibilitatem, quæ excludit omnem separationem animæ a corpore, omnem dolorem, omnem læsionem, quia fuit integrum ab omni corruptione, sanum ab omni dolore, quod in passione plenum fuit vulneribus a planta pedis usque ad verticem capitis. Sed dicit quis : Ipse tamen habuit quinque vulnera post resurrectionem, sicut patet in sancto Thoma, cui ea tangenda exhibuit. Dicendum, quod sponte reservavit illa quinque vulnera sine dolore, nec ex impotentia curandi, sed ad specialem gloriam, et propter singulares rationes, ut videlicet probaret se eumdem resurrexisse qui passus fuerat et vulneratus. Idcirco etiam permisit Thomam dubitare, ut dubitans probaret, et probans manife-

Natu hominis corrupta quibusn malis su jaceat.

Job XIV,

Impassibi litatem induerit Christus

S. Thomam cur Christus permiserit dubitare de sua resurrectione.

staret et testaretur resurrectionis veritatem propter nos, ut nos sciremus, quia surrexit vere, et non habuit corpus phantasticum, quod solummodo appareret. Plus enim contulit nobis dubitatio Thomæ, quam credulitas Mariæ Magdalenæ : quia per incredulitatem Thomæ plenius sumus informati, quam per Mariæ Magdalenæ credulitatem. Dubitatum est ab illo, ne dubitaretur a nobis. Sunt tamen adhuc aliæ rationes, quare Dominus quinque servaverit vulnera, quas modo prætereo. Item, non indiget ulterius cibo vel potu : quia licet Christus cum discipulis veraciter comederit, hoc fecit ex potentia, quia potuit comedere, sed non ex necessitate vel indigentia. Comedit tamen ad ostendendum veritatem sui corporis, et ad roborandum fidem : et ille cibus, quem assumpsit in corpore, iterum annihilatus fuit, sicut aqua consumitur in igne, vel sicut humor mox exiccatur a sole. Mirum est, quod non miramur tantam charitatem Christi, qui ita studiose curavit, nec quidquam omisit quod prodesse nobis posset ad fidem et charitatem. Et quid ipse habet inde, si nos credimus vel non credimus ? si salvamur vel non salvamur ? ipse utique inde nihil fit melior vel minor : sed solum, quia diligit nos.

Cur Christus post resurrectionem comederit.

Subtilitatem quam Christus induerit.

Secundo, corpus Christi habuit subtilitatem, quia nullius corporis soliditate potuit impediri : sed potuit quæcumque voluit penetrare. Hoc patuit in eo quod clauso prodiit sepulchro, et ad discipulos januis clausis intravit. Tertio, habuit agilitatem, qua ejus corpus sic fuit habilitatum, quod protinus potuit esse sine aliqua fatigatione, ubi voluit esse spiritus. Hoc ostendit Christus in eo quod discipulis in ipso die resurrectionis toties et in diversis locis apparuit ubi voluit, et disparuit quando voluit. Quarto, habuit claritatem pulcherrimi et suavissimi, amœnissimique coloris, lucentissimi splendoris, vincentis fulgorem omnem solis. Non tamen apparuit discipulis (secundum Augustinum) in tali claritate, quia non potuissent corporeis oculis illam aspicere : sed in variis figuris, sicut habetis in Evangeliis : vel saltem in pulchritudine proprii corporis, occultando splendorem gloriæ. Beatæ tamen Virgini, quæ fuit altioris perfectionis, creditur apparuisse sicuti est. Ecce, charissimi, unde gaudeamus : quia sicut Christus resurrexit, ita et nos resurgemus in ipso, jam in spe, et postea in re. Non volebat tamen, quod sola anima haberet remunerationem pro obedientia, quam habuit ad Deum, sed volebat etiam quod iste pauper asinus, id est, corpus nostrum haberet remunerationem pro obedientia, quam habuit ad animam, id est, quod jejunavit, vigilavit, oravit, laboravit, sicut fuit rectum ab anima. Hinc est quod dicit Apostolus : *Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Tunc si membra fuerimus Christi, cum anima et corpore recipiemus beatitudinem plenam : ad quam modo semper debemus tendere et aspirare. Et mirum est, quod non habemus majus desiderium et continuum fletum ad illam immortalem vitam. Sed causa est, quoniam ita diligimus hanc miseram transitoriam vitam. Quis est igitur, qui non spirituali gaudio exultet, qui cognoscens se translatum a morte ad vitam, et ad vitam immortalem, sempiternam, a miseriis hujus temporis ad perpetuam felicitatem, nisi qui necdum intelligit, vel non appetit vitam illam beatam et immortalem ? Ecce quantum diligimus vitam istam miseram, corruptibilem, incertam, miseriis et curis plenam, periculis circumdatam, instabilem et aliquando finiendam. Ecce quomodo cupimus illam servare, et nolumus illam perdere, quam tamen non possumus retinere. Quantacumque adversa nobis eveniunt, adhuc volumus retinere vitam. Si ita diligimus vivere, quare non cogitamus, quare non laboramus, quare non tendimus ad illam vitam nunquam deficientem, ubi nulla miseria est, nulla adversitas, nulla cura, nullus labor, nullus timor ? ubi perpetua

Agilitatem quantam Christus habuerit.

Claritatem quam Christus assumpserit.

Christus in quanta claritate et gloria Matri suæ apparuit.

Philipp. III, 20, 21.

Vitam hanc quam periculose homines diligant.

felicitas est, perpetua jucunditas, perpetua securitas ? Ad hanc pervenerunt sancti qui nos præcesserunt, et plenam habent beatitudinem in anima : sed in corpore exspectant nos, ut fiat generale festum nostræ resurrectionis. Et tunc erit resurrectio, quæ nominatur in Apocalypsi secunda : quia jam est prima resurrectio, scilicet a peccato. Et beatus est (ut ibi habetur) qui partem habet in resurrectione prima : quia per primam venitur ad secundam. Si voluerimus ergo pervenire ad secundam, opertebit nos utique per illam viam incedere, quam incesserunt qui ante nos fuerunt, quorum vitam quotidie audimus legi in exemplum, ut discamus viam. Sed heu quam multi sunt, qui si possent hanc præsentem vitam semper tenere, quantumlibet ærumnis plenam, essent bene contenti, et resignarent libenter futuræ vitæ ! Hoc est, dimitterent Deo regnum suum, et ipsi tenerent mundum. Unde hoc ? Quia immersi sunt in amore visibilium et temporalium, adeo quod non cogitant, vel desiderant, vel cognoscunt alia bona esse, quam illa in quibus modo delectantur. Vel adeo sunt gravati in conscientia , quod plus habent timoris quam spei ad illam futuram vitam.

Apoc. XXII, 7.

Vitam hanc cur quidam tantopere diligant.

Vos autem, charissimi fratres (ut alloquar vos verbis Apostoli), *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Quia ad hoc Christus resurrexit, ad hoc *Pascha nostrum immolatus est Christus*, ut *epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis : ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Dei Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Quod nobis omnibus largiatur idem Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti vivit et regnat Deus per infinita secula, Amen.

Col. III, 1, 2.

Ephes. IV, 23, 24.

I. *Cor.* V, 7, 8.

Rom. VI, 4.

IN FESTO

SANCTI GEORGII

GLORIOSISSIMI MILITIS ET MARTYRIS CHRISTI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

BEATUS vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo, et non flectetur, et continebit illum et non confundetur, et exaltabit illum apud proximos suos. Et nomine æterno hæreditabit illum Dominus Deus noster. *Eccli. XIV, XV.*

CUM vita hæc plena sit tentationibus, atque in mediis laqueis tota hominis ætas transigatur, plurimaque omni ex parte pericula immineant, multique tum invisibiles, tum visibiles hostes pios quosque persequantur, ut eos a sui Creatoris amore avertant et abstrahant, benignissimus Deus pro nostri institutione, consolatione, confortatione, Sacram nobis Scripturam reliquit, in qua tanquam instructissimo armamentario varia nobis munimenta ac præsidia, itemque remedia voluit esse constituta adversus omnes quorumlibet inimicorum impugnationes, et contra ma-
Rom. XV, 4. la omnia. *Quæcumque scripta sunt,* ait Apostolus, *ad nostram eruditionem scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.* Quamobrem etiam in sacris ædibus multa publice ex divinis libris recitantur, ut dum identidem optimis Scripturæ sententiis aures hominum inbuuntur, animis firmentur ad tolerandas vexationes impiorum. Quare factum non dubitamus, ut innumeri pro Christo sanguinem promptissima mentis devotione profuderint, nec a Christo ulla ratione potuerint separari. Ita etiam in festo invicti militis et infracti martyris Christi divi Georgii ex Ecclesiastico brevis quidem sed memorabilis valde lectio depromitur, paucis verbis saluberrimas institutiones, et præclara promissa complectens : unde et nos discere possimus, quibus armis munitus Christi martyr tormenta omnia superarit, quibusque etiam nos communiri debeamus, si velimus victores evadere. Ait ergo Scriptura : Beatus vir, qui in sapientia morabitur, non quidem sapientia hujus mundi, quam stultam facit Deus, nec sapientia carnis, quæ mors est et inimica Deo, sed in ipso unico Filio Dei, qui est vera et æterna sapientia, qui propter nos homo fieri dignatus est, et vulneribus configi, ut habitaremus in illis et absconderemur, sicut monet Isaias propheta : *Ingredere,* inquiens, *in petram* (Petra au- *Is.* II, 10. tem erat Christus) *et abscondere in fossa humo* corporis ejus. Propterea enim Fi-

lius Dei voluit clavis et lancea transfigi, ut nos in illis vulneribus possimus tuto commorari, nec ullas formidare hostium insidias. Itaque beatus vir, qui in sapientia, id est, Christo vulnerato commoratur, menti suæ jugiter ac indelebiliter habens impressa vulnera illius, quæ tanquam certissima sui erga nos amoris signa etiamnum retinet, sugitque inde virtutem ac vigorem quemdam et succum spiritalem, quo roboratus suaviter et modeste, queat perpeti quidquid molestiæ occurrèret. Beatus item qui posteaquam Christi vulnera sibi jugi cogitatione insculpsit, ad illius exemplum in justitia meditabitur, sollicitus imitari vestigia Domini sui, ut sicut ille pro nobis libentissime adversa sustinuit, et virtutes perfectissime expressit, ita et ipse ob justitiæ studium virtutum exercitationi totus deditus sit, et magno ac tranquillo animo quævis dura et acerba ferat. Atque ut id melius præstare queat, plurimum illi contulerit attendere semper præsentem Deum, cuncta acutissime prospectantem. Quis enim sanæ mentis audeat iniquum aliquid admittere, si viva et vera fide cogitet se peccare in conspectu omnipotentis Dei, qui nihil sinet inultum abire ? Beatus ergo, qui sedula exercitatione sese assuefacit ad cogitandam semper divinæ majestatis præsentiam et circumspectionem, atque inde fit sollicitus ad vitanda mala, et recte agendum. Neque talis magna Dei mercede frustrabitur. Cibabit enim illum, reficietque et confortabit pane vitæ et verbo Dei, quo alitur ac vegetatur homo interior, ac renovatur de die in diem. *Non* enim *ex solo pane vivit homo, sed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Itemque, cibabit illum præstantissimo Eucharistiæ Sacramento, quod est panis vivus qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo : pane etiam intellectus, ut ex Sancti Spiritus illustratione et unctione cognoscat quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta, et Scripturæ mysteria ac fidei sacramenta perspiciat. Denique aqua sapientiæ salutaris, nempe divinæ contemplationis, quæ pertinet ad donum sapientiæ, potabit illum, ut oculis cordis videat, et mentis palato feliciter degustet, quam suavis sit Dominus. Quæ est utique sapientia salutaris, quia non inflat, ut illa Philosophorum, sed facit mentem subditam Deo, et veram confert salutem, facitque contemnere præsentia, et cœlestia amare, sicut quidam ait : Gustato spiritu desipit omnis caro. Mundi autem sapientia sese ostentare cupit, atque hominibus se venditat, suique gloriam spectat potius quam Dei, vel salutem proximi. Porro sapientia salutaris hominem justum, et ita ut dictum est, se gerentem inter omnes rerum undecumque accidentium eventus, adeo firmabit, stabiliet, corroborabit, ut non possit facile unquam flecti ad consensum iniquitatis : continebitque illum, ut nihil ejusmodi in se admittat, unde possit alicujus probri vel ignominiæ notam incurrere, vel apud homines confundi. Semper enim faciet eum meminisse Dei sui cuncta contemplantis, atque ejus amore et timore honeste se gerere, non apud homines tantum, sed etiam privatim ac in solitudine, ut nec ipsi quidem dæmones habeant quod illi opprobrare queant. Et apud proximos exaltabit illum, ut sicut ipse jam bene constitutus est animo, ita et aliis prosit, multosque Christo lucrifaciat. Solet enim Deus eos qui jam multis pollent virtutibus, interdum ad dignitates et functiones publicas promovere, ut et cæteris luceant verbo et exemplo : atque illis immortalem efficit memoriam tum in terris, tum in cœlis, ut et hic celebres habeantur apud homines, quibus et verbo et scripto et optima vivendi ratione prodesse curarunt : et sempiterna perfruantur gloria in cœlis, ob vitam cum pietate et justitia sancte ac religiose transactam.

Matth. IV, 4.

Rom. XII, 2.

Sapie salutar quæ si

Greg

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, JOANNIS XV.

IN sermone illo, quem Dominus Jesus extremum habuit ad discipulos suos, jam jamque pro nobis immeritum perpessurus mortis supplicium, multa exstant ignitissimum spirantia amorem, et suavissimæ plena consolationis, adeo ut nemo dubitare queat, quin totus ille sermo, sicut Domini ultimus fuit, ita et singularem quemdam illius erga nos declaret benignitatem ac benevolentiam, qua recessurus a nobis committere non potuit, quin cordis sui æstus nobis verbis flagrantissimis aperiret. Sermonem illum scripsit discipulus præ cæteris charior, upote qui in Domini pectore recumbens in cœna postrema, hauserat inde succum quemdam divinum, quo imbutus posset verba Domini vere ignea igneo spiritu proferre. Ex eodem sermone depromptum est hujus diei Evangelium, quod nunc elucidare instituimus.

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

Vitem cur Christus vocet, quoque palmites quomodo sint.

Vitem se vocat Dominus ob susceptam humanitatem. Nam alioqui non possent homines illius palmites dici, cum vitis et palmites sint ejusdem naturæ. Nos autem divinæ naturæ non sumus : itaque ut Christi palmites esse possemus, factus est homo, atque eo ipso vitis vera, cui quisquis non inhæserit, neque fructum potest afferre ullum, neque ad aliquid valet, nisi ut flammis tradatur. Ipse etiam est caput nostrum, nosque illius membra, si tamen spiritu illius vegetamur. Nam qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus, id est, non pertinet ad corpus illius mysticum, quod totum vivit de spiritu ejus. Porro vitem veram se appellat Christus, ut hoc ipso se secernat ab illa infrugifera et degeneri vinea, cui per Jeremiam Dominus dicit : *Ego te plantavi vineam electam : quomodo ergo conversa es in pravum vineæ alienæ?* quæ est ecclesia impiorum, cujus caput est diabolus, qui est rex super omnes filios superbiæ. Quod autem subjungit, Pater meus agricola est, facit more suo, humillimis utens similitudinibus, ut ubique humilitatem tanquam sibi gratissimam, diabolo maxime invisam commendet. Quare autem Patrem suum agricolam dicit, nisi quia sua gratia nobis præstat virtutem fructificandi? Sicut enim homo agricola fodiendo et stercorando, itemque putando et excolendo facit quantum in ipso est, ut melius crescant vineæ et arbores : ita Deus gratiam subministrando efficit ut homines bonorum operum fructus producant. Qua quisquis destitutus est gratia, sine dubio nihil præstare potest. Quo fit, ut quantumvis multa quis bona agat opera, nunquam tamen quidquam sibi arrogare debeat, certus gratiæ esse quidquid recte gesserit. Deinde adjicit : Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.

Rom. II, 9.

Jerem. II, 21.

Job XLI, 25.

Agricolam uti Patrem cœlestem vocet Christus.

Quæ nobis bene perpendenda sunt. Quisquis credit in Christum, jam palmes est, quia transit in Ecclesiæ communionem. Sed nisi fidem suam bonis operibus testetur, afferatque fructus sanctarum cogitationum, piorum desideriorum, verborum ad fidei ædificationem facientium, et recte factorum, hoc est, nisi sit divina præditus charitate, quæ nunquam est otiosa, sed semper cupit et sitit exequi

voluntatem Dei, ut illi placere possit, et potioribus affici gratiæ donis, non potest non arescere. Ubi autem exaruit, jam nihil superest, nisi ut præscindatur : hoc est, ut totius gratiæ succo destituatur. Quid est autem homo sine gratia Dei ? Ergo operemur bonum ad omnes, et per bona opera certam faciamus vocationem nostram, ne sola fide contenti tanquam infrugiferi palmites a vite amputemur. Omnem autem palmitem qui fert fructum purgat Pater cœlestis, ut fructum plus afferat. Adeo non vult Deus ut unquam a bonis operibus cessemus, ut etiam palmites fructuosos purget, ut sint magis frugiferi. Nam et ipsi fructuosi palmites saltem quibusdam parvis et quotidianis non carent vitiis, a quibus eos purgat Deus agricola, variis eos affligendo temporariis malis et incommodis, itemque permittendo ut dæmones et homines ipsos multis divexent modis, quo sic ad purum ab omni labe excocti, fructum nedum uberiorem, sed etiam Deo gratiorem ferant. Cum igitur recte vivimus, et tamen adversa patimur, non feramus moleste, sed cogitemus pium Patrem sordes quasdam in nobis conspicere, a quibus nos mundare cupiat. Nunquam enim affligit nos Deus, nisi optima et amantissima voluntate. Alterum e duobus piis quibusque eligendum est, ut aut hic æquanimiter ferant manum Dei paterne castigantis et erudire cupientis, aut postea sentiant flagella judicis inexorabilis, et severe vindicantis.

Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis, manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.

Mundi erant Apostoli propter sermonem Domini non tam auditum, quam operi mancipatum. Obedierant enim sermonibus Christi : et propterea mundi erant a sordibus mortalium vitiorum, non tamen ab omni labe venialium, a quibus necesse erat etiam ipsos adhuc purgari. Nemo hic se fallat, tanquam sufficiat audire verbum Dei. *Non* enim *auditores legis, sed factores justificabuntur*. Atque ut in illa munditia possent Apostoli perseverare, monet eos Dominus, ut in ipso permaneant per fidem et charitatem, hoc est, ipsius voluntati morem gerant, seseque promittit in ipsis permansurum per gratiæ suæ communicationem, qua semper possint esse fructuosi, et a sordibus expurgati. Quid vero jucundius, quam manere in Christo, et in se Christum manentem habere ? Quæ mors, quæ supplicia, quæ calamitas illi pertimescenda, qui vitam in se habet indeficientem, unde omnia vivunt ? Manemus autem in Christo bene agendo, et ipse in nobis manet gratiam bene agendi nobis impertiendo. Non enim nostris viribus bene agimus, sed illius gratia. Unde etiam subjungit : Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Palmes præcisus a vite, non trahit humorem ex radice : ergo necesse est ut pereat. Ita etiam nisi per fidem et charitatem in Christo permaneamus, et gratiæ illius influxus percipiamus, impossibile est, ut ullos Deo placitos feramus bonorum operum fructus. Quidquid enim extra gratiam et charitatem fit, non est gratum Deo, qui nonnisi sua opera coronat in nobis, nec tamen operatur in nobis sine nobis, sed nostrum quoque studium requirit. Eant nunc superbi, et sese jactitent tanquam aliquid egerint. Si quid boni fecere, non est ipsorum, sed gratiæ. Quis autem nisi impudens laudem captare velit vel ausit ex re aliena ? Nemo ergo se extollat, nemo sese animo efferat quantislibet sit virtutum meritis ornatus. Si enim Deus subtraxerit paulisper manum suam, omnium miserrimus erit. Agnoscamus gratiam, et gratiæ grati simus, ac nihilominus totis viribus gratiæ cooperemur, ne in vacuum Dei gratiam recepisse videamur. Ita agendo et humiles erimus,

et desidiæ ac negligentiæ culpa carebimus.

Ego sum vitis, et vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. Et si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet. Et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.

Jam ante expositum est, quomodo Christus sit vitis, nos palmites. Sed quod sequitur : Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, ad commendationem charitatis et divinæ gratiæ pertinet. Quisquis enim amando Deum manet in illo, habetque in se manentem Deum per gratiam illius, hic fert fructum multum bonorum operum, vel etiam internarum exercitationum, quia charitas et gratia semper impellunt hominem ad exequenda omnia, quæ sint grata Deo. Ergo qui fructum ferre nolunt, sed suis indulgent affectibus, atque huic mundo ejusque voluptatibus et vanitatibus dediti sunt, non manent in Christo, nec in ipsis Christus manet. Qui autem Christum in se manentem non habent, necesse est a diabolo rectore possideantur : qui nimirum non ad fructus faciendos, sed ad omnem impietatem eos quos occupat adhortatur. Porro fructum facimus non ex nobis, sed quia Christus habitat in nobis, adjuvans infirmitatem nostram, sine cujus gratia certum est nos nihil posse facere. Ipse enim operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate, ita ut ab ipso sit et bonæ voluntatis studium, et operis boni executio. Merito ergo pii omnes, ne in suæ naturæ infirmitate relinquantur, et cœlestis auxilii destituantur ope, nihil sibi arrogant, nihil sibi tribuunt, sed sunt humiles, et clamant cum Isaia: *Domine, omnia opera nostra operatus es in nobis.* Ergo *non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* : quia sine te nihil possumus boni facere. Arbitrium hominis ad perpetranda mala sufficit sibi, sed non item ad facienda bona. Si quis autem in me non manserit, ait Dominus, id est, mihi per charitatis perseverantiam non inhæserit (non enim sufficit bonum inchoasse, nisi adsit et perseverantia), mittetur foras, id est, a membris meis avulsus, diabolo et membris ejus sociabitur, atque a luce gratiæ exclusus, in tenebras cordis, ac postea in tenebras tartareas projicietur, et arescit penitus, ut nullum unquam possit fructum facere. Hoc maxime terrere debet hæreticos, qui se a Christi corpore abjungunt, et nova comminiscuntur dogmata, cum tamen non sit nisi una fides et unum baptisma, et unica Ecclesia, extra quam nulli est salus : a qua quisquis recedit, non permanet in Christo, unde non potest non arefieri. Quotquot autem a Christi gratia alieni arescunt, illos colligent Angeli executores divinæ sententiæ, et mittent in ignem tartareum, qui est mirum in modum intolerabilis, et multiplicem habet vim affligendi impios, adeo ut nulla mens humana id possit capere, atque inibi ardebunt infelices non ad horam, non ad diem, non ad annum, non ad centum annorum millia, sed absque ullo fine. Quid his potest dici horribilius ? O homo, time Deum tuum, dum adhuc licet resipiscere, ne talibus pœnis involvaris.

Fructum ultum inam afrant.

hil. II 13.

Is. XVI, 12. *Ps.* XIII, 1.

In hæreticos novorum dogmatum commentatores.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.

Si manseritis, inquit, in me per charitatem (*qui* enim *manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo)*, et verba mea in vobis manserint, ita ut ea re ipsa exequamini et sitis dictis meis audientes, quodcumque volueritis secundum Deum, petetis a me, et fiet vobis, si tamen sit vobis salutiferum. Non enim in omnibus exaudit Deus etiam charissimos amicos suos, ut est evidens de

I. *Joann.* IV, 16.

Exaudire cur Deus suos quandoque differat.

Apostolo, qui ter rogavit auferri a se angelum satanæ, nec tamen obtinuit, sed in illis duntaxat, quæ sint illorum saluti accommoda. Propterea etiam sanctus Job dixit ad Dominum : *Clamo ad te et non exaudis me : sto, et non respicis me : mutatus es mihi in crudelem.* Itaque non frangamur animo si non semper exaudiat Deus preces nostras. Ipse enim novit quid expediat saluti nostræ. In hoc, inquit, clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis. Cedit enim ad gloriam Dei, quidquid a piis recte geritur, et in bona vita nostra Deus sæpe etiam ab infidelibus laudatur. Quamobrem alibi Dominus monet : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Et sicut ad laudem Dei cedit quidquid coram aliis pie et religiose agimus ob honorem et amorem illius, ita e diverso improba vita nostra maxima illum contumelia afficit, efficitque ut propterea ab Ethnicis et incredulis blasphemetur sanctum nomem illius. Atque hodie sane dubium non est, quin vita christianorum longe sceleratissima apud infideles despectui sit et opprobrio, atque Deus ipse illius causa impiissime contemnatur ac blasphemetur. Sed quam dire hoc olim vindicaturus sit Deus, sentient filii scelerati, qui pium Patrem tanta afficiunt ignominia. Quis jam velit ad Christi fidem accedere, quando vita christianorum talis est, ut nullorum possit esse flagitiosior ? Colligimus etiam ex his Domini verbis quantum placeant Deo fructus multi bonarum actionum nostrarum, quibus dicit clarificari Patrem suum, ne quis putet non habere meritum apud Deum recte facta nostra, quod hæretici mentiuntur. Hoc ipso enim Christi efficimur discipuli, si fructum plurimum afferamus, et quæ Deo placita sunt semper faciamus, ita ut nec momentum temporis absque fructu dilabi patiamur. Seminemus interim, et *quodcumque potest operari manus nostra, instanter agamus : veniet nox, quando nemo poterit operari.* Ne timeamus ne frustra laboremus : quia suo tempore metemus non deficientes. Ipse Dominus hoc eodem sermone manifeste docet, quinam sint sui discipuli : *In hoc,* inquit, *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ergo charitas facit nos Christi discipulos. Ubi autem est charitas proximi, ibi est etiam amor Dei. Amor autem non potest esse otiosus, sed operatur magna ubi est, et plurimum facit fructum.

Job xxx, 21.

Matth. v, 16.

Vita sceleratachristianorumquam infidelibus sit despectui et opprobrio.

Eccle. ix, 10.

Joann. ix, 4.

Gal. v

Joann xiii, 35.

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea : sicut et ego præcepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione.

Pater Filium amore incomprehensibili diligit : et nos quoque Filius ardentissime amat ; Pater se totum communicat Filio : Filius se totum nostræ salutis causa impendit. Pater Filio omnia sua secreta revelat : Filius nobis nota fecit omnia quæcumque audivit a Patre. Et tamen quamvis charum habuerit Pater Filium, nihilominus ad atrocissima perferenda supplicia destinavit eum. Ita et Filius charissimos quosque amicos suos ex præcipuo erga illos amore, quo cupit eos sibi ut in pœnis, ita et in gloria simillimos efficere, multis permittit iisque admodum duris vexari afflictionibus. Sed in omnibus curandum nobis est, ut in dilectione Christi permaneamus. Et quomodo id fiet ?

Christ cur suos electos s nat mqlti fariam hl affligi.

Hæreticus dicit : Crede, et sufficit tibi. Quid vero Christus ? Si præcepta mea, ait, servaveritis, manebitis in dilectione mea. Forte nescire te dicis quæ præceperit Christus. Audi quid dixerit Apostolis jam jamque in cœlos ascensurus. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti : docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Ergo quidquid quatuor Evangeliis continetur, id ad Christi præcepta pertinere videtur. Ea enim omnia ipse suis

Matth. xxviii, 1

Præcepp Christi quænam compre- hendant.

mandavit Apostolis. Vive ergo juxta Evangelii præscriptum, et manebis in dilectione Christi. Nam si secus vixeris, et Christum ore confitens, opere et vita contempseris, non manebis in Christi dilectione, sed fides tua tibi damnationis cumulus erit. Sic et Christus non fuit contentus Patrem verbis prædicare, sed etiam omnia illius præcepta servavit, factus obediens usque ad mortem crucis, sicque permansit in dilectione illius : Probatio dilectionis, exhibitio est operis : quam qui negligunt, de illis Propheta dicit : *Dilexerunt Deum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, etc.* *Psalm.* LXVII, 36.

Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

Non dicit, ut gaudium mundi, sed gaudium meum in vobis sit. Mundi gaudium est de vanitatibus et voluptatibus carnis, de pompis et honoribus atque id genus aliis, quæ nunquam possunt verum præstare gaudium. Sed Christi gaudium est puritas cordis, conscientiæ tranquilla serenitas, amor justitiæ, odium iniquitatis, spes firma futuræ beatitudinis, veritatis æternæ contemplatio, et mentis imperturbabilis pax et immota securitas. Hoc autem gaudium in hoc mundo inchoari potest, impleri non potest, nisi ubi omni carnis corruptione abjecta, ad cœlestis patriæ portum appulerimus, et unum cum Deo effecti in eamdem fuerimus imaginem transformati a claritate in claritatem, ut sit Deus in nobis, et nos in illo, nec quisquam unquam deinceps nos ab illo possit separare. Gaudium mundi quodnam sit. Gaudium Christi quod.

SERMO IN EODEM FESTO

UT NOS MANEAMUS IN DEO, ET DEUM IN NOBIS MANENTEM RETINEAMUS : ET DE DUPLICI MARTYRIO.

MANETE *in me, et ego in vobis.* Joann. XV, 4.

Festum invicti martyris Georgii hodie colimus, dilectissimi, qui ea re invictus fuit, quod et ipse mansit in Christo, et Christus in ipso. Miramur martyris sancti constantiam, vincenti congratulamur, et delectat nos fragilis hominis insuperabilis fortitudo, et morituræ carnis adversus tormenta sævissima ineffabilis patientia. Sed in his agnoscimus Dei gratiam intus operantem, gratiam prædicamus, gratiæ præcipuam victoriæ palmam assignamus. Obtinebat Christus et suo sibi jure vindicabat pectus martyris sui tanquam arcem ipsius virtute et præsidio munitissimam, et quæ illud virtus vel humana vel diabolica expugnare potuisset ? Manebat Christus in martyris nedum anima, sed et corpore. *An nescitis,* ait Apostolus, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est ?* et martyr suo inhærebat capiti, suo obtemperabat rectori et inhabitatori, et quisquam ulla vel fraude, vel vi, aut Christum ex martyre profligare, aut martyrem a Christo separare potuisset? Sævierunt in martyrem dæmones, sævierunt et homines : sed ideo sævierunt, ut evidentior et gloriosior appareret virtus Christi suum martyrem protegentis, et insignior foret victoria et corona martyris pro sui regis honore et amore fortiter et acriter dimicantis. Legerat sanctus martyr Dominum suis in Evangelio dicentem : *In mundo pressuram habebitis ;* et : *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum ;* et : *Multos ex vobis occident, et persequentur de civitate in* I. *Cor.* VI, 19. *Joann.* XVI, 33. *Luc.* XXI, 17.

civitatem. Sed confidite, ego vici mundum. Tantum id curæ vobis sit, ut maneatis in me, sitis membra mea, membra capiti consentanea, membra capiti morigera, non capitis imperium detrectantia, non a corpore abscisa, sed corpori fortiter inhærentia, ut unguentum cœlestis gratiæ et spiritualium charismatum, sine quibus anima non potest vitam tueri suam, in vos e capite derivetur, et vivatis de spiritu meo : quia nisi ex me vita vobis subministretur, vita inquam gratiæ, non eritis aliud quam palmites inutiles præcisi a vite : qui, quia non accipiunt ex vite succum vel humorem, arescunt. Aridi autem hunc solum habent usum, ut mittantur in ignem. Sicut enim palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : ita nec vos, nisi in me manseritis : Omnem autem non ferentem fructum tollet Pater, et a membris meis avulsum sociabit dæmonibus igni æterno cruciandum. Hæc ergo sanctus martyr minime ignorans, strenui militis functus officio, regi suo fidem servavit, fidem servando ab impiis occisus est : sed corpore exstincto, anima ad suum evolavit auctorem, atque ad illius admissa conspectum, læta et ovans cecinit : *Ipsi in vanum quæsierunt animam meam.* Te permittente conscissus est saccus corporis mei : sed circumdedisti me lætitia . *Paulominus consummaverunt me in terra : ego autem non dereliqui mandata tua.* Nec dilexi usque ad mortem animam meam, sed libenter eam perdidi propter te, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.

Ps. LXII, 10.

Ibid. CXVIII, 87.

Ibid. LXII, 3.

Eam quoque ob rem cum esset invictus hic martyr in militari arte peritissimus, ut regi regum et Domino dominorum commodius servire posset, cingulum militiæ solvit, omnesque facultates et divitias, quas quidem habere potuit, pauperibus elargitus est : malens temporali cum Christo inopia premi, ut secundum vocem Dominicam immarcescibiles et nunquam deficientes divitias sibi acquireret in cœlis, quam cum hujus mundi divitibus rebus omnibus abundare, et post hujus vitæ curriculum, penuria angi. Repererat namque margaritam pretiosam in agro cordis sui latitantem, quam distractis omnibus mercatus est. *Nisi enim quis* (ait ipsa Veritas) *renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Prætulit igitur inclitus hic martyr et strenuus athleta Christi discipulatum omnibus fallacissimi hujus mundi divitiis, pompis, honoribus, voluptatibus, ac quasi stercora ea omnia reputavit, ut Christum lucrifaceret, Christi vestigiis continenter insisteret, Christumque nudum nudus ipse quocumque illum ducere decrevisset, incunctanter, intrepide, animoque hilari sequeretur. Non carceres, non vincula, non tortores crudeles, non tormenta pro Christi nomine expavit, nec erubuit injurias contumeliasque pro Domino suo pati : quando jam certa fide tenebat, multo plura ac graviora Christum pro se suaque salute pertulisse. O animi singularem fortitudinem ! O martyrem invictum ac ubique de victoria triumphantem ! O constantiam mirandam atque omnibus prædicandam modis ! Quis non jam in seipso erubescat hæc legens, hæc audiens, quod adeo sit adhuc animo pusillus, ut nihil possit, ne minimam quidem pro Dei gloria injuriolam sustinere, et non magis talis, qui solido perfectorum possit pasci cibo, sed parvulorum adhuc lacte sit nutriendus ? Is, inquam, merito erubescere deberet. Sed quisquis talis est, non despondeat animum, sed viriliter ad altiora se accingat, et quæ parvuli sunt evacuet, ut quandoque ad robustorum multoque tempore exercitatorum certamina possit pertingere, suoque se capiti, hoc est, Christo, magis conformare per multorum opprobriorum contumeliarumque patienti perpessione. Talis namque injuriarum ex amore tolerantia dici nequit, quantum hominem ad virtutes scilicet humilitatem, patientiam, obedientiam, charitatem et id genus, præparet, ipsique Christo commendabilem ac amabilem efficiat, et gratiam illius in nobis multiplicet atque

Lu XIV, 33

conservet, nec facile a Christo nos excidere permittit.

Manere in Christo quid sit.

Hoc est ergo, charissimi, manere in Christo, ejus gratiæ, per quam ipse in nobis manet, consentire et cooperari, id est, præceptis illius obedire, vitia fugiendo et virtutes colendo. Quod etiam idem Dominus in hujus diei Evangelio declarare volens : *Si præcepta mea,* inquit, *servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Porro in Christi dilectione manere, nihil est aliud quam in ipso Christo manere. Sicut enim palmitis in vite manentis iste fructus est ut uvas ferat : ita hominis in Christo manentis fructus est, ut Deum diligat. Ubi charitas est, ibi legis perfecta executio est, si tamen sit perfecta charitas. Et quanto in nobis charitas perfectior est, tanto quoque nos Christo conjunctiores sumus, et ille nobis majori copulatur necessitudine. Cæterum charitas non sinit hominem otio languescere, sed impellit et urget ad vitandum omnia illa, quæ Deus oderit, et exequendum quæcumque grata sint Deo. Charitas enim non potest ferre aliquid vel minimum, quod offendat animum dilecti : nec potest prætermittere quidpiam, quod dilecto placeat. Itaque charitas ubi animum hominis occuparit, cogit eum exequi cuncta præcepta Dei : et ipsa præceptorum sedula executio fovet et auget charitatem. Ita una eademque res et nos facit manere in Deo, et Deum in nobis. Si quis autem peccati fallacia deceptus, aut propria concupiscentia abstractus et illectus, nolit facere quod exigat Deus, aut recuset vitare quod vetat Deus, is quia præcepta Dei non servat, non manet in ejus dilectione. Quisquis autem Deum non diligit, non habet spiritum Christi. *Charitas* enim *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Qui vero spiritum Christi non habet, hic non est ejus : ergo nec ipse manet in Christo, nec habet in se manentem Christum. Si enim Christus in ipso esset, viveret utique de spiritu Christi. Sed non potest de Christi spiritu vivere, qui charitatis expers est.

Joann. xv, 10

Manere in Christi dilectione quid sit.

Charitas quid in nobis efficiat.

Rom. v, 5.

Ib. VIII, 9.

Talis non fuit beatissimus martyr Christi Georgius, qui ut perfectius in Christo maneret, illique adhærere posset per charitatem, curavit ante omnia propriæ carnis edomare vitia, et per jugem macerationem, continuamque mortificationem suiipsius, carnem spiritui subdere, rectæque rationis imperio subigere, ne cum aliis prædicaret, ipse reprobus inveniretur. Nisi enim hoc modo mortuus sibi, mundo et vitiis fuisset, minime Christo vivere potuisset, nec tot animas a diabolo per tam longa tempora possessas, Christo lucrifecisset. Hinc beatus Paulus ait : *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis,* nec permiserunt dominari peccatum, in suo mortali corpore, eo quod mens peccatorum onere prægravata, non valeat se ad conspectum Creatoris sui sublevare. Quod verissimum esse comprobans strenuus miles ac martyr Georgius, ut paulo ante diximus, proprium penitus ex corde suo extirpavit amorem, et ubicumque potuit aut docendo, aut exhortando, aut orando gloriam et honorem Domini sui promovit : superstitiosum idolorum cultum evidentissimis signis et miraculis evacuans. Sacræ namque fidei inexpugnabile arripiens scutum, tam regibus quam tyrannis invincibilem se objecit : charitatis quoque ardore succensus, nec minis, nec blanditiis a veritate abduci potuit. Inde est, quod carceri mancipatur, virgis et scorpionibus cæditur, lampadarum exustionibus crematur, laniatur, torquetur, perimitur ; nulla tamen in eo auditur querimoniæ vox, nullus repugnandi motus, nulla stimulatio impatientiæ, sed lætus corde, intentione immobilis, devotus animo, menteque tranquillus laudat Deum, carnificibus compatitur, se odientes et exquisitissimis tormentis afficientes, sincero amore complectitur. Erat ibi videre magnum spectaculum grandeque prodigium, hominem tot pœnis totque immensis expositum cruciatibus, ac morti pene vicinum, summa gaudere pace, summoque cordis perfundi gaudio : cum alioquin ut nostra hæc misera fert ætas,

Gal. v, 24.

homines jam jamque pœnas illis inferendas horreant, pallescant, trepident, omniaque eorum membra contremiscant. Sed unde hoc illis contingit ? Non alia sane de causa, quam quod necdum sibi suisque vitiis et motibus, internisque proprietatibus emortui sunt, quibus si mortui essent aut mori saltem vellent, misericordissimus Deus omnem hanc vanam formidinem et puerilem timorem brevi in illis singulari quodam modo mutaret, ita ut non solum adversa ad Dei gloriam exciperent ter gratam, verum etiam ipsam mortem pro nihilo ducerent, animati nimirum exemplo fortissimi ac invictissimi martyris nostri Georgii qui, ut æternam inveniret vitam, temporariam non formidavit mortem. Verum, o pie Deus, cujus hæc immensa sunt opera, nisi tua, qui olim per os sancti pueri tui David locutus es : *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ ?* Qui enim cœlum pugillo contines, et terram palmo metiris ; sancti tui Georgii possidens animam, veluti insensibilem eum faciebas in pœnis.

Timor mortis unde accidat.

Psalm. LXVII, 36.

Vis ergo et tu quisquis es manere in Christo, ejusque sacra sequi vestigia ? Dilige Christum, id est, dilige justitiam, veritatem, vitam, lucem, sapientiam cæterasque virtutes, et quidquid potes facere ad bene beateque vivendum. Hæc enim omnia aut Christus ipse est, aut perducunt ad Christum. Si autem diligis injustitiam, jam recedis a Christo. Si delectaris mendacio, non inhæres Christo qui veritas est. Si peccatum, quod animam occidit, amas, odis vitam, quæ Christus est. Si tenebris vitiorum implicitus es, nisi te nitaris excutere, et redire ad lucem, non cohæres Christo, qui lux est et dies. Atque ita de aliis id genus sentiendum est. Quid vero commodi habet, relicto Christo, id est, repudiata justitia, veritate, luce, vita, etc. ad iniquitatem, mendacium, mortem, tenebras se transferre ? Nihil sane. Quales ergo censendi sunt, qui id faciunt ? Nimirum amentes, insani, furiosi. Dicit tibi rex aliquis præpotens miseratus inopiam tuam : Veni ad me et faciam te beatum et divitem. Sed alius quidem extremæ vilitatis et abjectionis, invidens tantæ felicitati tuæ, vocat te ad se dicens : Veni, et non quidem reipsa te beatum efficiam, sed tantum veræ beatitudinis umbra quadam et imagine te deludam, atque post paululum extremæ et nunquam finiendæ miseriæ te objiciam, et tu audebis, rege contempto, hominem vanissimum sequi ? Sic, sic, charissimi, multoque pejus nos facimus, quando Deum, Deique Filium, ejusdem sacra præcepta, et superiorum nostrorum Christi vicariorum monita sive consilia pro nihilo ducimus, et servimus immundis spiritibus, vitiis, mundique voluptatibus, quæ tamen nihil ad æternam vitam obtinendam nobis conferre poterunt, sed vel maxime æternis nos addicunt infernis cruciatibus.

Sed jam vel tandem ad animum redeamus. Pudeat quæso nos indulgentissimum Patrem tam impudenter abjicere, et vilissimo hosti adhærere. Maneamus in illo, virtutibus et bonis operibus semper studendo, ut et ille maneat in nobis, gratiam in nobis suam augmentando. En martyr iste infractus et gloriosus, cujus hodie solemnitatem colimus, sanguinem suum pro Christi amore fudit. Et nos itidem si pro Christo sanguinem fundere non possumus, saltem vitiis moriamur, et quod corpore non datur, corde feramus martyrium. Est enim duplex martyrium : Aliud corporis, aliud cordis. Exigit potens aliquis, ut justitiam deseras, et consentias peccato. Si non facias, mortem minatur. Hic mors potius excipienda est, quam justitia violanda. Et hoc martyrium est corporis : quod maxime sancti martyres experti sunt, qui sub impiis tyrannis vixere, quorum edicta constanti irrisere animo, ne ipsi dæmonibus ludibrio forent. Est aliud cordis martyrium, quod licet non cogat sanguinem corporis violenta quadam necessitate fundere, tamen cordis sæpe et ossium medullas absumit. Atque utrum-

Martyrium corporis quodnam sit.

Martyrium mentis quod sit.

que hoc martyrium, puta, et corporis et cordis, eo tendit, ut maneamus in Christo, et Christus in nobis. Hoc cordis martyrium in eo consistit, ut adversum insidiosas et sæpe valde molestas et acerbas dæmonum impugnationes, carnis vexationes, et innumeras diversorum generum spiritales tentationes, quæ plerumque plus cruciant animam religiosam, quam quævis externa possent tormentorum genera, invicti persistamus. Norunt pii et Deo diditi homines, quam multa secundum spiritum Dei servos oporteat ferre dura et aspera, quorum penitus rudes sunt homines mundo huic et sensibus diditi. Sed ferenda sunt æquanimiter, et sicut olim martyres sanguinem corporis Christi amore hilariter fuderunt, ita hac in parte fundendus est sanguis cordis, et ipsa quoque ossium medulla conficienda potius quam in mortiferum peccatum consentiendum. Sunt tamen multæ id genus tentationes, quæ nulla re melius quam contemptu et parvipensione vincantur. Nemo sibi in hac vita securitatem promittat. Caro quamdiu spiritui conjuncta est, multas excitat perturbationes, et pondere suo premit animum multa cogitantem. Habet Deus semper martyres suos. Olim cogebantur aut sacrificare dæmonibus, aut mortem subire. Hodie necesse est aut dæmonibus obtemperare consentiendo vitiis, aut Deo morem gerendo, vitæ hujus oblectamenta et aspera proculcare. Non vis esse martyr Christi vitiis reluctando ? eris ergo ludus dæmonum ferendo tormenta impiorum.

Obsecro, charissimi, nihil in hac vita quæramus aliud, quam aut agere semper aliquid boni, quod placeat Deo, aut illius flagella æquanimiter perpeti. Bene semper agendo mortificantur carnis desideria ; dura æquanimiter ferendo, cordis patientia exercetur et corroboratur. Maneamus semper in Christo per veram et sinceram charitatem, quæ omnem a nobis excludat iniquitatem, ut et ille semper maneat in nobis, sua nos gratia confirmando, sua luce illustrando, sui amore inflammando. *Transit mundus et concupiscentia ejus ; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Brevis est omnis molestia, quæ potest mortalibus occurrere : sed patientia præmium habet sempiternum. Nec potest quisquam manere in Christo, nec Christum in se manentem retinere, nisi semper bene agendo, aut mala patienter ferendo, justitiam colat, justitiam exequatur, et a justitia se nunquam ullis vel fraudibus, vel blanditiis, vel terroribus avelli patiatur. Quod nobis omnibus præstet Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti vivit et regnat Deus, per secula infinita, Amen.

Carnis desideria quomodo mortificentur.

I. *Joann.* II, 17.

IN FESTO

SS. APOST. PHILIPPI ET JACOBI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

STABUNT justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei ? Et inter sanctos sors illorum est. *Sap. V.*

PULCHERRIMA hodie lectio nobis proponitur, filii charissimi, in qua commemoratur, brevibus quidem sed admodum aculeatis verbis, insipientia mundi amicorum, qui dum amicos Dei conspiciunt habere despectui ea, quæ ipsi summo in pretio nimisque chara habent, puta divitias, honores, voluptates, successus prosperos, et quidquid hujusmodi est temporariæ vanitatis, in quibus pereunt miseri, derident eos atque vilipendunt, tanquam qui mente capti, ac sensibus non recte sint constituti, eo quod nolint frui bonis hujus vitæ. Sed revera ipsi potius plane amentes ac stupidi sunt, dum amorem suum in res præsentes ac seculi voluptates conferunt, neglectaque vera salute et summa beatitudine, cujus capessendæ gratia ac merendæ tamen omnes conditi sumus, nec aliam ob causam in hanc lucem editi sumus, umbram et somnium amplectuntur, tantoque fiunt miseriores ac miserabiliores, quanto his magis dediti sunt, magisque abundant. Quamvis autem, quod ad præsens tempus attinet, majori videantur gaudere felicitate, vitamque jucundiorem, suaviorem ac gratiorem ducere atque illi qui Christum Dominum per pœnitentiæ et crucis iter sectantur : quod tamen nec ipsum simpliciter verum est, cum utique nullæ hujus mundi voluptates, tranquillæ conscientiæ gaudiis possint comparari, quibus ut perfruuntur amici Dei, ita mundi amici careant necesse est, tamen ubi ad extrema ventum erit, tum demum res ipsa declarabit, quam nihil fuerit, imo quanta infelicitas fuerit mundi prosperitas et amor ac studium voluptatum, quantaque felicitas ea Christi amore contempsisse. Maxime vero in illo extremo judicio, ubi justi pariter ac impii omnes comparebunt, perspicue animadvertent filii hujus seculi, et quotquot amicos Dei, dum viverent, persecuti sunt, ac derisui habuere, vel etiam neci dederunt ob pietatem, quam bonum fuerit servire Deo, quam noxium non timere Deum.

Tunc enim stabunt justi in magna constantia, nempe de sua jam gloria immortali summaque beatitudine securi, adver-

sus eos qui se angustiaverunt, qui suis persecutionibus, ludibriis, sannis, terroribus, minis, suppliciis, ipsos divexarunt : et qui abstulerunt, (quod alii vertunt : spreverunt) labores eorum, tanquam futiles, inanes ac supervacaneos, quos nullus esset fructus consecuturus. Stabuntigitur in magna constantia adversus eos, tantoque majori, quanto hic visi sunt contemptibiliores, abjectiores, magisque ab impiis afflicti ac pressi sunt. Erit enim in illo judicio : maxima bonorum gloria, virtus, et potestas, et claritudo. Fulgebunt enim sicut sol in virtute sua, ac vehementissime impios omnes, maxime sui oppressores, vexatores ac persecutores affligent et prement, adeoque subsannabunt et despicient. Videntes autem impii Christum ipsum, et cum eo justos omnes in tanta majestate et gloria, turbabuntur timore horribili, imo incomprehensibili, tantoque horribiliori, quanto hic magis sese erigunt ac insurgunt et sæviunt in amicos Dei : et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, quæ præter spem et opinionem ipsorum electis obtinget. O justum æquissimi judicis Dei judicium ! Humiles, mites, pii, quos modo mundus deprimit, vexat, angit et angustat, illic summa erunt animi constantia, securitate, latitudine prædíti. Impii contra, superbi, tumidi, qui hic miris sese modis efferunt, insolescunt, lasciviunt, summo animi metu, angustia, terrore constringentur : dicentes intra se, secumque cogitantes, ac pœnitentiam agentes, sed heu! seram nimis. Non enim habet fructus ullos pœnitentia in aliud seculum dilata : et tamen pœnitebunt scelesti ac inimici Dei, non quod eis dolebit piissimum ac amantissimum offendisse .Creatorem, sed quod se sentient ob sua demerita pœnas daturos sempiternas. Unde etiam præ angustia spiritus gement acerbissime, quod in tam inexplicabiles sese miserias demerserint, quas tamen, si voluissent facile evadere potuissent. Hæc namque angustia una est ex pœnis damnatorum, in tantum gravis, ut quidam eam dicat pœnas alias omnes superare : cujus talis quædam possit similitudo dari, quam nec ipsa veritati respondeat. Si terra hæc, quam calcamus tam esset crassa, quantum distat cœlum a nobis, eaque sese aperiret, et hominem vivum cum anima et corpore in medium sui reciperet, rursumque undique sese claudens, hominem illum strictissime comprimeret nec tamen occideret, sed in omnem æternitatem vivum retineret, quis dubitat ineffabilem illam fore angustiam ? Tali ergo, imo longe majori angustia prementur impii omnes, ita ut singulis quibusque momentis præ nimio terrore et angore putent se redigendos in nihilum, nec tamen unquam possint interire.

Impios quanta posthac maneat calamitas.

Pœnitentia apud damnatos quanta sit erit.

Damnatorum pœnarum gravissima.

Hacque angustia correpti dicent : Hi sunt, quos aliquando, dum nobiscum in terris degerent, habuimus in derisum, eorum simplicitatem, humilitatem, innocentiam, pietatem contemnendo : et in similitudinem improperii, ipsorum recte facta eis aut etiam aliis ceu vana et stolida objiciendo ac opprobrando. Nos insensati, qui olim putabamus nosse nos omnia, aut illis rectius nobis sapere videbamur, tametsi veræ sapientiæ expertes fuerimus, vitam illorum Deum timentium, Deoque humiliter et cum timore ac reverentia servientium æstimabamus insaniam, eo quod voluptates fugerent, et angusta via ingrederentur. Sic olim Pharisæi Dominum Jesum avaritiam publico sermone damnantem irridebant, eo quod avari essent, dicebantque : Insanit, quid eum auditis ? Unde merito confortari debent pii omnes, membra Christi, dum ab impiis irridentur, quandoquidem Christum ipsum caput suum idem perpessum audiunt. Et finem illorum putabamus esse sine honore. Quod licet ad omnes mundi amicos pertinet, ut qui servos Christi putant non habere apud Deum repositam mercedem, vel etiam ob hypocrisim, quam plerumque eis tribuunt, male perituros esse : specialiter tamen referri potest ad persecutores et peremptores martyrum, qui dæmonibus servientes, Christi fidem superstitionem

Joann. x, 20.

impiam crediderunt, et idola adorare nolentes ad tartara relegandos putarint. Sed ubi viderint eos in judicio ad maximam evectos dignitatem, dicent : Quomodo ergo inter filios Dei, id est, Angelos sanctos computati sunt, et cohæredes Christi effecti ? Et inter sanctos sors illorum est. Quod itidem dicturi sunt mali omnes, qui modo sanctos Dei homines derident ac affligunt, dum eos summa felicitate, se vero extrema miseria affici sentient. O si hæc bene perpenderent stulti homines, qui in suis sibi vanitatibus placent, et mundi contemptores despiciunt, mirum si non rectius suæ saluti consulerent !

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, JOANNIS XIV.

DOMINUS ac redemptor noster, dilectissimi, ex hoc mundo transiturus ad Patrem, ex quo processerat, a quo missus fuerat in terras ut perageret opus reparationis nostræ, paulo ante passionem suam sermonem dulcissimum habuit ad discipulos suos, quo sui erga nos amoris teneritudinem nobis abunde declarare voluit : qui ut arctius discipulorum cordibus semper maneret affixus, morti proximus eum habuit. Ex quo etiam hujus diei Evangelica lectio extracta est, plena dulcedinis ac pii amoris, ita ut quivis facile possit intelligere Dominum Salvatorem in illa extrema necessitate seipso posthabito, totum se discipulis consolandis atque confirmandis impendisse. Quod autem discipulis tunc præstitit, id nobis omnibus modo præstitum dubitare non debemus. Ex quo patet ejus erga nos amoris et fidelitatis magnitudo, quod licet tum immanissimos, jam jamque sibi cruciatus imminere cerneret, tamen oblitus sui, hoc solum curarit, ut a nobis recessurus præsentia corporali, quoad posset nos consolaretur, et amorem suum testatum nobis relinqueret. Atque utinam benignissimus Salvator immensa fidelitate sua a saxeis hominum pectoribus id posset impetrare, ut vel qualemcumque ei vicem amoris rependere vellent ! Ita ergo idem ipse piissimus animarum nostrarum liberator, cum vidisset discipulos verbis suis, quæ de sua morte habuit, mœrore affectos, eorum mœstitiam ferre non valens, cum esset ipse acerbissimi plenus doloris, mox ad consolandos eos sermonem vertit, ita dicens :

> Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis : Quia vado parare vobis locum.

Vides quam bene congruant Domino Salvatori ea verba Isaiæ, quibus ex illius persona dicitur : *Quemadmodum mater consolatur filios suos, ita et ego consolabor vos.* Sed mirum quiddam hic considerandum sese offert. Dominus Jesus qui est verus paracletus sive consolator mœrentium omnium, qui solus potest perfecte consolari afflictos omnes, quique committere non potuit, quin suos consolaretur discipulos, tamen eodem ipso tempore omni pene consolatione destitutus erat, quod ad exteriorem hominem et infimas animæ vires attinet, ita ut paulo post etiam ab iisdem ipsis suis discipulis, quorum dolores piissima consolatione lenire studuit, derelictus sit. Sed hoc melius potest mente pertractari, quam hic exprimi. Ait ergo clementissimus Magister discipulis suis, propediem ab ipso defecturis : piissi-

Is. LXVI, 1

mus pater filiis mox futuris orphanis, pastor vigilantissimus ovibus mox dispergendis : Non turbetur cor vestrum. Tanquam dicat : Cur affligitis cor meum dolore vestro ? Cesset omnis formido, facessat omnis mœstitia. Bono animo sitis, charissimi. Non vos desero, non vos derelinquo. Etsi corpore disjungor, at divinitate semper adero. Si creditis ergo in Deum, et in me credite. Siquidem et ego Deus sum, minor quidem Patre secundum formam servi : sed illi omnino æqualis in forma Dei : ut merito nihil turbari debeatis, quem certissimi esse potestis vobiscum semper permansurum : neque id solum in hac vita, sed multo maxime in futura, in illa æterna domo Patris mei, in qua ab ipso mundi initio pro diversa ratione meritorum diversæ ac plurimæ mansiones præparatæ sunt, ad quas etiam vos recipiemini. Quod si ita se res non haberet, equidem jam pridem certiores vos reddidissem. Atque nunc eo pergo vobis locum præparaturus. Neque enim vobis illuc ingredi licebit, nisi per mortem discedam a vobis, et ipsa morte vobis aditum patefaciam, locumque parem. Ergo nihil ultra perturbationis apud vos resideat. Fides certa et firma spes futuræ beatitudinis nebulas omnes tristitiæ dispellat.

Et si abiero et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum : ut ubi sum ego, et vos sitis.

O pietas Salvatoris ! O benignitas et humanitas Dei nostri ! Quid poterat dulcius dixisse discipulis mœrore contractis ? Et si, inquit, abiero, atque per mortem corporis hujus a vobis discessero, humanæ salutis ita poscente ratione : tamen statim ubi resurrexero, veniam sæpius ad vos, et tristitiam vestram in gaudium mutabo Deinde etiam postquam ascendendo præparavero vobis locum, meisque meritis cœlos reseravero, ubi naturæ debitum persolvendum erit, veniam ad vos singulos, itemque ad electos omnes, et accipiam vos ad meipsum, mihique perenniter conjungam : ut ubi sum ego et vos sitis, videatisque claritatem meam, et perfruamini æterna beatitudine, ac tota divinitate mea. Quod etiam potest ad judicium extremum accommodari, quando revertetur ad nos, secumque electos omnes corpore et anima gloriosos in cœlum adducet. Hac igitur spe, dilectissimi, etiam nos, consolari debemus nosipsos, dum hujus vitæ fluctibus quatimur, dum adversis casibus agitamur. Multum enim temperat mala præsentia futuræ beatitudinis contemplatio, ita ut Apostolus ipse constanter dicat : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et si hic interim nonnihil oporteat propter Christum et virtutes perpeti, tamen finem habet : sed beatitudo nobis promissa, finem non habet : ubi Dominus Jesus absterget omnem lacrymam ab oculis nostris, et fugiet dolor et gemitus, atque in sinu suo nos dulcissime confovebit Deus et Dominus noster.

Beatitudinis æternæ contemplatione ut omnia gravia hic æquo animo ferenda sint. *Rom.* VIII, 18.

Et quo ego vado scitis, et viam scitis.

Jam quidem per fidem nostis Deum Patrem meum, ad quem pergo, consummato opere quod is dedit mihi ut faciam : ipsam quoque Jerusalem supernam id est, patriam cœlestem nostis, quandoquidem me de ea sæpe referentem audistis : sed et viam scitis, æque a me inde instructi, nempe mortem et passionem meam, quæ unica restat via, qua liceat ad cœlos proficisci. Vel etiam viam, id est, meipsum scitis, qui sum via, veritas et vita, ut mox sequitur.

Dicit ei Thomas : Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire ? Dicit ei Jesus : Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

Negat sanctus Thomas Apostolus, quod Christus affirmarat : et tamen quod Christus dixit, id verum sit oportet. Itaque noverant quidem discipuli et terminum quo

pergeret Christus, id est, Deum Patrem, et viam, qua pergeret, id est, Christum, sed tamen tenuiter admodum ac imperfecte : et fortasse quidam ita fuere rudes, inter quos et Thomas forsan fuerit, ut Domini mentem penitus non caperent, quibusque verba illius prorsus obscura forent. Nam et ipsa Salvatoris verba non ita perspicuam habent intelligentiam, possuntque diversis modis accipi. Sed Dominus statim eum convincit nosse ea quæ se dixit ignorare, dum ait : Ego sum via, veritas et vita. Ac si diceret : Me igitur, Thoma, nescis, qui tamdiu vobiscum versatus sum? Id utique affirmare non eris ausus. Si ergo me nosti, quomodo te ais nescire viam, qua iturus sum, quando ipse ego via sum? Per me ingrediatur necesse est, quisquis optat salvus et beatus effici. Nam si aliud fuerit amplexus iter a me diversum, nunquam pertinget ad beatitudinem. Ego enim sum via, qua sit proficiscendum : ego veritas, qua nitendum : ego vita, ad quam tendendum. Quisquis non vult ferri per devia, extra meæ viæ vestigia non deflectat: et ne frangatur pusillanimitate spiritus, dum occurrunt adversa et pericula, consoletur se promissis meis, qui veritas sum et fallere neminem possum : denique ne currat temere, nihil spectet nisi vitam : qua apprehensa, securus erit. Est igitur Christus via, per quam tendamus, est veritas qua erudiamur, est etiam vita, ad quam proficiscamur. Quatenus via est, nullis neque blanditiis, neque adversis casibus sinit nos abduci a salute: quatenus veritas est, omnem animi fluctuationem et ignorantiam excludit a nobis, confirmans nos pollicitationibus suis, et verbis ac exemplis erudiens : denique quatenus vita est, totam animi nostri intentionem in se dirigit, ut vita nostra omnis in ipsum tanquam ultimum finem referatur : vivificatque sua gratia animas nostras : sed et corpora ad vitam revocat, ut utroque, id est, corpore et anima ipsum, qui est vera vita, possideamus. Quod autem subjungit : Nemo venit ad Patrem, nisi per me, id jam expositum est. Si enim Christus via est, qua perveniatur ad Patrem, nec extra illum aliam est reperire viam, nihil certius esse potest, quam neminem, nisi per ipsum ad Patrem posse pertingere. Et quia Christus mitis fuit et humilis corde, itemque obediens usque ad mortem, et cunctis aliis præditus virtutibus, quisquis e diverso immitis, superbus, immorigerus, atque veris destitutus est virtutibus, nunquam perveniet ad Patrem, quandoquidem non graditur recta via, quæ Christus est.

Christus uti sit via, veritas et vita.

Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis : et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.

Ex his verbis colligitur, id quod Dominus paulo ante dixit : Et quo ego vado scitis, et viam scitis, de imperfecta cognitione accipi debere. Nam de perfecta cognitione nunc dicit : Si cognovissetis me secundum divinitatem, qua omnino similis sum Patri, atque prorsus unius cum Patre substantiæ, utique et Patrem meum cognovissetis. Et amodo, id est, post perceptam gratiam Spiritus Sancti, cognoscetis eum sublimiter et excellenter, dono sapientiæ illustrati, quo possitis capere etiam profunda Dei. Siquidem per sapientiæ donum contemplamur Deum et divina : et quo contemplatio sincerior ac dilucidior est, eo et perfectior cognitio. Præcipue vero in patria cœlesti cognoscetis eum facie ad faciem. Quanquam et in præsenti vidistis eum, dum me vidistis, qui illius imago sum, et expressissima similitudo.

Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.

Philippus Apostolus non contentus vidisse Patrem per fidem, sicut potest ab omnibus videri, petit eum demonstrari sibi per speciem, certus illius visione se fore beatum. Ideo namque addit : Et sufficit nobis. Nihil enim sufficit animæ rationali, nec quidquam eam explere potest, nisi visio et fruitio Dei : quæ erit in vita æterna.

Quodn solum tiare po rationa animam

Magni cujusdam desiderii videtur fuisse Philippus, qui Deum videre concupierit. Et posset id desiderium ex magna perfectione profectum videri, nisi ex subditis Domini verbis diversum appareret. Sequitur enim :

Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me ? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem ? Non credis, quia ego in Patre, et Pater in me est ?

Quæ quidem objurgationem quamdam præ se ferunt, qua Philippi ruditas et simplicitas castigatur. Nam Philippus ita sibi Patrem ostendi voluit, tanquam ille Filio major esset, quum tamen illi Filius æqualis sit, atque adeo assimilis, ut qui Filium videt, videat et Patrem. Verum potest nonnihil excusari Philippus, quod tametsi Filium viderat, non tamen nisi in forma servi : atque ea minime contentus, voluerit sibi ejus divinitatem ostendi. Non enim putabat sibi in ejus sola humanitate acquiescendum, quandoquidem ea non finis noster est, sed via qua pertingatur ad finem. Unde et Apostolus Paulus : *Etsi,* inquit, *cognovimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus,* videlicet in divinitatis contemplationem mentis aciem defigens. Quamvis igitur multo tempore cum discipulis familiarissime vixisset Christus, non tamen divinitatem suam eis manifeste videndam præbuerat : unde nihil mirum si volebant videre etiam Patrem, divinamque essentiam. Sed magister bonus, qui animum Philippi penitus perspectum habebat, non eum objurgasset, nisi quiddam reprehensione dignum in eo conspexisset. Tanto, ait, tempore vobiscum sum, tot vestris sub oculis præclara, solique Deo possibilia feci miracula, calcavi undas, mortuos excitavi, plurima quoque de mea divinitate vobis commemoravi, et tamen necdum cognovistis me, necdum intelligitis me Patri esse coæqualem, atque unius cum eo substantiæ et virtutis? Quod si ita ut oportet cognosceretis, non esset sane cur Patrem vobis ostendi velletis, quando ego divinitate nihil ab illo differo, sed per omnia simillimus ei sum : ita ut quisquis me videt oculis fidei, oculis cordis illuminatis, non sensu carnis, qui tantum de externis judicat, videat et Patrem, quando Pater et ego unum sumus, personis quidem discreti, sed substantia unum atque idem. Quod cum ita sit, Philippe, quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis? O si me bene nosses,non id diceres. Non credis saltem, etsi necdum id capere potes, quia ego in Patre per essentiæ unitatem, et Pater in me est? Quod tamen vel inde credas oportet, quia :

II. *Cor.* v, 16.

Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.

Verba et sermones meos, quoscumque hactenus ex me audistis, et etiamnum auditis, non a meipso loquor primario, sicut nec sum a meipso : quandoquidem quidquid sum et habeo, a Patre accepi : qui per me nedum loquitur, sed etiam in me semper manens, unus mecum Deus, cuncta mea efficit opera, nec potest unquam a me separari : sed sicut ego totus in illo sum, ita et ipse totus est in me. Atque ipsa humanitate mea tanquam aptissimo utitur instrumento, efficiens per eam opera et signa, quæ me facere vidistis. Manet enim semper in ea, quam assumpsi, natura humana cum gratiæ suæ plenitudine, tanquam in templo dignissimo, utens ea ad omnem libitum voluntatis suæ. Quum igitur tot præclarissima in me opera, soli Deo possibilia conspexeritis, potuistis inde tanquam ex effectu cognoscere in me inhabitantem Deum Patrem : ut plane superfluum, imo et reprehensione dignum sit, quod Patrem vobis ostendi vultis, quem tot argumentis nosse potuistis. Quod si

necdum id apprehenditis, non creditis saltem, quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite, de quibus ambigere non potestis, quin auctore Deo facta sint. Nec est necesse, imo nec possibile, ut oculis corporeis Patrem, cujus ea virtute facta sunt, videatis, quod vos desiderare videmini: sed satis est ut corde credatis, et oculis fidei eum contemplemini. Apparet hinc satis, rudes valde quosdam fuisse discipulos ante obitum Salvatoris, et necdum perfectam habuisse fidem. Sed nihil hoc beatissimorum Apostolorum sanctitati derogat. Illi ad tempus in quadam cæcitate relicti sunt a Christo, ut nos firmiores simus in fide. Deinde ubi Spiritus Sancti gratia perfusi sunt, tanta omnigenorum donorum et virtutum abundantia et excellentia repleti sunt, ut vix aliquis sanctorum eis possit comparari. Non igitur magnipendamus in his beatissimis Patribus, quod quandoque minus fuere illuminati: sed quam postea sunt adepti, et in qua in dies mirifice excrevere, sanctitatem modis omnibus veneremur. Jam vero Dominus Jesus rursus ad erigendos consolandosque eorum animos sese convertit, dicens:

Apostolorum quorumdam ante Spiritus Sancti susceptionem ruditas quanta fuerit.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet: et majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.

Hoc est: Ne graviter et acerbe feratis meum a vobis recessum, en pro certo confirmo vobis, quisquis crediderit in me, unius ac indissimilis me esse cum Patre majestatis et naturæ: crediderit, inquam, in me fide perfecta, opera admiranda, quæ ego facio virtute Patris in me manentis, et ipse faciet, non sua, sed mea virtute: atque adeo etiam majora faciet, ut glorificetur ac prædicetur nomen meum in servis meis: Quia ego ad Patrem vado, id est, ubi ad Patrem ascendero, hanc meis fidelibus gratiam præstabo, ut miris fulgeant signis, et majoribus atque ipse. Hoc impletum est post Sancti Spiritus illam largissimam infusionem, quando, ut Actorum narrat historia, etiam ad umbram Petri ægri curati sunt. Ergo licet molestus futurus erat discipulis Christi recessus, tamen quando tanta se eis præstiturum pollicebatur post ascensum suum in cœlos, merito poterant nonnihil animis recreari. Nam hoc ipso quod tantam mira faciendi virtutem eis se collaturum affirmat, simul etiam certos eos facit se sua divinitate semper eos inhabitaturum, cujus potentia signa et miracula facturi sint. Sed quid dicemus, charissimi, quando tam pauci hanc habent gratiam, ut miracula faciant: anne igitur credendi sunt non credere in Christum? Minime sane. Quod Dominus hic de prodigiis faciendis asseverat, neque de credentibus omnibus, neque de quibuslibet temporibus accipiendum est. In Ecclesiæ nascentis initio, Apostolis apostolicisque viris ea gratia collata est ad fidei Catholicæ confirmationem et augmentationem. Deinde etiam aliis temporibus certis quibusdam amicis Dei, hoc idem donum præstitum est, ob excitandam in hominibus fidem, charitatem Deique timorem, vel ob alias certas causas. Non est autem necesse ut miracula fiant, vel apud omnes, vel per omnes Christi fideles: neque propterea minor est fides eorum, qui hæc non faciunt. Imo miraculis interdum coruscant etiam mali. Tamen ut plurimum Deus adjungere miracula solet, dum per servos suos grande aliquid aut novum moliri instituit. Unde mirum est Lutherum cum suis tam nulla edidisse signa: quanquam hoc summi potest prodigii loco haberi, quod spurcissimi homines, suis voluptatibus dediti, et nihil nisi carnem sonantes, tot hominum millia suis laqueis implicare potuerunt. Sequitur:

Act.

Mirac ad quid primiti Ecclesi valueri

Miracu ut etiam malis si commu nia.

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.

Non dicit: Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc ille faciet: sed ego faciam, ut ostendat divinitatis indivisam esse operationem. Quid est autem petere in

Rogare nomine quid

nomine Jesu, nisi id petere, quod deceat præstare Salvatorem? Multi petunt divitias, sed non audit eos Jesus : quia novit eas saluti eorum haud parum obesse. Alii scientiam, alii dignitates, alii alia petunt : sed non petunt in nomine Salvatoris, qui suam perniciem petunt. Vis scire quid sit in nomine Jesu petere? Ipse Dominus pau-
Joann. XVI, 24. cis id verbis absolvit : *Petite*, inquiens, *et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit.* Hoc est, ea duntaxat petite, quibus pertingatis ad conspectum et fruitionem Dei, qui solus plenum atque consummatum præstat gaudium. Cætera omnia, quæ extra illum petuntur, etsi aliquod afferunt gaudium, sed plenum non est. Animam summi boni capacem non perfecte exhilarat, quidquid summo bono minus est.

Ergo, dilectissimi, petamus in nomine Jesu, maxime quidem et ante omnia ipsum Deum et Dominum nostrum : deinde quæ nobis adminiculo esse queant, ut ad illum certius et expeditius pertingamus. Res temporales nunquam petamus importune, sed confidamus Domino, qui ait : *Primum* Matth VI, 33. *quærite regnum Dei et justitiam ejus : et hæc omnia,* puta vitæ agendæ necessaria, *adjicientur vobis.*

SERMO IN EODEM FESTO

QUANTA SIT FELICITAS VIDERE DEUM, ET DE GAUDIIS CŒLESTIS PATRIÆ, QUIBUSQUE STUDIIS EO PERTINGATUR.

DOMINE, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Joannis XIV, 8.

Dominus Deus noster Jesus Christus, filii charissimi, grande ac immensum promittere dignatus est præmium servis suis ipsi perseverantibus, et fideliter servientibus : et hoc est, ipsius Dei visio. Qui novit saltem utcumque quid sit Deus, facile sentit quam excellens præmium sit, posse videre Deum. Carnalis autem et animalis homo, servus et mancipium voluptatum suarum ac immundorum dæmonum nihil movetur, nihil afficitur, dum audit promitti sibi visionem Dei. Quare? Quia densissimis vitiorum tenebris involutus, nescit oculos cordis attollere ad contemplandum quid sit Deus. Itaque nec scire potest Deum. Quod autem quis ignorat, quid mirum si nec appetat? Et tamen videas homines alios ad quamlibet perdiscendam artem, alios ad cognoscendas rerum naturas, alios ad antiquitates et res occultas investigandas, alios item ad alia nedum frivola, sed sæpe etiam illicita ac turpia perspicienda omnem adhibere conatum : quorum tamen omnium cognitio non eos beatos efficit : Deum autem ut cognoscere velint, non possunt ullis rationibus induci. Et tamen, teste ipso Salvatore, hæc est vita æterna, vita beata, et summa beatitudo, ut cognoscamus verum Deum, Joann. XVII, 3. et quem misit Jesum Christum.

Videndi Deum quidam nullo desiderio teneantur.

O homo, o creatura nobilis magni et præpotentis Dei, quid tibi et infimis hisce rebus, ut illas anteponas cognitioni ac fruitioni Dei tui? Cur in tantum viluit apud animum tuum Deus tuus, ut nihil sit pene, cujus obtinendi aut videndi minori tenearis desiderio? Esto, habeas omnia quæ sunt infra Deum, quid tibi proderunt sine Deo? Contra vero si nihil habeas nisi Deum, quid tibi deerit? Hoc est, dilectissimi, quod merito etiam sanguineas possit exprimere lacrymas cunctis Deum amantibus, quod heu tanta mortales ferme omnes, etiam illos, qui christianos et dici et haberi se volunt, Dei cœpit oblivio et incuria. Heu effusi sumus in istas mundi vanitates, et ab origine nostra a Deo scilicet longissime aberravimus, et qui manna cœ-

Incuria et oblivio Dei quantos quosque hodie teneat.

li alendi essemus, stercora charius amplectimur ! quibus tandem adeo assuescimus, ut ipsa nos delectent, et manna fastidio sit. Totis animi affectibus ferimur in præsentes oblectationes, nec volumus attendere, cur conditi simus. Totos dies ridemus, jocamur, otiamur, saltamus, garrimus, acquirendis rebus intenti sumus : et in his omnibus ita securi sumus, tanquam eorum causa facti simus. Clamat Deus in Scripturis, clamat per continua horrendaque flagella, clamat aliis multis modis, ut a mundi vanitatibus et oblectamentis animum revocemus, et veram beatitudinem, quæ in Dei visione consistit, quæramus et expetamus, et nos semper æque surdi manemus : quasi magna felicitas sit bonis ac delectationibus frui momentaneis, et ingens miseria, æternis inhiare deliciis, et Domini faciem requirere cum Propheta dicente : *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram.*

Hominum secularium studia quænam sint præcipua.

Ps. xxvi, 8.

Videmus, et quotidiana discimus experientia, præterfluere cuncta vitæ hujus vana gaudia, voluptates, delicias : et velimus nolimus, sine ulla interpolatione properare nos ad extremum diem, nec quidquam æque nobis incertum est, atque is idem extremus dies. Videmus quoque tam multos in medio ætatis flore, in summa rerum felicitate subito e medio tolli, et rapi ad tribunal Christi. Videmus denique mundum ipsum in dies deficere, et jam pene minari ruinam : et tamen, o rem miseram ! non possumus ab his miseriis et fallacissimis somniis animum avellere, et transferre amorem nostrum ad res semper mansuras, et ad ipsum Deum ac Dominum nostrum : quem si solum haberemus, jam nihil possemus desiderare amplius. *Oculus non vidit*, ait quidam, *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* O quis excitabit frigida nimium pectora nostra, ut dicamus ex omnibus animæ medullis cum Philippo : *Domine* Jesu, *ostende nobis Patrem, et sufficit nobis ?* Ipse est enim bonum illud quod præparavit diligentibus se. Visio Dei est beatitudo nostra : ut Deum videamus, videndo amemus, amando fruamur, fruendo beati simus. Eam enim ob rem conditi sumus. Sed viæ Sion lugent, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem, nemo sit qui ad videndum Deum pergere velit. Quamobrem ut ad veram obtinendam felicitatem, quæ, ut diximus, in Dei clara visione consistit, animis accendamur, dicendum est aliquid de vitæ æternæ ineffabilibus gaudiis, et quanta sit beatitudo Dei faciem conspicere : quod nihil est aliud, quam frui æterna beatitudine.

I. *Cor* II, 9.

Thren. II

Facie Dei con spicere quid sit

Propheta regius, qui jam nonnihil illius futuræ felicitatis degustarat, cupiens mortales omnes ad ejus amorem incitare : *Gustate,* inquit, *et videte, quoniam suavis est Dominus ;* itemque : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis qui sperant in te,* ac alibi : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen,* id est, in lumine creato gloriæ, lumen increatum divinitatis, hoc est, Deum ipsum. Quem ubi viderimus, implebitur in bonis desiderium nostrum, et tanta nos totos in corpore et anima beatitudo pervadet, penetrabit ac inundabit, ut nihil neque infra, neque supra, neque extra, neque intra, neque circum nos nisi omnigenarum affluentiam deliciarum, gaudiorum, tripudiorum, nihil nisi plenissimam ac certissimam omnis boni abundantiam percepturi simus.

Ps. xxx 9.

Ibid. x 20.

Ib. xx 9, 10.

Gaud æternæ atitudin quanta.

Quum enim sit Dominus Deus noster beatorum objectum, in quod suos semper defigunt obtutus, idque visui pulcherrimum, sensui summe delectabile, gustui dulcissimum, et omnibus potentiis perfecte proportionatum et accommodatum sit, non poterunt non omni ex parte maximis gaudere bonis : præsertim cum eo accedat pactum certissimaque pollicitatio perpetuæ possessionis, qua fit ut nihil omnino metuendum sit sanctis ne quandoque illa bo-

Beator objectu quam perfecti simum.

na amittant, sed sint prorsus securi semper se illis felicissime perfruituros. Quanto autem in hac mortali vita, quæ nihil nobis esse debet aliud, quam transitus ad patriam, singuli quique studiosius hic virtutibus excolendis, ac divinæ exequendæ voluntati, omnigenisque bonis actibus navaverint operam, tanto copiosius illis beatæ vitæ bonis et gaudiis inundabuntur, clariusque Regem gloriæ in decore suo conspicient : cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, qui est totius pulchritudinis fons, qui est pulchrum illud, a quo omnia pulchra fiunt, ut bene sentiunt Platonici, simul cum divo Dionysio et Hierothæo, qui dicunt : Quod sicut unumquodque dicitur bonum, quia participat de summo bono, et ens, quia participat de summo ente : ita est pulchrum participatione primi pulchri, imo pulcherrimi Dei, qui ob suam pulchritudinem, objectum, ut diximus, summe delectabile erit sensui interiori per divinitatem, et exteriori per humanitatem assumptam, ut ipsemet Christus redemptor, merces et quies nostra ait : Ingredietur, scilicet, ad divinitatem et egredietur ad humanitatem : et utrobique pascua inveniet: pascua nimirum deliciosissimæ refectionis, sobriissimæ inebriationis, castissimæ voluptatis. Est namque etiam objectum gustui dulce et suave, ut

I. *Petr.* II, 3. divus Petrus ait : *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus ;* et Sapiens quidam : *O quam bonus et suavis est, Domine,*

Sap. XII, 1. *spiritus tuus in omnibus.* Et sanctus David :

Ps. CXLIV, 9. *Suavis Dominus universis.*

Quanquam revera quidquid hinc dici vel cogitari potest, nihil est ad rei veritatem. Dulcedo Domini Dei nostri nihil cum præsentis vitæ dulcedine commune habet, sed longe alia, imo incomprehensibilis est. Congere omnes species odoriferas, balsamum, cinnamomum et id genus alias, et quidquid uspiam grati odoris est : et ubi cuncta hæc in unum conflaveris, fœtor potius, quam suavis odor dicenda erunt, si cum dulcedine divina componantur. Atque hæc ipsa suavitas totos nos intus et foris occupabit, summaque alacritate, fortitudine, robore ac incolumitate afficiet. Est denique etiam proportionatum et accommodatum omnibus potentiis, quamvis sua immensitate ac infinitate potentias omnes longe lateque excedat. Enimvero hoc excessu minime corrumpit, nec affligit, sed tantum tribuit, quantum potentia recipientis est capax. Quæ autem ex proportione et convenientia resultat delectatio et jucunditas, ea utique gratissima est. At vero isthæc jucunditas, suavitas, gaudium et felicitas, nihil quodammodo esset, nisi cum certa foret possidentis securitate conjuncta. Quamobrem ne quid dubitare possimus, benignissimus Salvator certos nos reddere dignatus est, dicens discipulis suis, et consequenter omnibus : *Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Jam si mire affici solent homines ad videndas res pulchras, gustandas suaves, sonos tinnulos auribus hauriendos, atque id genus alia sensibus jucunda percipienda : quanta erit beatitudo videre, gustare, sentire, frui Deo Optimo Maximo, qui est omne bonum et summum bonum, nihil accipiens aliunde, quia nullo bonorum nostrorum indiget : omnibus autem ipse potius largitur, ut bona sint, sicut Psalmista canit : Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate ? Nam creaturæ omnes ex seipsis quidem nonnisi merum nihil sunt, et quidquid habent boni, ex Deo promanavit, tantumque sunt, quantum Deus sese in eas diffundit. Et qui magis de Deo participat, melior utique censendus est, cum Deus sit ipsum verum bonum : et pulchrior est, cum Deus sit ipsa vera pulchritudo, vel pulchrum ipsum. Unde etiam divus Dionysius, eo quod Deus est, inquit, substantiale bonum, ad omnia existentia extendit bonitatem suam, sicut sol per suum esse illuminat omnia, quæ lumen ejus participare possunt. Bonum igitur summum per ipsam essentiam suam omnibus existentibus, mensura quadam et proportione mirabili immittit totius bonitatis radios. Idemque paulo inferius

Dulcedo Dei quam omnem excedat in infinitum dulcedinem.

Beatitudinem cœlestem fore perpetuam.

Joann. XVI, 20.

Ps. CIII, 28.

Pulchritudo et bonitas Dei.

ait : Ipsum etenim pulcherrimum, et suprapulchrum semper, et ex omni parte existens, omnium pulchrorum est causa. Ex hoc itaque pulchro his quæ sunt omnibus provenit, ut sint pro modo suo pulchra singula : efficitque pulchrum istud rerum omnium congruentias, et amicitias, ac societates. Et idem pulchrum est et bonum, quod cuncta desiderant, et quo omnia cognata sunt : quia nihil est in substantiis rerum, quod pulchri et boni non sit aliquatenus particeps.

Ex quibus, dilectissimi filii, colligi licet non posse non infinita animam illam affici voluptate, cui Deum videre, Deoque frui conceditur : quandoquidem istæ res infimæ tantas sæpe afferunt voluptates, ut stulti homines ob eas capiendas libentissime corpus, animam, bona, fortunasque omnes atque existimationem sui in mille pericula conjiciant. Et tamen absit ut tum ista, tum alia quæcumque, quæ hinc scribi aut dici queant, putemus ulla ex parte rei veritati respondere. Cum enim, ut ante diximus, oculus non viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis ascenderint quæ præparavit Deus diligentibus se, certum est quidquid inde verbis exprimi aut cogitatione comprehendi potest, longe esse infra rei magnitudinem.

Perfectiones Dei uti sint omnimodis infinitæ.

Infinita prorsus est Domini Dei nostri pulchritudo, suavitas, bonitas, sapientia, justitia, veritas, amabilitas, benignitas, majestas, dignitas, præstantia, nobilitas, virtus, fortitudo, excellentia, omnipotentia, et quidquid potest cogitari de Deo : atque ita necesse est horum perspicua, stabilis, æterna contemplatio incomprehensibilem afferat voluptatem. O felices illos, quibus jam concessum est videre faciem Patris in cœlis ! O Jerusalem civitas sancta, quam gloriosa dicta sunt de te ! Tu dulce refrigerium ab hoc molestissimo exilio revertentium : tu quies sempiterna post labores miseræ vitæ hujus emigrantium viatorum : tu corona vincentium : tu paradisus deliciarum. In te lux incircumscripta viventis Dei immota acie conspicitur, et vultus Dei omnipotentis perpetuo præsens cernitur. In te abundat quidquid potest appeti, ut non immerito dixerit sanctus Augustinus : Tanta est pulchritudo summæ justitiæ, tanta est jucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis ac increatæ sapientiæ : tanta est felicitas cœlestis curiæ, ut etiamsi non liceret ibi nonnisi unum manere diem, ob id solum innumerabiles anni vitæ hujus divitiis atque deliciis pleni, merito spernerentur. Et revera, charissimi, sic se res habet. Omnipotens Deus pro sua magnificentia et liberalitate tot et tanta suis servis præparavit bona in illa superna civitate, ut quidquid iste mundus sublunaris præstare possit, crux et tormentum jure habendum sit, et ex animo fastidiendum. Petrus Damianus in Hymno quodam pulcherrime inter cætera sic ait :

Civitatis supernæ præstantia ac felicitas quanta.

Aug

Bona
quanta
electis
parata
in cœli

Petru
Damian

Nam quis promat summæ pacis
Quanta sit lætitia,
Ubi vivis margaritis
Surgunt ædificia,
Auro celsa micant tecta,
Radiant triclinia ?
Solis gemmis pretiosis
Hæc structura nectitur.
Auro mundo tanquam vitro
Urbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus,
Lues nulla cernitur.
Hiems horrens, æstas torrens,
Illic nunquam sæviunt.
Flos perpetuus rosarum,
Ver agit perpetuum.
Candent lilia, rubescit
Crocus, sudat balsamum.
Virent prata, vernant sata,
Rivi mellis influunt.
Pigmentorum spirat odor,
Liquor et aromatum.
Pendent poma floridorum
Non lapsura nemorum.
Non alternat luna vices,
Sol vel cursus siderum.

Agnus est felicis urbis
Lumen inocciduum.
Nam et sancti quique velut
Sol præclarus rutilant,
Et præsentem veritatis
Contemplantur speciem.
Hinc vitalem vivi fontis
Hauriunt dulcedinem.
Inde statum semper idem
Existendi capiunt.
Clari, vividi, jucundi,
Nullis patent casibus.
Absunt morbi semper sanis,
Senectus juvenibus.
Inde virent, vigent, florent,
Corruptela corruit.
Avidi et semper pleni,
Quod habent desiderant.
Non satietas fastidit,
Neque fames cruciat.
Inhiantes semper edunt,
Et edentes inhiant.
Novas semper harmonias
Vox meloda concrepat,
Et in jubilum prolata
Mulcent aures organa.
Felix cœli quæ præsentem
Regem cernit anima.

Et alius quidam loquens ad supernam Jerusalem : Sol tuus, ait, et claritas tua, et omne bonum tuum hujus pulcherrimi Regis indeficiens contemplatio, ipse Rex regum in medio tui, et pueri ejus in circuitu ejus. Ibi hymnidici Angelorum chori, ibi societas supernorum civium. Plena et perfecta ibi regnat charitas : quia Deus est omnia in omnibus, quem sine fine vident, et sine fine semper videndo in ejus amore ardent : amant et laudant, laudant et amant. Et divus Augustinus : O vita, inquit, vitalis, dulcis et amabilis et semper memorabilis ! Ubi summa securitas, ubi secura tranquillitas, ubi tranquilla jucunditas, ubi jucunda felicitas, ubi felix æternitas, ubi æterna beatitudo, ubi beata certitudo, ubi certa visio, et sine fine laudatio. Ibi affluentia divitiarum, influentia deliciarum, et confluentia bonorum. Divus quoque Bernardus : Merces, ait, sanctorum tam magna est, quod non potest mensurari : tam multa, quod non potest numerari : tam copiosa, quod non potest finiri : tam pretiosa, quod non potest æstimari. Denique Augustinus : Ibi, inquit, Deus videbitur sine fine, sine fastidio amabitur, sine defatigatione laudabitur.

I. *Cor.* xv, 28

August. Civitatis ipernæ elicitas uanta.

Bernard. Merces sanctorum quanta erit in cœlo.

August.

Ecce, dilectissimi filii, quam merito divus Philippus Apostolus motus fuit petere a Domino Salvatore ac dicere : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Hæc enim omnia jam dicta, longeque majora habent quicumque Deum vident. Illis namque Deus est omnia in omnibus. Ad hæc felicissime fruenda et possidenda creati nos omnes sumus. Quod cum ita se habeat, discamus, obsecro, totam vitam nostram huc referre ac dirigere, ut isthæc obtinere mereamur, id est, ut Dominum Deum nostrum facie ad faciem videre digni efficiamur. Si aliud quærimus, nihil quærimus. Ecce præsens vernum tempus quam gratum est vobis, quantopere sua amœnitate vestros exhilarat animos. Si igitur sic delectat umbra et somnium, quantum ipsa veritas delectationis habet ? Sed etiam atque etiam videte, obsecro, ne umbram atque somnium ipsi veritati præferatis. Solet namque tartareus spiritus laqueos suos ubique expandere ac spargere super hasce res temporarias et vitæ oblectamenta : eaque ut libentius capiamus, semper crastinum promittit diem, donec tandem omnem eripiat salutis spem. Et ut Basilius Magnus ait, intelligens versipellis nos homines præsens libenter recipere tempus, omnemque actionem humanam in præsens contendere atque spectare, hodiernum tempus nobis furatur astute, et spem facit crastini. Postquam crastinum venerit, rursus malus divisor sibi hodiernum, crastinum vero Domino dari petit. Sic continuo diem de die trahens, voluptate præsenti et spe frugis nostram subducit latenter vitam. Vidi

Diabolus ut promittat longiorem vitam fallaciter.

Diabolus quam fallaciter decipiat temporis promissione longioris.

ego, ait idem, jam avis astutæ miram artem : cum pullos suos videat adhuc ob debilitatem prædæ periculo expositos, sese aucupi ante illos ut prædæ paratam offerre, ita sese vertentem ac gestus dispensantem, ut nec periculo penitus aut manibus se præbeat, neque item insidianti spem omnino eripiat. Sic itaque illum inter utrumque versando, occupando, in se retinendo, spatium dat natis otiose fugiendi. Ipsa ad extremum evolat. Ubi mox idem sanctus Episcopus subjungit : Cave igitur ne tu aucupi similia patiaris, certa pro incertis relinquens, spem firmam vana commutans. Hæc ille.

Creaturis quam sit caute utendum.

Ita nimirum, dilectissimi filii, caveamus insidias diaboli. In mediis versamur laqueis, et ubique iniquus ille hamos suos, quibus nos capiat, abscondit. Quidquid in hoc mundo sensibus plausibile est, fortiter contemnatur, nisi quatenus aut corpori sustentando necessarium, aut ad placendum Deo, obtinendamque beatitudinem conducibile est : alioqui si nos præsentibus velimus dare oblectamentis, hamo suo diabolus capiet nos, et in mortis æternæ carcerem secum pertrahet. Valeant creaturæ mortales omnes, uni Deo nos per amorem conjungamus, illique firmissime adhæreamus, ne quid vel adversum vel prosperum ab eo nos possit abjungere. Semper et ubique linguam freno quodam cohibeamus, sanctis meditationibus demus operam, sermones nostri parci sint, et nonnisi de rebus salutiferis ac necessariis, pœnitentiæ operibus nos affligamus : quidquid nobis Dominus Deus noster patiendum imposuerit, hilariter excipiamus, aliorum vitia et defectus benigne toleremus, ac in meliorem partem interpretemur, quatenus recta dictabit ratio, homines incompositos ac improbos fugiamus, familiaritatem quorumlibet immodicam declinemus, sensibus semper invigilemus, neque temporis, neque verborum plus satis cuipiam impendamus, nosipsos ubique et semper studiose observemus, sub Deo cunctisque mortalibus nosipsos comprimere ac demittere discamus, de cunctis fratribus ac proximis nonnisi bene loquamur, nosipsos habeamus despectui, Deo jucundis animis serviamus, proximis bona præbeamus exempla, peccata omnia et magna et parva vitemus, Deum in omnibus pro scopo habeamus, atque totum tempus cum Deo transigamus. Hisce studiis digne et apte efficiemur, qui faciem Patris nostri videamus in cœlis, cui est omnis honor in secula seculorum, Amen.

IN SOLEMNITATE

INVENTIONIS S. CRUCIS

Require infra in solemnitate Exaltationis ejusdem.

IN SOLEMNITATE

ASCENSIONIS DOMINI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

PRIMUM quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere, et docere, usque in diem qua præcipiens Apostolis, per Spiritum Sanctum quos elegit, assumptus est. Quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Et convescens, præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent : sed exspectarent promissionem Patris : quam audistis, inquit, per os meum. Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies. Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos : et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Et quum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. *Act. I.*

ASCENSIONEM Domini Salvatoris Lucas Evangelista graphice describit, connectens videlicet historiam Actorum Apostolorum cum Evangelio suo, in cujus calce jam nonnihil eadem de re posuerat : sed in Actis diligentius prosequitur. Ait enim : Primum quidem sermonem, nempe in Evangelio meo, feci de omnibus, id est, præcipuis quibusdam, vel saltem multis, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere : non quidem docere primum, deinde facere, quod solent scioli quidam ac impudentes, qui prius docendi sibi auctoritatem sumunt, quam ipsi bene didicerint, nec erubescunt vitam agere improbam ac flagitiosam, cum tamen alios ipsi reprehendant, quibus Paulus dicit : Qui alium doces, teipsum non doces ? Quod vitium partim jactantiæ et ostentationis, partim intolerandæ impudentiæ est. Non sic Dei sapientia Christus Jesus fecit : sed primum cœpit facere, deinde docere. Et tamen nemo justius alios docuisset. Atqui usque ad annum trigesimum ætatis suæ penitus siluit, et exemplo suo docebat, quod post verbo docturus

Rom. II, 21.

1 eos qui
ıtequam
idicerint
ocere
lios præ-
ımunt.

In arrogantes et sciolos qui alios docere gestiunt.

erat. O superbiam nostram, o arrogantiam, qui cum bonis omnibus pene vacui simus, imo sæpe etiam omni vitiorum spurcitie polluti simus et contaminati, tamen promptuli sumus ad docendos, objurgandos et castigandos alios, qui si vel tenuiter ab aliis reprehendamur, nullo pacto ferre valemus. Qui utinam attende-

Ps. XLIX, 16, 17. remus, quod Psalmista ait: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones meos retrorsum*, quodque

Ibid. 21. post subdit: *Existimasti inique quod ero tui similis; arguam te et statuam contra faciem tuam:* tum videlicet, quando dicturus est illis qui alios docent, et ipsi im-

Luc. XIX, 22. probe agunt: Ex ore tuo te judico, serve nequam. Qui enim justitiam ore premunt et factis impugnant, suo ipsorum judicio suoque ore condemnabuntur.

Ait igitur sanctus Lucas ea se scripsisse, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem, qua præcipiens Apostolis, per Spiritum Sanctum quos elegit, assumptus est, et ad cœlos ascendit, non angelicis aut ullius creaturæ subvectus manibus, sed virtute propria, sicut longe ante sanctus David vaticinatus erat, dicens:

Ps. XX, 14. *Exaltare, Domine, in virtute tua.* Præcepit autem Apostolis eadem Ascensionis die, ut in totum mundum Evangelii gratiam divulgarent, docerentque gentes omnes relictis dæmonum simulacris unum verum Deum juste ac pie venerari. Iisdemque Apostolis præbuit seipsum vivum post passionem suam, videndum, audiendum, contrectandum, in multis argumentis multisque signis sensibilibus per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei, tam præsentis Ecclesiæ militantis, quam supernæ triumphantis. Ex quibus summa apparet nostri Redemptoris benignitas et humilitas, quod etiam post perfectam corporis et animæ glorificationem ac immortalitatem, post plenissimam in cœlis ac terra datam ipsi potestatem non minus ut ante sese pauperculis ac rudibus discipulis affabilem, pium, familiarem exhibuerit: idque adeo ut etiam manducare cum eis non fuerit dedignatus; illis omnibus nihil aliud spectans, nisi ut tum illorum, tum nostros animos ad fidem instrueret atque confirmaret, omni prorsus ambiguitate ac infidelitate exclusa. Et convescens eis ipso Ascensionis die, præcepit ab Jerosolymis ne discederent, neque trepidationis, neque prædicationis gratia: sed exspectarent promissionem Patris, et gratiam superventuri in ipsos Spiritus Sancti, quam audistis, inquit, per os meum. Dixerat enim eis: *Et ego rogabo* *Joann.* 16, 2 *Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Et ille docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Quia Joannes Baptista quidem baptizavit aqua, typum quemdam veri baptismi, quo diluuntur peccata, præferens, non autem animas a peccatis emundans: vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies, id est, intra paucos dies. Sed cum ipsi discipuli alios baptizarint ante Domini necem Evangelicæ legis baptismo, quo gratia confertur, ambigendum non est, quin et ipsi eodem fuerint expiati. Cur Apost quomc dicunt baptiz Spirit igitur hic dicuntur rursus baptizandi Spiritu Sancto? Nimirum propter copiosam et exuberantem Sancti Spiritus infusionem, quam in Pentecoste percepturi erant. Ut enim Sancti Spiritus illustrationem Scriptura divina unctionem appellat: ita ejus copiosam susceptionem mentis baptizationem vocat. Sancto Baptiz mentis quæna dicatu

Igitur qui convenerant, interrogabant eum jam jamque ascensurum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Ecce quanta fuit discipulorum simplicitas et ruditas, qui posteaquam tamdiu adhæserant Salvatori, vix tamen adhuc spiritum sapiebant. Tam multa audierant de futuro sempiternæ beatitudinis regno, et adhuc de carnali Israelitico regno sciscitantur. Revera nihil est, unde superbiat terra et cinis, quando etiam Apostoli sub ipsius Christi

magisterio tam rudes permansere. Dixit autem eis non sine castigatione cæcitatis eorum : Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Regnum Israeliticum quando sit restituendum spiritaliter, quod in extremo fiet die, non est vestrum nosse. Facessat curiositas, et pietas succedat. Quid ad vos pertinet temporalis regni restitutio qui ad æternum regnum vocati estis ? Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, dona sua vobis impertientis, vosque sua virtute corroborantis : et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Quibus verbis hæreticorum latibula condemnantur, qui fere semper augulos petunt, et certis finibus vel locis sua spargunt venenata dogmata ; Christus autem ubique terrarum veritatis Evangelicæ lucem diffudit. Et cum hæc et alia quædam dixisset, quæ apud Marcum leguntur, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum, summo cum desiderio et ineffabili exultatione eum aspectantium, et cordibus prosequentium usque in cœlum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri, hoc est, Angeli sancti sub humana effigie, adstiterunt repente juxta illos in vestibus albis, angelicæ puritatis candorem, et tantæ festivitatis jucunditatem testantibus; qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum, etiam post ablatum vestro e conspectu Salvatorem ? Cur admiramini Deum omnipotentem cœlos conscendisse ? Miremini potius eum ad vestræ infirmitatis conditionem suscipiendam descendisse. Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, id est, in ea forma veniet judicaturus vivos et mortuos, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Non igitur oculis in cœlum intentis hic diutius hæreatis, tanquam ad vos modo rediturus sit. Redibit quidem, sed eo tempore quod ipse solus novit. Interim vos ita vivite, ut redeuntem securi videre possitis.

Regni cœstis restiutio quano futura.

Hæreticos emper uærere tibula, bi suas pargunt mpietaes.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, MARC. XVI.

POST peractum salutis nostræ opus, mortemque perpessam, benignissimus Salvator per quadraginta dies identidem discipulis sese visendum præbuit, et in fide eos confirmavit, ut nihil possent de ejus resurrectione ambigere, quam tot indiciis certaque experientia didicissent : ac demum quadragesimo die illis aspectantibus, cœlos gloriosus ascendit cum innumera sanctorum Patrum et Angelorum frequentia : ut sicuti olim filii Israel per desertum quadraginta annis ambulaverant, ac deinde terram promissionis ingressi sunt : ita Dominus quadragesimo a passione die veram promissionis terram cum suis ingrederetur. Cujus nimirum causa in hoc miserabile sese exilium e cœlis demiserat, et tot labores, tot dolores perpessus erat, ut scilicet, in patriam cœlestem veramque Jerusalem, fraude improbi serpentis amissam, humano generi postliminio reverti liceret. Itaque ascendit in jubilo, cantantibus Angelis, psallentibus justis quos fortis armatus ex diaboli carcere vi eduxerat, et ad æterni Patris properavit conspectum oblaturus illi prædam gratissimam tot millium animarum, quas sua morte ab æterna morte liberarat. Cogitet hic, si quis modo potest, quid gaudii, quid exultationis senserit Dominus Jesus, quod tantam sanctorum multitudinem suis pœnis cum Patre in gratiam restituisse, cœlo-

Quanto cum gaudio Dominus cœlos conscenderit.

rumque aditum eis se patefecisse cerneret. Sed nunc attentis cordibus, animoque collecto consideremus dicta factaque Domini Salvatoris jam jamque cœlos ascensuri, eaque nostris pectoribus fortiter imprimamus. Non enim debent nisi studiosissime ac attentissime inspici et audiri, quæ Dominus a nobis recessurus dixisse ac fecisse legitur. Ita namque etiam in humanis rebus usu venire cernimus, ut amici procul abituri aut morituri, extrema verba gestaque arctius menti insculpantur. Atque utinam tam simus in his Domini novissimis sermonibus ac gestis percipiendis intenti, ut nos una cum illo animis cœlos scandamus, possimusque dicere cum Apostolo ex sententia : Nostra autem conversatio in cœlis est. Quod certe maxime christianos omnes deceret, ut sicut Christi membra se dici et haberi volunt, ita semper cordibus illic versentur, quo caput suum hodie præcessisse norunt. Nam si amore et animi voluntate alibi hæremus, a nostro capite disjungimur. Membra autem quæ capiti non inhærent, illius vitales influxus non recipiunt, nec ejus spiritu vegetantur. Porro, qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Semper igitur, quantum humana sinit fragilitas, capiti nostro inhæreamus, et calcatis rebus caducis, in cœlestibus habitemus. At nunc Evangelii explicationem aggrediamur. Sanctus Marcus ultimo sui Evangelii capite, sic ait :

Verba Christi ascendentis quanta cum devotione sint auscultanda.

Philipp. III, 20.

Rom. VIII, 9.

> Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis : quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt.

Hæc apparitio facta est ipso Ascensionis die, quando discipulis in cœnaculo illo, ubi Pascha ederat, sese visibilem exhibuit atque una cum eis etiam cibum sumpsit, ad carnis veritatem demonstrandam. Et quia jam erat abiturus in cœlum, ut in fide firmiores, tenaciusque verborum illius memores essent, exprobravit illis incredulitatem illorum et duritiam cordis, quia fidem non commodaverant dictis eorum, qui eum redivivum conspexisse se affirmarant. Novimus enim ex scriptis Evangelicis, quam fuerint ad credendum difficiles, præsertim aliqui eorum, adeo ut sanctus Thomas credere nollet, nisi suis digitis vulnerum cicatrices attigisset. Sed hic quæri posset, cur piissimus Salvator hac incredulitate electissimorum corda discipulorum laborare tamdiu permiserit, cum tamen illi merito ad credendum promptissimi esse debuissent, nisi quod propter nos id permissum facile intelligimus, ut dum illi cunctantius ad fidem accederent, nos omni hæsitatione ac trepidatione absolveremur. Itaque benignissima miseratione, et providissima dispensatione Apostoli et alii nonnulli ex discipulis aliquamdiu in hac animi fluctuatione et credendi difficultate relicti sunt, ut nos certissimi simus Christum vere resurrexisse, et sua resurrectione spem nobis resurgendi præbuisse. Neque putemus solos Domini discipulos a Christo reprehensos esse ob incredulitatem suam. Imo vero in hanc usque diem non desinit Salvator per Spiritum Sanctum suum multisque aliis modis singulorum hominum, maxime christianorum objurgare incredulitatem et duritiam cordis : tametsi paucissimi id percipiant ob nimiam mentis surditatem. O quanta hodie mortales pene omnes incredulitas et duritia cordis obtinet : cujus vel hoc unum satis est evidens argumentum, qui usque adeo huic mundo rebusque labentibus dediti sunt : Deum autem, summum videlicet bonum, et futuram gloriam piis omnibus promissam, penitus nihilipendunt. Nam quod fidei vestigium potest apparere, ubi nec minæ terribiles, nec promissa amplissima æterni Dei id possunt efficere, ut mundus contemnatur, et Deus timeatur ac ametur ? Tales igitur objurgat Deus tum per seipsum, occultasque inspirationes suas, tum per angelicos spiritus nostræ salutis si-

Dubi
cur C
stus pe
miserit
Aposto
de sua
surrect
ne.

Incredu
tas chri
stianoru
multoru
unde ho
continge

Deum multifariam maiorum christianorum reprehendere vitam.

tientissimos, tum per superiores nostros, tum per conciones sacras, tum per flagella multiplicia itemque aliis multis rationibus : sed raro quidquam proficit, eo quod corda gerant lapidea, quæ nullis admonitionum vel reprehensionum spiculis compungi se patiuntur : sed semper seipsis deteriora fiunt, in dies profundius sese in vitiorum gurgites demergendo, donec tandem eo devolvantur, ubi jam nullum sit in pœnis remedium. Sequitur :

Et dixit eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.

Ante passionem suam dixerat Christus discipulis suis : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis : sed ite potius ad oves quæ perierunt domus Israel.* At nunc jubet eos toti orbi annuntiare Evangelium. Vehementer enim diligebat populum illum, in quo tamen ab initio semper summam est expertus ingratitudinem. Ideoque si qua ratione potuissent ad agendam pœnitentiam, atque ad ipsum Christum agnoscendum et recipiendum emolliri, tum per seipsum, tum per discipulos suos illis solis Evangelii lucem et gratiam voluit prædicari, donec tandem ipsi a se eam repellerent. Unde tametsi Apostolos hoc loco jubet in universum pergere mundum, non tamen id statim fieri permisit, nisi quando obstinata Judæorum perfidia et ingratitudo meruit derelinqui, et ad gentes Dei gratiam transferri. Quod tum demum factum est, quando Apostoli inter sese provincias partiti, longe lateque Christi fidem et Evangelium divulgarunt. Quod autem dicit hic Christus, ut annuntient Evangelium omni creaturæ, de cunctis gentium nationibus accipi debet. Qua re quantum nobis omnibus, qui ex gentibus ad Dei veri notitiam perducti sumus, a Deo beneficium præstitum sit, nulla mens creata potest comprehendere. Siquidem ex tam longis ac inveteratis erroribus, cimmeriisque tenebris, stultissimisque gentilismi opinionibus, quæ animis hominum penitus insederant, ad Creatoris nostri cognitionem revocati sumus, relictoque spurcissimorum cultu dæmonum, verum Deum supplices adoramus et colimus, tot annorum millibus toti ferme hominum generi prorsus incognitum. Itaque dignas Deo, dilectissimi, impendamus gratiarum actiones, quod nobis miseris voluit per Apostolorum cæterorumque servorum suorum prædicationem innotescere, et nos a profundo mortis extrahere, cum interim omnes illi qui nos præcesserunt, hodieque vivunt veræ fidei expertes, nisi resipiscant, haud dubio cum anima et corpore semper sint apud inferos pœnas gravissimas pro sua cæcitate ac infidelitate daturi.

Matth. x, 5, 6.

Creaturæ omni cur prædicari Evangelium præceptum.

Gratiarum quantam actionem teneantur Deo christiani pro vocatione ad fidem.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.

Fides totius religionis nostræ fundamentum est, quæ necessario ad obtinendam beatitudinem exigitur. Nam *sine fide impossibile est placere Deo.* Sed ne quis seipsum fallat, putetque cum Lutheranis solam sufficere fidem, quandoquidem Dominus hic affirmat, eum qui crediderit et baptizatus fuerit, salvum fore, audiat quid idem Dominus post resurrectionem apud Matthæum dixisse legatur : Ibi namque sic habes : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti : docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Hoc fac, hæretice, et vives. Noli tantum credere in Jesum, imponens tibiipsi : sed serva omnia mandata illius, et salvus eris. Scis quid præceperit tibi Deus : nempe, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis : et proximum tuum sicut teipsum. Id si feceris, securus eris. Alioqui fides tua damnationis cumulus potius tibi erit, quam salutis. Quod si mille afferas Scripturæ loca, quæ idem sonare videantur, puta solam sufficere fidem, tamen nisi fidei conjunxeris spem

Hebr. xi, 6.

Matth. xxviii, 19, 20.

Ibid. xxii, 39.

Fides hæreticorum ut sit cumulus damnationis potius quam salutis.

et charitatem, et observantiam mandatorum Dei, delusum te senties. Sunt apertissima Scripturarum testimonia, quibus id certo probatur. Ipse Dominus noster Jesus Christus, dispensatis ac distributis censibus in opere redemptionis acquisitis (quos in Evangelio secundum Matthæum talenta, secundum Lucam, mnas vocat), non solum exigit studium atque diligentiam nostram, sed etiam minatur pœnam, si lucrum non faciamus. Negotiamini, ait, dum venio. Ubi duo nobis attendenda veniunt : Primo, pecunia sive dona nobis ex illius benignitate collata. Secundo, cooperatio nostra dum dicitur : Negotiamini. Non enim talenta tantum contulit, sed etiam nostro studio aucta ea vult ad se referri : idque adeo ut pigrum servum inertiæ deditum jusserit in tenebras exteriores mitti, eo quod nullum fecisset negotiando et cooperando lucrum. Quod si sola fides sufficit, et opera ad salutem necessaria non sunt, cur tanta comminatione a nobis exquiruntur ? Cur in æternas jussit mergi tenebras, talentum integrum sed nihil auctum reportantem ? Qua tandem justitia, hæretice, puniuntur omittentes ea, ad quæ non sunt obligati ? Quomodo stat sententia tua cum sententia summæ Veritatis ? Veritas dicit : Qui gratiæ quam divinitus accepit, non erit cooperatus, damnabitur, sive mittetur in tenebras exteriores. Tu autem dicis : Fides sola sufficit sine operibus. Certe aut Christum aut te errare necesse est. Absit autem ut Veritas erret. Tu potius excæcatus superbiæ tumore, a veritate aberras, dum nimium contra et supra multorum sanctissimorum Patrum concordem intelligentiam, sensa Scripturarum pro tua libidine ac animi vanitate et elatione interpretaris, ita ut merito inter illos numerandus sis, de quibus humilitatis Magister sic ait ad Patrem : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus,* scilicet in oculis propriis, aliosque præ se despicientibus, tanquam ipsi melius aliis sapiant : *et revelasti ea parvulis*, qui malunt humilibus consentire, et intellectum suum captivantes, aliorum potius judicio inhærere, quam laudis cujusdam et singularis existimationis captanda gloriola, una cum negligentibus operariis ad tenebras interiores et exteriores deduci. Alio quoque loco paterfamilias, qui utique Deus omnipotens est, operarios conduxit in vineam suam, singulisque mercedem pollicitus est : ac deinde ait procuratori suo, ut vocet operarios et reddat illis mercedem suam. En operarios non otiosos et desides præmio affici, iisque mercedem restitui jubet. Merces autem non solvitur, ubi nullum præcessit opus vel meritum. Sed quid necesse est multis his immorari ? Tam nihil habet dubitationis præter fidem etiam opera esse necessaria, ut etiam illi qui contrariam tuentur opinionem, haud dubie propria revicti conscientia ita sentiant, licet aliter scripto aut verbo sentire videantur. Pudet namque eos victos se fateri, et errorem damnare suum. Quod si qui ita sunt cæci, ut se errare nesciant, illorum misereatur Deus. Sed quamvis fides sola ad salutem non sufficiat, tamen certum est quisquis ea caret, eum salvum fieri non posse, sicut Dominus ait : Qui vero non crediderit condemnabitur.

Matth. xxv, 25. *Luc.* xix, 20.

Ibid. 13.

Opera bona quam sint ad salutem necessaria.

Matth. xi, 25.

Mar… xx, 1.

Merce… operibi… bonis … deber…

Hæret… docere… contra… propr… consci… tiam.

Fides … salute … necessa… ria.

Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient : Linguis loquentur novis : Serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, et bene habebunt.

Hæc signa illis temporibus fuere necessaria, quibus Evangelii prædicatio cœpit originem. Deinde ubi fides crevit, signa illa externa in spiritalia abierunt : sicque etiam hodie quotquot vere fideles sunt, signa eadem invisibiliter ac spiritaliter efficiunt. Enimvero in nomine Jesu dæmonia ejiciunt, quando a malis spiritibus graviter impugnati, et diversis tentationibus vexati, Christi auxilium implorant,

Mira… externa… quand… quibus… fuerint… cessari…

Dæmo… ejici m… stice q… modo … tingat…

signoque crucis et fide viva eos repellunt. Scriptum est enim : *Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et salvabitur.* Et recte dicitur : In nomine meo dæmonia ejicient. Nam quoties adversus tetros illos spiritus prævalemus, non utique nostris viribus, sed Christi virtute et gratia prævalemus : cui etiam totam victoriæ nostræ laudem et summam deferre debemus. Nam sine illo quid nos miseri possemus contra versutissimos, ferocissimos, atque in omni nequitiæ genere exercitatissimos spiritus, qui sæpe nec verbulum unum æquanimiter ferre valemus ? Unde cavendum summopere est, ne inaniter animo extollamur, aut nostris tribuamus viribus, dum tentationes vincimus : sed summa cum humilitate et gratiarum actione dicamus Domino : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam ;* et : *Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum ;* et : *Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* Linguis autem loquuntur novis, qui ex divina gratia compuncti, atque ad Deum ab improba vita conversi, sicut prius scurrilia, mendacia, vana, impia, otiosa verba et audire et dicere solebant : itemque obtrectationibus, murmurationibus, aliisque illicitis verbis linguas suas, imo et animas contaminabant : ita nunc ob timorem et amorem Dei, atque pro tuenda cordis et conscientiæ puritate, aut silentio vacant, aut nonnisi utilia, necessaria, et quæ ad Dei laudem et proximi utilitatem spectant, loqui volunt : memores semper terribilis illius sententiæ Domini Salvatoris : *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii.* Si otiosus sermo illius tremendi judicii examini servatur, quid fiet de pernicioso ? Serpentes tollunt, qui venenatis ac pestiferis resistunt suggestionibus : vel qui suis adhortationibus malitiam ex aliorum cordibus excludunt. Serpentes tartarei dæmones sunt, qui nunquam non pios virulentis inspirationibus infestant. Et quemadmodum serpentes venena sua infundunt in hominis corpus, ita dæmones virus exitiale pravarum suggestionum animabus instillant, ut eas avertant a Deo, et suis pœnis involvant. Sed tollendi sunt serpentes isti penitus negando consensum, ut etsi sentiatur sibilus nefandarum inspirationum, tamen ob amorem et honorem summi Dei, qui dilexit nos et liberavit sanguine et morte sua de potestate satanæ, illi minime consentiatur. Atque ita nihil officiet, quantumvis execranda suggestio. Nam virtus aut vitium ex voluntatis consensu dependet, nec aliquid affert detrimenti sensisse malum, si consensus non præbeatur, sed Deo fideliter et constanter adhæreatur, imo vero sæpius pravæ dæmonum inspirationes piis magnam præstant utilitatem, dum sua importunitate et molestia pœnas minuunt peccatorum, et ad magnam capessendam gratiam eos præparant. Qui autem noxiis assentiunt inspirationibus, illi virus serpentinum intimis hauriunt visceribus, et mortem sibiipsis adsciscunt.

Porro mortiferam quidem potionem sumunt, sive mortiferum quid bibunt, qui hominum malorum et Deum non timentium perniciosas audiunt obtrectationes, aliaque verba mortifera et nociva : sed ubi advertunt, si non sit spes emendationis, mox penitus inde se avertunt : aut alias pro loci ac temporis ratione reprehendunt, ne alienis peccatis communicent, et libenter audiendo quæ non licent, aliis præbeant occasionem liberius talia proferendi, et seipsos apud Deum reos efficiant. Periculosum enim admodum est audire detrahentem. Nam si quis consentiat illi, aut obtrectationes illius ipsi placeant, vel non resistat illi ut oportet : puta vel objurgando, si speret eum posse corrigi, aut ab obtrectando revocari : vel ad minus ab ejus dictis sese avertendo, aut vultum tristem contractioremve illi exhibendo, unde intelligat se gravate audiri, peccatum admittit. Et sæpe in his etiam valde graviter peccatur. Detestandum sane vi-

Prov. XVIII, 10.

Victoria contra dæmones cuinam adscribenda.

Ps. CXIII, 9.

Ibid. XVII, 30.

Ibid. CXVII, 14.

Linguis novis quinam mystice loquantur.

Matth. XII, 36.

Serpentes tuinam spirituali- er aufe- int.

Serpentes artarei uti int dæ- ones.

Inspirationes pravæ quatenus vel obsint vel prosint.

Mortiferum quinam quid mystice bibant.

Detractionem libenter audire quam sit periculosum.

tium detractio est, et ipso furto gravius. Nam qui detrahit, famam alterius tollit, et exstinguit in cordibus audientium : quod nemo dubitat perniciosius esse, quam nummos aut aliud quiddam ejusmodi tollere. Et tamen qui furatur quidpiam, in crucem malam agitur ; qui vero detrahit, apud homines impunitate gaudet, sed non apud Deum. Sunt autem sex detractionis species. Prima omnium eaque longe deterrima est cuipiam falsa imponere crimina : Secunda, alterius occulta mala proferre in publicum : Tertia, mala audita aliis cum quadam exaggeratione referre : Quarta, aliorum occulta negare bona : Quinta, bona manifesta diminuere et extenuare : Sexta, bona aliorum in partem pejorem interpretari. Isthæc qui facit animo malitioso, mortiferum quidem, quantum in ipso est, aliis poculum præbet : sed bibentibus non nocet, dum non placet, sed ita ut dictum est, sese gerunt. Denique super ægros, manus imponunt, et bene habent, qui proximos suos in malum proclives, et ad resistendum tentationibus, virtutesque colendas infirmos conspicientes, suis monitis, exemplis et precibus illis succurrunt, atque ad declinanda fugiendaque mala, et bona agenda eos efficiunt alacres, firmos ac studiosos. Qui enim difficile abstinet a vitiis, et bona ægre operatur, is utique animo valde infirmus est. Et talibus unusquilibet debet pro viribus esse consilio et auxilio, ut possint animo convalescere ad cavenda vitia et recte agendum. Sed heu ! maxima pars hominum ita jam affecta est, ut quoscumque possint, malint a bono retrahere, et ad vitia illicere, quam ad meliora provocare : qui sunt inimici Christi Jesu, et socii atque cooperatores dæmonum.

Detractio ut sit furto gravius peccatum.

Detractionis species sex quænam sint.

Ægros curare spiritualiter quid sit.

Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

Non ista solum, quæ hic sanctus Marcus commemorat, sed etiam alia multa locutus est Dominus discipulis suis. Quibus expletis, videntibus multis, assumptus est in cœlum empyreum, non aliena, sed propria virtute, tum ratione divinitatis, qua potest omnia : tum ratione humanitatis gloriosæ. Siquidem ob dotem agilitatis, corpus gloriosum, quantum ad motum localem attinet, ad nutum obtemperat animæ. Et sedet a dextris Dei. Nemo putet Deum sedere, vel habere manus, cum sit spiritus. Sed Christus secundum humanitatem sedet a dextris Patris Dei omnipotentis, hoc est, ultra creaturas omnes sublevatus est in summam usque dignitatem et potestatem et bona præstantissima, quæ Deus largiri queat. Non est hoc loco prætermittendum, quod hac die Dominus Jesus discipulos suos primo de civitate eduxit. Secundo eos in Bethaniam adduxit. Tertio eis benedixit. Quarto ascendit in cœlum. Hæc enim mystice significant Dominum Jesum, hominem peccatorem primo quidem ex peccato et vitiis educere : deinde in Bethaniam, id est, obedientiæ domum perducere, ut qui ante suis indulsit affectibus, propriæque obsecutus est voluntati, quæ radix est peccatorum omnium, deinceps Dei et Ecclesiæ prælatorumque suorum discat parere voluntati. Tertio ei benedicere, id est, gratiam impertiri, qua perseveret in bono. Quarto ascendere, id est, illius animum ab amore præsentium ad amanda et appetenda cœlestia levare, atque ad superna transferre. Illi autem profecti, non tum statim, sed opportuno tempore, ut ante dictum est, prædicaverunt ubique, primo in Judæa locisque adjacentibus, deinde etiam in exteris regionibus, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. Ita sane necesse erat, ut prædicatorum suorum sermonibus divina gratia cooperaretur, alioqui nunquam illi tam pauci, tam simplices, tam abjecti, tantam hominum multitudinem ad credendum in hominem crucifixum traducere

Chri… quomo… sedere … citur a… xtris D…

Eor… quæ C… stus as… surus … ration… mystica quæ si…

Præd… tionis … Aposto… rum ra… mystic… quæ.

Signa in conversione infidelium cur fuerint opportuna.

potuissent. Unde adjuncta sunt illis signa, quibus audientium animi de eorum quæ dicebantur veritate certissimi fierent, planeque confirmarentur : nec quisquam fidelium dubitare potest, quin mundi ad Christum conversio divinæ gratiæ potissimum adscribenda sit, utpote qua factum est, ut prædicatorum verba hominum animos emollirent, penetrarent, compungerent : quæ si defuisset, utique nonnisi aera verberassent. Nemo ergo sibi tribuat, si quandoque suis vel concionibus, vel scriptis alios conversos sentiat. Gratia est quæ homines convertit. Interim homines quædam instrumenta sunt, per quæ gratia operatur. Non est tamen dubitandum, quin ut plurimum efficacius operetur gratia per apta et munda instrumenta, id est, prædicatores sanctos, quam eos qui quod verbis docent, ipsi factis non sequuntur. Fit enim sæpenumero, ut etsi bona multa etiam ferventer et docte dicantur ab illis qui secus vivunt atque docent, tamen parum aut nihil apud auditores efficiant, eo quod ex frigido corde ipsorum dicta proficiscantur, atque ob id non incendant alios. Quanquam cavendum est ne quis judicet temere quempiam : sed a quocumque veritas dicatur, semper humiliter, reverenter et attentis animis auscultanda est : nec tam attendendum cujusmodi sit, qui dicit, quam ea quæ illius ore proferuntur.

In conversione hominum ad Deum quænam instrumenta apta requirantur.

Prædicatores quidam cur fructum parvum aut nullum referant.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

QUÆ NOS, QUOMINUS POST CHRISTUM ASCENDAMUS IN CŒLUM, IMPEDIANT : ET QUÆ NOBIS AD ASCENDENDUM ADMINICULO SINT.

ASCENDENS Christus in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Ad Ephesios IV, 8.

Quantum nos hac die solemni gaudere deceat, charissimi filii, qua in Christo natura nostra prius in Adam corrupta et ex amœnis et tranquillis paradisi sedibus in hoc teterrimum labentis mundi exilium relegata, ultra omnem angelicorum spirituum celsitudinem, usque ad æterni Patris est evecta consessum, quisquis non intelligit, mentis et sensus omnis inops est. Quid enim tantam possit nobis miseris, nobis desperatis, nobis iræ et damnationis filiis veræ ac salutaris lætitiæ materiam ingerere, quam quod hodierna die verus Dei Filius, idemque verus homo naturam nostram, quam pro abolendis illius erratis, expiandisque meritis pœnis susceperat, suæ divinitati unione tam stupenda quam inseparabili copulatam, in cœlorum summa arce ac præcipua dignitate collocavit : Obsecro, Domine, *quid est homo quod memor es ejus, aut quid apponis erga eum cor tuum ?* Siccine decet morti pro suis sceleribus suoque contemptu et ingratitudine destinatos, ad tantam evehi gloriam, et non solum justas non luere pœnas, sed etiam in tua transire membra, tuæque beatitudinis inæstimabili participatione beatos ac gloriosos effici ? O immensam erga nos Dei charitatem et benignitatem ! O homo terræ affixus, lucris et voluptatibus et vanitatibus terræ semper deditus, excutere de pulvere, mentis caliginem absterge, intende acriter oculos cordis ad contemplanda beneficia Dei. Vide quo te vocet benignitas et munificentia Dei tui : vide quam ille te nolit esse contentum his parvis, brevibus et angustis rebus, quas orbis sublunaris insipientibus offert et ingerit, prima fronte et fucata specie blandas ac suaves, at exitu acerbas et amaras : sed cœlestibus, æternis, nec unquam vel fraude cujuspiam amittendis, vel vi eripiendis bonis te divi-

Ps. VIII, 5.

Job VII, 17.

Ascensione sua quænam Christus homini contulerit charismata.

Ascensione sua quænam Christus suos docuerit.

tem ac beatum efficere cupiat. Propterea namque Christus hodie ascendit in cœlum in ea forma, quam assumpserat, quæ nobis cum illo communis est, ut posthac scias committendum tibi non esse, ut animo hisce infimis rebus adhærescas, sed post Christum toto cordis affectu, proposito, amore, conatu tendas ad superna : idque maxime turpe tibi ducas, si mundi stercora velis amplecti, qui ad immensas Dei Patris tui in cœlis repositas opes secure possidendas Dei benignitate vocaris.

Quænam hominem ab ascensu post Christum in cœlum impediant.

Age igitur, abjectis impedimentis, ea tibi adscisce, quibus fretus et suffultus, possis alacriter post Christum in cœlos conscendere. Impedimenta autem sunt ea omnia, quæ a Dei voluntate discordant, ut sunt vitia et perturbationes animi, quibus anima ceu quibusdam compedibus ac vinculis stringitur, et captiva retinetur, ut non possit libere ingredi. Adjumenta autem et adminicula sunt virtutes et dona Dei, quæ animam reddunt expeditam et liberam, ut in ipsum usque cœlum evolare possit. Quæ duo una sententia complexus est Apostolus, eam a Propheta mutuatus, ubi ait : *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem : dedit dona hominibus*. Captivam, inquit, duxit captivitatem, nostrorum scilicet nexibus alioqui inexplicabilibus peccatorum nos absolvens, quibus anima miserandum in modum obligatur, ut non possit indita sibi divinitus uti libertate, nec erigere sese ad cognoscendum, amandum, riteque colendum Dominum Deum suum : sed aversa semper a veris bonis, atque adeo ab ipso omnis boni fonte Deo, prona quadam cupiditate feratur ad spectanda, expetenda et amanda vitæ temporalis oblectamenta : quæ tamen nedum vana sunt, quia brevia ; sed etiam fallacia, quia insidiosa. Deinde adjungit Apostolus : Dedit dona hominibus, veris scilicet virtutibus nos exornans ac instruens, quibus ceu alis quibusdam sursum feramur. Ut enim vitia suo pondere animam semper in ima deprimunt, ita virtutes ex Dei gratia sursum levant. Unde etiam in extremo die, quando Dominus ad judicandos mortales omnes adveniet, impii et scelesti peccatorum suorum gravi sarcina retenti, non poterunt ultra terram sese erigere : justi autem et sancti Christo pergent obviam in aera, moxque cum eodem etiam momento celerius in cœlum empyreum subvolabunt : impii vero maleficiis suis tanquam immanissimis plumbi massis et ponderibus in profunda tartarorum deprimentur. Itaque ut ad abjicienda peccata, virtutesque excolendas animis accendamur, de utrisque nonnihil in medium afferre statuimus.

Ascensum mentis in cœlum quænam promoveant.

Ephes. IV, 8.

Constat nimirum duas esse vias, per quas humanam vitam progredi necesse est : unam scilicet virtutum, quæ sursum ducat ad veram beatitudinem, ubi nobis Dei visio promittitur, quæ quidquid recte desiderari potest, in se complectitur : altera vitiorum, quæ ad inferos deprimat, ubi est malorum omnium confusa congeries, et infinita calamitas, quantam nulla mens concipere, nulla lingua explicare potest. Hasce vias nedum Philosophi, sed etiam Poetæ commemorant. Et eam quidem viam, quæ sit assignata virtutibus, primo aditu arduam esse voluerunt et confragosam, in qua si quis difficultate superata, in summum ejus evaserit, quod utique nec illi ipsi præstare potuerunt, qui suis hæc scriptis posteritati commendarunt, quamdiu divinæ gratiæ fuerunt expertes, deinceps plano illum uti itinere, lucidumque et amœnum habere campum, et omnium laborum suorum capere fructus uberes atque jucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos ad vitiorum sese conferre viam, quæ primo ingressu sit quasi amœna, multoque tritior : deinde cum in eam paulo longius processerint, fallacem jucunditatis ejus speciem repente evanescere, exoriri autem viam præcipitem, innumeris plenam periculis, nunc rupibus asperam et inaccessam, nunc obductam sentibus, nunc procellosis gurgitum fluctibus sævam ac immitem, nunc torrentibus rapidam, ut laborare,

hærere, labi, præcipitem fieri necesse sit. Quibus quidem nihil aliud homines illi ingeniosi quidem, et quod ad humanam attinet scientiam eruditi, significare voluerunt, nisi in virtutibus obtinendis laboris ac sudoris inesse permultum : in perceptis autem fructus longe uberrimos, et veras ac solidas voluptates. Vitia vero fallacissimis quibusdam delinimentis illicere animos hominum et pernicialium oblectamentorum inanissima voluptate captos et illaqueatos ad intolerandas miserias, acerbasque calamitates perducere . Exstant *Hesiodus.* hinc pulcherrimi apud Hesiodum vetustum poetam versus, quos sanctissimum præsulem Basilium quadam concione recitare non piguit, suntque ejusmodi :

Ad vitium facilis vicinaque semita cunctis
Panditur : at virtutis iter posuere remotum
Cœlicolæ, durumque prius, sed vertice summo
Dum fuerit, planum se offert quærentibus illud.

Quibus carminibus vir sanctus nihil aliud poetam voluisse putat, quam ad amplectendam virtutem homines excitare, ut nec initio voluptati confiderent, nec rerum tædio ac labore ante consecutum terminum deficerent. Meminit idem reverendus antistes Chii cujusdam, qui hisce jam dictis similia in virtutem et vitium scripserit, cujus sententiam recitat, eique mentem adhibendam asserit : eo quod nequaquam vir despiciendus videatur. Ait igitur Chius ille : Juveni quondam Herculi secum consulenti ad utram viarum se converteret, an eam, quæ ad virtutem per labores ducit, an facilem per voluptates ingredere- *Virtus et voluptas quomodo diame- tro diver- sæ sint.* tur, duas ei feminas, Virtutem ac Voluptatem, quarum mox tacitus apud se ex diverso habitu differéntiam agnoverit, apparuisse. Altera quidem forma conspicua, molliore facie, lascivis oculis, sermone blando, omnia fausta faciliaque et ad vitæ solatia tendentia per otia pollicendo Herculem ad se trahere conabatur. Altera vero vultu rigido, squalenti mœstoque ore, magnam fiduciam atque constantiam præ se ferens, nihil jucundum, nihil amœnum ostendebat, sed mille pericula, laboresque immensos terra marique subeundos. Præmium tamen horum immortale : ad extremum vero morientem Herculem se secuturam, et inter deos collocaturam promittebat ; hancque secutum Herculem dicit. Hucusque sanctus Basilius. Pulchre quidem viri isti virtutis ac vitiorum depinxere itinera plane diversa, sed tamen quia futuræ vitæ nullam habuere certam notitiam, non satis movent lectoris animum. Itaque quæ ab illis satis explicata non sunt, ex nostræ religionis indubitata persuasione petenda sunt. Nobis quidem certum est diversas planeque contrarias, ut jam ante diximus, homini propositas esse vias, quæ tandem non ad temporariam sed prorsus æternam vel felicitatem, vel miseriam perducant. Habetque utraque ducem suum, qui per eas ingredi volentes deducat. Virtutis viæ dux Christus est, vitiorum diabolus. In virtutum via, quam a mundi exordio Dei amici omnes amplexi sunt, prius demonstrantur mala multa et molesta homini exteriori, qui peccato corruptus continuum cum anima bellum gerit, detrectans illius imperium, quæ Deo obtemperare noluit ; sed mala hæc temporalia tantum, quæ postmodum sempiterna consequantur bona. In vitiorum autem via ordine contrario, prius temporalia offeruntur bona, sed quæ tandem ad æterna perducant mala, ut quicumque præsentia mala , quæ diuturna esse non possunt, cum justitia delegerit, malens ob conservandam Dei sui similitudinem momentaneis affligi incommodis, ut possit tueri virtutem ac innocentiam, quam quibuslibet gaudere oblectamentis cum injuria summi Dei, idem ipse majora et potiora consequatur bona, nempe æterna, quam fuerint illa quæ sprevit, utpote brevia et incerta. Quisquis autem labentis vitæ bona justitiæ præposuerit, aut carnis infirmitate, aut prava devictus consuetudine, vel obstinata animi irretitus improbitate, in acerbiora et diuturniora incurrat

Viarum duarum duces quinam sint. Via virtutum quam sit sensualitati difficilis.

Vitæ hujus sive molesta sive suavia non posse esse diuturna.

mala, quam ea quæ fugit. Hæc enim vita temporalis, quam justo Dei judicio a patria exules et extorres in hac totius miseriæ valle degimus, quia brevis et momentanea est, idcirco et commoda ejus et incommoda diuturna esse non possunt. Illa vero spiritalis, quia sempiterna est, idcirco et bona ejus et mala sempiterna sunt. Ita fit, ut et bonis brevibus, caducis, fragilibus, mala æterna, soloque auditu horrenda nimis, et malis brevibus ac momentaneis bona perpetim mansura succedant.

Vita præsens quibusnam videatur delectabilis.

Dicamus hæc paulo explicatius. In via perditionis, cujus dux est criminator ille tartareus et serpens tortuosus, quæque aspectu plana, et patens omni genere florum atque fructuum delectabilis esse videtur : non illis quidem, qui recte sapiunt, sed stolidis et obcæcatis, qui falsa pro veris sequuntur bonis. In hac, inquam, via posita sunt omnia, quæ pro bonis habent miseri et omnis veræ lucis alieni, ut est opulentia, honor, otium, voluptas, illecebræ omnes. Sed cum his pariter injustitia, superbia, libido, cupiditas, stultitia, cæteraque vitia, et quæcumque Deus execratur et odit. Hujus autem viæ exitus talis est. Cum ventum fuerit ad extremum, unde jam nulla datur facultas retrocedendi cum omnibus suis bonis fallacibus et illecebrosis, cum omni suo splendore ac commentitia felicitate tam subito præciditur, ut non ante miseri illius nexibus involuti ac obstricti, tum illius imposturam, tum sua pericula et damna perspicere possint, quam in profundum tartarorum chaos, quo illa omnes sui sectatores certissime perducit, ruant præcipites. Quisquis enim earum rerum, quæ præsens vita indiscriminatim bonis malisque ingerit et exhibet, molli ac delicata specie captus et illectus, atque in his, nulla habita voluntatis ac præceptorum Dei ratione, consequendis ac fruendis occupatus, animum a futurorum consideratione revocaverit, seque a Deo averterit, atque ad dæmonum castra transfugerit, is morte ex hac luce abreptus, mittetur in abyssum, et stagnum illud pice ac sulphure semper arsurum, dæmonesque ac impios omnes perenniter crematurum.

Vitæ præsentis vitiosæ exitus qualis sit.

Servitores vitæ præsentis merces quænam maneat.

Porro in cœlesti virtutum via, quæ difficilis et clivosa, atque vel horrida veprium ac tribulorum asperitate terribilis vel præruptis ac arduis rupibus minime pervia prima facie videtur, ita ut eam ingredi volenti multo labore ac sollicitudine utendum sit : quæ tamen Dei amor et gratia, atque ipsa hominis bona voluntas temperare solent. In hac ergo via posita est Justitia, Modestia, Continentia, Charitas, Sapientia, cæteræque virtutes : sed simul cum his paupertas, ignominia, labor, dolor, amaritudines omnes, ut quisquis veris appetat virtutibus ditescere, nihil horum perpeti vereatur : ut enim Apostolus ait : *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei ;* et : *Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur.* At quisquis nulli neque labori, neque molestiæ, neque dolori cesserit, sed in hac via Christi Domini auxilio subnixus, constanter perseveraverit, aut si quandoque nonnihil contingat aberrare, ad viam redierit, is tandem non ad campos Elysios, quos poetarum fabulæ loquuntur, sed ad æternæ beatitudinis perpetuas mansiones feretur, atque a Deo æquissimo Judice, et liberalissimo Imperatore suo corona virtutis, et pro laboribus ac doloribus virtutis causa toleratis, summa ac infinita felicitate donabitur. Ubi tum reipsa experietur quam verum sit, quod Apostolus plenus spiritu Dei affirmat : *Non sunt condignæ passiones* et afflictiones *hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis ;* et : *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Quid autem mirum est, si pro summis illis ac veris bonis, quæ promisit Deus fidelibus servis suis, nonnulli labores ac difficultates subeundæ sint, quando nihil pene tam vile est in hac vita, cujus obti-

nendi causa non sit labor aliquis perferendus ? Imo vero quid non periculi subeunt amici seculi hujus pro rebus quibusdam inanissimis? Athletæ, ut pulchre describit Basilius Magnus, mille supra mille patientes labores, et multis modis robur ac vires sibi comparantes, multumque in gymnicis sudantes exercitationibus plures insuper plagas ex pædotriba accipientes, dietamque non jucundam, sed gymnasticam subeuntes, et alia per quam multa sustinentes, tunc demum probe instructi ad stadium procedunt, ubi et laborant rursus et maxime periclitantur, ut oleastri, aut apii, seu cujusvis alterius frondis coronam accipiant, ut a præcone victores declarentur. Hujus simile quiddam scribit venerabilis ille æternæ sapientiæ discipulus Henricus Suso, cujus vita præclaris eximiisque virtutibus, atque etiam miraculorum gloria emicuit. Ait enim se circa suæ conversionis initio vehementi flagrasse desiderio omnipotenti Deo haud vulgariter placendi : sed absque labore et dolore. Accidit deinde, ut quodam tempore concionandi gratia foras proficisceretur. Cumque in navi sederet, inter alios vidit illic juvenem quemdam sane strenuum, et forma egregia, et optimis ornatum vestibus. Ad quem sese adjungens, quisnam esset ex eo sciscitabatur. Respondit ille, se ejusmodi esse hominem, qui nobiles et illustres viros inter se committeret, ut publicis certaminibus congrederentur, hastisque et id genus ludis palestricis dimicarent : quibus qui præcelleret eum honore affici, ac præmium reportare. Percontante autem viro sancto cujusmodi id esset præmium, ait ille : Feminam omnium pulcherrimam annulum aureum ejus digito inserere, idque illius esse præmium. Tum vir sanctus : Quæso, inquit, quid agendum est illi, qui id honoris, eumque annulum velit adipisci ? Respondit miles : Qui crebriores accipit plagas, acriusque angitur et premitur, nec tamen animo lassescit, sed sese gerit viriliter, immotusque equo insidet, et duris cædentium ictibus tundi se sinit, is nimirum victoriæ palmam recipit. Quid si, ait vir sanctus, primo congressu quispiam strenue se gerat, idne satis est ? Minime sane, inquit miles, certaminis discrimen omne ad extremum usque sustineat oportet : et si usque adeo immanes excipiat ictus, ut oculi igneas mittant scintillas, sanguisque ex ore et naribus erumpat, id omne ferendum est illi, si laudem referre velit. Rursusque vir sanctus : Licetne, ait, lacrymas illi emittere, aut ora frontemque in rugas contrahere, dum ita immaniter pulsatur ac cæditur ? Neutiquam, ait miles, etiamsi cordis defectum patiatur, ut plerisque accidit. Sed alacri ac hilari vultu sit necesse est : alioqui patebit ludibrio ac derisui, honoreque illo et annulo frustrabitur. His auditis pater ille venerabilis totus animo compunctus, alta imo ex pectore ducens suspiria et graviter ingemiscens, ait ad Dominum : Omnipotens æterne Deus, si hujus mundi milites pro tam vili præmio, quod in seipso revera nullius pretii est, tam dira perpeti habent : quam ergo plane dignum, æquum et justum est, ut æterni causa honoris obtinendi majora acerbioraque perferantur ?

Athletarum vanorum studia laboresque quam sint sine fructu.

Henrici Susonis vita quam virtutibus fuerit eximia.

Nihil igitur, ut dicere cœperam, charissimi, admirationis habet, si nonnihil laborandum sit pro æterna vita, quando amentissimi hujus seculi, ac stolidissimi homunciones multa prorsus immania pro vilissimis nugis subire non dubitant nedum præsentis, sed etiam æternæ mortis discrimina. Interim tamen, ne quis animo frangatur, tanquam via virtutum solis intolerandis, nimiumque duris ac impatibilibus sit plena molestiis ac periculis, id pro certissimo habendum est, ut jam ante meminimus, Dominum Deum servis suis suæ gratiæ aspiratione, sui amoris dulcedine, aliisque multis modis ita temperare adversa omnia ut sæpius nedum æquanimiter, sed etiam hilariter perferantur. Contra vero vitiorum via etsi blanda omnia promittit, tamen innumeris sui sectatores miseriis, afflictionibus, laboribus ac

Pro bonis æternis nullis parcendum esse laboribus ac molestiis.

Vitia quomodo suos amatores excrucient.

doloribus divexat, etiam antequam ad terminum pervenerit : idque adeo ut plerique ex iis adhuc in corpore superstites inferorum cruciatus ac supplicia in mente et conscientia patiantur, præter externa mala, quibus sæpe multo frequentioribus ac acerbioribus, quam qui virtutum gradiuntur itinere, affliguntur, uti jam partim commemoravimus. Unde etiam quidquid sive hic, sive alibi de asperitate illius viæ, quæ virtutibus assignatur, dictum est, ad illos referendum est, qui a vitiis sese ad virtutes transferre instituunt : quibus initio certum est laborandum esse, donec ad exterioris interiorisque hominis aliquam reformationem, ac passionum edomationem pertingant : qua adepta, jam ineffabilem potius jucunditatem ac suavitatem, quam asperitatem ullam experientur. Nam si qua presserit eos adversitas, non solum non dolebunt, sed gaudebunt etiam : quandoquidem ea nihil homini expurgato, sed carni tantum nocet. Eam autem premi meritasque Deo solvere pœnas lætabuntur, utpote, quam ceu hostem crudelissimum oderunt. Quod quidem ad virtutem heroicam pertinet, gaudere videlicet et lætari de omni adversitate illata corpori et animali nostro inimico quidem acerrimo.

Laborandum quantum sit pro reformatione exterioris interiorisque hominis.

Sunt namque virtutes quadrifariæ, nempe Civiles vel Morales, Purgatoriæ, Heroicæ, et Exemplares. In Civilibus vel Moralibus, homo laborat : in Purgatoriis prævalet : in Heroicis lætatur : in Exemplaribus splendet et divinitatem consequitur. Itaque in Civilibus et Moralibus virtutibus præcipue labor est nulla ferme redemptus delectatione, quæ est in aliis virtutibus melioribus : quanquam Dominus Deus, pro sua benignitate, etiam novitiis et qui circa morales versantur virtutes, nonnunquam haud mediocrem solet dulcedinem instillare, ut fortius perseverent. Sed tamen, ut diximus, illis potissimum, hoc est, novis Christi tyronibus, et qui virtutum viam ingredi incipiunt, passim prædicatur arduum esse et difficile ipsarum virtutum iter : quo facit illa divi Basilii sententia : Aspera primo et pene invia, sudorisque continui, ac laborum plena est virtutis via. Quamobrem magna vis exquiritur propter arduitatem illius capessendæ : nec affectanti facile est ad illius cacumen accedere. Itemque illa Lactantii Firmiani : Ad supremum boni apicem, nonnisi cum summa difficultate ac labore pervenitur. Hæc enim ad inexercitatos magis spectant, quam eos qui jam longe in virtutibus progressi, aut virtutis perfectionem adepti sunt : qui cum Propheta dicunt : *In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis;* itemque : *Dilexi mandata tua super aurum et topazion ;* et illud : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa : desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum;* itemque : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Quibus nimirum non modo aspera non est virtutum via, sed suavissima, et jugum Domini vere suave, et onus leve : quibus amor cuncta reddit facillima, quæ minus amantibus sæpe nimis onerosa et difficilia videntur. Sed jam his ita de utroque, puta et virtutum et vitiorum itinere perspectis, cognitoque quorsum utraque tendat, studeamus, dilectissimi filii, illi inhærere viæ, quæ lætissimum habet exitum : eam autem fugere et execrari, cujus finis mors est sempiterna. Namque hoc pacto expediemus nos ad quod initio vos hortatus sum ab impedimentis illis omnibus, quæ non sinunt nos cum Christo in cœlum proficisci : amplectemurque et comparabimus nobis ea, quæ nos ad superna elevent.

Virtutes esse in quadruplici discrimine.

Via virtutum quibusnam sit difficilis in principio.

Si membra summi capitis sumus, si quod fide credimus, animo concupiscimus : si denique non fallaciter Christi nomine gloriamur, sequamur Christum, caput nostrum, in cœlos ascendentem, quæramus et expetamus ea, quæ sursum sunt, non quæ super terram. Et sicut a Christo nos gaudemus christianos dici, ita nihil admittamus unquam, quod tanti nominis gloriam

Ba

La

Ps. c 14.

Ibid.

Ibi xviii. 11.

Ibi cxvii

Qui nam virtut suavis

Chris nos se quomo oporte

et dignitatem obscuret. En sedet ad Patris dextram gloria et honore coronatus Christus Jesus dux et signifer noster, ut se sequamur summopere exoptat. Dolet nos animi amore et affectu hisce vilibus conjungi rebus, quos cœlestibus mallet ditare bonis. Clamat indesinenter ad nos : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Contemnite diabolicas fraudes, quibus implicat vos nequam ille spiritus, ne me sectemini. Transite ad me omnes, et divitiis meis implemini. *Spiritus* enim *meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Quæso, charissimi, obtemperemus vocanti nos Domino, nec obduremus corda nostra, ne si nos illius modo benignitatem contemnimus, quandoque audire cogamur quod se sui contemptoribus dicturum comminatur : *Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, evenerit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit : quando venerit super vos tribulatio et angustia. Tunc invocabunt me, et non exaudiam ; mane consurgent et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint. Comedent igitur fructus viæ suæ, et consiliis suis saturabuntur.* Quod a nobis avertat clementia Salvatoris nostri Dei. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, per omnia secula seculorum, Amen.

Matth. XI, 28.

Eccli. XIV, 27.

Prov. I, 24-31.

FERIA SECUNDA

POST SOLEMNITATEM PENTECOSTES

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

APERIENS Petrus os suum dixit : Viri fratres et patres, nobis præcepit Dominus prædicare populo et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificabant Deum. Tunc respondit Petrus : Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos? Et jussit eos baptizari in nomine Domini nostri Jesu Christi. *Act. X.*

POSTQUAM Apostoli receperunt Spiritum Sanctum, augebatur quotidie credentium numerus. Nam et Cornelius Centurio cum omni domo et familia sua, vocatisque ad se necessariis et amicis, ex Joppe accersivit Petrum Apostolum, qui sibi ac suis, juxta revelationem per Angelum sibi factam, viam annuntiaret salutis. Quod ubi Petrus adveniens esset facturus, aperiens os suum, dixit : Viri fratres et patres, nobis præcepit Dominus prædicare populo dicens : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ :* et testificari, quia ipse est, qui etiam secundum naturam humanam constitutus est judex vivorum et mortuorum. Apparens namque post resurrectionem Apostolis Jesus : *Data,* inquit, *est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Et ante passionem idem de Patre loquens, dicit : Potestatem dedit ei, id est, Filio Pater et judicium facere, quia Filius hominis est. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio.* Huic Christo Domino omnes prophetæ qui eumdem præcesserunt, testimonium perhibent hoc, puta, ut omnes qui credunt in ipsum, remissionem accipiant per nomen ejus. Hoc, inquit, testimonium afferunt Christo omnes prophetæ, credentes universos justificari per nomen ejus, hoc est, per fidem et invocationem nominis ejus.

Marc. XVI, 15.

Matth. XXVIII, 29.

Joan. 22.

Hæc ita Petro loquente, interim cecidit, id est, subito venit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, hoc est, super Cornelium et super illos, quos advocaverat præsentes. Descendit autem haud dubium in specie aliqua visibili aut sensibili Spiritus Sanctus, quamvis in qua descenderit specie, sit incertum. Hoc viso

obstupuerunt qui ex circumcisione erant fideles, qui cum Petro advenerant, præ admiratione, quod in nationes seu in Gentes gratia quoque Spiritus Sancti diffunderetur, cum abundantia tanta et miraculosa sui ostentatione. Consueverunt enim semper Gentes Judæi despicere, tanquam idololatras et homines sine Deo, se vero efferre quasi Dei cultores. Quapropter sibiipsis nimium haud raro tribuerunt de conversione sui ad Christum, quasi propter legis observantiam, et per bona opera in Judaismo facta, meruerint (quod falsum erat) ad fidem Evangelicam converti. Cum itaque parem gratiam viderent effundi in Gentes, qui idolis jamdudum sacrificaverant, stupebant præ admiratione divinæ benignitatis et largitatis. Audiebant enim et illos loquentes variis linguis, quomodo in die Pentecostes locuti fuerant Apostoli. Quamobrem, ut dixi, admirabantur magnificantes Deum.

Judæi uti entiles abuerint espectui.

Tunc respondit illis qui ex circumcisione advenerant admirantibus Petrus : Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos ? Receperant hi ex Gentibus conversi revera Spiritum Sanctum in signo exteriori, donumque linguarum sicut Apostoli, licet non in tanta plenitudine, quanta Apostoli : ideo non erant a baptismo procludendi, quos Spiritu Sancto Christus dignatus fuerat. Quapropter Petrus jussit eos baptizari in nomine Domini nostri Jesu Christi. Non baptizabant Apostoli impediti verbo prædicationis, cui magis utiliusque insistebant, per discipulos suos noviter conversos baptizantes. Hoc namque et Apostolus Paulus fecit, dicens : Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Observa tamen hic, quod perhibentur baptizari in nomine Domini, hoc est, in nomine Jesu. Quocirca non immerito quis dubitet, cur Apostoli in nomine Jesu baptizaverint, cum illis sit dictum : Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Verum absque dubio putandi sunt Apostoli familiari consilio Spiritus Sancti illuminati, ut in principio ad tempus aliquod baptizarent in nomine Jesu, propter gloriam Christi in principio nascentis Ecclesiæ magis exaltandam. Sunt tamen qui hodie hunc ritum baptizandi in nomine Domini Jesu, aut in nomine Jesu, aut Christi, dicerent non esse baptismum, quamvis aliis aliud placeat. Observandum quoque est hic Cornelium et eos qui cum illo erant, Spiritum Sanctum recepisse antequam baptizarentur, fide nimirum purificante corda eorum, et quia parati accinctique erant exspectantes baptismum.

Baptizati quinam fuerint in nomine Christi.

Matth. XXVIII, 19.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FERIÆ, JOANNIS III.

ANTE verba Evangelii hodierni Christus cum Nicodemo tractans, dixerat : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hujus rationem quasi nunc assignaturus, in hæc verba quæ hodie ab initio leguntur Evangelii, continuat : Sic enim Deus dilexit, etc. Poterat enim objici in præcedentibus verbis : Cur exaltari oporteat Filium hominis, et cur in illum credi, cum in neminem sit credendum, nisi in Deum ? Huic ut quæstioni satisfaceret, Christus humiliter de se loquens, ostendit Filium hominis non hominem tantum, sed modeste, et quasi

oann. III, 4, 15.

clanculum hoc ipsum quoque insinuat, ut Filius hominis idem intelligatur, qui et unigenitus sit Filius Dei, quem Deus dederit ex dilectione, ut in mundi salutem exaltaretur ad modum serpentis in cruce, ut quisquis fide in illum intuens, ipsum Salvatorem credens non pereat, sed habeat vitam æternam. Dicit itaque :

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Mundum sumi trifariam.

Mundus in triplici accipitur differentia. Est namque mundus, cujus Deus creator est : est mundus, cujus est redemptor : et est mundus, cujus diabolus princeps et rector est. Primo accipitur modo, ubi in Joanne scriptum est : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est.* Hic mundus Dei est semper, nunquam diaboli. Secundo modo accipitur : Sic Deus dilexit mundum, etc. Ideo enim quia dilexit, redimere statuit. Est ergo mundus hic fidelium universitas : quod alibi quoque pari modo indicat, dicens : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et in Apocalypsi : *Factum est regnum hujus mundi Domini et Christi ejus qui regnabit in secula seculorum.* Tertius mundus, est universitas malorum. Hujus princeps et rector est diabolus, de quo Christus : *Nunc,* inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras.* De hoc quoque mundo intelligitur, quod Christus dixit : *Non potest mundus odisse vos. Me autem odit, quia ego perhibeo testimonium de eo, quod opera ejus mala sunt ;* et illud : *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Nam si quis diligit mundum, non est charitas Patris in illo.* Itaque hic secundo accipitur modo, cum dicitur : Sic Deus dilexit mundum, id est, universitatem fidelium, ut Filium suum unigenitum daret. Vide quanta efficacia verborum. Nihil est quod hominem adeo invitat, adeo allicit, adeoque trahit atque amor. Nihil igitur in excitationem nostri validius, nihil quod accendat nos ad redamandum, posset dici efficacius, quam, sic Deus dilexit mundum. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari in cruce oportet Filium hominis. Quare, o Domine, oportet te exaltari ? Quia nolo te perire. Sanguine te meo redimam oportet. Tu enim vulneratus es peccato et a serpente læsus. Et ego vulnerabor propter iniquitates tuas. Atterar propter scelera tua, ut tu meo livore saneris. Neque enim levis mihi causa est tui salvatio, aut tui perditio. Nolo ergo mortem peccatorum : quandoquidem Deus Pater meus adeo dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret in mortem, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Joann. I, 10.

Ibid. III, 16.

Ibid. VI, 52.

Apoc. XI, 15.

Joann. XII, 31.

Ib. VII, 7.

I. *Joann.* II, 15.

Amore nihil esse validius.

Hæc, inquam, sunt verba efficacissima Filii ad excitandum nostrum amorem erga Deum. Nonne vides quæ cura sit Deo de nobis? Quid autem nos sumus, ut memor sit nostri ? Quæ ex nobis aut bonitas aut utilitas ei speranda est, ut cogitet de nobis ? Aut quid illi accedit, si nos salvi fuerimus ? Quid amittit si ab eo recesserimus ? Quid vero commodi illi est, quod nos diligit ? prorsus nihil. Neque enim ut a nobis quid accipiat nos diligit, sed ut largiatur nobis tam dona sua, quam seipsum, amat nos. Causa itaque quare dona et beneficia sua nobis confert, est, quia amat nos. Sed expende quid sit amari a Deo. Numquid non permagnum foret, si vel de nobis cogitet Deus ? Præclarum habetur, gratissimum atque gloriabundum videtur nobis, nostri esse memoriam apud regem et principem. Quid de Deo sentiendum, cujus tanta est charitas erga nos, ut suum Unigenitum malit dare in mortem, quam nos non liberare a morte ? Est autem amor Dei liberalissimus, quia nos amat, non propter se, sed propter commodum nostrum. Neque sibi amando acquirere aliquid quærit, sed quod bonum ipse est, nobis communicare. Porro alia hominibus est amandi ratio Deum. Homo enim amando in suo opere intendit aliquid boni impetrare, quod vel præcipue quæ-

Am
Deo
sit.

rit, aut saltem (idque ordinate) propter Deum.

Amoris ei erga os magnitudo ex quatuor consideratur.

Sic Deus, inquit, dilexit mundum, hoc est, tam vehementer, tam potenterque dilexit, ut non solum hoc quod gravissimum, sed etiam quod irrationabile videbatur, ageret, Filium suum unigenitum dans in mortem, et servum nequam liberans. Est igitur Dei amor erga nos magnus, quod quadrifariam potest ostendi. Primo inspice eum, et quis sit qui te diligit, expende. Invenies enim immensum et infinitum, nempe Deum. O quam jucundum et gaudiosum est amari a Deo, o quam nobile ac præstans est in gratia esse Dei omnipotentis! Secundo liquet amoris magnitudo divini ex vilitate amati, hoc est, hominis qui inquinatus est totus, et amari indignus. Tertio, ejus magnitudo manifestatur ex dono dato, hoc est, ex magnitudine doni. Sic dilexit, inquit, Deus mundum ut unigenitum suum daret. Quarto, magnitudo divini amoris apparet ex magnitudine fructus. Hic enim haudquaquam est exiguus, sed tantus, ut ex ejus nobis amore proveniat non solum non perire, sed vitam etiam habere æternam. Ita enim sequitur: Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Observa quod non dicit: Omnis qui credit ei, aut qui credit eum. Hoc enim modo multi crediderunt Christo, multi etiam Christum crediderunt, qui tamen non obtinuerunt vitam æternam. Hoc etiam modo hæretici credunt Christum fuisse, et sic locutum fuisse. Credunt etiam Christo, ut omnia quæ dixit, vere locutus sit (hæc namque est hæreticorum fides, quæ eos haudquaquam salvabit, quandoquidem hæc fides per dilectionem non operatur); sed dicit: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat.

Credere in eum quid.

Aliud namque est ipsum aut ipsi credere, aliud in ipsum credere. In ipsum credere, non solum fides, sed est etiam cum fide motus charitatis in Deum. In Christum itaque credit, qui charitatem habet. Est itaque credere in Deum, quasi credendo tendere in Deum.

Non enim misit Deus Filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

Non ad hoc Jesus in primo venit adventu, ut peccato nos obrutos opprimeret, sed venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Idcirco dictus est Salvator mundi, ut mundum salvet. Quantum in medico est, venit sanare ægrotos. Tu igitur teipsum interimis, si præcepta servare non vis medici. Christus venit ad salutem omnium. Si tu salvari cupis, ausculta verbis Christi. *Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serva mandata.* In tuo nunc est arbitrio, si velis salvus fieri. Omnia tibi parata sunt remedia salutis, modo illis uti volueris. Hæc si neglexeris, non habes quod conqueraris, nisi contra teipsum.

Luc. XIX, 10.

Matth. XIX, 17.

Qui credit in eum, non judicatur.

Qui credit in Christum, hic ex fide jam habet unde sit salvus. Credit enim quod paulo ante Christus præmonuit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, et festinat renasci. Non igitur judicabitur ad condemnationem. Judicantur tamen hic omnes judicio discretionis. Discernitur enim hic inter bonos, meliores, et optimos: discernitur quoque inter bonos et malos et pessimos. Hic tamen qui credit in Christum, non judicabitur, id est, non condemnabitur. Quamdiu enim credit in eum, fidem habet charitate viventem, ut ejus in quem credit et optet honorem, et velit voluntatem. Quamdiu ergo hoc modo credit in eum, certum est, ut alibi dicitur, in judicium eum non venire, sed transire a morte ad vitam. Hæc omnia de fide viva et formata, quæ per dilectionem operatur, intelliguntur.

Joann. III, 3.

Qui autem non credit in eum, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

Nondum apparuit judicium, et jam factum est judicium, quia qui non credit in eum hic jam habet in se causam, quare damnandus sit. Circumfert enim, ut dici solet, sicut fur funem in collo secum suæ damnationis causam, quia non credit in nomine Filii Dei. Sicut Adam eodem die quo comedit de ligno prohibito, mortuus est, hoc est, morti deputatus, juxta illud: Gen. II, 17. *In quacumque hora comederitis, morte moriemini*, sic is qui non credit in Christum, judicatus est, id est, judicio damnationis deputatus, quia non credit in nomine Filii Dei, in quo solo est salus. Itaque judicatum esse, est juxta sua demerita in præsentiarum damnationis reum esse. Novit enim Dominus qui sunt ejus, hoc est, eos qui ad se pertinent. Novit modo qui pertineant ad coronam, novit etiam qui permaneant ad flammam. Satis, inquit, jam judicatus est, qui in hac vita nunquam habuit unde potuisset salvari. Qui enim fidem non habet, nunquam salutis portam intravit. Nunquam accepit unde illi spes foret salutis. Manifestam indubitatamque igitur habet rationem damnationis, utpote in qua natus est, quam nunquam insuper exuit. Hujus autem est causa, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei, in quod si semel credidisset, consortem se æternæ fecisset salutis. In hoc enim solo nomine est salus. Act. IV, 2. *Neque enim datum est sub cœlo nomen aliud hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Si hic objiciatur de parvulis baptizatis ante rationis usum, necdum ad credendum idoneis, quia non crediderunt: Numquid ergo, licet baptizati sint, non erunt salvi? Erunt. Virtus enim sacramenti et fides, responsionesque offerentium, quæ ipsorum nomine fiunt, salvabit eos: unde in numero computantur credentium. Si enim alienum peccatum, puta Adæ, sufficiebat eis, cum nondum nati, nec ad peccandum idonei essent, ad damnationem, quomodo non etiam aliena fides, quamdiu ad credendum nondum sunt apti, eis prodesset ad salutem?

Fides in pueris baptizatis quæ exigatur.

Sciendum præterea, et aliter hæc verba posse intelligi. Siquidem cum Dominus dicat: Qui autem non credit, jam judicatus est, dicit semel eum judicatum. Ubi? In patre suo, in primo peccatore antecessore suo. Quando enim ille judicatus, et e paradiso ejectus est, tunc etiam in illo omnes sunt judicati, qui sunt de semine ejus. Quicumque igitur in eo, hoc est, in Adam expulsus est, nisi credat in nomine Filii Dei, nisi credat velitque renasci denuo, puta ex aqua et Spiritu Sancto, expulsus et judicatus manebit in æternum foris. Quicumque autem sic non credens, expulsus, et in generali massa judicatus est, non propterea minus judicabitur in sua etiam persona. Quia sicut non dictum est: Qui credit in eum non est judicatus, sed non judicabitur. Judicatus enim semel est, dum esset in lumbis Adæ patris sui, sententia illa generali. At ubi credit postea, ubi fuerit baptizatus, non judicabitur in sua persona, quia credit in nomine Filii Dei. Sic etiam non dicit: Qui non credit, judicabitur, sed judicatus est. Itaque qui non credit, judicatus est in massa generali, et judicabitur nihilominus in sua persona de perfidia sua, hoc est, de reproba omni vita sua. Quamdiu enim in eo est perfidia, quamdiu in eo non est fides, peccata ejus omnia sunt super eum: pro quibus eum judicari oportet.

Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Erant enim eorum mala opera.

Hæc est, inquit, ratio judicii, vel inde apparet justitia, quod infideles et impii merito judicabuntur, quia inexcusabiles sunt, et illorum damnatio justa est. *Venit* Joan. 19. *enim lux in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Nemo per ignorantiam se potest excusare, quia lux venit in mundum omnibus lucens, et viam veritatis docens. Præcesserunt luminaria multa verbo et vita lucentia, atque mundo, ut suam nuditatem vilitatemque agnosce-

ret, suadentia. Prædicabant ut suum resumerent homines vestitum, suumque ornatum. Multi enim justi ante legem et sub lege Christum præcesserunt, qui satagebant populum in viam veritatis et in Dei veri cognitionem cultumque reducere. At dilexerunt homines tenebras magis quam lucem : imo et juxta parabolam Evangelicam, quosdam eorum percusserunt, quosdam lapidaverunt, et quosdam occiderunt, tandem lux ipsa Christus venit. Dicebat enim Pater : Verebuntur Filium meum. Venit lux Christus. Prædicavit mundo pœnitentiam, prædicavit regnum cœlorum, vocavit eos ad suave jugum amoris, et onus suum leve (quod suis imponere solet) amplexandum. *Jerusalem,* inquit, *qui occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt : Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas, et noluisti.* Quare prophetas, quare antiquos justos, quare Christum audire, ad eumdemque se convertere noluerunt? Quia dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Peccata tenebras vocant, vel quia ad æternas tenebras auctorem suum perducunt, vel quia in peccatis viventes tenebras, hoc est, latere cupiunt. Male enim operantes in occulto sua explere desideria quærunt. Est autem minus excusabile, dum quis in lucis præsentia, dum lucis habere potest copiam, vult hærere in tenebris, quod tolerabilius foret luce absente. Quamobrem major hic apparet hominis ingratitudo, quandoquidem lux orta est ei. Venit lux in mundum omnem illuminare hominem. Venit medicus sanare omnes. Occurrerunt nonnulli sese infirmos agnoscentes, cupientes ab infirmitatibus suis liberari. Alii impugnaverunt etiam medicum, restiterunt medico, noluerunt ab eo sanari : *Recede,* inquiunt, *a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Et hoc ideo, quia dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Hoc Simeon quoque olim vir justus futurum de infante prophetavit Christo : *Ecce,* inquiens, *hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.* Venit ut filios suos colligeret, semen puta Abrahæ. Venit etiam omnibus generaliter, quia volebat salvum facere omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed multi sua malitia abundantes occasionem sibi sumpserunt ruinæ : multi etiam de peccatis suis resurrexerunt. Erant enim eorum mala opera.

Matth. , 37.

XXIII,

Peccata r vocen- tene- e.

, XXI,

. II, 34.

Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.

Qui enim vult esse in tenebris, quomodo potest non odisse lucem? Qui malus et iniquus dedita etiam ad hoc opera esse cupit, illi non ostendis, quas ignoret tenebras. Sunt enim ejus mala non solum opera, verum etiam studia. Sed dicis : Quorum non erant, dum Christus venit, mala opera? Nonne ideo Christus venit, ut nos ab operibus liberaret malis? Quomodo ergo judicandi sunt quorum opera erant mala, si fere omnium erant mala? Quis enim mundum se gloriabitur habere cor? Erant sane opera mala. Verum cum ita se res haberet, quidam tamen horum sua opera mala voluerunt abscondere, maluerunt in tenebris esse, noluerunt opera sua mala deserere : ideo non venerunt ad lucem, ne eorum opera arguerentur. Alii sua opera mala detestati sunt, planxerunt, seque cupiebant ab his liberari. Requirebant medicum, ejus curæ se subdiderunt. Hi nimirum venerunt ad lucem, quoniam peccata sua damnare non modica est pars justitiæ.

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem : ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt.

Quomodo, inquis, in homine pœnitente opera in Deo sunt facta? Nempe ideo, quia cum Deo jam sentiens, sua opera mala cum Deo damnat, odit et persequitur. Damnare namque, odisse, persequi, corrigereque peccata sua, est opus facere in Deo et cum Deo. Qui enim hujusmodi sunt, hi illuminati

Opera sua facere in Deo et cum Deo quid sit.

sunt, quia venerunt ad lucem : hi curati sunt, quia obtemperarunt medico. Hi, inquam, quia volebant facere veritatem, odientes iniquitatem et mendacium, venerunt ad lucem. Neque enim erubuerunt opera sua, quæ voluerunt esse manifesta, quia in Deo sunt facta. Det nobis, filii, piissimus Jesus cognoscere vilitatem nostram, iniquitatem nostram, deformitatem nostram, detque nobis easdem reformare, atque ad cultum suæ voluntati acceptissimum reducere, ut in ejus luce tota die ambulemus, qui est benedictus in secula, Amen.

SERMO IN EADEM FERIA

QUOMODO CHRISTUS NOBIS SIT LUX.

LUX *venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Joannis III, 19.

Cum Dominus noster Jesus Christus ante dixisset, Filium hominis non venisse in hunc mundum ut judicaret mundum, sed ut mundus per ipsum salvaretur, voluit in hoc omnibus spem veniæ prærogare, eosque ad se invitare, qui peccatis erant onerati. Erant enim omnes peccatores. Qui ut auderent ad Christum accedere, necessarium erat ut illis sinum aperiret pietatis. Necessarium erat, ut sese Patrem, consolatorem, Salvatoremque promitteret, non judicem. Si enim mundum venisset judicare, quis reus nisi compulsus accederet judicem ? *Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit ?* Primum ergo hunc suum adventum ad nos mitissimus confitetur esse ad nos liberandos a peccatis, ad salvandos nos, et sibi in filios adoptandos. Quapropter ne quispiam timeret propter peccata sua Christum accedere, veniam desiderantibus singulis libenter donavit, quia (ut dixi) non venerat judicare mundum, sed mundo misereri. Quod vero in secundo adventu judicabit nos, hoc erit propter nostram ingratitudinem, quia cum gratiam suam et nostrorum peccatorum remissionem ultro nobis ante obtulerit, hanc sprevimus accipere, et beneficia ejus, prædicationes, labores, vigilias, passiones, reliquaque nostræ redemptionis opera omnia nobis per contemptum seu negligentiam nostram inutilia fecimus. Ideo in Evangelio hodierno dicit : Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, id est, propterea homines judicabuntur, et hoc ab eis requiretur, quod lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Ego quidem nunc venio, non intendo in judicium homines adducere, sed eos a peccatis eximere et liberare. Venite ad me omnes qui laboratis desideriis vestris et concupiscentiis. Venite omnes qui peccatorum grandi estis mole onerati, et ego reficiam vos. Salvabo vos et liberabo, jam nolite timere. Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi. Ambulate dum lucem habetis. Ego vos docebo, ego ducam, ego protegam, ne tenebræ vos comprehendant. Verum, si contemnitis nunc gratiam quæ vobis offertur, de hoc judicabimini, quod lux venerit vobis, sed vos magis amastis tenebras quam lucem. Lux venit in mundum. Christus est lux, sicut scriptum est: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Est quædam lux illuminata, et est lux alia illuminans. Apostolis quoque Christus dixit : *Vos estis lux mundi.* Erant quidem Apostoli lux, per quos etiam Christus luceret in cordibus nostris : sed erant lux illuminata a Christo. Christus autem dicitur

Ps. CXXIX, 3.

Joa 5.

Ibi. Lux dui

Ma 14.

vera lux, quæ non habet ex accidenti seu ab alieno sed ex seipso, ut luceat.

hristus nobis sit ltis mo-

Itaque Christus lux est mundi multipliciter. Primo enim lux est mundo sua eruditione. Docuit enim nos mundum et carnis delicias spernere, docuit humiles et mites nos esse, docuit eos qui nos oderunt, diligere. Et quid est, quod ad salutem nostram pertinens non docuit? Ejus igitur eruditio nobis lux est, qua videamus, quid ubive sit nobis cavendum, et quid sit amplectendum. Est etiam vivendo atque patiendo nobis lux Christus. Nam infans dum hunc ingrederetur mundum, quæ nobis mox orta lux est? Dum enim diversorio excluditur, dum nascitur in stabulo, dum ante jumentorum ponitur ora, dum pannis involvitur, dum denique omnia hæc carnis incommoda, et ea quæ sunt carni molestiora elegit, nonne ejus paupertas, humilitas, patientia et simplicitas hic nobis luxere? Nonne in nobis interim reprehenditur ostentatio, avaritia, superbia, voluptas seu carnis deliciæ? Si igitur omnia hic aspera Christus tenerrimus infans sustinuit, Christi interea servus numquid delicias et gloriam quæret? Itaque luce sua quid amandum, quid respuendum sit, Christus docuit. Debet enim membrum corporis suo conformari capiti. Quapropter ubique Paulus clamans ad Christi imitationem nos invitare contennn.VIII, dit. Christus quoque ipse lux nostra: *Qui sequitur me,* inquit, *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quia ego ejus qui me vult imitari, dux sum et legifer, idem sum et lux, et via, et veritas, et vita.

Est præterea Christus lux nobis lucens in Sacra Scriptura erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie et pie et juste vivamus in hoc seculo. Inde enim nos erudiens, quibus datum non est tempore Christi vivere, ad nos tamen in Sacra Scriptura ejus tam gesta quam verba pervenerunt. Hæc nobis lux sunt, qua ad Dei instruimur voluntatem. Hæc lux contraria est concupiscentiis nostris, et adversatur carnalibus nostris desideriis: roborat autem spiritum. Unde scriptum est: *Concorda cum adversario tuo quamdiu es in via.* Sacra Scriptura, sive Dei verbum contrarium (ut dixi) est ubique carnalibus concupiscentiis nostris. Nos enim sumus avari, at Dei verbum præcipit largiri et misereri. Nos superbi sumus, Dei verbum nobis mandat humiliari. Nos irascimur et invidemus fratri, verbum Dei præcipit reconciliari, jubet sine causa non irasci, jubet offendentibus injuriam dimitti. Vide ergo ubi senseris Scripturam Sacram tuis peccatis tuisque desideriis malis adversari, hic intellige lucem tibi esse Sacram Scripturam, quæ tibi peccata tua, quæ tibi vitia corrigenda ostendat. Quapropter tibi in hac re adversaria est, quia optares tuis desideriis potiri, ipsa id prohibente. Huic in via, hoc est, in hac vita te concordare oportet, nisi cum viæ finis advenerit, ab eodem adversario tuo, hoc est, a reclamante tibi Sacra Scriptura accusari (te enim in propria tua conscientia accusabit, quia in via sibi non concordasti), et a judice damnari, in carcerem conjici, subireque supplicium malueris. Dixi igitur Sacram Scripturam tibi esse lucem, aut in Sacra Scriptura Christum tibi loquentem esse ducem verum, ut Christus loquitur: *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Oculis lippis certe lux est odiosa, et pravis mentibus odiosa est veritas. Proinde Pharisæis Christus dicit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: ideo vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Hoc quid aliud erat dicere, quam si dixisset: Vos ideo non venitis ad lucem, quia magis diligitis tenebras vestras quam lucem?

Matth. v, 25. Adversarius noster, cum quo in via concordare debeamus, quis sit.

Joann. III, 19.

Ibid. VIII, 47.

Tertio, est Christus nobis lux, quæ nobis lucet, quæ nos dirigit ac docet per sanctam inspirationem. Nemo est qui non sentit se multoties illicitorum argui intus in mente. Hi autem potissime divinam recipiunt inspirationem, qui libenter instinctui hujusmodi divino acquiescunt. Sunt enim grati Deo, et ejus non contemnunt vocem. Sic David: *Audiam,* inquit, *quid loquatur in me Dominus Deus.* Et Samuel:

Inspirationem divinam quinam recipiant.

Ps. LXXXIV, 9.

I. *Reg.* III, 9. *Loquere,* inquit, *Domine, quia audit servus tuus.* Deus itaque eos qui hujusmodi sunt, sua continua dignatur allocutione interna, qua efficiuntur meliores. At vero hi, qui inspirationes sacras negligunt, et nonnunquam dedita opera illis resistunt, hoc est, qui ex harum admonitione, ubi se sentiunt tristari aut turbari, alienas peregrinasque studiose quærunt consolationes, ut timoris quem ex instinctibus hujusmodi, et ex reprehensione Spiritus Sancti contraxerunt, tristitiæque salutaris obliviscantur (volunt enim hic lætos possidere dies, et abesse a tristitia quacumque) ; unde non solum ad quod divinitus monentur, id non faciunt, sed etiam admonitiones ipsas nolunt. Hoc quid aliud, quæso, est, quam Spiritui gratiæ contumeliam facere? Habemus hoc ex verbis Christi, cum de missione Spiritus Sancti Apostolis loqueretur : *Cum venerit,* inquit, *Spiritus ille veritatis, ille arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* Arguit revera et per seipsum intus homini in mente loquens, et per hominem foris erudiens. Verum filii hujus seculi, quomodo dicit Christus, magis diligunt tenebras quam lucem.

Inspirationum divinarum neglectores quid periculi incidant.

Joann. XVI, 8.

Quarta, lux est nobis Christus in omni homine, qui veritatem docet. Christus enim veritas est. Et quisquis sive doctorum, sive prælatorum, aut bonorum fuerit amicorum, qui nobis veritatem dicit, hic lucem nobis ostendit, qua videamus quomodo sit nobis in Dei itinere ambulandum. Libenter sufferamus igitur correptiones ab hominibus, quocumque etiam animo illi nobis nostras infirmitates ostendunt, aut defectus objiciunt, quia expedit nobis (tametsi tristes interdum audiamus) ut qui nos oculis nostris intueri nolumus, nos ab aliis monstrari nobis. Undecumque itaque veniat correptio, a quocumque veritatem audieris, Christum tibi loquentem intellige. Converte te ad lucem, exhibe hujusmodi vultum loquenti, ut gaudeat de suæ exhortationis fructu. Fac ita gratias agas illi, ut cum denuo quid in salutem tibi fuerit dicendum, non timeat te gravate laturum, memor quod prioris exhortationis charitatem a se animo candido tuleris. Noli te corrigenti exhibere eum qui tenebras suas diligat, qui in tenebris manere instituerit, aut qui tenebras etiam suas propugnet. Hoc enim impie satis nonnulli faciunt, non solum inter mundanos, sed etiam in monasteriis, aut inter alios in congregatione bonos viventes (quod minime est salutis indicium). Hoc namque modo nonnulli vivunt, ut eorum vita omnibus sit fastidio, omnibus luctui, omnibus molestiæ : tolerantur tamen, tametsi propter generale vitandum scandalum, aut pro tutanda conscientia prælati, necesse sit quandoque eos objurgari. Quod tamen ubi factum fuerit, nullo possunt placari sermone. Tenebras enim suas defendunt, et eos qui se avocare ab his contendunt, odiunt atque persequuntur. Officium charitatis, hoc est, monitionem sui, odium et persecutionem clamant : quo fit, ut aliquando eos sit necesse omnino relinquere sibi, ne deteriores fiant. Heu, bone Jesu ! quis hos a tenebris extrahet? Quam verum est quod in hodierno Evangelio Christus subjungit: Omnis enim qui male agit, odit lucem ; et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. De his enim loquitur qui lucem odiunt, qui tenebras amant suas, et in proposito perseverant peccandi : non de his qui aliquando oderunt veritatem, et peccaverunt, modo vero saniori vivere instituunt mente, et seipsos corrigunt. Unde de illis quoque Apostolus dicit : *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei.* Omnis igitur, non qui per ignorantiam aut per infirmitatem labitur, sed qui studiose perseveranterque et diligit et defendit iniquitatem, odit lucem. Hanc quamdiu oderit, non est possibile eum inter adoptionis divinæ filios numerari. Cæterum, qui facit, inquit, veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. Qui facit veritatem, hoc est, qui cum Deo sentit, et seipsum judicat, odiens in seipso iniquitatem suam, et condelectans legi juxta interiorem hominem,

Per homines ut Christus nos instruat.

Correptiones libenter gratanterque esse suscipiendas.

Joan. 20.

Rom. 23.

ille venit ad lucem. Quamvis enim aliam videat legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, captivumque ducentem se in lege peccati, quæ est in membris suis, ingemiscit tamen et clamat, confiteturque suam miseriam, et plangens se dicit : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* In hoc autem cum Deo sentit ac facit, quia Deus odit peccatum et damnat. Proinde si jam homo suum quoque peccatum oderit damnaveritque, Deo consentit, facitque idem cum Deo : et venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia cum Deo sunt facta. Quando peccabat, quando scortabatur, quando fraudabat innocentes, quando comessationibus vacabat, faciebat opera mala sine Deo, imo et contrà Deum. Quamdiu itaque sic illi placuit agere, odio habuit lucem, quæ illi peccata sua ostendebat, amavitque tenebras. Porro, ubi ipse quoque cœperit detestari peccata sua, cœperit damnare, plangere et persequi in se malum, jam cum Deo facit, jam non erubescit venire ad lucem, ut manifestentur opera ejus. Hoc est, non timet manifestari opera sua, quantum ex natura est operum, licet fortasse optet latere ex humilitate, ad gloriæ humanæ tentationem declinandam.

Videtis, charissimi, quam benigne Dominus loquitur nobis, promittens nihil id nobis nocere posse, si etiam peccaverimus Domino, modo non diligamus peccata nostra, modo non defendamus, non abscondamus, sed confiteamur, pro hisque ingemiscamus ad Deum, illaque non iteranda proponamus. Quis jam in peccato, filii, est vestrum constitutus, qui nolit relinquere peccatum suum, qui nolit ad lucem venire, ubi peccati sui gravitas sibi ostendatur? Quisquis is est, quantam putatis habet amaritudinem in conscientia sua, et nullam pacem? Tenet eum captivum diabolus, tenetur præterea adeo a peccato captivus, ut jam sibi videatur non posse peccatum deserere. Videtisne quam miserrima, et multo omnium sit infelicissima hæc captivitas, quam rodit, et etiam nolens impugnat conscientia amara? Vult peccator aut potius velle se putat abstinere a peccato, et non potest. Scit sibi deberi infernum, scit ad gehennam ignis infernalis se properare, nec tamen sibi frena potest imponere. Qui ergo uno sic est peccato retentus, mox nisi per pœnitentiam resurgat, ad aliud conjicitur peccatum. Jam enim victus est a diabolo, jam succumbit et succubuit hosti, factus est in ejus potestate, adeo ut multo sit, quam olim erat ante peccatum, infirmior. Videtisne modo, quam noceat vel uno peccato teneri, quod occasio sit multorum? Quanto enim sæpius iteratur, tanto vitatur difficilius, adeo ut aliquando desperantes hujusmodi dicant : Non possum abstinere, non possum relinquere, quamvis hoc sit falsum. Omnia enim peccata Dei auxilio vitari possunt. Semper etiam præsens est homini divinum auxilium. At ideo non possunt, quia non satis volunt. Vellent quidem a concupiscentia se fore liberos, vellent a se tolli tentationem resistendique laborem, et omnia irritamenta, omnesque exstingui in se inclinationes percuperent, ut absque suo conatu Deus illos faceret bonos, hoc est, ut suo conatu nihil cooperante, nihil animo suo tolerante, infunderentur sibi virtutes et Dei dona, optarent. Nolunt enim sibiipsis vim aliquam inferre, ut Scriptura monet : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud ;* nolunt pugnandi molestiam sentire, nolunt contra se dimicare, nolunt denique peccati illecebra carere : ideo gratiæ obicem ponunt.

Deus enim, etsi possit, non tamen, nisi tu quoque velis tibi auferri, tollet peccata tua. Neminem de communi lege sua contra voluntatem ipsius justificat. Quare enim animam, potentias, vires, mentem, intellectum, memoriamque tibi dedit, quare alia tam multa remedia tibi contra peccatum providit, nisi ut donis his tibi collatis contra peccatum utaris, et non eadem negligas dona, nec eisdem ad Conditoris contumeliam utaris? Utere ergo intellectu, in-

Peccata omnia posse vitari per divinum auxilium.

Matth. XI, 12.

Justificari neminem posse nisi volentem.

dustria, viribusque tuis jam tibi datis, fac tibi constantem voluntatem a peccato recedendi. Spera divinum auxilium, applica vires et labore indefesso obsiste peccato, quasi illud expugnaturus, revera tamen Deum maxime invocans, in ejus misericordia confidens : et videbis certissimum (si tamen perseveraveris, nec a studio hoc, licet fortasse interea labaris, destiteris) super te auxilium divinum, ut quod non potueras, aut te non posse existimaveras, jam in Deo et cum Deo possis. Scito præterea, eum qui peccat, servum esse peccati, efficique peccato tributarium et miserum, eumque obligari, a quo vectigal suum hostis improbus exigat. Quapropter cum unum sit peccatum causa posteriorum, atque de uno peccato trahamur in aliud, noli tu morari in peccato vel uno : sed ubi ceciderís, quam primum te discute, teipsum damna, plange, confitere, et peccati hoc jugum ab humeris tuis excute, Deoque reconciliare, ut contra tentationum insultus, quando redierint, non ut miser, imbellis atque captivus teipsum non defendas, sed ut miles impiger et Dei virtute armatus, Dei gratia fretus, atque super ejus fortitudine nitens hostem invadas, sternas, contemnas, atque foras extra animæ tuæ claustrum detineas, gratia Dei et Domini nostri Jesu Christi semper protectus, qui est benedictus in secula, Amen.

FERIA TERTIA

POST SOLEMNITATEM PENTECOSTES

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

IN diebus illis : Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. *Act. VIII.*

PRÆCLARA Sancti Spiritus solemnitas nunc agitur : utinam faxit idem ille Spiritus, ut digne a nobis agatur. Jam superioribus diebus de eodem Spiritu quædam dicta sunt, sed si vel quotidie de illo dicendum sit, nunquam possit deesse copia disserendi. Quid est enim aliud Spiritus Sanctus, nisi verus Deus, substantia intelligibilis, virtute infinita, magnitudine incircumscripta? Cujus est simplex essentia, sed varia ac multiplex operatio et virtus. Qui et singulis totus adest, et nihilominus totus ubique est. Qui sic dividitur in donis suis, ut tamen nullum ipse sentiat detrimentum, sicque omnibus sese pro sua liberalitate communicat, ut tamen in seipso integer et indistractus perseveret. Qui nec temporum, nec seculorum dimensionem recipit : qui nulli invidet bona sua, sed liberalissima benignitate paratus est omnibus, qui tamen se capaces præstent, impartiri. Qui sic cætera perficit, ut ipse in nullo deficiat. Qui nec augeri unquam nec minui potest. Qui totus ubique præsens est, cuncta novit, cuncta perspicit. Qui licet natura sit inaccessus, tamen ob suam bonitatem capi utcumque potest. Qui implet omnia præsentia majestatis suæ, quæ est illi una et indissimilis cum Patre et Filio, nec tamen nisi dignis se communicat : nec id quidem eadem mensura, sed prout quisque capax est. Qui est parens sanctificationis, lux intelligibilis, illustrans cunctas mentes rationales lumine suo, quo veritatem investigare queant. Qui denique corda piorum ad superna erigit, infirmos manuducit, proficientes perficit, et suæ lucis radiis adeo perfundit, ut apti sint et ipsi alios illustrare. Quis igitur unquam de hoc Spiritu satis dicere queat? Gaudeamus in Domino, et gratias agamus Deo nostro, quod talem tantumque Spiritum etiam gentibus idololatris impartiri voluit.

Sicut enim præsens lectio Epistolaris habet : Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Samaritani erant ex gentium coloniis oriundi, homines ab Hebræorum genere alieni, partim quidem colentes Deum, partim vero etiam suis idolis servientes.

Samaritani quinam dicantur.

Et tamen tales supernæ gratiæ illustrati splendoribus, receperunt verbum Dei. Olim Dominus prohibuerat discipulis, ne Samaritanis prædicarent : at nunc leguntur recepisse verbum Dei. Quod sane dubium non est, quin gratia Sancti Spiritus effectum sit. Philippus Apostolus illis prædicarat, cujus visis miraculis receperunt verbum Dei, id est, crediderunt in Christum. Judæis persequentibus eos qui Christum annuntiabant, Spiritus Sanctus movit quosdam ex iis qui crediderant, ut gentibus salutem mundo redditam annuntiarent. Ita Judæorum excæcatio, facta est gentium salus : et dum illi noluerunt Messiam sibi olim promissum recipere, gentiles dæmonum mancipia ad unius veri Dei notitiam reducti sunt, et alieni a Deo, in filiorum hæreditatem successerunt. Gaudeat Ecclesia ex gentibus adunata Filium Dei Judæis prius oblatum, deinde ablatum, sibi datum esse, et ne patiatur quod ille perfidus pertulit populus, inhæreat mandatis illius, et quem fide novit, pietate colat, charitate complectatur. Miserunt autem Apostoli ad Samaritanos Petrum et Joannem, qui columnæ erant et vertices apostolici agminis, cæteris ut videtur spiritu ferventiores, animi fortitudine constantiores, charitate excellentiores. Et quamvis tales ac tanti essent, tamen missi libenter obtemperarunt, nec inde consequens fit eos minores fuisse : alioqui dicatur ex impiissimi Arii sententia etiam Filius Patre minor, eo quod se Filius a Patre missum dicat. Obedientiam ad sui magistri exemplum præclarissimi Apostoli declarare voluerunt, ut discat omnis caro subdere se majoribus suis, quando illi obedierunt etiam suis coapostolis, quibus tamen omnibus ab ipso Christo Petrus prælatus erat. Nemo se fallat : unica ad beatitudinem via est submissa obedientia, qua se homo homini subjicit propter Deum, imitans Redemptorem suum, qui non solum Deo usque ad mortem, sed et Virgini Matri ac patri putatitio obedivit. Si dicat superbus hæreticus : Quis me cogit subditum esse homini, cum unum habeamus Patrem et magistrum in cœlis? dicamus illi : Quis Christum coegit subditum esse simplici Virgini et fabro lignario? Christus submittit se homini; et homo vanissimus non vult subjici superioribus suis?

Obedientia ut sit unica ad salutem via.

Porro cum venissent Petrus et Joannes Samariam, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat in signo visibili, sicut in Apostolos, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Orant Apostoli adhuc mortali carne circumdati, et impetrant aliis Spiritum Sanctum, et dubitare quis audet jam cum Christo regnantes, non multo efficacius pro aliis orare posse? Sed nesciunt, ut ait hæreticus, quid agatur apud homines. Imo vero hæreticus insanus nescit quid dicat. Ignorarene aliquid possint, qui Deum, in quo cuncta ceu speculo relucent, conspiciunt? Ergo sancti omnes ex Dei contemplatione facillime norunt quidquid agitur in creaturis, et pro sua erga nos ardentissima charitate libenter orant pro nobis : et quia Deo conjunctissimi sunt, oratio eorum efficacissima est. Denique Apostoli cum orassent, etiam manus imposuerunt Samaritanis, atque ita accipiebant Spiritum Sanctum. Manuum impositio in veteri juxta ac novo Testamento legitur, nec certo mysterio et occulta operatione vacavit. Hodie Episcopi eis quos sacris initiant, manus imponunt, nec ambigitur quin et ipsi accipiant Spiritum Sanctum, si tamen conscientiam habeant a mortiferis peccatis immunem. Possent hic quædam dici contra hæreticos, qui sacramentum Ordinis penitus rejiciunt, sed stultum est cum furiosis et insanis contendere.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, JOANNIS X.

IN hoc Evangelio simplicibus Dominus verbis utitur more suo, sed quæ scateant mysteriis, ac spiritalibus sint gravida intelligentiis. Humilis magister ubique humilitatem verbis factisque commendat, sed quanto humilior est ejus oratio, quantoque facta simpliciora, eo magis altissimis sunt gravida sacramentis. O humilitas, virtus Christi! Ubique retunditur superbia nostra, ubique diaboli erecta cervix premitur, et sicut tam diabolus quam homo superbia intumuit, atque eo ipso e sublimi loco in extremam miseriam prolapsus est: ita Filius Dei verus animarum medicus humilitatem ubique amplexus est, et docuit amplectendam. Hoc ideo dictum sit, ut non contemnenda aut negligenda putemus dicta Servatoris nostri, quæ mundi judicio simplicia et abjecta videntur, sed eo magis suspicienda ac veneranda. Ad ipsum Evangelium progrediamur.

Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.

Ostium est Christus: ovile ovium, Ecclesia. Primo hic sciendum est Evangelium hoc commodissime Prælatis ac pastoribus Ecclesiæ accommodari: atqui non impedit etiam nonnulla de aliis accipi. In Ecclesiam intrant, vel potius intrare se putant hæretici, falsorum dogmatum architecti, hæresum fabricatores: sed non intrant per ostium. Quare? Quia superbi sunt, et Christi humilitatem sectari nolunt. Quid est enim aliud per ostium ingredi, nisi ita ambulare ut Christus ambulavit, et ejus mores ac virtutes in se exprimere? Quid autem ab ipso nativitatis exordio intantum Christus coluit, atque humilitatem? Quid vero tam humilitati inimicum atque contrarium, ut hæreticorum pervicacia? qui suum judicium Ecclesiæ totius auctoritati et sententiæ præferunt, et tanquam nesciant se homines esse, qui facile errare ac labi possint, omnia sua mordicus tuentur, et impudentissima temeritate rident Ecclesiæ decreta ac definitiones, Patrumque sanctissimorum dicta rejiciunt, et sibi solis volunt fidem adhiberi. Sed non intrant per ostium. Non sic didicerunt a Christo, qui fuit mitis et humilis corde: qui non est dissensionis Deus, sed pacis. Si autem non intrant per ostium, ergo aliunde ascendunt. Quid est aliunde ascendere, nisi relicta Christi humilitate, per mentis fastum, elationem ac tumorem in sublime contendere? Vide quam nihil sit otiosum in sermonibus Dei.

Ascendere aliunde quid sit.

Ascendit, inquit, aliunde. Non enim vult hæreticus placida humilitatis via ingredi, sed tanquam sit ipse cæteris excellentior, fertur in sublime, non sane ob aliud, nisi ut summa cum ignominia ruat in profundum. O hæretici, cæcum hominum genus, quos nova dogmata proferre juvat, cur non per humile ostium ingredimini potius, quam per inaccessa montium præcipitia jam jamque ruituri inceditis? Sed quales tandem sunt, qui relicto ostio, aliunde ascendunt? scilicet fures et latrones. O nimis veram sententiam! Fures sunt doctores hæretici, quia Christi gloriam sibi usurpant: latrones, quia oves Christi jugulant: fures impudentissimi, latrones sceleratissimi. Si illi, qui argentum, aut vestes, aut quidpiam ejusmodi clam subducunt, in crucem aguntur: et si illi, qui corpus quandoque tamen moriturum occidunt, durissimis torquentur suppliciis,

Fures et latrones quomodo dicantur hæretici.

cui tandem pœnarum generi subdendi sunt, qui animas, quarum pretium sanguis Christi est, pretium utique inæstimabile, suffurantur et perimunt? Illi etiam qui non recto ordine vocati a Deo ut Aaron, sed aut dolo et calliditate, vel ambitione sua, aut deterrimo simoniæ vitio, aut aliis quibusdam iniquis machinamentis, ad honores et dignitates, ac functiones Ecclesiasticas irrepunt vel etiam irrumpunt, non sane intrant per ostium nec prodesse cupiunt, sed præesse, Christique gregem misere negligunt, perdunt, excoriant, trucidant, ut recte meritoque fures et latrones vocentur: quos certe manet horrendum Dei judicium.

Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.

Quod potest paucis sic exponi: Qui per omnia studet sese conformare ad exempla Salvatoris, qui est ostium, ille pastor est ovium: quia tales plerumque a Deo vocantur ad publicas functiones, ut pascant gregem Dei verbo, exemplo, auxilio, consilio et precibus ad Deum. Itemque qui recto ordine et ita ut oportet ad dignitates pertingit, non ipse se impudenter ingerens, sed divinitus electus et vocatus, legitimus est pastor ovium, facitque quæ decent bonum pastorem, non suis lucris aut voluptatibus inhians, sed animas subditorum sollicite custodiens. Quanquam et quod dicitur: Qui intrat per ostium, pastor est ovium, potest ad universæ Ecclesiæ unitatem referri, quæ quotidie pascit verbo et exemplo. Non enim omnes per ostium ingredientes pastores sunt: siquidem et oves intrant: sed quod singulis separatim non potest tribui, convenit iisdem ob totius corporis mystici unitatem.

Pastor ovium quando quis rite dicatur.

Huic ostiarius aperit.

Id est, ejusmodi vero ac legitimo pastori ostiarius, hoc est, Spiritus Sanctus aperit Scripturæ mysteria, ut habeat, quod suis eructet ovibus. Qui enim auctore Spiritu Sancto ad alios regendos promoventur, etiam eodem Spiritu doctore discunt, quæ ad subditorum salutem pertineant: nec tamen propterea ipsi debent Scripturarum studia negligere, sed Sancti Spiritus gratiæ cooperari, ut majora dona consequantur. Facile autem ab errore tutus manet, cujus doctor est Spiritus Sanctus: sicut e diverso non possunt non erroribus infici, quibus ostiarius iste non subministrat intelligentiæ donum. Propterea recte Propheta ait: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* Væ autem illis, qui ipsi sibi magistri sunt.

Ostiarius quomodo dicatur Spiritus Sanctus.

Ps. 12.

Et oves vocem ejus audiunt.

Nam ubi cernunt homines pii pastorem suum recte vivere, libenter obtemperant dictis illius. Non enim est difficilis in subditis, qui tamen oves sint, obtemperandi voluntas, si sit in pastore vita inculpata et integra. Verum etiamsi secus eveniat, ut sit pastor vitæ perditæ et iniquæ, at nihilominus debent subditi illius dictis, nisi divinæ legi repugnent, obtemperare, ne dum illum contemnunt, contemptus iste in Christum redundet, qui suis vicariis ait: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.*

Pa... vita pata... tum ciat ... tis.

Luc.

Et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.

Hæc ut de quolibet bono pastore possint intelligi, non est videre difficile. Nobis jam visum est ad Christum ea accommodare. Qui nimirum proprias oves vocat nominatim: quia novit Dominus qui sunt ejus: et electorum omnium nomina habet scripta in libro suo. Vocat autem eas per gratiam, et educit eas ex tenebris ignorantiæ et vitiorum, ut cognoscant ipsum verum Deum. Et cum eas ita emiserit, ante eas vadit, suis exemplis eis vitæ iti-

Ove... quona... voce... stus ... natin...

ox veri storis æ do- at.

nera commonstrans. Primo enim vocantur homines ad fidem, deinde monentur oculos intendere in ducem et pastorem suum, et ejus vitam moresque contemplari. Tum vero, si sint de numero ovium, sequuntur Christum pastorem, ejusque vestigiis inhærent : quia sciunt vocem ejus, quæ semper ad pietatem, ad justitiam, ad innocentiam, ad veritatem hortatur, semper a vitiis revocat, ad virtutes invitat, docet mundi vanitatem despicere, vitam æternam inquirere. Alienum autem non sequuntur, id est, eos omnes qui aliud docent quam Christus, quales sunt hæretici, dæmones et flagitiosi homines, non sequuntur, nec eorum improbis consiliis morem gerunt, neque facta imitantur, sed fugiunt ab eis tanquam ab hostibus exitialibus : quia non noverunt vocem alienorum. Utinam christiani nostrorum temporum fugerent voces alienorum. Volunt audire quæ carni blandiuntur, et interim perdunt animas suas, verborum lenociniis ac dogmatum peregrinorum præstigiis irretiti. Qui si fugerent alienos, felices forent. Hæretici omnes alieni sunt : quotquot eos audiunt, non sunt oves Christi, nisi resipiscant. Christi vox est : *Contendite intrare per portam angustam;* et : *Pœnitentiam agite.* Alienorum vox est : Christus pro nobis satisfecit. Pœnitentia nostra supervacanea est, et gratiæ inimica. Oves Christi priorem vocem audiunt, posteriorem fugiunt et execrantur.

lieni ut vocen- omnes retici.

ith. VII, *d.* III, 2.

Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.

Pharisæis superbis Dominus parabolice locutus est, perstringens eorum ambitionem et superbiam, sed illi nimium excæcati, mentem verborum ejus non sunt assecuti. Quomodo enim verba cœlestia caperent homines terræ affixi, et nihil nisi terrena aucupantes ? Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Voluit autem Dominus hac parabola id significare, Pharisæos non esse veros doctores et pastores, sed duces cæcos : qui etsi quosdam seducerent, tamen electos eorum fraudes evadere, et Christi potius, quam ipsorum tanquam alienorum vocem audire. Sic hodieque hæretici omnes duces cæci sunt : etsi videantur multos in suam sententiam pertrahere, tamen oves non seducent, nec rapient eas de manibus Christi. Sui similes evertere possunt : electos Dominus perire non sinet, id est, eos qui bona sunt prædíti voluntate, et faciunt quod in ipsis est.

Cor. II,

Duces cæci ut sint omnes hæretici.

Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen, amen dico vobis. Quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, et latrones. Sed non audierunt eos oves.

Hic ipse Dominus verba sua explicat, si vel sic possint lumen recipere mentes obcæcatæ. Seipsum ergo ostium ovium dicit, per quod scilicet ingredi necesse est tum oves omnes, si velint esse membra Christi : tum pastores ipsos, si jure et ordine suo velint munere perfungi. Pulchre autem Dominus fideles suos ovium nomine appellat, hoc ipso significans debere eos ovium innocentiam, mansuetudinem, simplicitatem, obedientiam, cæteraque ex natura illis insita bona imitari. Non se Dominus luporum, non canum, non leonum, non porcorum ostium vocat, sed ovium. Non ergo poterunt per ostium ingredi rapaces, gulosi, invidi, superbi, luxuriosi, atque id genus aliis vitiis dediti, sed oves, id est, qui studeant adipisci ex gratia, quod ovibus natura dedit. Alii omnes, qui jam non ovium, sed ferarum naturam imitari malunt, illius membra sunt, et cum illo ruent præcipites in tartara, qui in Scripturis Sacris, modo draco, modo leo, modo basiliscus, sæpe aliis atque aliis bestiarum nominibus appellatur. Quod vero jam subjungit Dominus : Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones, intelligendum est de illis, quos non misit Spiritus Christi, sed qui ipsi sua temeritate vene-

Oves cur vocentur rite fideles.

runt, quales fuerunt multi pseudoprophetæ, de quibus Dominus ait : *Ipsi currebant, et ego non misi eos.* Ad quorum numerum etiam pertinent hæretici omnes, et quotquot ad alios regendos non a Deo mittuntur, sed ipsi per fas et nefas sese ingerunt. Tales omnes fures sunt et latrones : quia usurpant sibi quod ipsorum non est, et animas occidunt. Verumtamen Dominus semper suos servat, sicque fit ut ejusmodi pestilentes homines non audiant oves, nec eorum dictis fidem accommodent. Quod quidem sæpe usu quotidiano discimus : quando plerique simplices ac boni homines etiam in media hæreticorum frequentia ætatem omnem transigentes, tamen non capiuntur erroribus illorum. Multi autem ea potissimum ex causa pereunt et illaqueantur ab hæreticis, quod nolunt eorum consortia fugere, sed tanquam nihil ea res periculi habeat, cum sit longe periculosissima, intrepide eorum conciones auscultant, libros lectitant, et familiari consuetudine utuntur. Porro, oves Christi talium luporum morsibus non infestantur, quia nec audire illos volunt, memores illius dicti apostolici : Sermo hæreticorum ut cancer serpit. Et quamvis Ecclesia sub anathematis pœna severissime christianis omnibus interdixerit lectionem librorum ab hæreticis conscriptorum, tamen passim omnes eos lectitant, atque interim Deo permittente ob suam inobedientiam et temeritatem capiuntur ac irretiuntur et pereunt.

Jer. XXIII, 21.

Oves quæ quorum non audiant vocem.

II. *Tim.* II, 17.

Lectio librorum ab hæreticis scriptorum quam sit periculosa.

Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.

Bis se Dominus ostium vocat, scilicet propter pastores, et oves. Non enim est pastor legitimus, qui per Christum non ingreditur. Nec est ovis Christi, qui alias, quam per Christum ingreditur. Quisquis autem per Christum introierit, ambulando sicut ille ambulavit, salvus erit hic per gratiam, post in gloria sempiterna. Per Christum enim tanquam ostium et viam certissimam non solum in præsenti ad fidem et gratiam, sed etiam in futuro ad beatitudinem et gloriam intramus. Sunt autem non eadem studia vel exercitia eorum, qui per Christum intrando salvantur. Alii enim circa actionem, alii quamvis pauci circa contemplationem versantur, alii licet paucissimi simul et actioni et contemplationi sese accommodare norunt. Sed quocumque in genere christianus versetur, sive ingrediatur ad contemplanda divina, quod est quædam futuræ vitæ inchoatio, sive egrediatur ad officia charitatis, pietatis et misericordiæ exequenda, utrobique pascua inveniet, quibus anima ejus multo melius, quam caro escis corporalibus, reficietur ac impinguabitur. Habet enim omnis pia actio, si sit cum charitate conjuncta, vim quamdam animum nutriendi ac vegetandi et corroborandi, ut merito debeamus semper solliciti esse ad bona opera exequenda : quæ quanto plura fecerimus ob Christi et proximi amorem, tanto spiritus noster magis pinguescet et confirmabitur. Habet etiam cœlestium contemplatio suam alendi et impinguandi mirabilem efficaciam, qua anima adeo sit fortis et alacris, ut quidquid mundus hic habet, præ cœlestis vitæ dulcedine prorsus illi amarescit. Ita ergo utrobique fideles et in activæ et contemplativæ vitæ studiis pascua uberrima reperiunt. Qui autem hic neque recte factis sive bonis operibus, neque divinorum contemplationi ullam navant operam, misere marcescunt, atque ubi ventum erit ad vitæ terminum, omni succo supernæ gratiæ destituti, ad æternam egestatem et inediam devolventur, semper cum dæmonibus fame intolerabili cruciandi.

Ostium bis cur se Christus appellet.

Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.

Quisquis non Dei, sed suam gloriam quærit, fur est, non pastor verus. Talis ergo non potest animarum lucra cogitare, sed tantum studere rebus et commodis

suis. Interim oves misere evertit et perdit, et mactat: nec ea res illi curæ est, quia Deum non timet, nec vult præstare quæ bonum pastorem decent, sed ducit jucundos dies, suisque et verbis et exemplis in exitium mortis æternæ pertrahit subditos suos. Hoc manifestum est in hæreticis, quorum Deus venter est, qui semper ollas carnium suspirant, nec sua perditione contenti, etiam alios quoscumque possunt suis laqueis innectunt. Christus vero qui pastor est verus, ea causa venit in hunc mundum ut homines a morte peccati, et diaboli tyrannide eruti, vitam habeant gratiæ in hoc seculo, et abundantius habeant vitam gratiæ consummatæ, id est, gloriæ in cœlis. Ita e diametro pugnant hæretici et mali pastores cum Christo: quando illi perdere duntaxat et mactare, Christus servare et vitam præstare exoptat. Et tamen ubi Christo vix paucissimi obtemperant, eo quod adversus carnem militet doctrina illius, hæretici innumeros habent sectatores et asseclas, quia carni plausibilia docent. Atqui exitus probabit, utri rectius docuerint et fecerint.

SERMO IN EADEM FERIA

DE GRATIA DEI, AN SIT HOMINI NECESSARIA, QUID CONFERAT HOMINI; ATQUE ID GENUS ALIIS SCITU JUCUNDIS.

EGO *veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Joan. X, 10.

Nostis, charissimi, ut ante natum Salvatorem mors totum pene hominum genus occuparit, mors scilicet culpæ, et quæ hanc sequitur mors æternæ damnationis. Sed Dominus Jesus humanæ calamitatis misertus, venit ad homines, ut vitam habeant gratiæ, qua culpæ mors profligetur, et abundantius habeant vitam gloriæ, quæ nullam timeat damnationem. Et quia nunc solemnitatem Sancti Spiritus, qui est totius gratiæ fons, qui hodierna die cum magna gratiæ abundantia venit in Apostolos, atque etiam quotidie in omnes sui capaces venire paratus est ad illuminandam cæcitatem nostram, ad corroborandam infirmitatem nostram, et ad inflammandum teporem nostrum, libet hac vice de gratia loqui in auribus vestris, si tamen ipsa gratia nobis non desit, sine qua nihil possumus, quia, ut dicit Apostolus: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Occurrit autem primo hoc loco quæstio ejuscemodi: Utrum scilicet gratia Dei sit homini necessaria ad salutem: quæ quæstio tantumdem valet, ac si quæreretur: Utrum homo possit id genus opera bona facere, quibus mereatur regnum cœlorum, etiamsi non habeat gratiam Dei. Hæc quæstio una est, et duo complectitur. Primo: Utrum possit homo ulla opera bona facere extra gratiam Dei? Sicut videtur, quod hi qui in peccatis sunt mortalibus, et extra gratiam Dei, et similiter infideles aliqua opera bona et laudabilia faciunt, ut est quod caste vivunt et sobrie, et quod justum judicium faciunt, et præstant eleemosynam. Secundo: Utrum talibus quis possit mereri regnum cœlorum: quia videtur quod non sint perdita, sed meritoria, et prosint ad vitam æternam?

Quibus ut respondeamus, scire convenit, quantum ad præsentem materiam sufficit, duplicem esse gratiam Dei: una est gratia gratis data, id est, sine meritis: et idcirco dicitur etiam gratia, quia si non gratis daretur sed ex meritis, non esset gratia. Hæc gratia est donum infusum rationali creaturæ sine meritis, quantum in se est, disponens ad salutem propriam vel alterius. Hæc est animæ bonum, additum bo-

Gratia Dei duplex quæ sit.

Gratia gratis data quæ sit.

I. Cor. 3.

nis naturalibus, quibus homo creatus est, aptumque efficit hominem ad bene operandum. Hæc gratia multiplex est et datur multipliciter bonis et malis, scilicet uni gratia cantandi, alteri legendi, alteri concionandi, alteri prophetandi. Hujus gratiæ est, quod alius habet felix ingenium, alius tenacem memoriam : hic castitati, ille misericordiæ deditus est, multaque ejuscemodi. Atque etiam huc pertinere videtur, unumquodlibet auxilium vel instinctus, quo Deus cor hominis movet ad cognitionem sui, ad peccati nauseam, et ad desiderium, sive conatum placendi Deo. Sine hac gratia nihil possumus agere, quod sit bonum, et disponens hominem ad salutem : et tamen potest persistere cum peccato mortali, et qui ea præditus est, potest damnari, quia datur bonis et malis : et tamen hac sola non possumus efficere, quæ vitam æternam mereantur, quia, ut diximus, præstatur bonis et malis, et potest habere adjunctum peccatum mortale : siquidem alii ea bene utuntur, alii non.

Gratia gratis data ut sit multiplex.

Secunda gratia dicitur, gratia gratum faciens, et illa necessario exigitur ad salutem. Nam, tametsi cum prima, ut dixi, quædam possimus bona agere, at non salutifera, quia licet homines qui non habent Dei gratiam gratum facientem, de qua nunc loquimur, fusiusque paulo tractare instituimus, efficiant etiam aliqua opera bona, et videantur implere mandata quædam, tamen revera non implent, ut illis regnum cœlorum et perpetuam mercedem emereantur. Cur hoc? Quia licet faciant ejuscemodi quædam opera, qualia faciunt homines boni, qui sunt in gratia Dei, sicut est non furari, non perjurare, honorare parentes, et cætera similia, tamen non faciunt ea secundum mentem præcipientis Dei, id est, non faciunt ea forma vel ratione, qua ille jussit, voluitque fieri. Deus enim voluit illa præcepta, quæ dedit, servari ex charitate, et in charitate, ut scilicet voluntas nostra sit conformis voluntati suæ, quod non potest fieri sine gratia ejus. Ex quo fit consequens, nihil nos boni posse, quantum ad æternam attinet beatitudinem, facere sine gratia Dei, sicut etiam Dominus dicit in Evangelio : *Sine me nihil potestis facere.* Joan. 5. Et Apostolus Paulus : *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* II. Cor. 3. Et quamvis aliquid etiam faciamus ex gratia illa communi, quæ datur bonis et malis, non id tamen est meritorium vitæ æternæ, sed necesse est accedat adjutorium gratiæ Dei gratum facientis Deo.

Gratia gratum faciens quæ sit.

Præcepta Dei quo scopo servanda.

Sed ex dictis oriuntur aliæ quæstiones quatuor, scilicet : primo, quid sit illa gratia necessaria ad salutem : Secundo, quomodo amittatur : Tertio, an omnes possint eam habere : Quarto, quomodo recuperetur jam perdita. Primo ergo quæritur, qualis, vel quid sit illa gratia Dei, vel Spiritus Sancti. Ad hoc respondet beatus Bernardus in sermone de Charitate et gratia Christi, quod gratia Dei est lux quædam animæ a Deo infusa, mirabiliter animam decorans, bonificans, et gratificans, habens comitem Spiritum Sanctum. Ecce in hac definitione insinuantur tria bona, quæ operatur in nobis gratia Dei. Primo, decorat animam, et idcirco dicitur etiam lux, quia anima quæ est in gratia Dei, comparatur carboni ignito qui lucet, calefacit et delectabilis est aspectu. Sic est anima habens gratiam Dei. Lucet enim in conspectu Dei et sanctorum, ardet in amore Dei, et etiam alios calefacit secum, hortans bonis verbis et exemplis ad similiter ardendum in amore Dei, et delectabilis est in aspectu, quia opera ejus sunt grata Deo. Sed e diverso anima quæ perdidit gratiam, est velut exstinctus carbo, qui est niger, turpis et fœtidus. Sic anima, quæ cadit in peccatum mortale, amittit omnem pulchritudinem, quia perdit lucem gratiæ, et idcirco fit nigra, turpis et fœtida. Vis nosse quam turpis sit? Diabolus qui licet sit creatus pulcherrimus, tamen quia amisit gratiam Dei, nonnisi unius perpetratione peccati factus est turpissimus, atque adeo turpis, ut non possit in sua propria forma, qua nunc est ab homine videri, nisi per mira-

culum, sicut de sancta Catharina Senensi legitur, quanto miraculo Deus eam servavit, ut posset illum cernere : quæ etiam vidit eum usque adeo turpem, ut mallet in clibanum igne succensum ingredi, quam vel semel adhuc eum in illius propria specie videre. Eadem habent et aliorum scripta sanctorum. Ecce, charissimi, si diabolus nonnisi propter unum peccatum amisit pulchritudinem suam excellentissimam, et contraxit turpitudinem indicibilem, quid putatis de anima, quæ polluta est decem, aut centum, aut mille peccatis et ultra? Quam turpem putatis illam esse in conspectu Dei? Nemo est qui posset suam animam videre etiam uno corruptam peccato mortali. Siquidem nimis molestum id esset. Atqui quando homo se peccasse dolet, et petit, studetque reconciliari Deo, tunc adveniens gratia Dei ipsum circumfulget et exornat ultra omnem decorem totius mundi, ita quod Deus delectatur in tali anima super omnia alia, quæ sunt sub cœlo, sicut ipse dixit : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Quid enim traxit Filium Dei de cœlo, ut susciperet miserias humanæ naturæ absque peccato, et tam horrenda pateretur, quam formositas animarum, quas in tantum dilexit, ut noluerit eas damnari, si velint cum ipso permanere?

urpitudo imæ pectricis anta.

ov. VIII,

Secundum bonum, quod affert gratia animæ est, quia bonificat, id est, bonam facit eam, sicut dicit Chrysostomus : Melior et Deo acceptior est unus justus, quam totus mundus peccatoribus plenus. Num videtur nobis esse hoc exiguum bonum, quod affert nobis Dei gratia, quod facit nos filios Dei; et est nobis quasi signum quoddam, quo discernimur a filiis damnationis, ut habet Augustinus libro quodam de Sancta Trinitate, ubi sic dicit : Gratia Dei est excellentius Dei donum, quod solum dividit inter filios regni, et perditionis? Quod autem ex gratia sumus filii Dei, patet in Epistola canonica sancti Joannis prima, ubi sic ait : Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur, et simus. Atque ex principio Evangelii illius, ubi ait : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et post pauca : *In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis,* id est, qui non carnaliter vel corporaliter, *sed ex Deo* spiritualiter *nati sunt,* ut essent filii ejus. Hæc generatio spiritualis fit in baptismo, quia per fidem et susceptionem baptismatis efficimur membra Christi, et per consequens filii Dei. Ibi infunditur nobis gratia, quæ nihil aliud est, sicut dicit Augustinus, quam lux animæ illuminans mentem ad bene secundum legem Dei et gratuite operandum. Ex quibus verbis etiam id patet, ut nos gratia faciat bonos, sicut jam dixi, quia illuminat nos, et adjuvat ad bene et virtuose operandum. Hæc gratia tamdiu manet nobiscum, quamdiu voluntas nostra manet subdita, et conformis Deo. Quando autem nos avertimus a Deo ad id quod est contra legem Dei, hoc est, peccatum, eo ipso amittimus gratiam, et per consequens illud quod habuimus ex gratia manente, scilicet, quod fuimus filii Dei. Quando igitur non sumus filii Dei, cujus filii sumus? Nimirum mortis, peccati et diaboli, qui est initium omnis peccati. Deus enim non fecit aut creavit peccatum, sed ex diabolo est. Tales erant illi, qui gloriabantur se esse filios Abrahæ, et tamen nolebant opera Abrahæ facere : quibus Dominus dicebat in Evangelio : *Vos ex patre diabolo estis, et opera patris vestri vultis perficere.* Non est tamen id ita intelligendum, quasi mali homines sint creati a diabolo, sed esse eum patrem eorum, id est, principem et rectorem.

ratia ut imam nam efiat.

hrysost.

ugust.

. Joann. 1.

Joann. I, 9.

Generatio spiritualis quomodo fiat.

Gratia quomodo amittatur.

Peccatum unde ortum habeat.

Joann. VIII, 44.

Tertium bonum est, quod gratia gratificat animam, quia facit eam dilectam et gratam Deo, habens secum Spiritum Sanctum. Enimvero ubi gratia Spiritus Sancti est, ibi est et Spiritus Sanctus : et ubi Spiritus Sanctus est, ibi Pater et Filius : et ibi tota Trinitas unus Deus est. Ecce, charissimi, quanta dignitas est animæ habentis

Gratia uti animam gratificet.

in se gratiam Dei, id est, quæ est sine peccato mortali. Ipsa plane est pretiosior omnibus corporibus mundi, et cunctis bonis temporariis. Et idcirco tolerabilius esset et minus malum, si vel totus mundus, puta cœlum et terra cunctaque corpora et omnia temporalia destruerentur et perirent, quam si sola una anima moriatur et pereat. Moritur autem anima, quando amittit gratiam Dei. Et hanc amittit, cum assensum præbet peccato mortifero. Unde habemus in Ezechiele : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Et in libro Sapientiæ: *Homo per malitiam occidit animam suam.* Væ, væ illis, qui malo exemplo, consensu, consilio vel auxilio suo inducunt unam vel plures animas ad mortale peccatum, quia occidunt eam, quam Christus redemit ac vivificavit sanguine suo. Sed quia superius dictum est, quod una anima habens gratiam Dei, melior et Deo charior est, quam totus mundus peccatoribus plenus, et melius esset cœlum et terram perire, quam unam animam mori vel perire, scilicet spiritualiter; cumque hæc ita se habeant, quærat fortasse aliquis, cur Deus non impediat tantum malum, quod anima moritur, cur non retineat eam, si tantopere amat, si plus diligit animam sanctam quam cœlum et terram, quamobrem permittat animam perire et non cœlum: et quare non omnes ad se convertat? Respondendum, quod Deus unicuilibet tantum præstat auxilii, quod cum gratia ipsius et libero arbitrio suo, quisquis est in gratia, potest in ea permanere, et qui non est, si vult, potest eam consequi : sed justitia illius id exigit, ut unicuique permittat arbitrium liberum, ut qui vult recedere, recedat, et qui vult venire, maneat. Namque ipsos volentes juvat, sed non cogit nolentes. Unde dicit Augustinus : Majus est miraculum convertere impium, quam creare cœlum et terram. Impius dicitur, qui nondum habet voluntatem se convertendi ac resipiscendi. Nimirum creando cœlum et terram, nullum passus est Deus obicem vel obstaculum, sed convertendo impium habet quodammodo obstaculum, scilicet illius malam voluntatem, quam non cogit, sed mutat.

Anima-rum pretiositas quanta sit.

Anima quomodo moriatur et quando gratiam perdat.

Ezech. XVIII, 4. *Sap.* XVI, 14.

Arbitrium uti unicuique maneat liberum.

August.

Impius quis dicatur.

Secunda quæstio fuit, ut gratia amittatur. Licet autem jam ex prædictis intelligatis, ut gratiam perdamus, dicam tamen adhuc, ut melius intelligatis. Dixi jam animam mori, quando amittit gratiam Dei. Quare? Quia licet anima secundum suam essentiam sit immortalis, tamen aliam spiritualem vitam habet ex Deo, qui vivificat et decorat eam per gratiam. Patet ergo quod anima quæ habet gratiam, habet hanc vitam spiritualem. Mors autem spiritualis animæ, est peccatum : quia sicut mors et vita sibi repugnant, ita culpa scilicet mortalis et gratia. Quando ergo anima avertit se a Deo, a quo ipsi influit vita, id est, gratia, et se convertit ad mortale peccatum, mox gratia recedit ab ea: et tunc anima moritur, quia vita ejus recessit. Et sic anima, quæ prius mire pulchra fuit et Deo dilecta, manet obscura, nigra, frigida et fœtida, ut ante audivistis, quando etiam similitudinem adhibui de carbone ignito. Atque hoc loco aliam potestis capere similitudinem de domo illuminata a sole. Quum enim sol splendorem suum et radios mittit per fenestram, domus est lucida et delectabilis. Si quis autem claudat fenestram, ita ut sol non possit penetrare, domus fit tenebrosa, idque non aliqua culpa solis, qui omnibus lucet, sed claudentis et impedientis. Sic quando homo obstruit fenestram suam obice peccati, Deus subtrahit influxum gratiæ suæ in animam illius, et tum anima fit tenebrosa, quia sicut nulla convenientia est lucis ad tenebras, sic nulla potest esse societas gratiæ cum peccato.

Gratia quomodo amittatur,

Anima quando et quomodo moriatur.

Gratiæ ad solem qualis comparatio.

Tertia et quarta quæstiones fuerunt : An omnes habere possint gratiam, et hi qui non habent vel amiserunt, uti eam acquirant sive recuperent. Respondendum, tantam esse omnipotentis Dei benignitatem, ut nulli neget gratiam suam, sed omnibus paratus sit dare fidelibus et infidelibus, si se præparent ad suscipiendum. Enimvero

Gratiam suam uti Deus nulli deneget.

quando homo facit quod in se est, et disponit se ad gratiam, hoc est, statuit vitare peccata, et dolet, et vult se componere et reformare secundum voluntatem Dei, jam quidem necessario Deus infundit ei gratiam, non ex absoluta necessitate, quasi sit ei debitor, sed ex necessitate suæ bonitatis, quandoquidem usque adeo bonus est, atque tale nobiscum fœdus pepigit, ut velit dare, si faciamus quod in nobis est, et charitas sua, qua diligit hominem, cogit eum, ut communicet se omnibus id desiderantibus. Quod autem homo facit id quod in se est, et præparat se cum libero arbitrio, id etiam est ex gratia, quæ dicitur gratia præveniens, vel gratia gratis data, quam Deus dat omnibus bonis et malis, sicut jam in principio dixi, quod possint si velint consequi gratiam gratum facientem, de qua nunc loquimur.

Gratia præveniens quæ sit.

Hic multa adhuc essent dicenda, videlicet quod non potest certo constare homini, nisi forte per revelationem, utrum sit in gratia Dei necne, propter humilitatem servandam et timorem, et ad cavendam negligentiam et acediam. Item de multis signis, ex quibus potest conjectura capi, quod homo sit in gratia, solent doctores multa signa proferre, quæ tamen non ad omnes pertinent. Equidem paucis hic quædam enumerabo signa, quorum primum specialiter ad religiosos pertinet, cætera ad omnes, quæ quisquis in se deprehenderit, est unde gaudeat, et bene speret. Primum pro religiosis signum bonum, id est, quando quis vivens in aliquo statu salutifero et bono gaudet et gratulatur sibi de tali statu, scilicet in quo Deo servire possit. Nihil enim perinde machinatur diabolus, quam ut aliquem in bono et salubri degentem statu inducat ad illius displicentiam vel fastidium; tanquam possit in alio melius et fructuosius vivere, adducens multa et varia sub specie boni et melioris profectus. Hoc autem ideo facit, ut avellat eum de statu, in quo illum bene et secure videt ambulare. Et cum abstraxerit, proponit ei tentationes alias, quam prius quibus illum seducit: et sic miser amittit quod prius habuit, nec ad illud pervenit, ad quod se venturum et facturum sperabat. Causam hujus tentationis hanc arbitror, quod non attendit quis vocationem suam, quia scilicet a Deo vocatus est ad id vitæ institutum salutare, quod amplexus est, qui si eum in aliquo alio statu habere voluisset, utique vocasset. Ex nobisipsis sane (religiosos nunc alloquor, qui aliquam religionem professi sunt) non venimus ad hunc locum, sed Deus dedit nobis voluntatem veniendi, et patribus suscipiendi nos. Si enim non fuisset iste status saluberrimus nobis, nunquam vocasset nos huc, sed aliter ordinasset nobiscum. Deus enim neminem fallit vel deludit. Similiter est de aliis, quando sunt in bono et securo statu, non facile debent eum relinquere, nisi certissime sciant se vocari a Deo ad meliorem: qua tamen in re magno opus est judicio, et multa circumspectione, ne quid temere fiat. Posset hujus rei exemplum dari, quod rex offenditur si cui demandarit ut custodiat cubiculum et thesauros suos, et ille dimisso cubiculo velit ministrare mensæ. Potest illi rex iratus dicere: Ego tibi hoc negotii non dedi. Si voluissem te habere in tali officio, equidem id tibi demandassem. Numquid sine te non possum alteri mandare, ut mensæ serviat? Hæc idcirco dixerim, charissimi, quia interdum aliqui secum imaginantur, quod si essent in illo vel illo statu, possent plura bona facere, non intelligentes, quod nec illic, nec hic aliquid possunt, nisi quantum Deus dederit.

Signa per quæ homo sciat aliquatenus se esse in gratia.

Displicentiam sui status cur diabolus quibusdam infundat.

Debet ergo unusquisque contentus esse et gaudere de vocatione sua, quia Deus qui ab æterno omnia providit et disposuit, novit multa nobis alibi infeliciter eventura, de quibus nos non scimus nec cogitamus. Etiam si in alio statu fieri possent meliora, tamen ipsi non sunt meliora, quia non est ad illa missus vel vocatus. Oportet vero ut serviamus Deo secundum voluntatem suam, non pro nostro desiderio. Siquidem jam novimus quid ille exigat a nobis. Ante nobis libera erat eligendi facultas, at nunc

Vocatione sua unumquemlibet contentum esse debere.

fortiter est in arrepto proposito perseverandum. Isthæc tentatio est periculosa, quia quando quis statum suum exosum habet, eidem etiam displicent præcepta et canones status illius, et quidquid agendum est, facit cum tædio.

Secundum signum bonum est, quod quis peccasse se dolet, quando peccatorum suorum reminiscitur. Solent aliqui, quando in memoriam veniunt peccata præterita, delectari et gaudere quod ita fecerint, vel pœnitere et seipsos reprehendere, quod occasionem habitam peccandi dimiserint vel neglexerint. Tales quando suis cogitationibus consentiunt (licet jam ejusmodi peccatum non velint in eo statu, in quo jam sunt, admittere), si peccatum est mortale, de quo gaudent, etiam talis consensus erit mortalis. Si autem non consentiunt, et libenter vellent se excutere a tali delectatione, est venialis, quanquam interdum est exercitium virtutis, ut homo discat pugnare pro virtute, et ex tali labore merita acquirat.

Gratiam Dei recuperare per voluntatem bonam.

Tertium, quando bona est voluntate libenter et studiose implendi omnia quæ ad se pertinent, secundum voluntatem Dei et suorum superiorum. Quartum est, quando semper habet voluntatem non peccandi, id est, cavendi ab omni culpa, et si dum labitur in diversos defectus contra propositum suum, non tamen jacet in illis, sed statim resurgit, et denuo proponit cavere sibi ab illis et aliis, idque tali cum fervore, quasi jam inciperet. Sanctus quidam et venerabilis pater docuit modum, quo quis vitiosam possit consuetudinem frangere et se emendare : ut scilicet, quoties deliquerit, ipse sibi mulctam irroget, aliquot orationes dominicas legendi, vel abstinendi ab aliquo cibo et potu, aut corpus castigandi, etc. Hoc profuit multis, et nemo, cui cordi est se emendare, hoc parvipendit.

Consuetudinem malam emendandi modus quis.

Occasiones peccandi fugere ut gratiam Dei recuperet.

Quintum, vitare et a se excludere occasiones peccatorum, quia ille non potest dici velle abstinere a peccato, qui non vult fugere pro viribus peccandi occasiones. Quis illum dicat casti et mundi cordis teneri desiderio, qui non vult vitare colloquia et aspectum mulierum, præsertim in faciem, quando facies mulieris urit ut ignis, et perfodit ut gladius; licet aliqui putent se ea re non tentari, quod tamen ut plurimum inde eis accidit, quod usque adeo stupidi sunt, et sese minime cognoscentes, quod non sentiunt nec advertunt periculum suum, sicut potestis discere ex simili? Aqua pura et perspicua qualis est in fontibus, facile turbatur, et fit fæculenta, si moveatur in fundo : sed in aqua concitata et turbida ex seipsa, ut est in Rheno vel stagnis, si commoveatur fundus, non sentitur immundities, quia jam ante aqua est turbida. Sic etiam aliqui habent turbidas conscientias, per totam septimanam loquuntur et rident, et cogitant quando, et quomodo volunt, agitantur variis desideriis, et multa alia peccata continue committunt, quando autem veniunt ad faciendam confessionem, nesciunt quid debeant confiteri, cum tamen alii qui magno studio puritati conscientiæ navant operam, satis inveniant, unde vel ter in die confiteantur. Quod inde fit, quia habent puriorem conscientiam, et facile quamcumque maculam, turbationem vel deordinationem vident.

Cæci
conscie
tiæ und
conting

Sextum, quod semper homo de se timet, et melius sentit de alio. Neminem judicat, de nemine murmurat. Et si quid ipse benefacit, non extollitur inde, nec sibi adscribit, sed gratiæ Dei, quæ in ipso operatur, et potest ipsum relinquere, et in alio majora operari. Propterea manet in humilitate, et spem suam figit in solo Deo, cognoscens ex sola illius bonitate et benignitate proficisci, quidquid habet boni vel facit : ex se autem nihil se habere, nisi peccata et multos defectus. Ista nimirum, charissimi, bona sunt signa, quæ qui habet, studeat servare, quandoquidem in omnibus operibus bonis necessaria est perseverantia, si debeant habere præmium et coronari et hæc perseverantia; etiam est ex gratia Dei.

Tim
propriæ
infirmit
tis ut g
tiam De
resuscit

Quamobrem rogemus incessanter piissimum Dominum Jesum, ut gratiam suam

nobis per Spiritus Sancti infusionem, cujus hodie solemnia celebramus, tribuat et conservet : quia nulla re adeo indigemus ut gratia illius : nihilque perinde utile est nobis ut gratia, sine qua cætera bona sunt velut mortua et informia. Quam si habuerimus, cuncta quæ nobis eveniunt sine peccato, prosunt nobis ad æternam vitam, sicut dicit Apostolus : Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, id est, ad æternam felicitatem. Si autem ea destituti simus, non poterimus toto virium nostrarum conatu quidquam efficere, quod sit gratum Deo, nobisque apud illum meritum paret. Unde sane cum primis reprehendendi veniunt, qui divinæ gratiæ adeo sunt incuriosi, ut plus videantur sollicitudinis adhibere erga quamlibet aut obtinendam, aut conservandam rem temporariam, quam amore complectantur et desiderio, quam gratiam Spiritus Sancti, quæ est res longe pretiosissima, sine qua tamen nihil omnino quisquam potest præstare, quod sit cum vera virtute conjunctum. Sed absit hæc a nobis cæcitas ac improbitas, charissimi. Quæramus ante omnia gratiam Dei, nihil ea nobis charius, nihil optatius sit. Inhiet avarus ad cumulandas brevique, velit nolit, amittendas opes : impurus et obscenus omnigenas suo corpori studeat adhibere voluptates : superbus et arrogans tanquam semper victurus nervos omnes intendat, ut possit honores et dignitates, imo onera et cruces consequi in hac vita, nobis ea præcipua sit sollicitudo, ut tantopere nobis necessariam Sancti Spiritus gratiam queamus adipisci.

Rom. VIII, 28.

Interim simus humiles. Siquidem humilibus Deus dat gratiam. Non intumescamus animo, non aliis nos stolide anteferamus. Sicut aquæ uberius confluunt ad profundas convalles : ita Spiritus Sanctus gratiæ suæ imbrem propensius mittit in corda humilia, quæ nesciant altum sapere, sed semper pie humiliterque timere. Si bene perlegamus Scripturas omnes divinas, videbimus quam multi idcirco gratia sint destituti, quod inaniter ac fœde sese extulerint : itemque plurimos ea re magnam percepisse gratiam, quod essent mansueti ac humiles : Ad quem respiciam, ait Dominus per prophetam, nisi ad pauperculum, id est humilem? Beati enim pauperes spiritu, id est, ex vero cordis fundo atque ex ipsa animi sententia humiles, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, quod non potest obtineri, nisi gratia Spiritus Sancti cooperante, quam nobis pro sua benignitate et misericordia præstare dignetur, qui hodierna die in humiles ac mansuetos Apostolos suos largissimum effudit gratiæ suæ imbrem Dominus noster Jesus Christus, cui est gloria et imperium in secula seculorum, Amen.

I. *Pet.* v, 5.

Is. LXVI, 2.

Matth. V, 3.

IN SOLEMNITATE
VENERABILIS SACRAMENTI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

FRATRES : Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis. Quoniam Dominus noster Jesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate. Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum Testamentum est in meo Sanguine. Hoc facite, quotiescumque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. *I Cor. XI.*

HAC lectione Apostolus eam Christi Jesu Dei ac Domini nostri charitatem nobis commendat, qua is tantum nobis præstitit beneficium, quo non potuisset ullum præstitisse majus : nempe præstantissimum sui Corporis et Sanguinis sacramentum, cui tota divinitas inseparabiliter conjuncta est. Qua quidem ineffabili charitate ac beneficentia sua nostros voluit sui amore inflammare animos, nostra accendere pectora, ut totos nos illi rependere non dubitemus, qui se totum nobis impendit. Et revera quid magnum est, si nostra exiguitas totam se illi rependat, quando ipse Omnipotens et immensus totum se nobis tribuit, non aliquo fructu aut emolumento suo, sed grandi utilitate nostra ?

Ait ergo sanctus Apostolus : Fratres, ego accepi a Domino, divinaque traditione didici, quod et tradidi vobis, vosque summa fide et diligentia edocui, sicut et dignum fuit tantam rem serio vos ac studiose edoceri : quoniam Dominus noster Jesus Christus, in ea qua nocte tradebatur a Juda, qui fuit dux eorum qui eum comprehenderunt, accepit panem azymum (eo enim juxta præceptum Domini vescebantur Phase celebrantes) in sanctas et venerabiles manus suas, et gratias agens omnipotenti Deo Patri suo, benedixit, fregit, ac ait discipulis suis, qui illius ultimæ cœnæ convivæ fuere : Accipite et manducate corde

et ore, fide et dilectione. Hoc est corpus meum, quod pro vobis paulo post tradetur extremo mortis supplicio. Non dixit : Apparet, aut significat, (quod hæretici fingunt, qui dominici Corporis et Sanguinis in hoc sacramento negant veritatem), sed : est, et vere est corpus, non panis, sed meum. Quod etiam plane declarat pronomen demonstrativum, hoc, quo demonstrabat substantiam illam, quam in manibus haberet, se illis traditurum.

Hoc facite in meam commemorationem, id est, meæ passionis, mortis, charitatis ac fidelitatis memoriam. Vide quantopere pius Dominus memoriæ nostræ affixa voluerit ea, quæ pro nobis, pro nostrorum abolitione peccatorum, pro nostri cum Deo Patre reconciliatione, ac pro redemptione nostra agere ac perpeti dignatus est. Namque hac ex causa etiam tam excelsum et venerandum instituit sui Corporis et Sanguinis sacramentum. Et tamen, o detestandam et omni lacrymarum fonte plangendam hominum ingratitudinem, qui totos sæpe dies, menses et annos transigunt, ut nec semel quidem ea qua decet gratitudine Domini Dei sui acerbissimos, quibus redempti sunt, dolores commemorent ! Hoccine est christianum esse, tantæ charitatis tam immemorem vivere ? O quam diras et tamen justas olim dabunt pœnas, quos tædet vel brevi spatio mente tractare arcta et pœnas Domini Jesu : et noctes atque dies vel de rebus avare conquirendis, aut de carnis suæ voluptatibus, aut obtinendis honoribus cogitare non tædet, imo etiam vehementer delectat !

Ingratitudo christianorum quanta erga tantum Sacramentum Eucharistiæ.

Sequitur : Similiter et calicem postquam cœnavit, accepit, consecravit, et sumendum dedit Apostolis, dicens : Hic calix, id est, hoc contentum in hoc calice sive poculo, est meus Sanguis, cujus effusione novum confirmatur Testamentum, sicut olim vetus aspersione sanguinis vitulini confirmatum est. Distinguitur autem Novum Testamentum a Veteri : quod Novo promittuntur æterna et cœlestia bona, sicut Veteri terrena et temporaria populo illi carnali Israel promittebantur. Hoc facite, inquit, quotiescumque bibetis hunc calicem consecratum, in meam commemorationem. Ecce secundo repetit, ut in sui commemorationem hoc sacramentum percipiamus et conficiamus. Unde cavendum est, ne is, qui tantum beneficium sumpturus accedit ad altare, Christi Jesu passionem, mortem et charitatem non ante animo revolvat. Nec tamen tum solum hæc ad memoriam revocanda sunt quando Eucharistiam sumpturi sumus : sed danda opera est, ut nunquam ex nostris cordibus abscedant : ita ut ubicumque simus, aut quidquid vel loquamur, vel agamus, semper nobis ob oculos versetur imago Christi in cruce pendentis : atque illius contemplatione prospera mundi despiciamus, et adversa æquanimiter perpeti discamus, ejusdemque Salvatoris tam indigna pro nobis patientis amore ferventissimo accendamur.

Testamenti veteris a novo distinctio qualis.

Passionem Domini memorandam ante Eucharistiæ sacræ communionem.

Sequitur jam Apostolus, et Christi verba exponens, ait : Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, id est, Corpus Christi, panis specie velatum, et calicem, id est, Sanguinem Christi bibetis, mortem illius debebitis annuntiare et commemorare, donec veniat ad judicandos vivos et mortuos, sive bonos et malos. Sed ne putemus temere ad mensam Domini accedendum esse, subjungit Apostolus, quod merito quemlibet terrere possit. Itaque, quicumque manducaverit panem, et biberit calicem Domini indigne, id est, cum peccati mortiferi, cujus ipsum non pœniteat, conscientia (is enim omnium Theologorum sententia indigne accedit), reus erit Corporis et Sanguinis Domini, hoc est, non secus sceleri erit obnoxius et obstrictus, quam si Sanguinem ipsum Domini fuderit. Vere tremenda sententia : quam utinam bene attenderent plerique, qui cum sint corde et corpore polluti, Deum Dei et Virginis Filium accipere non verentur : quod hodie, proh dolor ! nimis commune est. Sed resipiscant tales, faciantque quod Apostolus subsecutus hortatur :

Mortem Christi annuntiare quid sit.

Indignus quisnam dicatur communicaturus.

Probet autem seipsum homo, hoc est, videat et pensitet quid sit quod accipit : quo pacto sumit, an religiose ac devote, ut habeat voluntatem Deo subditam, an attente accipiat, exclusis evagationibus nimiis, et quis sit ipse qui sumit, num videlicet sit fide, spe et charitate præditus, quatenus id humano modo scire licet, discutiatque et scrutetur conscientiam suam, num quod intus lateat peccatum, præsertim mortiferum, idque primum quidem Deo, deinde etiam sacerdoti vero cum dolore ac emendandi firmo proposito confiteatur : atque ita purgatus pœnitentia et confessionis sacramento et Dei benignitate, nihil hæsitans edat de pane illo, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, non prius examinata et repurgata conscientia, judicium sibi manducat et bibit : fitque æternæ damnationi obnoxius, quandoquidem a cæteris escis non dijudicat et discernit Corpus Domini, neque tremendam Dei attendit majestatem in hoc sacramento latentem. Ideo inter vos multi infirmi corpore et animo variis afflicti morbis, et in vitia proclives. Qui enim polluta conscientia summæ puritatis Dominum in se recipere non metuunt, ii fere omnium semper sceleratissimi efficiuntur, maxime si id vertant in consuetudinem. Ut enim de Juda scriptum est, quod post buccellam sumptam intraverit in illum satanas, ita et in istos dæmones jus sibi vindicant, eisque ad omnem suam abutuntur voluntatem. Neque solum adversa quidam corripiuntur valetudine ob indigne percepta hæc sacramenta, sed etiam sopore mortis immaturæ obruuntur. O quam multi in ultionem tanti sceleris subito pereunt, et tamen pauci animadvertunt ! Verum si nosmetipsos diligenti conscientiæ examinatione dijudicaremus, non utique judicaremur, neque ejusmodi omnipotentis Dei plagas pateremur. Dum judicamur autem in præsenti vita, a Domino corripimur, qui quos amat arguit et castigat : ut non cum hujus mundi amicis, quibus sæpe impune cedit quidquid delinquunt, quæ est gravissima ira Dei, damnemur, atque illis mancipemur suppliciis, unde nullus pateat unquam exitus.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, JOANNIS VI.

APUD nullum Evangelistam tanta feruntur de divinissimo Eucharistiæ sacramento, cujus hodie festum colit diem Ecclesia catholica, gaudens et gratias agens Deo pro tam insigni munere, atque apud divum Joannem. Decuit nimirum rem præclarissimam a præcipuo describi Evangelista, qui ex Dominici pectoris fonte hauserat tanti mysterii uberem notitiam, atque etiam frequenti illius usu quid in se gratiæ, quid virtutis, quid dulcedinis contineret, abunde didicerat. Neque sane nobis vulgariter commendatum esse voluit, cujus tam studiose copioseque meminit : imo vero ut summo illius desiderio et amore accendamur, præ cæteris Evangelistis diligentius suo in Evangelio Christi verba quæ inde habuit, prosecutus est. Quæ nos, dilectissimi, fideliter, pie ac sedulo considerare debemus, ut agnoscamus Christi erga nos benignitatem, et tantæ gratiæ excellentiam, in qua totus continetur Christus tam secundum divinitatem quam humanitatem : totumque se præbet omnibus, puro corde ipsum percipientibus, idque immenso cum fructu. Quis enim possit ambigere infinitis ditari bonis, qui Christum verum Deum intra sui pectoris habitaculum reci-

piat? Itaque ut tantam gratiam avide esuriamus ac appetamus, inter alia multa, quæ apud Joannem sexto capite inde dixisse legitur, præsentis Evangelii verba locutus est :

Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.

Videmus quantopere homines corporis sui cibum ac potum appetant, qui tamen neque diu, neque semper sumentes exsatiat. Nam, velint nolint, ubi quod sumptum est natura concoxit, mox redit fames et sitis, rursusque potus et esca adhibenda est, atque nihilominus corpus moritur. De hac autem spiritali alimonia eodem capite apud Joannem dicitur : Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Si ergo in tantum appetitur esca corruptibilis, cujus tamen tam brevis et angustus effectus est, quanto vehementius esurienda est caro Christi, quæ plenam satietatem et vitam præstat æternam, de qua hic dicitur : Caro mea vere est cibus, non quidem ventrem implens, sed mentem reficiens, cujus effectus est non momentaneas corpori restaurare vires, sed animæ vitam conferre sempiternam : quod idem et sanguis facit, utpote qui vere est potus non corporis sed animi.

Corpus et sanguis Christi quid in sumente divine efficiunt.

Et merito quidem Dominus Jesus Carnem suam vere cibum, et Sanguinem suum vere potum appellat. Namque cibus corporeus, ut ait divus Guillelmus Parisiensis Episcopus, si bene attendas, falso cibi hominis nomen habet. Non enim ad verum hominem pertinet, utpote qui minime cedit in hominis interioris, qui pro sua dignitate et excellentia verus est homo, alimoniam, sed tantum asinum illius, nempe corpus nutrit. Porro Christi Caro et Sanguis hominem interiorem alit et confirmat, sicut etiam Psalmista meminit: Panis, inquiens, cor hominis confirmet. Unde jure debuit veri cibi nomen obtinere. Porro soli experti norunt, quam recte dictum sit a Domino : *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus*. Homines sceleribus dediti nihil inde noverunt, imo vero talibus non cibus est, sed potius exitiale venenum, non quidem sui natura, sed illorum vitio. Qui autem animis bene affecti sunt et constituti, miram sentiunt interioris hominis ex hac esca salutifera corroborationem, ita ut ea sæpius etiam in corpus redundet. Legimus quosdam Dei homines hujus unius escæ usu vitam sustentasse, nec ullo præterea alio cibo habuisse opus. Et quid mirum si tantam habeat vim caro Christi, quando illi semper tota divinitas conjuncta est, cujus virtute cuncta subsistunt? Sed quanta est horum temporum calamitas, quantus tepor, quanta incuria, ut cibum corporis omnes summopere cupiant : cibum autem animæ, qui proprie est caro Christi unita Verbo, omnes pene fastidiant? Offert sese totum Filius Dei, optat sese intime nobis conjungere, atque communicare : et quasi vile sit hoc donum, vix adduci possunt homines, ut ter quaterve in anno sese præparent ad communicandum. Unde etiam dubium non est, evenire illis quod Dominus terribiliter ait : *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Olim in ipsis nascentis Ecclesiæ initiis tantus erat fervor credentium pectoribus, ut quotidie communicarent. Hodie qui semel in anno communicat, satis sibi christiani hominis officio functus videtur. Lutherani hæretici Dominicis diebus multi numero currunt ad cœnam Domini, ut vocant, et possent videri quodam sancto fervore duci. Sed quia propria temeritate ab Ecclesiæ consuetudine recedunt, et utramque speciem sumere volunt, tanquam non sit totus Christus sub alterutra specie, jam plane certum est hunc fervorem non ex Deo, sed malo spiritu proficisci. Nitimur enim in vetitum, semper cupimusque negata. Si Ecclesia catholica præciperet, ut sub utraque specie singulis Dominicis diebus communicarent, aut nulli aut paucissimi ex ipsis quoque Lutheranis id agerent. Jam quando Ec-

Solo Sacramento altaris quosdam in utroque homine sustentari.

Joann. VI, 54.

Lutheranorum communio qualis sit

Lutheranorum communio exercranda sub utraque specie.

Cibus corporeus falso vocatur cibus hominis.

Ps. CIII, 5.

Cibus hominis quomodo vere jure vocatur.

Joann. VI, 6.

clesia justissimis adducta rationibus, jubet populo sub altera tantum specie, in qua totum quod sub utraque, revera continetur, tam excelsum et tremendum porrigi sacramentum, omnes spreto Ecclesiæ, et per consequens spreto Dei judicio, sæpius communicare volunt. Sed quo fructu id agant ex vita illorum abunde perspici licet. Sequitur :

Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo.

Judas proditor Domini, Carnem Christi edit, et Sanguinem bibit, numquid etiam ille mansit in Christo, et Christus in illo ? Minime. Nam scriptum est, quod post buccellam intraverit in illum diabolus. Non igitur verba hæc simpliciter accipienda sunt, sed sane intelligenda. Nemo putet satis esse manducare Christi Corpus, et Sanguinem bibere, nisi dignus sit qui manducet. Qui peccato mortifero obnoxius est, nec tamen dolet, nec confitetur, is si accedat ad mensam Domini, utique non manet in Christo, nec Christus in illo : imo vero totus in anima moritur, quandoquidem vitam illius, id est, Christum a se excludit. Quomodo enim non excludit a se Christum, qui intra conscientiam peccatum retinet, quod Christus summe execratur et odit ? Is igitur qui ob amorem Dei dolet se peccasse in Deum, et facit quod ex Dei et Ecclesiæ præscripto constat esse faciendum, statuitque deinceps, quantum humana sinit imbecillitas, vitare peccatum, et vitam suam divinæ conformare voluntati, si Christi sacramenta percipiat : et ipse utique manet in Christo per fidem et bonam voluntatem, quæ teste Augustino, charitas est, et habet in se manentem Christum per gratiam et præsentem inhabitationem, quamdiu a vitiis immunem se servat.

Quisnam vere dicatur manere in Christo et Christus in eo.

Hæc est revera vita felicissima, manere videlicet in Christo per amorem et studiosam executionem mandatorum ejus, ita ut semper sollicitus sit illius parere jussis, et cavere quæ ille vetuit : et si quandoque labatur humana præventus fragilitate, aut diabolica seductus persuasione, tamen cito resipiscat, nec ad injuriam summi Dei in vitiorum cœno perseveret : atque etiam habere in se manentem Christum, sui videlicet rectorem et gubernatorem, ita ut non proprio vivat corruptæ voluntatis arbitrio, sed illius spiritu agatur ad implendam justitiam omnem : quod nihil est aliud, quam Christi vestigiis ingredi : qui cum a Joanne baptizari vellet, et is recusaret baptizare Dominum suum, ait ad eum : *Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Unde etiam sanctus Joannes Evangelista prima sua Epistola sic ait : *Qui dicit se in Christo manere,* et per consequens Christum in se manentem habere (non enim possunt hæc separari), *debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* Quod qui non facit, non utique manet in Christo, nec Christus in illo, etiamsi Christum quotidie manducet : nec tamen propterea minus verax est hæc, quam modo tractamus sententia Christi : quandoquidem non ita manducat Carnem et bibit Sanguinem Christi, sicut Christus se voluit manducari. Ita rursus ait idem Joannes : Qui servat mandata illius, in illo manet, et ipse in eo. Sed dicat aliquis : Si mandatorum observatio id præstat, ut maneam in Christo, et Christus in me, quid necesse erat hoc institui sacramentum, cujus perceptione hoc idem promittitur ? Cui respondendum primo quidem etiam hoc esse mandatum Christi, ut ipsum in sacramento sumamus, atque ideo quisquis id contemnit, non servare eum Christi mandata. Nam etsi alia omnia, isto excepto, servet, tamen reus est, teste Jacobo Apostolo, ita dicente : Qui impleverit totam legem, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Deinde etsi mandatorum executio id præstat, ut nos in Christo et Christus in nobis maneat, tamen hujus divinissimi Sacramenti dignam perceptionem longe excellentius id præstare. Non enim vulgaris datur gratia

Matth. 15.

Joann. 6.

Christ
sumere
Sacram
to quon
do ipsi
sit man
tum.

Jac. II,

digne communicantibus, nisi quis dubitet ullam posse a Deo denegari gratiam illi, cui se totum impertit : quod nimirum in hoc facit Sacramento. Unde nihil ambigi debet, etiamsi quis jam in Christo maneat, et Christum in se habeat manentem, digna tamen hujus Sacramenti crebraque sumptione id eum assequi, ut longe excellentius, firmius, perfectius et ipse in Christo et Christus in ipso perseveret. Id quod etiam evidentissima experientia sentiunt fideles, hoc Sacramentum cum bona voluntate et cordis puritate crebro percipientes : non quidem arida ducti consuetudine, sed majoris gratiæ desiderio, studioque Deo placendi, et virtutum obtinendi incrementa. Sequitur :

Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

Pater misit Filium humanæ carnis substantia indutum, ut genus humanum sua immerita morte ab æterna morte redimeret. Dicitur autem vivens Pater, quia vitam habet in semetipso, et est omnino incommutabilis, æterna et modis omnibus absoluta vita. Et sicut ipse vitam habet in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, hoc est, ut divus Augustinus exponit, genuit Filium habentem vitam in semetipso. Unde hic jam dicitur : Et ego vivo propter Patrem, id est, ab eo vitam habeo, idque non secundum divinam duntaxat, sed etiam humanam naturam. Filius namque Dei est Deus de Deo, vita de vita, lumem de lumine. Sicut ergo propter Patrem Filius vivit, sic qui manducat digne Christum in Sacramento, vivit propter Christum, id est, ex illo et ab illo tanquam membrum e suo capite vitam accipit per influxum et communicationem gratiæ ac Spiritus Christi : quem qui non habet, putre membrum est, et a Christi corpore alienum, unde nec vivit vita spiritali, licet corporea non sit destitutus. Ut enim anima hominis vitam non ministrat membro putrido vel a corpore resecato: ita qui a Christi corpore abscisus est, non vivit de spiritu Christi. Ut ergo de Christi spiritu vitam habeamus, manducemus Christum, Christoque uniamur et incorporemur, ut vitam in nos suam derivare possit. Simul advertamus hic, quamobrem sese nobis in Sacramento relinquere voluerit, ut scilicet ipsum manducando illi incorporemur, et vitam gratiæ ex ipso hauriamus : quam nisi manducemus, certum est nos diu tueri non posse, sicut ipse ait : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* vitam scilicet gratiæ, quæ non potest haberi sine Christo. O vere pius et misericors Dominus, qui ne nos præ inopia ac inedia spiritus moriamur, seipsum nobis escam parare dignatus est !

Pater vivens quomodo Deus pater dicatur. *Joann.* v, 26.

Vivere propter Christum quid sit.

De spiritu Christi quomodo quis vivere possit.

Joann. vi, 54.

Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut patres vestri manducaverunt manna et mortui sunt.

Apud eumdem beatum Joannem paulo superius dixerat Dominus : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Certum est autem carnem Christi non e cœlo descendisse, sed assumptam ex Virgine. Quomodo igitur dicit Dominus panem, quem ipse daturus sit, e cœlo descendisse ? Quæstio hæc nihil habet ambiguitatis apud eos, qui in Scripturis divinis et sanctorum Patrum monumentis versati sint. Vult enim Dominus hoc loco, sicut et multis aliis, in duabus naturis personæ unitatem in se intelligi. Ita ergo etiam caro Christi descendit de cœlo, sed ob unionem inseparabilem, qua Verbo conjuncta est. Quod maxime invitare nos debet ut tanto avidius escam hanc salutiferam esuriamus : quandoquidem totus hic nobis Christus et Deus verus et homo verus præbetur. Judæi quidem jactabant patres suos in deserto manna edisse : quod tamen hujus cibi nonnisi figura quædam fuit, sicut etiam alia multa illi populo in figuris contingebant : sed Dominus eorum jactantiam compescens, ad seipsum nem-

Caro Christi quomodo dicatur descendisse de cœlo.

pe verum manna eos revocat, dicens : primo patres eorum, etsi manna ederint, tamen illo cibo obtinere non potuisse, quin omnes in corpore, plerique vero etiam in anima mortui sint, deinde adjiciens :

Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Qui enim Christum manducat, vitam edit æternam, atque ejus participatione etiam ipse in utroque homine immortalis efficitur : anima quidem semper vivente, corpore autem in extremo die excitando, ut deinceps in omnem æternitatem vivat cum anima, cui se morigerum præbuit instrumentum. Quid hic dicturi sumus nos miseri, nos ingrati et tepidi ? Promittit nobis sese manducantibus Christus vitam æternam, et certe fallere aut mentiri non potest, quia veritas est : et tamen quotusquisque est, qui Christum esuriat ? O tempora, o mores ! Agedum, charissimi, excutiamus mentis lætiferum soporem, agnoscamus Christi benignitatem et misericordiam, utamur ejus munificentia. Invitat nos promissis, imo etiam minis cogit et urget, ut se manducemus. Ne quæso pigeat nos illius accedere convivium. Si nos amicus aliquis invitet ad prandium vel cœnam, certe abesse veremur. Ecce Rex omnipotens, Dominus cœli, Pater et Creator, summus et fidissimus amicus noster invitat nos ad convivium suum, in quo seipsum proponit ad edendum et bibendum et nos abesse audebimus !

O quam male immutati sunt mores populi christiani ! Quam in pejorem partem, proh dolor ! mutata sunt omnia ! Olim ferventi spiritu et flagrantissimo desiderio quotidie Christi fideles inhiabant sacræ communioni, et illius participatione vivificiSacramenti magis magisque pinguescebant spiritu, amore inflammabantur, virtutibus omnibus augebantur, ita ut non aliter ad sævissima quæque pro Christi fide et amore perferenda tormenta, quam ad exquisitas epulas properarent. Hodie omnes ad hunc cibum nauseant, et nihil minus libet, quam vivum et verum Deum, id est, veram et vivacissimam vitam edere. Et tamen panis iste, panis vitæ est, præparatus in sustentaculum et vitam membrorum Christi, ut vivant de spiritu Christi. Et sicut nihil melius, nihil facilius, nihilque aptius immutatur in corpus nostrum quam panis : pari modo ut immutemur in Christum, datur nobis hic cibus : quem qui manducat, non mutat illum in se, sicut cibum corporis sui : sed ipse in illum mutatur, ut in ipso et ex ipso vivat. Cur igitur desides sumus ad manducandum Christum vitam nostram ? Nonne ipse dicit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ?* Si desperatur vita illius, qui corporis necessarium non admittit alimentum, anne desperandus est, qui animæ vitam respuit ? Optat Christus, atque adeo vehementissime delectatur cœnare nobiscum, et seipsum nobis edendum præbere, plenum omni gratia et omnibus bonis, non quod indigeat bonorum nostrorum, sed ut nos immutet in se, ut unum et idem secum efficiamur ab ipso esi, digesti, et in corpus ipsius vegetati.

Tepor hujus temporis quantus ad communicandum Christi Sacramento.

Cur igitur tantam gratiam non modo negligimus, sed etiam aspernamur ? Nimirum non alia hujus ratio est, nisi quia plane mentis inopes sumus. Dolendum est, eo rem rediisse apud christianos, ut semel in anno communicasse satis videatur. Quod quæso charitatis et gratitudinis erga Deum signum esse potest tam raro ad Eucharistiæ sacramentum accedere, quod ille in sui memoriam instituit ? Quid est aliud tam raro communicare, quam Christi ejusque beneficiorum esse immemorem ? Esto Ecclesiæ præcepto satisfaciat, qui semel in anno communicat, tamen videat si etiam Deo et rectæ rationi faciat satis. Certum est maximi teporis indicium esse raro tam celsum percipere beneficium. Utinam christiani omnes eo adduci possent, ut quemadmodum divus Augustinus hortatur, singulis Dominicis diebus com-

Ad communionem Sacramenti cur christiani hoc tempore sint adeo desides.

Communicare rarius Sacramento Corporis, cujus rei sit indicium.

Augustin.

municare vellent: certe meliori in statu res nostræ forent.

Cyrillus. Beatus Cyrillus doctissimus atque sanctissimus Episcopus efficacissimis verbis ad crebram communionem incitare omnes cupiens, ita ait: Sciant baptizati homines, et divinæ gratiæ participes effecti, si rarius in Ecclesiam proficiscantur, et longo temporum spatio propter simulatam religionem mystice communicare Christo recusent, ab æterna se vita procul depellere. Quippe recusatio hujusmodi, quamvis ex religione proficisci videatur, et scandalum facit, et laqueos instruit. Quare oportet omnibus viribus a peccato mundari et recte vivendi jactis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. Sed variæ sunt diaboli multiplicesque ad decipiendum insidiæ. Nam primum ad vivendum turpiter inducit. Deinde cum malis onerati fuerint, tunc a Christi gloria abhorrere persuadet, qua possent a turpitudine voluptatis quasi ab ebrietate revocari. Quare demus operam, oro, ut vinculis diaboli abruptis, et jugo servitutis ejus excusso, in timore Domino serviamus, et carnis voluptate per continentiam superata, ad cœlestem gratiam accedamus, corporisque Christi participes efficiamur. Sic enim, sic, inquam, et diabolum fugabimus, et divinæ naturæ participes, ad vitam et incorruptibilitatem ascendemus. Ac deinde ita habet idem venerabilis pater: Nos vero si vitam æternam consequi volumus, si largitorem immortalitatis habere in nobis desideramus, ad recipiendam benedictionem (Eucharistiam dicit) libenter concurramus, caveamusque ne loco laquei damnosam religionem diabolus nobis prætendat. Recte dicis: Scriptum non ignoramus, judicium sibi comèdere et bibere illum, qui de pane comedit, et de calice bibit indigne: ego igitur probo meipsum, et indignum invenio. Quando igitur, quicumque tu es qui ista dicis, dignus eris? Quando Christo teipsum offeres? Nam si peccando indignus es, et peccare non desinis (quis enim delicta intelligit, secundum Psalmistam), expers omnino eris hujus vivificæ sanctificationis. Quare pias, quæso, cogitationes suscipias, studiose sancteque vivas, et benedictione (id est, Eucharistia) participes, quæ, mihi crede, non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis manet Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi exstinguit: nec in quibus sumus peccatis considerat, sed ægrotos curat, collisos redintegrat, et sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus suis posuit, ab omni nos erigit casu. Hæc Cyrillus.

Quare frequentius communicandum sit Christi Sacramento.

I. *Cor.* XI, 29.

Ps. XVIII, 13.

Communionis Sacræ frequentioris fructus quis.

Joann. X, 1.

D. Clemens Papa. Clemens quoque Pontifex Maximus in quadam Epistola sic habet: In perceptione Corporis et Sanguinis Domini magna discretio adhibenda est. Cavendum enim, ne si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et juxta Apostolum: *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat,* ut videlicet ab operibus carnis purificans corpus animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum Sacramentum. Et divus Hilarius Episcopus: Timendum est, inquit, ne diu abstractus a corpore Christi, alienus remaneat a salute. Qui peccare quievit, communicare non desinat. Sunt et aliæ sanctorum Patrum consimiles sententiæ: sed eas huc adducere longum est. Ergo, dilectissimi, tantorum virorum adhortationibus provocati demus operam correctiori vitæ, ut Corporis Dominici sacramentum creberrime suscipiamus. Non nos inde abstrahat communis tepor. Inter multos desides strenue se gessisse, id viro præclaræ virtutis est. Christus Jesus, qui se nobis in via laborantibus ne deficiamus præbuit alimentum, idem ipse in patria se nobis servat præmium, per infinita secula seculorum, Amen.

Communionis infrequentioris damna quæ quis incurrat.

Joann. VI, 54.

I. *Cor.* XI, 28.

Hilarius.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

CUR ET QUA CHARITATE IN CIBUM POTUMQUE SE NOBIS DOMINUS JESUS RELIQUERIT SUMENDUM.

MEMORIAM fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Psalm. CX. 4.

Visibilia invisibiliaque omnia ut propter homines creata sint.

Non pauca sunt quæ fecit Dominus mirabilia in cœlo, in mari et in terra, quæ propter hominem fecit quem creavit, in cujus solatium ac auxilium quæ videmus cuncta, partim in cibum, partim in potum, nonnulla in ministerium ut Angelos, solem, stellas et lunam, quædam in exercitium, ut sunt homini quævis contraria, immunda, toxica aut molesta fecit. Quæ tamen cur faceret, non potior est ratio quam ejus bonitas charitasque erga nos, qua per hæc excitare nos voluit ad cognoscendum amandumque se Creatorem ac benefactorem nostrum. Hoc namque et Paulus testatur, puta invisibilia Dei per ea quæ facta sunt cognosci oportere. Cognoscenda igitur, laudanda amandaque est bonitas Creatoris nostri, qui tanti nos æstimavit, ut nos, cum non essemus, nec ut conderemur meruimus, crearet, et propter nos omnia hæc visibilia et invisibilia faceret. Hoc igitur primum beneficiorum ejus, quod quos scivit sibi rebelles ingratosque, creavit. Alterum est, cum mox ut fuimus conditi, Creatorisque præceptum contempsimus, quod non quomodo meruimus, irreparabiliter nos a conspectu suo projecit, sed cogitans cogitationes pacis, quomodo scilicet, quod in nobis deformatum erat, reformaret, quod amissum restitueret, et quod nisi succurreretur perire necesse erat, servaret atque salvaret. Atque ideo ad ostendendam suæ erga nos admirabilem dilectionis magnitudinem, parum ei videbatur, quod nos creaverat, maxime quod hujus beneficii et donorum omnium (quæ obedienter si vixissemus Deo in paradiso servassemus) fructu ipsi nos spoliavimus, felicitatem æternam, ad quam eramus creati, amisimus, ærumnas denique multas et calamitates, a quibus alioqui fuissemus liberi, peccando incidimus : addidit aliud beneficium majus, quod sui amorem magis quoque nobis declararet, nosque ad redamandum vehementius accenderet. Nam quos creavit ante, in hoc nunc recreavit, hoc est reparavit, licet non tam faciliter quam creaverat recrearet : nam sine labore nos creavit verbo, sed non absque labore nos verbo redemit.

Creationis beneficium quantam exigat gratitudinem.

Vis scire, quo nos labore redemerit ? *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, misit Filium suum in similitudine carnis peccati, ut omnis qui credit in illum, non pereat sed habeat vitam æternam.* Itaque Verbum caro factum est, legem accommissionem habens a Patre, quo nos modo recrearet, repararet atque redimeret. Modus hic erat, ut triginta tribus annis propter nos in mundo exul, pauper et ignotus Dei Filius habitaret, famem, tristitiam, frigus, æstum, sitim, fatigationes necessitatesque alias et ærumnas multas innocenter sustineret : prædicando circumiens, et quod perierat quærens, dispersos Dei filios colligeret ; tandem post varias multiplicesque pœnas toleratas, animam suam pro illis in mortem traderet, quo nobis parceretur, et ipse peccatum quod non fecerat, exsolveret : vulneraretur propter iniquitates nostras, attereretur propter scelera nostra. Et ipse quidem nos gratis redimeret, ipse pro nobis percuteretur : nos vero ejus livore sa-

Labore quanto n Deus red merit.

Eph. II, *Joann.* III 16.

Modus redemptionis hominum qu fuerit.

naremur. Hoc certe beneficium magnum fuit. Quos enim damnare debuit, pro illis damnatus est; quos æterno debebat igne punire, quo eisdem parceretur, omnium peccatorum ultionem in se recepit : nihil propterea a nobis exigens, quam ne dilectionis suæ erga nos immensæ oblivisceremur.

Quod ne fieret, suavissimæ erga nos dilectionis beneficiorumque exhibitorum memoriale seu monimentum nobis reliquit, puta semetipsum in Sacramento sub specie panis et vini. Neque enim satis illi erat, quod alia nobis dedisset omnia, nisi etiam daret nobis seipsum, et hoc in cibum et potum. Sed quare, inquies, in potum cibumque potius quam in alia re? Quia nihil erat aliud, quo suum posset satis erga nos desiderium declarare quam intime nos vellet sibi conjungi, quam in Sacramento hoc panis et vini. Cibus enim et potus, præter alia dona quæcumque hoc habent, ut non solum sint donum quoddam, seu beneficium dantis, sed etiam nutrimentum recipientis : hoc est, ut illa recipiens non tam ea habeat, quam in se illa trajiciendo convertat. Clarum est enim cibum et potum in hominis substantiam corporisque humani alimentum converti, ut quod ante sumptionem erat cibus, efficiatur post sumptionem et conversionem naturalem, hominis corpus. Voluit itaque Christus nos sibi conjungere, et quo posset modo maxime intimo nos sibi unire. Quod ut nobis significaret in cibum et potum sumendum, sub panis vinique specie se nobis reliquit : non tamen quomodo naturalis corporalisque agit cibus, ut convertatur in cibatum, aut idem fiat, ut sic loquar, cum cibato, sed ut eum, qui sua carne refectus est, in se convertat, quod longe præstantissimum est, secumque unum efficiat. Itaque memoriam fecit mirabilium beneficiorum suorum Dominus, pretiosissimum atque dignissimum quod habebat, hoc est, seipsum sub aliena specie nobis relinquens, et nobiscum manens usque in consummationem seculi. Quem in Sacramento dum contemplamur, dum tractamus, dum offerimus, dum sumimus quoque, omnia hæc voluit in sui ut faceremus memoriam, recolentes quanta nos dilectione dignatus sit, quanta misericordia peccatis nostris pepercerit, quanta damnationem æternam millies commeritam clementia suspenderit nobis, quam longanimiter nos diuque portaverit, qua charitate vigilaverit super nos, atque rebelles sapientissima sua benignitate ceperit, nobis semper benefecerit, licet ingratis : propter nos denique incarnatus, contemptus, afflictus, fatigatus, persecutus, passus, vulneratus totus, atque cunctis viribus et sanguine exhaustus, tandem pro nobis mortuus sit. Voluit nos pius Dominus suæ ad nos charitatis in hoc Sacramento admonere, qua recalescentes ipsum redamaremus.

De hoc Sacramento venerabili et pro hujus institutionis dignatione, festum diem agimus tam solemnem quam singularem. Is enim, cui festum hunc dedicamus diem, quem laudamus, cui gratias agimus, præsens est revera nobiscum. Licet enim hæretici non credant Christum in hoc esse Sacramento, nisi significative tantum : nos tamen Ecclesiæ sanctæ veræ filii nihil hæsitamus sacramentaliter Domini Corpus esse præsens, non ut Corpus hoc sit sine anima, aut passibile, sed Corpus hoc Christi idem quod habet in cœlo gloriosum, animatum, divinitati unitum (alioquin non idem foret Corpus Christi) habemus nobiscum, veneramurque in Sacramento. Quamvis enim Corpus Christi solum in specie panis sit ibi sacramentaliter, atque ex vi sacramenti : tamen concomitanter est ibi anima, sanguis, Verbum ac tota Trinitas, utpote quæ nequeant a se separari. Nihil etiam nos movet, quod hæretici dicunt : Christum cum diceret : *Hoc est Corpus meum,* significative tantum locutum fuisse, quomodo dixerat : Ego sum lux mundi : Ego sum vitis vera, et cætera hujusmodi, ubi certe se per similitudinem luci aut viti comparat. Nam hæc locutio instituentis Sacramentum longe alio fit modo,

Sub specie panis et vini cur Christus se nobis reliquerit in Sacramento.

Cibum potumque converti in substantiam sumentis.

Ps. cx, 4.

Christus quanta nos dilectione dignatus sit.

Christus quomodo catholice et vere credatur esse in Sacramento.

Hoc pronomen quid signet in consecratione Sacramenti.

quam reliquæ. Hic enim ponitur demonstrativum pronomen, hoc, dicendo : *Hoc est Corpus meum.* Habebat enim tunc panem in manibus, quem benedixerat Christus, atque discipulis tradebat sumendum, dicens : *Accipite, et manducate : Hoc est Corpus meum.* Neque enim absque demonstratione, et indefinite panem nominat corpus, quomodo nominabat se vitem veram, ut ad solam nominis significationem similitudinemque recurramus ; sed dicit : Hoc est Corpus meum.

Ubi, quæso, similis est locutio in Scriptura cum ejusmodi demonstratione, quæ significationem tantum, non veritatem exprimat ? Nequaquam enim dicit Christus demonstrando : Ego sum hæc vitis : Ego sum hic lapis, hæc petra, hic agnus, sicut dixit : *Hoc est Corpus meum.* De cujus veritate etiam ne omnino dubitaremus, mox addidit : Quod pro vobis tradetur. Dedit enim discipulis hoc Corpus, quod tunc habebat videlicet passibile et mortale, hoc est, tradendum in mortem et crucifigendum : atque ideo dixit, quod tradetur. Quod enim aliud corpus, quam ipsum suum corpus dedit ad flagellandum pro nobis, et crucifigendum ? Numquid panis, quem juxta hæreticos significative Corpus vocabat, pro nobis datus est in passionem et mortem ? Aut numquid similitudo Corporis Christi pro nobis mortua est? Aut in mysterio tantum, non in vero corpore pro nobis passus est Christus ? Quod si esset, quæ tunc nostra exspectatio, aut quæ salus nobis ex tali figmento eveniret ? Certe si quid boni hoc modo ibi fuerit, hæreticis relinquamus, ut fructum habeant suarum adinventionum.

Corpus quale Christus discipulis dederit.

Sensus hæreticorum de hoc Sacramento cujusmodi sit.

Nos verum Christi Corpus intelligimus, credimus, offerimus et comedimus, quod pro nobis in mortem traditum est, quod resurrexit, quod denique sedet in cœlo ad dexteram Patris. Hujus gustu reficimur, hoc refecti confortamur, hoc manducantes vivimus : quia vitam animæ nostræ intra nos recipimus, sicut ipse quoque dixit : *Qui manducat me et ipse vivet propter me.* Neque enim carnem in hoc Sacramento mortuam, sed spiritum sumimus vivificantem. Atque ideo quia multi idem Corpus Domini accipimus, omnes etiam eodem Christi spiritu vegetamur. Hoc enim et vox illa, communio seu communicatio significat. Siquidem quid aliud est, communicare, quam cum reliquis fidelibus Dominici Corporis, et spiritus ejusdem participem se facere ? Accedamus igitur mundi et simplices corde, et panem vitæ, qui de cœlo descendit mundoque dat vitam, de altari sumamus. Ad hujus sumptionem, charissimi, præparationem aliam nescio meliorem, quam ut sui profundissima qua potest humiliatione se homo coram oculis Dei contemnat, accuset et vilificet, stupeatque dignationem erga se admirabilem incomprehensibilemque Jesu Christi Domini nostri, quæ tanti se fecerit nosque omnes pannos viles ac menstruales tanta charitate complexus sit, ut fecerit nobis quod nulli hominum, imo quod reor nec Angelorum cuipiam comprehensibile sit, se nobis in hoc Sacramento tradens in cibum potumque : præsertim cum nullo posset modo alio nobis fieri vicinior, quam hoc modo, quo transformaret nos in se, unumque secum efficeret. Respondeat ergo amori et charitati ipsius fervor, devotio desideriumque nostrum, ut simul propter majestatem ejus infinitam ibi latentem reverentes, ob vilitatem nostram humiles, et propter bonitatem ejus nimiam accedamus desiderio ferventes. Præstet hæc nobis benignissimus ipse Dominus noster Jesus Christus, ut misericordissima ejus dignatione digni efficiamur, quoniam nunquam ex nobis sumus nisi indignissimi : et idem sibi in nobis præparet locum, qui habitare cupit nobiscum, seque ipsum in nobis suscipiat, et quidquid in nobis defuerit, per gratiam suam suppleat, qui est benedictus in secula, Amen.

Sensus catholicus de hoc Sacramento quis.

Joann. 58.

Comm nicare quid in pretetu

Præpa tio ad s cram cc munion omniu optima quæ sit

IN SOLEMNITATE

SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

AUDITE insulæ, et attendite populi de longe. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum : in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam. In pharetra sua abscondit me, et dixit mihi : Servus meus es tu, Israel, quia in te glorificabor. Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi : Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt Dominum Deum tuum, quia fidelis est, et sanctum Israel qui elegit te. *Is. XLIX.*

VERBA hujus Lectionis, fratres charissimi, ex libro Isaiæ prophetæ extracta sunt : quæ licet spiritu prophetico potissimum de Christo prolata sint, possunt nihilo secius ad præclarissimum illius membrum, nempe sanctum Joannem Baptistam, accommodari. Nihil enim obstat, ut pleraque ex illis, quæ capiti conveniunt, etiam membris illius mystica interpretatione aptentur. Sic sanctus Papa Gregorius quatuor illa animalia, quæ apud Ezechielem describuntur, ad ipsum Christum, ad quatuor Evangelistas, et ad unumquemlibet perfectum acutissime et convenientissime applicat. Dicit ergo sacratissimus Baptista : Audite, insulæ, et attendite populi de longe, qui procul per varias mundi plagas habitatis, et christianæ fidei dogmatibus assensistis. Dominus ab utero vocavit me, imo etiam antequam maternis conciperer visceribus, misso cœlitus non quolibet, sed principe nuntio, nempe Gabriele, nomen mihi imposuit, et de ipso matris meæ ventre recordatus est nominis mei, materna voce paternaque manu illud enuntians, quando cognatis Zachariæ nomen mihi potius imponendum videbatur. Sed quemadmodum ipse æterna sua electione nomen mihi indiderat, ita opportuno tempore illud etiam a parentibus mihi fecit imponi. Recordatus etiam est nominis mei, sua me gratia mirifice præveniens, atque adeo etiam Sancti Spiritus infusione confirmans, nec abjiciens me meique obliviscens, uti eorum dicitur oblivisci, quos juste derelinquit. Et posuit os meum quasi gladium acutum, non sicut de impiis legitur : *Lingua eorum gladius acutus.* Itemque : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ,* qui pestiferis et venenatis suis sermonibus animas jugulant, et morte sempiterna afficiunt. Non, inquam, hac ratione os mihi acutum dedit, sed quemadmodum apud Salomonem legitur : Verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum

Oblivisci quorumnam Deus dicatur.

Ps. LVI, 5.

Ibid.

Eccl. XII, 11.

defixi. Non enim novi palpare hominum quamvis potentium vitia, sed pungere, et objurgare acriter, mortis discrimine contempto. Hæc si de se divus Joannes taceat, tamen ex Evangelio plane discimus, ubi et Judæos asperis reprehendisse verbis et Herodis adulterium non dissimulasse legitur, quæ res illi mortem conciliavit, non ferente impiissima Herodiade sancti viri æquissimam et amantissimam reprehensionem. Ita nimirum sanctorum virorum dicta habent suos quosdam acutissimos aculeos, quibus sæpe etiam adamantina hominum pectora compungunt. Neque id mirum, quando non illi loquuntur, sed per eos Christi spiritus sua verba resonat. Unde apud Jeremiam Dominus dicit : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram ?* id est saxea pectora. Cur vero multi hodie, licet buccis crepitantibus pro concione ad populum, Dei verbum prædicent, tam parvum referunt fructum, nisi quod e suo frigido et arido pectore, non ex Sancti Spiritus fervore et charitate loquuntur ? Quod si illo Spiritu pleni essent, possent et ipsi cum sancto Joanne dicere : Posuit os meum Dominus quasi gladium acutum. Namque verbis suis multorum dura licet corda haud secus, quam quibusdam mucronibus penetrarent, et ad vitam in melius commutandam compungerent.

Viri sancti uti verbis utantur aculeatis.

Jer. XXIII, 29.

Concionatores quidam cur parvum aut nullum referant fructum.

Dicit porro sanctus Joannes : In umbra manus suæ protexit me, divinæ gratiæ suæ undique me cingens adjutorio, ut nullis neque dæmonum neque hominum insidiis aut afflictionibus potuerim everti. Et posuit me sicut sagittam electam, qua corda hominum a veritate ad vanitatem misere aversorum efficacissime transfigeret. In pharetra sua, id est, divina virtute sua abscondit me, ne ullis hostium tartareorum insidiis paterem, multis quoque annis in eremo tanquam tutissimo asylo abscondit me hominum aspectibus, ne quam ex illorum convictu maculam contraherem, donec tandem tempore ab æterno præstituto, me ad homines convertendos tanquam sagittam e pharetra emisit. Et dixit mihi : Servus meus es tu Israel : non utique talis servus, de quali Dominus dicit : Servus non manet in domo in æternum, sed servus fidelis ac pius, et verus Israelita ob crebram, imo assiduam divinitatis contemplationem, cui in solitudine semper deditus fui, juxta illud Jeremiæ : *Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se* ad contemplanda divina et cœlestia. In te, inquit, glorificabor, et per te gloria et majestas divinitatis meæ hominibus annuntiabitur ac innotescet : atque illi ad me conversi, honore et gloria me afficient.

Jo
VIII, 3

Thren. 28.

Et nunc hæc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, quando intra ipsa materna viscera tanquam futurum athletam suum me unxit spiritu suo et induit virtute ex alto, ut officium ab ipso mihi demandatum digne possem exequi, et adversus acies inimicas viriliter dimicare. Dedi te in lucem gentium. Hæc quantum ad divum Joannem attinet, synecdochicos dicuntur. Nam Judæis Joannes veram lucem Christum annuntiavit : non item cunctis gentibus. Quanquam etiam vere potest dici datus in lucem gentium ob verba illius ab Evangelistis commemorata, quæ in hanc usque diem cæcis mentibus lucem afferunt, dum ad agendam pœnitentiam peccatis excæcatos vehementer exstimulant, atque eo ipso salus, id est, salutis nuntius et præco est Deo usque ad extremum terræ. Reges videbunt illuminati a Deo, et consurgent principes, fide Christi suscepta, ut illum etiam externo cultu venerentur et adorabunt Dominum Deum tuum, quem tu, beatissime Joannes, prædicas, et ad illum digne recipiendum viam paras in deserto, adhortans omnes ut pœnitentiam agant, doleantque se piissimum offendisse Deum, qui tamen fidelis est, imo vero fidelitas ipsa totum se mortalium saluti impendens, neminem unquam fallens, vehementissime sitiens salutem animarum, ac amantissima fide et fidelissima charitate paratus opitulari, misereri,

Joanni Baptistæ quomod fuerit tus in lu cem ge tibus.

Fidelita Dei erg homines quanta.

succurrere omnibus ipsius opem poscentibus. Quod magnam debet omnibus præstare fiduciam, ut discant semper de Domino sentire in bonitate, et de illius benignitate nunquam diffidere. Sunt enim multi pusillanimes qui sæpe gravibus et molestis impliciti tentationibus, simul etiam ut de Deo male sentiant, incitantur. Sed cogitent ii semper quia Deus fidelis est, et amat animas, quas redemit sanguine suo. Adorabunt etiam sanctum Israel, Deum plebis Israeliticæ sanctificatorem, qui elegit te non qualitercumque, sed certe præclare valde, ut de te pie sentiant multi, in superbissimi Luciferi locum te successisse. Utinam, beatissime et reverendissime patriarcha, tuis exuberantissimis meritis et flagrantissimis precibus ejus nobis gratiam concilies, qui te tam excellenter elegit.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, LUCÆ I.

Matth. XI, 1.

SICUT inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista : ita nulli omnino inter natos mulierum hic ab Ecclesia delatus est honor, ut ejus nativitas celebretur. Magna dignitas, sed sic placuit Deo honorare præcursorem suum. Impletur usque in hanc diem, quod patri ejus Zachariæ Angelus prædixerat, gaviLuc. 1, 14. suros multos in ejus nativitate. Namque toto orbe Christi Ecclesia diem ortus ejus festivum ac celebrem ducit, et laudat regis munificentiam in suo milite, solemnique officio persolvit Deo cantica lætitiæ et gratiarum actionis, tum quod tot præclaris affecerit gratiæ suæ prærogativis Baptistam suum, tum quod eodem nascente propinquare cœperit nostræ salutis tamdiu quæsita, exspectata, et votis ac suspiriis ardentissimis implorata restauratio. Ingreditur hodierna die in hunc mundum novus Lucifer, multo illo priori illustrior, qui non contentus divinitus sibi collato honore, ad æqualitatem Dei suo malo aspiravit. Itaque si ad ortum solis cunctorum exhilarantur corda mortalium, cur non multo magis gaudeant prodeunte in mundum æterni solis nuntio ac præcursore ? Vere magnus es sanctus Joannes, et ita magnus, ut mortalis cujuscumque nedum sermo exprimere, sed neque mens capere possit. Tu enim es Propheta Altissimi, et plusquam Propheta, tu sanctus antequam natus, tu adhuc intra materna detentus viscera, mundi Salvatorem toti mundo incognitum agnovisti, tu speculum innocentiæ, norma pœnitentiæ, virtutis specimen, justitiæ forma, pudicitiæ titulus, Salvatoris nuntius celsior, præco Verbi, Evangelii lucerna, legis terminus, Agni immaculati, qui suo sanguine peccata eluit, baptista, martyr insignis : denique homo sanctissimus et excellentissimus es. Sed nunc, dilectissimi, his in tanti patriarchæ laudem exiguam obiter præmissis, ad Evangelii considerationem procedamus. Ait enim Evangelista Lucas:

Joannis Baptistæ præconia quam sint præstantia.

> In illo tempore, Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium.

Venerabilis matrona Elisabeth non casu, sed divina ordinatione diu sterilis, ut partus illius esset mirabilior, tandem ex Dei pollicitatione concepit et peperit filium. Jam multis annis portaverat opprobrium sterilitatis et legis maledictionem, sed quantum ea res illi probro fuit apud carnalem illum populum Israel, tantum ei honoris et ornamenti attulit filius in senectute genitus, utpote qui neminem ha-

buit inter natos mulierum se excellentiorem. Gaude, beata et reverenda matrona Elisabeth : ecce natus est tibi vetulæ ac desperatæ filius, qui sua prædicatione suisque exemplis multos Deo adducet filios : et qui tibi est unigenitus, plurimos Deo filios ignitis adhortationibus et sanctissima vita sua generabit. Non tibi sit, pia mater, pudori aut dolori, quod diu nullum omnino, et nunc tandem præter spem hunc unicum peperisti. Nam quanto tu sterilior, tanto ille fecundior : et quo major tibi fuit confusio apud gentiles tuos Judæos non auxisse numerum populi verum Deum colentis : tanto nunc beatior prædicaris, et majori gloria extolleris, quod filium genueris, qui plurimos filiorum Israel convertit ad Dominum Deum Patrem ipsorum. Certe mirum est, charissimi, si ad humanum morem spectes, parentes illos tot annis steriles filium edidisse. Atqui non id opus naturæ fuit, sed gratiæ. Mundi Salvatorem mundo anuntiare debebat Joannes. Quis illi fidem adhibuisset, si non mira quædam, et quæ naturæ usum excederent circa illum contigissent ? Quod ex sterilibus nascitur, totum gratiæ est : sed Deo tam facile est ex sterilibus, atque ex fecundis proles creare. Tamen humano more id prorsus inusitatum est, ut sterilis et senex pariat, cui etiamsi ætas suffragaretur, tamen sterilitas sola satis impediret : aut si hæc abesset, tamen senectus obsisteret. Agnoscamus ergo et in conceptu et partu Joannis gratiam Dei, et beatissimum parvulum ex matris utero procedentem exultantibus animis et congruo honore excipiamus, matrique sterilitatis opprobrio liberatæ ex animo congratulemur una cum vicinis et cognatis ejus, de quibus sequitur in Evangelio :

Elisabeth quantum gaudii et honoris accreverit ex nativitate suæ prolis.

Joannem Baptistam natum ex sterilibus parentibus totum fuisse divinæ gratiæ munus.

Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.

Id enim maxime est secundum naturam, ut proximorum bonis lætemur et congratulemur, malis autem ex animo condoleamus. Vicini et cognati sanctæ Elisabeth non ignorantes eam sterilem semper fuisse, et jam ætate provectam, congratulantur ei, quia præter consuetudinem, et supra naturæ usum Dominus magnificasset, id est, magnifice et excellenter in eam declarasset misericordiam suam. Non enim potuisset unquam prolem mundo producere, nisi singulari gratia et beneficio Dei. Ergo divinæ pietatis agnoscentes munus, congratulabantur ei, ita ut Angelus prædixerat, quod multi in ejus nativitate gauderent. Sunt invidi quidam, qui dum proximis res ex sententia succedunt, torquentur et dolent, in quos recte dictum illud competit : Invidus alterius macrescit rebus opimis. Quod est vitium plane diabolicum. Dic, quæso, invide : Quid tibi oberit, si alteri bene sit : aut quid proderit tibi, si illi male sit ? Si bonus es, nihil tibi nocet illius prosperitas, sed dolet tibi ejus adversitas. Si autem malus es, ut revera es, malitia tua tibi officit, non illius prosperitas. Pelle invidentiæ virus ab animo tuo, et erit tibi voluptati, si ille bene habuerit. De hac peste sententia memorabili sanctus Chrysostomus ait : O zelus, o invidia omni malitia cumulata ! Invidia ignis inextinguibilis est. Etenim sicut tinea comedit vestimentum, sic invidia eum qui zelatur, consumit : eum autem cui invidet, clariorem reddit. Itemque : Invidiæ passio fornicatione et adulterio multo est deterior. Et divus Augustinus libro de Doctrina christiana : Avertat Deus, inquit, invidiæ pestem ab animis omnium, nedum christianorum. Vitium enim diabolicum est invidia, quo solo diabolus reus est, et inexpiabiliter reus. Ergo, charissimi, ne tam execrando crimine nos inquinemus, potius aliorum felicitati congratulemur. Omnes unius capitis membra sumus. Sicut ergo dum quidpiam in corpore patitur membrum unum, compatiuntur omnia membra : sive dum gloriatur unum mem-

brum, congaudent omnia membra : ita et nos qui sumus corpus Christi et membra de membro, aliorum felicitati congratulemur, et afflictioni condoleamus, ne cum impiis livore tabescamus.

Et factum est, in die octavo venerunt circumcidere puerum. Et vocabant eum nomine patris sui, Zachariam.

Vetus apud Hebræos mos fuit, ut masculi omnes circumciderentur. Et id primum Abrahæ a Deo præceptum est. Illi namque datum est Testamentum circumcisionis : quod postea lege Mosaica repetitum est. Valuit autem circumcisio contra peccatum originis : sicut apud nos baptismus. Et sicut hodie dum baptizantur parvuli nomen accipiunt : ita olim cum circumciderentur. Unde appellabant beatissimum hunc infantem nomine patris sui Zachariam. Id namque consuetudo obtinuit, ut filii maxime unigeniti patris nomine vocentur. Faciebant vicini et cognati sanctæ Elisabeth quod ipsis videbatur, necdum cœlestis mysterii conscii, quo jampridem divinitus illi assignatum erat vocabulum, quod humano mutari consilio vel arbitrio non deberet. Itaque videns sancta Elisabeth eos a Dei voluntate in imponendo vocabulo discordare, restitit illis, utpote quæ, sicut divus Ambrosius ait, spiritu prophetiæ didicerat, qui vocandus esset : nec poterat ignorare prænuntium, quæ prophetaverat Christum.

Et respondens mater ejus dixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes.

Non vacat a mysterio, quod id nominis sacratissimo huic parvulo ex divina revelatione inditum est. Quæ enim divinitus quibusdam imponuntur nomina, semper eximium aliquod donum vel munus eis collatum significant. Joannem quidam ex Hebræo vertunt, in quo est gratia Dei. Quæ cum multiplex et cumulatissima fuerit in Domini præcursore, recte vocatus est Joannes. Neque ob id tantum, sed etiam quia tempus gratiæ inchoavit. A diebus enim Joannis Baptistæ cœpit regnum cœlorum vim pati, et rapi violenter, quod ad id temporis omnibus, quantumcumque justis, clausum fuit. Inde est dulcissima illa ejusdem in deserto prædicantis vox : Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. Apte igitur dictus est Joannes, qui mundo sub gravi ira Dei laboranti, ac ab illa superna Jerusalem miserabiliter exulanti, gratiam per Christum restituendam conciliandamque annuntiavit : idque non ut cæteri Prophetæ de longinquo et obscuris sententiis, quantum ad certi temporis expressionem attinet, sed plane et manifestis indiciis, quando etiam ipsum gratiæ auctorem nedum verbo prophetavit, sed digito demonstravit. Quanta autem in illo gratiæ fuerit plenitudo et excellentia, quæ alia causa est nominis illi impositi, etsi nemo digne capere potest, si quis tamen vel tenuiter nosse velit, Evangelistas legat. Inveniet ibi ab ipso Christo infallibili judice tantis eum celebrari encomiis, ut vix possit majoribus. Sed mirum videatur quibusdam, cum tanta in eo Dei gratia fulserit, cur omnem ætatem in deserto solus exegerit, cur non urbes concionandi gratia pervagatus sit, ut plurimos lucrifaceret. Verum quanto ille majora perceperat divinæ gratiæ munera, tanto magis conatus est ea conservare. Et quia difficillimum esse noverat in hominum turbis innocenter et pure vivere, solitudinem expetiit, ubi a peccandi occasionibus sejunctus, Deo et cœlestibus perpetim esset intentus. Quid hic dicturi sunt stolidi homunciones et miseri, qui cum sint in vitia nimium proclives, tamen si quandoque videant nonnullos monasticæ vitæ aliquod subire institutum, aut alioqui abstractam ab hominum familiaritate vitam agere, irrident eos et aiunt : Num soli monachi salvi futuri sunt? Nonne majoris virtutis et meriti est inter malos bene vixisse? Deus cor inspicit, non exteriora.

Ab ortu Joannis Baptistæ uti tempus gratiæ fuerit inchoatum.

Joannes Baptista cur hominum turbas fugerit.

Quam sit difficile inter hominum turbas innocenter vivere.

Consortia hominum quantopere fugienda.

O stolidi, quid dicitis? Christus Deus verus fugit hominum consortia, non quod haberet opus, sed ut nobis fugienda monstraret. Item divus Joannes Baptista et alii innumerabiles sanctissimi homines fugerunt peccandi occasiones, et vos in mediis periculis jam naufragio proximi, aut etiam fluctibus immersi, tam vultis esse securi? Itaque bonum et laudabile est, hominum consortia tanquam perniciosa vitare. Et quidem certo certius est, peccandi occasiones fugiendas esse. Quidquid id est, quod ad peccandum te pertrahit et impellit, sive sit pater, mater, frater, soror, divitiæ, honores, aut quævis alia, fugias ea necesse est. Quod si fugere nolis quæ Dei gratiam a te excludunt, absque ullo dubio gratia procul fugiet a te. Sed his obiter dictis, ad Evangelium redeamus. Sequitur :

Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus.

Cognati sanctæ Elisabeth legis et gentis suæ morem servare cupientes, reprehendunt eam, tanquam quæ a patrum consuetudine recedat : neque intelligunt, non muliebri levitate, sed Sancti Spiritus instinctu eam pueri vocabulum expressisse : sicque ad patris putant arbitrium recurrendum. Potest hæc res mystice significare, Judæos pertinaciter litteræ legis semper inhærere maluisse : fructum autem spiritus non expetiisse, cum tamen
Hebr. x, 1. ipsa lex nonnisi umbra quædam fuerit futurorum. Judæi legis verba semper allegant, quæ tamen non intelligunt. Sic etiam hic cognati sanctæ Elisabeth paternum morem putant observari oportere. Sed Deus omnipotens legem quandoque
Jer. xxxi, abolere volens, novum apud Jeremiam Judæis Testamentum promittit, quæ est lex gratiæ : quam quia Joannes prædicare mittebatur, non debuit juxta legis morem, sed divinæ gratiæ arbitrium nomen accipere. Siquidem divinæ gratiæ potissimum adscribendum est, quod salvamur. Obiter etiam adverti hic licet, quod sicut nominis assignandi ratio, quæ apud Judæos inoleverat, in Joanne servata non est, ita hoc ipso significatum sit, ab ejus ortu legem abolitam iri. Videamus nunc quid Judæorum pertinacia profecerit. Sperabant patrem Zachariam ipsis assensurum. Itaque innuebant patri infantis, quem vellet vocari eum. Sic etiam impii Judæi semper a matris Ecclesiæ definitione, ad patrum suorum instituta recurrunt : qui tamen ab eis maxime dissentiunt, et cum Ecclesia consentiunt, sicut et Zacharias cum Elisabeth, qui postulans pugillarem, id est, tabellam ceream aut alterius materiæ, in qua stylo verba exarantur, scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus. Tanquam diceret : Non est opus, neque fas, ut humana consuetudo, aut patrius mos illi vocabulum tribuere velit, qui jam a Deo appellatus est nomine suo. Neque nos illi nomen imponimus, sed quod a Deo accepimus, enuntiamus. Ubi simul potest adverti, quam ubique sibi concordet Spiritus Dei. Zacharias et Elisabeth ambo erant pleni Spiritu Sancto : itaque etiam idem sentiunt. Timeant ergo, qui dissensionibus dediti sunt, ne hoc Spiritu vacui sint.

Et mirati sunt universi.

Mirantur homines ut homines : quia ignorabant quid circa infantem divinitus ageretur. Mirantur patrem consentire matri, ut vetus consuetudo negligatur. Sed si scivissent consilium Dei, venerati potius essent, quam admirati.

Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum.

Prædixerat Angelus Gabriel Zachariæ, quod ob incredulitatem suam mutus esset, donec quæ audierat implerentur. Non enim volebat Deus justus et rectus in tan-

to pontifice inultam relinquere hanc diffidentiam, qua de Dei promissis hæsitabat. Ita enim plerumque omnipotens Deus in electis suis cito ulcisci solet errata illorum, nec permittit eis impune cedere, si quid vel tenuiter deliquerint : cum tamen impios sæpe sinat in suis flagitiis securam degere ætatem. Quo facit etiam memorabilis illa sententia, libro secundo Machabæorum commemorata in hæc verba : Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Atque ea de causa sanctus pontifex illico pœnam sensit diffidentiæ suæ : quæ tamen quandoque finem haberet. Justus erat, ideoque noluit Deus hujus culpæ in eo hærere maculam, sed statim ultionem adhibuit, ne quid haberet intra se, unde minus placeret Deo. Multi hodie putant optime secum agi, et Deum se valde habere propitium, cum eis omnia læta et tranquilla eveniunt, etiam male viventibus. Sed nimirum ii vehementer errant, et periculosissimam ducunt vitam. Si enim juxta Prophetæ sententiam, multæ sunt tribulationes justorum : et Dominus quos amat arguit et castigat, quomodo possunt recte habere, qui etiam in suis maleficiis parum aut nihil adversi experiuntur ? Timeant quotquot ejusmodi sunt, se idcirco in præsenti vita impune evadere, ut in futura atrocius absque ullo fine puniantur. Sed venerabilis pontifex Zacharias humana infirmitate cunctantius fidem Angeli verbis adhibens, atque ea de causa percussus silentio diuturno, nato atque circumciso Joanne, peremptæ vocis beneficium recuperavit, et os quod prius incredulitas frenaverat, natus infans reseravit, moxque ora diu tacentia in Dei laudem proruperunt. Quidni enim benediceret Deum, qui tam evidentia stupendaque ejus opera agnoscebat? Prius quidem obmutuit, non accommodans fidem dictis Angeli, sed mox ubi reddita illi loquendi facultas est, in Dei laudes prorupit. Qua re nos admonemur grates, laudesque Deo agere nos debere, quando aut a malis liberamur, aut ejus beneficiis augemur. Alioquï ingratitudinis, quod est Deo valde invisum vitium, rei tenebimur. Sed visis tot prodigiis,

:ctorum ata uti us mi- icordi- corri- .

Mach. 13.

xxxiii,

los hic)une inque- quantæ damna- iis fu- æ indi- n.

ititudo ndo atur.

> Factus est timor super omnes vicinos eorum, et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes : Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

In rebus novis ac præter usitatum morem accidentibus, mirari ac timere solent homines. Hic autem multa accidebant admiratione digna. Itaque vicini omnes timebant, nescientes quid portenderent ea quæ fieri cernebant. Evidentia divinæ potestatis argumenta complura visebantur, idque cœlestis mysterii ignaris metum incussit. Mox autem cuncta hæc per loca circumadjacentia divulgabantur : et alii aliis, quæ vel viderant, vel audierant, enarrabant, idque non sine occulta Dei operatione et dispensatione, ut majorem haberent fidem apud omnes, quæ multorum testimonio firmarentur. Sic fides nostra clarissimis semper fulta testimoniis est, et nihil apud nos suspectum, nihil obscurum, nihil commentitium est. Qui credere non vult, suo ipsius judicio condemnabitur, quia indubitatæ noluit veritati commodare fidem, cum tota ethnicorum superstitiosa persuasio, nonnisi evidentissimis atque vanissimis mendaciis subnixa sit : hæretici quoque nonnisi sui capitis adinventionibus, publica et ubique gentium recepta veritatis assertione contempta, sese tueantur. Porro, vicini sanctæ Elisabeth suis hæc mentibus condita servabant, dicentes : Quis putas puer iste erit, circa quem tot præclara eduntur miracula : et qui manifesta naturæque modum excedenti Dei virtute ac operatione illustratur ?

Mirari ac timere quando soleant homines.

Et Zacharias pater ejus impletus est

Spiritu Sancto, et prophetavit, dicens : Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.

Superius hoc eodem capite scripserat sanctus Lucas, Zachariam virum justum fuisse. Justus autem esse non potest, nisi qui Spiritu Sancto prædítus sit. Cur ergo hic eum dicit impletum Spiritu Sancto? Intelligendum est abundantiori Sancti Spiritus gratia eum repletum. Namque et prophetiæ munus accepit. In quo divinæ pietatis est declarata benignitas, quando non solum muto seni loquelam reddidit, sed etiam novam addidit prophetandi gratiam. Ita semper Deus pro sua benignitate paratissimus est ignoscere pœnitentibus, imo et gratiæ suæ dona cumulare, modo ex animo nos deliquisse doleamus. Ait autem Zacharias : Benedictus Dominus Deus Israel. Sola plebs Israelitica verum colebat Deum : quam ob rem Deus Israel sæpius in sacris Litteris vocatur : quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Jam longe ante promiserat per Prophetam suum, dicens : *Ecce ego ipse requiram oves meas et visitabo eas.* Visitavit Dominus oves suas, quando formam servi suscepit factus homo propter perditum hominem liberandum. Et fecit redemptionem plebis suæ, quando nos non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine suo redemit, non a temporaria servitute vel morte, sed æterna.

Spiritu Sancto repletus Zacharias quomodo dicatur.

SERMO PRIMUS IN EADEM SOLEMNITATE

QUOMODO SANCTUS JOANNES ARDEBAT ET LUCEBAT, ET DE QUADRUPLICI HOMINUM CONDITIONE.

ILLE erat lucerna ardens et lucens. Joannis V, 35.

Beatissimi Joannis patriarchæ, prophetæ, martyris, anachoretæ, ut cætera ejus insignia taceam, festivitatem celebrantes, fratres charissimi, non tantum illius gloriæ satagimus gratulari, verum quod profectui etiam nostro uti cunctorum Christi fidelium, nonnihil inde nobis quærimus vindicandum : quod tum potissime fit, dum vitam illius recolentes, quidquid ibi laude dignum veneramur, pro modulo nostro itidem gestimus imitari. Incitat autem nos ad hæc, quod cum omnium non solum monachorum sit princeps Joannes, omnium anachoretarum dux, omnium eremitarum cœnobitarumque pater et patronus, verum omnium christicolarum institutor, magister et legifer. Quamobrem perpulchre convenit ei Veritatis testimonium tam gloriosum, quam ab adulatione aut deceptione alienum, quod ícitûr : Ille erat lucerna ardens et lucens. Ubi ordo quoque verborum haud otiosus censeri debet : primo ardorem, postremo vero lucem commemorans. Duo etenim hæc de illo prædicantur, videlicet quod arserit et luxerit. Ubi tamen non ante luxisse, et postea arsisse dicitur: sed quia in se ardebat, lucis radios in cæteros quoque emisit. Ardebat haud dubium sibi, lucebat nobis.

Quod ut magis liqueat, considerandum quatuor hominum inveniri genera. Quidam enim lucent, sed non ardent : nonnulli ardent, et non lucent : alii et ardent et lucent ; rursus sunt complures, qui neque ardent, neque lucent. Et hi novissimi peccatorum magis tenebras amant quam lucem: quorum opera neque charitatis in se continent fervorem, neque virtutis speci-

centes non lentes.

men præ se ferunt : atque ideo nihil hic de illis dicendum. Verum, sunt alii (ut dixi) qui luceant, quum non ardeant : ii sunt quorum opera virtutis quidem speciem habent, qua, ut plerumque fit, ab hominibus magnificantur, verum a charitatis fervore sunt aliena, propterea quod fucum duntaxat virtutis ipsis superducat, aut metus, aut reverentia hominum, aut animi bene morati naturalis honestas, aut fictæ mentitæque pietatis ostentatio, aut alia quævis impura intentio. Ad eorum numerum colliguntur, ut verbis utar Bernardi, qui conscientias suas in aliorum labiis posuerunt : quorum lux non solaris, sed lunaris est, quæ modo plena, modo exigua, modo nulla videtur : ita et illi modo magni, modo parvi sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis, aut vituperare eos placuerit, aut laudare. Tales erant Pharisæi et hypocritæ, lumina scilicet in oculis hominum, quos tamen Christus arguens severe, sepulchra dealbata appellat.

Matth. III, 27.

Hoc modo lucebat eremita ille, ut in Vitis Patrum legitur, cujus merito sanctitatis putabatur omnis illa circumjacens regio servari, qui tamen moriens, dum populi vexillis et processionibus ad eum confluentes velut sanctissimo viro, sine quo vivere metuebant, sese commendarent, ipse a dæmonibus deportatus est in infernum : quippe qui alius in hominum, alius in Dei oculis reperiebatur. Non longe ab hoc ordine sunt qui exterioribus tantum cæremoniis compositioni morum, magnis abstinentiis, frigidæ lectioni, multis precibus, et aliis ejusmodi externis duntaxat exercitiis alioqui in se bonis et sanctis insudant, adeo pro illis zelantes, ut veras virtutes propterea penitus negligant. Hi itaque solis exterioribus, quæ bonis malisque sunt communiá contenti, interiorem hominem ad cujus reformationem externa omnia ordinari debuissent, interim servire vitiis et passionibus sinunt. Verumtamen dum per hæc externa, quibus vulgo inesse æstimant sanctitatem, foris lucent, interdum ipsi quoque, licet veteri adhuc homine stante incolumi, sanctitatem sibi arrogant, utpote qui ad exteriora sua quæ alii mirantur, tantum respicientes, quid intus sibi desit non animadvertunt. Verum de hujusmodi quid Apostolus pronuntiet, constat : *Si linguis,* inquit, *hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, etc.,* prosequens adhuc alia ardua et sublimia, quæ in oculis quidem hominum sunt magna ac lucida, verum nisi charitate simul ferveant, ante Deum sunt nulla. Adde igitur charitatem, et erunt valde bona : sic tamen ut media et instrumenta ad meliora.

I. *Cor.* XIII, 1.

Sunt præterea tertio ordine, qui ardent, et non lucent, utique quorum lucerna necdum super candelabrum, sed sub modio posita est, qui lumen suum celant, metuentes a vento inanis gloriæ aut humanæ laudis illud exsufflari. Hi sunt, qui vilitatem propriam ante oculos habentes, quidquid faciunt, non tale quidpiam æstimant unde possint alii ædificari : hoc unum impensius curantes, ne a fervore in teporem vix unquam curabilem decidant, sed quæ habent humilitate custodiant. At vero qui supra candelabrum locari anhelant, zelo quodam animarum licet immaturo allecti, ut aliis quoque luceant, in eos quodam loco devotus Bernardus sagacissimus vitiorum explorator, tractans verba quædam Isaiæ, invehitur dicens : Quid lucere festinas? Nondum enim illud advenit tempus, in quo fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. Interim perniciosus est iste appetitus lucendi : fervere enim multo melius. Denique, si tam vehementer splendorem desideras, quod videri vis, esse curato : et primum quære fervorem, nec dubium quin et splendor adjiciatur tibi. Alioqui incassum laboras, quia vanus splendor absque fervore. Mutuata aut certe simulata lux est, quæ non ab igne procedit. Hæc ille.

Ardentes, sed non lucentes.

Bernard.

Matth. XIII, 43.

Offert se nunc postremo quartus hominum ordo, priores consequens : in quo sunt qui ardeant simul et luceant. Ardent

Ardentes simul et lucentes.

intus spiritu charitatis, et foris exemplo fervoris lucent. Horum omnium longe præstantissimus fuit Christi Baptista Joannes, cujus triplicem ardorem, triplicemque lucem sermone quodam luculentissimo et lectu digno beatus Bernardus describit: Ardebat namque in seipsum, in Christum, et ad proximum. Ardorem ejus in seipso testantur circumspectio sui provida, et pœnitentia vehementer austera. Quæ nobis quomodo luceant, quomodove ad imitandum alliceant, videamus. De sanctis parentibus natus Joannes, idemque Spiritu Sancto plenus, infra ætatem denique, quæ seculo possit inquinari, constitutus, non modo carnis illecebras, verum parentes etiam, cognatos, ac mundum universum abdicans, confestim ad eremum confugit. Ubi pœnitentiam sibi arctissimam, non ad eluenda, sed cavenda peccata instituens, neque manducat neque bibit, et cætera, quæ vel Evangelista, vel Christo enuntiante didicimus, observat. Quod igitur puer pene infans ad eremum se recipit, delinquendi occasiones, tametsi gratiam divinæ benedictionis super se non ignoraret, evitans, quid aliud hoc ipso nos docet, quam neminem ita de divina gratia debere præsumere, neminem adeo se divina custodia munitum credere, ut gratiæ soli innitens, timorem, studium, industriam propriam velut securus omniaque deponat? Quamvis enim præcipuum hoc divini sit muneris, ut peccatis abstinentes, bonum operemur, absque tamen proprio conatu et studio, neque advenit, neque manet virtus, quin etiam nec gratia perseverat. Hoc pensabat beatus Joannes puer ad eremum confugiens. Sentiebat idipsum sanctus quidam, ni fallor, beatus Rogerius, ordinis divi Francisci, castitatis dono tam excellenter quam singulariter præditus. Hic tametsi citra nauseam non posset mulieribus loqui, atque etiam si quando loqui cogeretur, castior rediret: nullius tamen feminæ, atque ne matris quidem, licet admodum et sanctæ et vetulæ, vultum voluit contueri. Qui cur tam arctam sensibus suis custodiam indixisset interrogatus, quippe qui divinum in se castitatis munus sentiret, abessetque periculum, respondit tamdiu in homine gratiam perseverare, custodiaque Dominica hominem non deseri, quanto sibi tempore vigilaret, ipse faciens quod in se est, et delinquendi pericula occasionesque evitans. At vero si circa seipsum negligens cœperit fieri, et quæ potest, cesset facere, amplius Deum non habebit custodiæ debitorem, quin potius justum erit illum suis viribus derelinqui, quibus ne ad momentum quidem stare poterit illæsus. Hujus itaque et maxime Joannis vigilans ac provida sui circumspectio docet nos imbecillitatem propriam indesinenter expertos, nobisipsis invigilare, delinquendique occasiones aut emendare, aut rescindere. De hoc satis.

Ardor Joannis triplex quomodo nobis luceat.

Circumspectio Joannis provida quomodo luceat nobis.

Præsumendum non esse de divina gratia.

Castitas B. Rogerii singularis.

Porro, quantum ad austeritatem pœnitentiæ beati Joannis attinet, quomodo et hæc nobis luceat, mellifluus explicat Bernardus, dicens: Considera hominem angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in utero, et novum in novo homine mirare pœnitentiæ fervorem. *Victum et amictum,* ait Apostolus, *habentes, his contenti simus.* Apostolica perfectio ista est, sed Joannes etiam contempsit. Denique audi Dominum: *Venit,* inquit, *Joannes non manducans nec bibens,* plane nec vestiens. Sicut enim non est locusta cibus nisi aliquorum forte irrationabilium animalium: sic nec pilus cameli humanum est indumentum. Incentivum id mihi est fervoris, et materia humilitatis. Quis enim in nobis est, fratres, qui Joannis pœnitentiam intuens, suam non dico magnificare, sed alicujus saltem momenti æstimare præsumat? Quis audeat murmurare in laboribus suis et dicere: Satis est, quod patior, nedum nimis? Quæ enim homicidia, quæ sacrilegia, aut flagitia sic puniebat Joannes in seipso? Accendamur ad pœnitentiam, fratres, et quidquid in nobis minus est fervoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Hæc ille.

ervor Joannis ad hristum.

Sequitur autem nunc fervorem Joannis considerare ad Christum. Atque hunc indicant nimirum devotissima ipsius humilitas, alacritas, ac plane fervidissima pietas in eum. Humilitas sane vel hinc nobis manifesta est, quod cum tantus esset ut putaretur Christus, corrigiam calceamentorum ejus solvere indignum se profitetur, quod eumdem baptizare trepidat, quod denique, licet fulgidissima lucerna ardens et lucens, ante oculos hominum, sicut non appetit, ita se lucere nescit. De hoc Bernardus : Lucet, inquit, Joannes tanto utique clarius, quanto amplius fervet : tanto verius, quanto minus appetit lucere. Fidelis lucifer, qui Solis justitiæ non usurpare venit, sed prænuntiavit splendorem. Non sum, inquit, ego Christus. Venit fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti. Et illud : Ego baptizo vos aqua : ille vos baptizabit Spiritu Sancto et igne. Ac si manifeste lucifer dicere videatur : Non sum ego sol. Longe alium videbitis eum, in cujus comparatione tenebræ sum, et non lux. Hæc ille. Jam vero et hic devotionem ejus ferventissimam ac pietatem in Christum sentimus. Clarius autem si ipsius necdum nati in utero ad Christi præsentiam exultantis motum et jubilum recolimus, si de voce sponsi gaudium ejus animadvertimus, si denique commendationem et prædicationem ejus de Christo attendimus. Quæ certe omnia nobis lucent : quandoquidem nisi lucerent, non animadverteremus.

umilitas annis anta fuit.

Bernard.

oann. I,

Devotio annis ad ristum anta fut.

Restat igitur nunc tandem fervorem ejus ad proximum considerare, quem zeli vehementia, justitiæ amor et veritatis usque ad mortem susceptam constantia indicavit. Arguebat Judæorum duritiam, non parcebat Pharisæorum arrogantiæ, Herodis lasciviam increpabat. Non illi cultus deserti, non singularitas propositi, non regis potentia, neque exhibita sibi reverentia, non minax adulteræ crudelitas, non denique intentata mors poterant persuadere ut animarum periculum, justitiæ contemptum, Dei injuriam dissimulans præteriret. Hæc, fratres charissimi, cuncta breviter perstringens magis indicavi quam explanavi. Faciat Deus ut in nobis aliquando inveniantur, quæ in beato Joanne modo veneramur, præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per infinita seculorum secula, Amen.

Fervor Joannis ad proximum.

SERMO SECUNDUS IN EADEM SOLEMNITATE

ORDINES OMNIUM SANCTORUM UT S. JOANNES BAPTISTA PRÆCELLAT : QUONAM SIT USUS BAPTISMO, UTQUE NOVEM MODIS FUERIT SINGULARITER MAGNUS.

INTER natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Matthæi XI, 11.

Multos quidem, fratres charissimi, ante natum Domini præcursorem Joannem, cujus nunc solemnitate lætamur, in veteri Testamento commendatos legimus, sed neminem perinde ut eumdem ipsum verbis Domini Jesu, quæ jam audistis. Laudatum a Deo Noe Scriptura commemorat, quando Dominus ait ad illum : Te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. Moyses item insigni affectus est laude, dicente de illo Domino ad Aaron et Mariam : *Si quis inter vos fuerit propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei.* Itemque : Erat *Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Davidem

n. VII, I.

Num. XII, 6.

Act. XIII. 22. etiam Dominus laudavit, dicens: *Inveni hominem secundum cor meum.* Habet et sanctus Job laudes suas, commendante illum Domino his verbis apud Satan: *Job* I, 8. *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit similis ei in terris, vir simplex ac rectus, et timens Deum, et recedens a malo?* In novo etiam Testamento eximiis quosdam Dominus encomiis honorasse legitur, sed quæ non pertingant usque ad laudes Joannis. Habes illic testimonium *Joann.* I, 47. Domini de Nathanaele, quod fuerit vere Israelita, doli expers. Fit etiam ibidem ho- *Matth.* VII, 10. norifica mentio Centurionis, affirmante Salvatore se tantam fidem non invenisse in Israel, quantam in illo. Verum quamvis præclaræ sint horum laudes et encomia, nihil tamen habent simile laudibus sancti Joannis.

Alii quidem ob peculiares et privatas quasdam virtutes et excellentias commendati sunt: at Baptista Joannes in cunctis fuit magnus, et in omnibus laudabilis: itaque de eo solo dixit veritas infallibilis: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Tanquam diceret: Quamvis alii coram me magni sunt, non tamen Joannis Baptistæ humilitas. est quisquam major Joanne. Nam si laudatur humilitas, quis Joanne demissior? qui non solum superioribus aut æqualibus, sed etiam inferioribus se postposuit, quando interrogatus a Judæis, num Christus *Joann.* I, 27. ipse foret, respondit: Non; num Elias, respondit similiter; num denique propheta, idem responsum reddidit: cum tamen meo judicio, qui non erro, quia veritas sum, in spiritu et virtute Eliæ ipse venerit, et non modo propheta sit, sed et plus quam pro- Joannis Baptistæ castitas. pheta. Quod si prædicatur castitas, in quo tanta puritas, tanta relucet integritas atque in Joanne, qui non attactum solum sed et aspectum fugit feminarum, adeoque in tenerrima ætate fugit in eremum mundo penitus relicto? Si sobrietas, si abstinentia, si dura corporis afflictio laudatur, ubi quæso similis inveniri potest illi, quæ fuit in Joanne? qui pœnitentiæ deditam vitam ante amplexus est, quam peccatum perpetrasset, quod esset pœnitentia expiandum: ut vel hoc ipso tanto sit illius vitæ rigor laudabilior, quanto ipse innocentior. Et ne quis putet vulgarem fuisse illius pœnitentiam, meminerit ut Evangelista testatur, cibum ejus fuisse locustas et mel sylvestre. Potus haud dubie aqua fuit: totum corpus operuit cilicium de pilis camelorum confectum, quod stringebat zona pellicea, ut fortius corpori adhæreret, et carnem innocentem sua asperitate contereret. Stratum illi fuit specus subterraneus, aut nuda humus. Denique annos viginti quinque ab hominum convictu separatus, vixit solus in deserto. Jam si rectitudinis zelum et justitiæ amorem spectemus, is quoque in Joanne præcipuus apparet. Inde est, quod tam constanter Pharisæorum superbiam, Judæorum duritiam et Herodis adulterium reprehendit. Quæ res illi carcerem et mortem peperit, dum pro justitiæ et castitatis patrocinio ac defensione neci datus est. Ea de re in Scriptura lucerna ardens et lucens appellatur. Porro excellentem ejus patientiam et mansuetudinem haud obscure declaravit Dominus, quando mortem illius non sine gemitu commemorans, ait ad discipulos suos: *Elias jam venit* (Joannem intelligi voluit), *et fecerunt in eo quæcumque voluerunt.*

Denique alii sancti, singuli singulos ferme habent gradus et ordines quando alii sunt Angeli, alii Apostoli, alii Evangelistæ, alii Martyres, etc. Joannes omnibus clarius existit. Ipse est Angelus, non quidem naturæ, sed ob legationis officium, et munditiam angelicæ puritatis. De eo enim dicitur apud Malachiam: *Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam meam ante faciem tuam.* Ipse est propheta, imo, ut Christus ait, plus quam propheta. Ipse Evangelista quia legem Evangelicam docuit. Ipse Apostolus, imo et Apostolorum dux, quando non solum populum ad Christum traxit, sed et Apostolos quosdam, nempe Petrum, Andream et Philippum ad Christum transmisit, illique docuit adhæ-

rere. Ipse martyr, confessor et virgo excellentissimus, ut potestis ex supradictis colligere. Merito ergo singulari quadam ratione commendatus est, qui tam singulari fuit excellentia sanctitatis præditus, adeo ut nihil ipsi defuerit vel de communi, vel privata sanctitate cæterorum. Quanquam propter simplices admonendi estis, charissimi, ne quis per hæc verba quibus dicitur nemo surrexisse major Joanne Baptista inter natos mulierum, putet eum vel Christo, vel Virgini Matri sive antelatum, sive æquiparatum esse. Loquitur enim hic Dominus de natis mulierum, unde manifeste et seipsum et Matrem excepit. Quamvis enim eximia sit sancti Joannis sanctitas, non tamen ulla ratione est Christo comparandus, et multis modis a Matre Domini superatur. Nam ad minus non caruit culpis venialibus : atqui Mater Dei nullam unquam cujuslibet culpæ maculam contraxit: ut interim de cæteris taceam, quibus longe superior est Joanne, sicut et aliis creaturis omnibus. Porro, ut manifestius possitis intelligere, quam magnus fuerit beatus et reverendus Christi baptista Joannes, quædam hic commemoranda sunt, ex quibus id perspicue elucescat.

Sanctitas Joannis iorum nctitam non- im attirit.

Primo itaque magnus fuit ratione annuntiationis suæ. Nam ab eodem Angelo ejus prænuntiata est conceptio et nativitas, a quo et Christi, nempe Gabriele : nec hoc loco vulgari sed sanctissimo, puta ante arcam intra sancta sanctorum, quo solus pontifex semel in anno ingrediebatur : itemque tempore sacro, et cum insigni miraculo, quando Zacharias pater ejus linguæ officio privatus est ob incredulitatem.

Joannes magnus erit ab nnuntiaone.

Secundo, magnus fuit ex conceptione, quia præter naturæ ordinem et usum conceptus est a matre sterili et sene : ac non multo post intra matris viscera purgatus est a culpa originali, dicente de illo Spiritu Sancto per sanctum Jeremiam : *Antequam exires de ventre, sanctificavi te.* Et ita si mortuus fuisset in utero, descendisset ad sanctos Patres in limbum, qui dicitur sinus Abrahæ, ubi non erat aliqua pœna sensus, sed tantum exspectabant redemptionem humanæ naturæ et reductionem in paradisum per Christi mortem. Quod sane non contingit aliis infantibus, vel sine circumcisione ante natum Christum, vel sine baptismo post mortem Christi hinc emigrantibus, utpote qui ob peccatum originis non possunt venire ad conspectum Dei : nec tamen pœna sensibili cruciantur, si sine proprio peccato decedant. Ita ergo sanctus Joannes in matris utero repletus est Spiritu Sancto : non solum Sancti Spiritus inibi gratiam percepit, sed etiam usum gratiæ : unde factum est, ut præsentiam Salvatoris per os Virginis salutantis Elisabeth agnosceret, simulque exultaret, ut est apud Lucam.

Joannes fuerit agnus ex nceptio-

Jer. I, 5.

Tertio, magnus fuit in sua nativitate : quia in hunc mundum mundus, id est, liber a culpa progressus est : atque pater ejus Zacharias ita ut a Spiritu doctus erat, nomen ejus scripto expressit cunctis stupentibus : itemque mater Elisabeth idem nomen non a marito, quia mutus erat, sed a Sancto Spiritu edocta pronuntiavit puero imponendum. Ad hæc mox ut Zacharias filii vocabulum declaravit, solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur benedicens Deum, atque canticum illud propheticum : Benedictus Dominus Deus Israel, plenus Spiritu Sancto deprompsit. En quam multa hic concurrunt mira et inusitata, quæ sanctum Joannem vehementer illustrant.

Joannes ut fuerit in nativitate magnus.

Quarto, magnus fuit in sua conversatione. Siquidem arduam, inculpatam, puram et sanctissimam duxit vitam. Cum enim plus minus quinque esset annorum, relictis parentibus, quamvis sanctis et Spiritu Sancto plenis, mundoque universo contempto, abscessit in eremum, et ibi annis viginti quinque, aut circiter in maxima vitæ austeritate perseveravit. Quid hic dicamus nos miseri, nos vitiis pleni, qui vix bene vivendi prima initia tenemus, qui a perfecta conversione longe absumus, et tamen nolumus agere pœnitentiam, fugi-

Joannes quomodo fuerit in sua conversatione magnus.

Pœnitentia vera ut necessario sit naturæ molesta, spiritui jucunda.

mus quidquid carni molestum est, quidquid sensibus adversatur ? Sed revera si pœnitentiam agere velimus, sine qua non potest esse reditus ad gratiam post peccata, non debemus mollia et delicata ac sensibus plausibilia sectari et aucupari: non est enim pœnitentia carni delectabilis, sed amara. Nam si carnem delectat, non est pœnitentia : debet nihilominus esse spiritui delectabilis. Quæ vero est illa pœnitentia, si ad omnem tristem eventum, si ad quamlibet occurrentem adversitatem querimur, dolemus, murmuramus? Si nos peccasse pœnitet, cur impatienter ferimus flagella Dei, aut afflictiones præsentis vitæ, cum tamen non ignoremus nihil aliud deberi nobis post peccata admissa, quam cruces et flagella? Si sancti et innocentes plerique, atque etiam hic beatus Christi baptista, tantam elegerunt pœnitentiam, tot tantaque perpessi sunt, ubi nos, obsecro, cum nostris peccatis et sceleribus manebimus? Non est satis a Christo nos dici christianos, et fidem tenere christianam, nisi splendidum nomen splendidi quoque mores et vita sancta exornent.

Joannes ut fuerit ab actu baptizandi magnus.

Quinto, fuit Joannes magnus ex actu illo singulari, quo Dominum Jesum baptizavit. Quod quidem summa cum humilitate et reverentia fecit. Unde ait ad Dominum baptizari volentem : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Magna profecto fuit Joannis humilitas, qua sic pertimuit Dominum baptizare : sed longe major humilitas Christi, qua voluit aquis tingi, cum non haberet opus, utpote agnus sine macula. Obiter possunt hic quædam quæstiones incidere : Qualis fuerit baptismus Joannis, an sit idem cum baptismo Christi ? Quo baptismo Christus fuerit baptizatus, an eodem quo reliquus populus, nempe baptismo Joannis, vel suo, quo nos baptizamur? Ad primam quæstionem paucis respondendum est, Baptismum Joannis non fuisse sacramentum, quo gratia conferretur, vel quo peccata sive originis sive propria remitterentur. Baptizavit autem Joannes, quia sic erat divinitus præordinatum, ut Christum ipse baptizaret. Christus enim suum baptisma, quo ab omnibus peccatis mundaremur, et in membra ipsius et Dei filios transiremus, instituturus, voluit ipse prior baptizari, ut in seipso impleret, quod erat aliis præcepturus : atque etiam ut sacratissimæ carnis suæ contactu aquas sanctificaret, vimque illis regenerandi tribueret, id est, ut cum prolatione et debita forma verborum virtutem habeant expiandi hominem a peccatis, et gratiam conferendi ex merito passionis et sanguinis Christi. Neque tamen solus voluit Christus a Joanne baptizari, ne, quod divus Augustinus annotavit, homines putarent Joannis baptismum præstantiorem esse Christi baptismo. Secundo, baptizavit Joannes, ut homines ad Christi suscipiendum baptisma præpararet : quod sane non faciebat ipse baptismus Joannis, qui non conferebat aliquam gratiam, sed illa fervens et vehemens prædicatio Joannis, qua hortabatur homines ad agendam pœnitentiam, et ad credendum in Dominum Jesum. Quamobrem dicebatur etiam baptismus pœnitentiæ, non quod peccata ablueret, sed quod illo suscipiendo homines velut inducebantur ac testabantur se pœnitentiam acturos. Unde non baptizabantur illo parvuli, quibus non erat opus pœnitentia. Quos autem Joannes tingebat aquis, eos porro mittebat ad Christum, dicens : Ego baptizo vos in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto. Quod ad alteram quæstionem attinet, non fuit Christus suo baptismo baptizatus, quo gratia recipitur, qua Christus semper plenus erat, sed baptismo Joannis, qui velut quoddam pœnitentiæ signum erat. Id autem fecit Christus causa humilitatis, ut nobis exemplo suo consuleret, et etiam ob alias ante dictas rationes.

Baptismus Joannis ut non fuerit sacramentum.

Sexto, fuit Joannes magnus in prædicatione. Namque anno ætatis suæ trigesimo cœpit prædicare et dicere, quod appropinquaret regnum cœlorum. Jucunda vox, et quæ ad id usque temporis nunquam esset audita : soli præcursori servata, ex

cujus sacrato ore prima sonaret. Multi præcesserant patriarchæ et prophetæ, qui populum ad agendam pœnitentiam et ad colendum digne Deum erant adhortati; sed nusquam habita est mentio appropinquantis regni cœlorum. Ex Joanne primum auditur vox salutis, vox exultationis: et congrue quidem: quia tempore gratiæ quod cœpit a Christi incarnatione, ille primus natus est sanctus. Qualis autem, et quam strenuus, quam rectus, quam fervidus fuerit in prædicatione, qui nosse volet, legat Evangelium.

oannes fuerit in rte magis. r. CXV,

Septimo, fuit magnus in morte. *Pretiosa in conspectu Domini,* ait Propheta, *mors sanctorum ejus:* tanto autem pretiosior, quanto hujus mundi judicio abjectior et despectior. Unde mors Christi quia ignominiosissima, etiam longe pretiosissima fuit. Mors quoque sancti Joannis eo nomine pretiosa est valde, quia admodum contemptibilis et indigna pro humana existimatione. Non enim solum occisus est pro justitia, veritate, castitate; sed etiam, quod vehementer dolendum est, cum esset vir tantus, tamque insignis, peremptus est in pretium saltantis puellæ vilissimæ.

oannes fuerit gnus in censu limn.

Octavo, fuit magnus in sua ad inferos descensione. Mox enim ut occisus fuit, deportata est sanctissima anima illius in sinum Abrahæ, ubi sancti Patres Christi adventum præstolabantur. Quamvis enim et ab originali et actuali peccato esset repurgatus, tamen natura, quæ illi cum omnibus erat communis, nondum fuit reconciliata Deo per mortem Christi. Ut ergo antecesserat Christum nascentem, baptizantem, docentem in terris, ita et morientem præcucurrit, certissimum apportans nuntium Patribus in limbo detentis, Christum venisse, et se brevi secuturum esse.

Joannis beatitudo quam sit magna.

Joannes in cælis ut sit supremus post Christum et Virginem Mariam.

Nono, denique excellenter magnus nunc est in regno cœlorum, ubi maxima fruitur gloria et beatitudine. Affirmant doctores non pauci, Luciferi locum, id est, supremum chori Seraphici eum obtinere. Non enim debet ille locus manere vacuus. Nec tamen convenit Christo, qui est ad dexteram Patris: nec Virgini Matri, quæ choros omnes transcendit; ergo nemini rectius quam illi, quo nemo surrexit major. Non enim erunt duo præcise æquales in cœlis, ut ait magnus Dionysius. Si ergo nemo illo est major, consequens eum esse summum. Si dicas: Ecquid inde habet dignitatis quod primam occupat sedem? Multum profecto habet, nempe omne illud, quod erat habiturus Lucifer, si perstitisset. Lucifer si perseverasset, fuisset primus et supremus dux, princeps, magister et doctor omnium Angelorum, cunctis aliis potentior, habuissetque alios moderari ac illuminare, et ipse nonnisi a Deo regeretur ac illuminaretur. Fuisset item aliis omnibus pulchrior, illustrior, purior, ardentior, in amore perfectior, atque ita ipse alios purgasset, illuminasset ac perfecisset: denique aliorum omnium inferiorum perfectiones ipse habuisset. Si ergo sanctus Joannes, ut pie credimus, in ejus est locum subrogatus, cunctis his præditus est bonis. Quod tamen utcumque se habeat, id certo certius est, eum sicut maximis in terra meritis et incomparabili abundavit gratia, ita nunc præcipuo præmio et inæstimabili gloria refulgere in cœlis. Quapropter oremus eum, dilectissimi, ut nobis apud Deum suis meritis et precibus auxilio semper esse dignetur, ad laudem et gloriam Creatoris, qui est benedictus in secula, Amen.

IN SOLEMNITATE

SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

IN diebus illis : Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit apprehendere et Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem servabatur in carcere : oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus : et custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini adstitit, et lumen refulsit in habitaculo : percussoque latere Petri excitavit eum, dicens : Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum : Præcingere, et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dicit illi : Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. Et exiens sequebatur eum, et nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum. Existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum, et continuo discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reversus, dixit : Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum. *Act. XII.*

QUAMVIS hic dies excellentissimis duobus Christi Apostolis, nempe Petro et Paulo dicatus sit, tamen Ecclesia memor quanta per illos divinitus beneficia consecuta sit, noluit eis unius diei impendere officium, sed duos dies eorum venerationi destinavit, vel hoc ipso satis indicans, quantopere christianos omnes deceat his suæ fidei præcipuis post Deum auctoribus ingentes et singulares exsolvere laudes ac gratiarum actiones. Itaque hac die ejusmodi Lectio recitatur, quæ ad unum divum Petrum pertineat : crastina vero talis, quæ nonnisi uni divo Paulo possit assignari. Provida mater Ecclesia, Sancti Spiritus ducta magisterio, celebrem tantorum patrum voluit servari memoriam, nec perfunctoriam, sed seriam et attentam a cunctis Christi fidelibus eis reverentiam exhiberi. Hujus quidem diei lectio simplex

et plana est, tota historica, nec expositione indigens, quam tamen more nostro paraphrastice reddemus.

Herodes rex, non quidem secundi Herodis filius, sed abnepos, filius autem Aristobuli, quem Herodes Ascalonita genuit, maligno incitatus spiritu (qui quod per se præstare non potest, per membra sua, nempe homines impios efficit) misit manus nefarias, ut affligeret quosdam de Ecclesia christianorum. Prædixerat hoc Christus martyribus suis, passuros eos flagella, persecutiones et mortem ipsam. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis Apostoli, filium Zebedæi, unum ex secretioribus Christi Apostolis, sicut aliquot Evangelii locis est videre, gladio, id est, jussit eum capite truncari : non aliam ob causam, nisi quod impius Judæorum pontifex Abiathar invidia percitus, quod plurimos ad Christi fidem traduceret, apud Herodem eum accusari curavit : unde pro pietate neci datus est. Videns autem quia placeret Judæis, quibus dominabatur, apposuit apprehendere et Petrum, tanquam præcipuum christianæ professionis columen. O cæcam Herodis miseri insaniam ! Modo placeat hominibus, nihil veretur etiam innoxium fundere sanguinem. Utrum placeat Deo vel displiceat, nihil illi curæ est, tantum ut auram quamdam captet popularem. O quot hujus farinæ homines etiamnum mundus habet ! Quam multa fiunt divinis humanisque cauta legibus, solum ut hominibus placeatur ! Et quid est, obsecro, placere velle hominibus in rebus illicitis, nisi seipsum Deo et bonis omnibus invisum, dæmonibus autem ludum exhibere ? O cæcas hominum mentes, o pectora cæca ! Redite tandem prævaricatores ad cor. Potius velitis Deo et sanctis omnibus placere bene agendo, quam diabolo et servis illius illicita sectando.

Herodes ..i D. Jabum occlerit quis erit.

:D. Jacoıs cur cisus fuit ab Hede.

Placere :lle homibus quem uctum ariat.

. XLVI, 8.

Erant autem dies azymorum, id est, Paschalis solemnitas, quibus juxta legis decreta Judæi azymis panibus, quibus nihil fermenti inerat, vescebantur. His verbis Evangelista causam reddit, cur non statim eum neci dederit. Hypocrita Herodes ut magis hominibus sese venditet, servat utcumque extrinsecus legales ritus, sed intus in corde nequitiam et flagitia meditatur. Cum autem apprehendisset divum Petrum, misit in carcerem, vilissimus scilicet regulus, Ecclesiæ caput et principem ergastulo includens, cujus non erat dignus vestigia osculari, tradens eum quatuor quaternionibus militum ad custodiendum, fortasse ut per singulas noctis vigilias quatuor milites circa eum excubias agerent, ne quovis modo elaberetur. Jam enim rumor sparserat multa divum Petrum mira egisse : quæ tamen impii non Dei virtuti sed magicis artibus tribuebant : volebatque post Pascha producere eum populo. En hominem stultum et impium, nihil nisi populi favorem etiam in re nefaria aucupantem.

Et Petrus quidem Christi vicarius, Apostolici agminis princeps, servabatur in carcere fortassis tetro et horrido : oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Petrus pastor Ecclesiæ ovium ipsi commissarum precibus servari petitur ne occidatur. Erat enim adhuc teneræ Ecclesiæ necessarius, et pii omnes scientes illi a Christo commissam credentium omnium curam atque præ cæteris clarissima eum fulgere miraculorum gloria, instantissime postulabant a Deo, ut ex Herodis manibus eriperetur. Ubi apparet sane exemplum memorabile pii amoris ac reverentiæ Christi fidelium in pastorem suum, ne quis putet parvipendendum esse si Ecclesia suo pastore, Christi vicario principali, destituatur. Sed væ tepori temporum horum, quibus populus nihilipendit pastores suos, dignus qui tyrannis Ethnicis vel Turcis excoriandus tradatur. Simul etiam discimus, quid in rebus adversis agendum sit : nempe ad Deum per continuas et ferventes recurrendum preces, ut is opem nobis ferat. Quod hodie christianorum vulgus omne penitus negligere videtur. Multi sunt, qui toto anno vix unam orationem attentis

Pastores suos ut fideles in reverentia habeant.

Orationibus quatenus insistendum sit.

cordibus legant. Et quid adhuc miramur multis nos calamitatibus affici? Miremur potius, non diu orbem ob sua scelera sulphureis ignibus conflagrasse. En misso in carcerem divo Petro tota Ecclesia perpetuis instat precibus ut liberetur. Hodie si tota Ecclesia maximis sit exposita periculis, vix rarissimæ fiunt preces, eædemque tam frigidis et distractis animis, ut magis iram Dei quam misericordiam provocare queant. Digne ergo patimur si quid patimur. Si nos iram Dei vitæ emendatione et piis precibus mitigare studeremus, non est abbreviata manus Domini, ut amplius misereri non possit.

Is. LIX, 1.

Cum autem producturus esset Herodes Petrum morte plectendum, in ipsa nocte erat idem Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, et custodes ante ostium custodiebant carcerem. O quanta est divinæ gratiæ efficacia. Quondam divus Petrus ita ancillæ pertimuerat vocem, ut amantissimum Dominum et Magistrum suum negaret : nunc in præsentissimæ mortis positus periculis, alto deprimitur somno securus sui, faciens quod David hortatur : *Jacta super Dominum curam tuam*. Vere hæc mutatio dextræ Excelsi. O beatissime Petre, magna est fiducia tua: tot vallatus custodibus, tot astrictus vinculis, tot expositus insidiis et periculis, somno indulges, nihil scilicet mortem veritus, sed irridens potius, quidquid in te humana malitia conferre posset. Et ecce Angelus Domini adstitit, et lumen refulsit in habitaculo, id est, in carcere, quod tamen lumen solus Petrus vidisse dicitur: percussoque latere Petri alto somno decumbentis, excitavit eum dicens : Surge velociter: et ceciderunt catenæ de manibus ejus, divina virtute confractæ ac dissipatæ. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere et calcea te caligas tuas, id est, indue te caligas tuas. Et fecit Petrus sic. Et dixit illi Angelus : Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. Et exiens sequebatur Angelum, et nesciebat quia revera fieret, quod per Angelum fieri cernebat. Existimabat autem se visum videre. Fortassis enim nondum plene ab oculis somnum discusserat. Certum est enim, et etiam quotidiano discitur experimento quosdam in somno ambulare.

Ps. LIV, 13.

Transeuntes autem primam vigiliam et secundam custodiam, id est, milites diversis locis ad custodiendum Petrum collocatos, sed Dei virtute præpeditos ne illum videre possent exeuntem, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem Jerosolymam, eaque porta ultro aperta est eis. Nihil enim potest Dei virtuti resistere. Et euntes processerunt vicum unum, et continuo discessit Angelus ab eo jam plene sibi reddito. Et Petrus ad se reversus dixit : Nunc scio revera, quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum. En populus perfidus Petri necem sitiit, cui Herodes ut satisfaceret sicut supra dictum est, misit eum in carcerem, sed impius prius exstinctus est, quam divum Petrum posset occidere.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, MATTHÆI XVI.

D Petri Apostoli auctoritas et dignitas quanta,

CONVENIENTISSIME hac die recitat sancta Ecclesia Evangelium, ubi Dominus Jesus divo Petro claves regni cœlestis tradidisse, et eumdem totius Ecclesiæ principem instituisse narratur. Hæc namque maxime ornant beatissimum Apostolum, ut non modo cum cæteris, sed etiam præ cæteris Apostolis ligan-

di atque solvendi auctoritatem dicatur assecutus. Vere magna est divi Petri dignitas et excellentia, grandis auctoritas, quam merito formidare debeat etiam omnis dæmonum multitudo. Væ tibi, Lucifer, superbe et tumide! En piscator abjectus, pauper et humilis pro sua modestia ac humilitate summum obtinet in Ecclesia principatum, atque in cœlis præcipuo fulget honore, te ob tuam intolerabilem superbiam in tartari profunda demerso. Ita nimirum *qui se humiliat, exaltabitur, et qui se exaltat, humiliabitur*. Piscator Petrus in sublime tollitur, superbus Lucifer ruit in ima. *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Hominem rudem, simplicem, idiotam, pauperem, despectum æterna sapientia, quæ minime fallitur aut errat, ad tantum erigit militantis ac triunphantis Ecclesiæ fastigium, et electissimum ac nobilissimum spiritum sese insolenter erigentem infra omnes depressit ac detrusit. Caveamus superbiam diaboli, et Christi imitemur humilitatem. Super quem enim requiescet Spiritus meus, ait Dominus, nisi super humilem et quietum? At nunc Evangelium tractandum suscipiamus.

ic. XIV,

m. XI,

XVI, 2.

Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?

Piissimus humani generis Redemptor, ultro citroque pro animabus convertendis, infatigabili studio et alacri fervore cursitabat, atque per omnem Judææ regionem obambulans, ubique omnes ad agendam pœnitentiam hortabatur. Missus enim erat ad requirendas oves perditas domus Israel. Itaque munus ipsi a Patre delegatum strenue exequebatur. Atque inter hæc venit in partes Cæsareæ illius, quam Philippus Herodis magni filius restaurarat atque amplificarat, et Tiberio Cæsari dicarat: ibidemque interrogavit discipulos suos quid de ipso dicerent homines. Sed cur interrogavit, quem nihil latebat? Ut vera confessio suum haberet et meritum et præmium. Sic olim in paradiso dedit præceptum homini, ne ederet de arbore scientiæ boni et mali. Non poterat eos cœlo invehere absque illius præcepti adhibitione? Poterat utique, sed voluit etiam hominis accedere studium et obedientiam, ut aliquod meritum existeret. Recte sane divus Augustinus: Qui creavit te, inquit, sine te, non justificabit te sine te. Adhibendum est ergo divinæ gratiæ liberum arbitrium, ut illius, juxta Apostolum, cooperatores simus, ne in vacuum eam recipiamus. Noverat Dominus Jesus varias de se hominum exstare opiniones, et tamen ex discipulis nosse vult, quod melius illis noverat. Itaque ait: Quem dicunt homines, id est, vulgus simplex et indoctum, esse Filium hominis? Scribæ et Pharisæi hic non commemorantur. Namque illi indignissime de Domino sentiebant: sed homines vulgares, qui non eamdem sequebantur sententiam, aliis atque aliis aliter et aliter opinantibus, errore potius quam destinata malitia. Vocat autem se Filium hominis, non Dei, pro sua modestia, ne quam dictis suis præ se ferat arrogantiam. Humilis Magister ubique et verbis et factis humilitatem docet, damnat superbiam, diaboli prolem, peccati radicem.

August.

Arbitrium liberum hominis uti adhibendum sit Dei gratiæ.

II. *Cor.* VI, 1.

Filium hominis cur Christus se nominet.

At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis.

Apud Evangelistam Matthæum ita scriptum invenimus: In illo tempore, audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo. Hunc ergo Herodis regis errorem etiam quidam e vulgo imitabantur. Libenter enim solent homines simplices potentum judicio subscribere, utpote quos tantum sapientia quantum dignitate præstare putant. Ita sæpe ad unius impii regis aut principis consilium vel judicium jura ipsa mutantur. Exem-

Matth. XIV, 1.

rro-
rit cur
stus
pulos

II. *Reg.* XII. plum evidens est in Jeroboam rege Israel, qui facillime toto illo populo vitulorum cultum et veri Dei ac legis contemptum persuasit. Alii Dominum Jesum Eliam, alii Jeremiam aut unum ex Prophetis autumabant. Audierant namque vel legerant horum patrum gesta, quibus cum Salvatoris quædam facta similia conspicerent, ex illis eum unum aliquem esse credebant. Nondum enim erant intus illuminati neque docti a Patre, ut Filium possent agnoscere. Tamen impiissimis Scribis et Pharisæis hoc ipso longe præferendi, quod licet Christum non agnoverint, non tamen tam indigne atque illi de eo senserint. Et quamvis error iste culpa non caruerit, aberat tamen ab illa blasphemia, quam Dominus vocat irremissibilem, cujus Pharisæi et Scribæ rei erant. Isti namque manifestis Dei operibus derogabant, non infirmitate sed invidentia et malitia superati, tribuentes ea Beelzebub principi dæmoniorum. Volens autem Dominus discipulis suis insinuare eos vulgi opinionibus duci non debere (a Pharisæorum namque et Scribarum malitia procul eos abesse noverat), eorum quoque fidem et meritum aliis judicare cupiens, ait ad illos :

Vos autem quem me esse dicitis ?

Vulgus hominum pro suo captu de me sentit. Non enim nisi pauca quædam operum meorum perspecta habent : neque possunt animum erigere ad contemplandam in me divinam majestatem. Externis miraculis pascuntur, neque ultra progrediuntur, ut ex iis quæ foris ostendo, ad interna et abdita pervestiganda penetrent.

I. *Cor.* II, 14. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Vobis autem datum est nosse mysterium Dei, vobis tanquam amicis meis nota feci omnia quæcumque audivi a Patre meo, vobis etiam multa extra turbas locutus sum. Quem ergo vos me esse dicitis? Illi ut homines humana de me opinantur, neque ultra carnis oculum sese norunt attollere. Vos autem qui secreta mea multa didicistis, quem me esse dicitis ? Non mihi sufficit ut eadem sentiatis, quæ vulgus sentit : sed majus aliquid a vobis exspecto. Cui enim plus datum est, plus etiam requiretur ab illo.

Respondens Simon Petrus, dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi.

Petrus tanquam os et caput Apostolici agminis, suo et aliorum nomine respondet : Tu es Christus Filius Dei vivi. Confidenter respondet homo piscator, et qui forte ne prima litterarum elementa noverat : Tu es Christus Filius Dei. Unde hoc noverat ? Postea id intelligemus ex dictis ipsius Salvatoris. Quid hic dicturi sunt sapientes seculi hujus ? Anne gloriabuntur adhuc in ingeniis suis? Ecce piscator indoctus intelligit, quod nec tota Academicorum et Peripateticorum schola unquam vere perspexit : miraculi plenum est, quod homo in tantum simplex Christi divinitatem potuit intelligere, omni etiam hæsitatione penitus exclusa, cum multi hujus mundi sapientes, philosophi et principes eam non perspexerint. Utique jam tractus erat divus Petrus a Patre , ut veniret ad Filium, eumque cognosceret. Nam si non esset tractus, nec venisset: si non venisset, nec agnovisset; si non cognovisset, nec credidisset unquam. Gratias tibi, Domine Jesu, qui unum existens cum Patre abscondisti te a sapientibus et prudentibus, et revelasti te parvulis. Eant nunc scioli ex scientiis suis tumidi et inflati, et glorientur se legisse libros philosophorum, poetarum, imo et auctorum omnium : Dominus Jesus simplicem piscatorem elegit, mundi sapientes vanos et impios respuit. Atque in hunc usque diem manifesto videmus perplures simplices magnis pollere virtutibus, doctos autem et de sua scientia tumidos ire per abrupta vitiorum et hæreseon. Non tamen hic damnamus scientiam, sed dolemus plerosque id solum spectare ut docti evadant, porro nihilipendere ut probi sint. Scientia utilissima est, si ad Dei et proximi charitatem sincere referatur. Quæ si non

spectetur, toxicum est. Theologi, Jurisperiti, Medici, artium liberalium professores si non eo omnia sua studia referant, ut placeant Deo, et juxta Dei voluntatem prosint proximis, inanissime omnem suam locant operam : et tandem nonnisi supplicium reportabunt. Sed his obiter dictis propter arrogantes quosdam, qui in multa lectione et eruditione sua gloriantur, putantque se melius nosse omnia, quam quosvis alios, quæ causa est errorum et hæreseon omnium, atque præ se cæteros contemnunt, ad Evangelii explanationem revertamur. Sanctus Petrus plenus certa ac indubitata fide, Christo interroganti : Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi, utramque naturam et divinam et humanam brevissimis sed gravissimis verbis confitens. Christus enim ad humanitatem, Filius Dei vivi ad divinitatem pertinet. Deum autem vivum appellat, quia ipse vera est vita, et solus veram habet vitam, solus habet immortalitatem, ut Apostolus ait, qui creaturis omnibus vitam tribuit, utpote ex ipso tanquam sua origine dependentibus : ipse vero nonnisi ex seipso subsistit. Beatus qui sic vitam exigit suam, ut huic vivo et vero Deo vitæ illius quadam felici et sempiterna participatione in cœlis conjungi mereatur.

æreseon isa omm quæn sit.

lei conntia in icto Pequanfuerit.

Tim. VI,

Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es Simon Barjona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.

Beatum vocat Christus sanctum Petrum, quod nihil offensus forma servi, nihil carnis infirmitate retentus, Christum verum Dei Filium agnosceret, crederet et confiteretur. Et revera beatus merito dici potuit, quod ad tantam gratiam a Deo electus fuit, ut certa fide crederet esse Deum ac Dominum suum, Messiamque in Lege et Prophetis promissum, quem videbat non alium esse quam cæteros, esurire, sitire, edere, bibere, lacrymari, laborare, miseriis subjacere perinde ut cæteros. Totum igitur hoc gratiæ fuit : quod etiam Dominus mox declarat, ita addens : Quia caro et sanguis, id est, carnalis intellectus vel doctrina carnalium Pharisæorum, non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Ille tibi lumen præstitit, quo fretus me nosse potuisti, neque nosse tantum, sed etiam amare. Pater revelavit tibi, id est, intus perspicue intelligere ac firmiter credere te fecit me esse Filium suum, mundi redemptorem : idem ipse quoque præstitit, ut me fide agnitum, etiam amore prosequaris. Si enim non amares, non mihi perpetuo comes et discipulus adhæreres, non mecum mundi hujus mala, Judæorum odia, et Pharisæorum persecutiones sustineres. Ergo sic debemus intelligere verba Domini Salvatoris, non propterea eum dicere Petrum beatum, quod Christum nosset duntaxat, sed quod etiam mirabiliter agnitum, ferventer amaret.

Verum dicat hic aliquis : Cur rudibus piscatoribus et idiotis Pater revelavit Filium, et non potius philosophis, regibus, Pharisæis et Scribis, maxime cum per istos citius videatur fides Christi propagari potuisse, quam per illos? Quid Christus ad hæc responderit, jam ante dictum est, at nunc Apostolum quoque quæstioni huic satisfacientem audiamus. Videte enim, inquit, vocationem vestram, fratres : quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia : et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. Quorum verborum sententia est : qui proprio judicio stulti, infirmi, ignobiles et contemptibiles sunt, id est, humiles, eligi a Deo : qui autem suo et mundi judicio sapientes, fortes et grandes sunt, id est, superbos, reprobari. *Humilibus* enim *Deus dat gratiam, superbis* semper *resistit*. Humilitas Saulem regem fecit, superbia e regni sede dejecit. *Cum parvulus esses in oculis tuis,* ait Samuel Sauli, *caput in tribubus Israel factus es. Sed quia abjecisti sermonem Domini* (adverte contemptum et superbiam), *abjecit te Dominus, ne sis rex.*

Simplices rudesque discipulos cur Christus elegerit.

I. *Pet.* v,5.

I. *Reg.* xv, 17.

Sic humillima eademque longe sapientissima Virgo Maria: *Deposuit,* ait, *potentes de sede, et exaltavit humiles.* Itaque maluit Deus, quem Propheta terribilem vocat in consiliis super filios hominum, pauperes et simplices ab initio eligere, quod talibus ut plurimum amica sit humilitas: non autem potentes et sapientes mundi fastu inflatos, quod ii divinæ gratiæ plerumque minime sint capaces.

Luc. I, 52.

Ps. LXV, 5.

> Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

His verbis aperte declaratur primatus Petri supra cæteros Apostolos. Lutherani, quia invident Romano Pontifici Petri successori, non sibi temperare possunt, quin etiam ipsi sanctissimo Apostolo derogent. Sed omissis miseris illis, quos utinam illuminet Dominus Jesus, nos Ecclesiæ catholicæ fidem et sententiam proferemus. Divus Petrus antea Simon vocabatur: at quia eximiam de Christo protulit confessionem, nomen Petri optima mutatione hic accipit. Vocat enim Dominus Petrum, quia cæteris constantiorem et esse et fore eum perspexit. Quod nos quoque reipsa comprobamus. Sedes Petri hodieque in fide catholica perseverat, nec ullis frangitur adversariorum insultibus, cum interim tot aliæ sedes funditus eversæ sint. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc verba quidam ad solum Christum volunt pertinere, tanquam piaculum sit ea divo Petro accommodare, et tamen communi omnium et veterum et recentiorum Theologorum sententia ipsi Petro tribuuntur, ut sit sensus Dominum super eum tanquam Apostolorum caput et principem suam voluisse Ecclesiam ædificare: non quod sit ipse præcipuum Ecclesiæ fundamentum, quod soli Christo convenit, sed proximum a Christo. Imo non uni Petro tribuitur, ut sit Ecclesiæ fundamentum, sed etiam cæteris Apostolis. In Apocalypsi sic habes: *Murus civitatis* (de nova Jerusalem loquitur, quam vidit Joannes descendentem de cœlo) *habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum.* Si ergo alii Apostoli fundamenta Ecclesiæ vocantur, cur non magis divus Petrus, qui Apostolis omnibus est excellentior?

S. Petro cur Christus nomen mutaverit.

Ecclesia quomodo sit super petram ædificata.

Quidam ex recentioribus, præclarus sane et insignis auctor, verba isthæc Christi ad Petrum: *Tu es Petrus, et super hanc petram, etc.* ita exponit: Dicit Christus Petro: Tu es Petrus, etc. perinde ac si diceret: Tametsi ego sim natura illa inviolabilis et firma petra, cui ecclesiastica inædificata domus adversus ingruentem vim omnem inconcussa et stabilis permanet: ego ille lapis angularis, qui totius ædificii unitatem contineo: ego quoque illud fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, et in quo omnis constructa ædificatio crescit in templum sanctum in Domino: ego habeam clavem illam David, qui aperio et nemo claudit, claudo et nemo aperit : tibi nihilo minus mecum participatione communia hæc erunt omnia, quæ mihi sunt naturalia. Nam et tu petra es, super quam inædificata Ecclesia nec infernalium potestatum vim pertimescet: tu lapis ecclesiastici ædificii compaginis unitatem contines: tu denique fundamentum etiam Ecclesiæ. Et tibi quoque dabo claves regni cœlorum atque eam auctoritatem ut quidquid ligaveris aut solveris in Ecclesia, hoc ipsum ratum firmumque habeatur in cœlis. Hæc ille. Et ne quis putet hanc expositionem ex illius cerebro natam, mox gravissimorum doctissimorumque Patrum sententiis eam probat, quas nos hic prætermittimus.

Verum quando nostris temporibus infelices quidam Romanæ Pontifici Ecclesiæ primatum quem Dominus Jesus divo Petro

tribuit, auferre moliuntur, ea de re Patrum sententias aliquot producemus, ut norint fideles unum esse in Ecclesia Christi vicarium præcipuum, eumdemque non alium quam sancti Petri successorem, nempe Romanæ urbis Antistitem. Omnino enim fidelium omnium nosse interest pastorem suum Christi vicarium, ne sint sicut oves non habentes pastorem. Quanta autem mala oriantur, si Summus Antistes non agnoscatur. Divus Cyprianus sententia memorabili insinuat, primo libro Epistolarum, tertia epistola, scribens in hæc verba: Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur: ac si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret, nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post Episcoporum consensum, judicem se non jam Episcopi sed Dei faceret. Nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsum foris novam hæresim conderet. Hæc divus Cyprianus doctissimus atque sanctissimus martyr et episcopus. Adducamus nunc sanctorum Patrum non omnia, sed pauca de Romani Præsulis principatu testimonia. Anacletus Romanus Pontifex et martyr scribit his verbis: Sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino et Salvatore nostro primatum obtinuit, sicut beato Petro Apostolo dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* In operibus divi Athanasii exstat Epistola universorum Ægyptiorum, Thebæorum ac Lybiorum pontificum ad Felicem Papam, ubi nedum sedem Romanam omnibus antelatam confitentur, sed etiam miris efferunt encomiis, aiuntque ita a sanctis Patribus in concilio Nicæno definitum. Nos ex illa Epistola pauca hic referemus: Similiter et a supradictis Patribus est definitum consonanter, ut si quisquam Episcopum aut Metropolitanum aut comprovinciales vel judices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi ac absolvendi speciali est privilegio super alios concessa. Ipsa enim firmamentum a Deo fixum et immobile percepit. Quoniam ipsam formam universorum titulorum lucidissimam, Dominus noster Jesus Christus constituit. Ipsa enim est sacer vertex et cardo, in quo omnes vertuntur, sustentantur et relevantur, etc. Deinde addunt: Tu es, sicut divinum veraciter testatur eloquium, Petrus, et super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, qui Ecclesiam sustinere et propriis humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ, tibique claves regni cœlorum commisit, atque ligare et solvere potestative, quæ in terra et quæ in cœlis sunt, promulgavit. Tu profanarum hæreseon, et imperitorum atque omnium infestantium depositor, ut princeps et doctor, caputque omnium orthodoxorum doctrinæ immaculatæ fidei existis. Hæc enim tam multi, tam sancti Episcopi in Alexandria synodo una cum gloriosissimo fidei propugnatore Athanasio congregati. Possent hic innumera alia adduci testimonia, sed vitanda prolixitas est.

Romanæ Sedis privilegia et auctoritas quanta.

Porro quod Dominus ait: Portæ inferi non prævalebunt adversus eam, de vitiis et erroribus, vel malorum spirituum impugnationibus, aut tyrannorum persecutionibus accipiendum est. Et tibi, inquit, dabo claves regni cœlorum, præ cæteris excellentius: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Ecce omnipotens Deus tantam tribuit homini potestatem ut quod is definierit, ipse sit in cœlis ratum habiturus. Utinam hæc attenderent, qui Summum Pontificem ejusque excommunicationes penitus nihilipendunt. Sentient olim, sentient quam tremendum, quam terribile sit a Christi Vicario tradi anatanæ, vel excommunicationis sententia ligari. Sed quis hæc persuadebit excæ-

Portæ inferorum quænam intelligantur.

Satanæ tradi a Vicario Christi per excommunicationem quam sit terribile ac execrandum.

catis pectoribus? Libet hic in calce adjicere totius ferme Evangelii hujus brevem sed elegantissimam explanationem
Leo Papa. sanctissimi Leonis Papæ, ejus nominis primi, ex sermone tertio de Passione Dominica : Unus, inquit, de toto mundo eligitur Petrus, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Magnum et mirabile huic viro, dilectissimi, consortium potentiæ suæ divina tribuit dignatio, et si quid commune cum eo cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per istum dedit, quidquid cæteris non negavit. Omnes denique Apostolos, quid de se opinentur homines interrogat, et tamdiu respondentium communis est sermo, quamdiu humanæ intelligentiæ explicatur ambiguitas. At ubi quid sensus habeat discipulorum exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate et potestate. Qui cum dixisset : Tu es Christus Filius Dei vivi, respondit ei Jesus : Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena te opinio fefellit, sed inspiratio cœlestis te instruxit, et non caro et sanguis, sed ille tibi cujus sum Filius unigenitus indicavit; et inquit : Ego dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam : Quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere : tamen et tu quoque petra es, qui a mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, tibi sint mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Super hoc, inquit, saxum, hanc soliditatem et fortitudinem æternum construam templum, et Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas in hujus firmitate consurget.

SERMO PRIMUS IN EADEM SOLEMNITATE

QUANTUM ADNITI DEBEANT CHRISTIANI OMNES, UT IN S. ECCLESIÆ CATHOLICÆ UNITATE PERMANEANT, ET DE LAUDIBUS SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

TU es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, Matthæi XVI, 18.

Magna res est, dilectissimi, Ecclesia catholica, tantæque firmitatis, ut nullis possit perrumpi quamtumvis sævorum hostium incursibus, nullis omnino fraudibus aut cuniculis vel dæmonum vel malorum everti. Insurgant omnes tartarei spiritus, totus hic mundus, id est, universa impiorum caterva simul uno impetu totisque viribus in Ecclesiam Christi incurrant, nihil tamen omnino illi obesse poterunt, sed velint nolint, Petri naviculam ad portum tandem quandoque supernæ gratiæ pertingere ferre cogentur. Non enim fallit aut mentitur veritas, quæ ait : Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Nihil autem aliud est Ecclesia catholica, nisi fidelium collectio sancta, quæ rectam de Deo fidem servat, vera religione Deum colit et adorat, unum atque idem sentit, et profitetur in iis quæ ad fidei articulos et sacramentorum unitatem pertinent.

Est alia Ecclesia, quam Scriptura synagogam satanæ et ecclesiam malignantium appellat, quæ purissimo veritatis fonte derelicto turbidam sibi haurit aquam, foditque cisternas dissipatas, carnalium videlicet opinionum, ex insano nascentium cerebro, humanaque conceptarum temeritate, plus suo judicio quam aliis quibusvis tribuente; quæ cum non regatur Spiritu veritatis et pacis, in multa scinditur, nec usquam ipsa sibi constat, sed pro variis hominum ipsi deditorum affectibus et judiciis modo hæc, modo illa affirmat, eademque paulo post aut negat aut mutat; quæ est origo cunctarum hæreseon et errorum, omnis perfidiæ causa; quam nos divus Paulus Apostolus fugere monuit, ubi ait, scribens Timotheo : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Quæ verba elegantissime exponens Vincentius Lyrinensis, pietate juxta ac eruditione clarus, ita ait : Devita, inquit Apostolus, o Timothee, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solum tactu, sed etiam visu afflatuque percutiant. Quid est devitare? Cum hujusmodi nec cibum sumere. Quid est devita? *Si quis,* ait Joannes, *venit ad vos, et hanc doctrinam non affert.* Quam doctrinam, nisi catholicam et universalem et unam eamdemque per singulas ætatum successiones incorrupta veritatis traditione manentem, et usque in secula sine fine mansuram? Quid tum? *Nolite,* inquit, *recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Profanas, inquit, vocum novitates. Quid est profanas? Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, penitus extraneas. Profanas, inquit, vocum novitates : vocum, id est, dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quæ sunt antiquitati contrariæ. Quæ si recipiantur necesse est ut fides beatorum Patrum aut tota, aut certe magna ex parte violetur : necesse est, ut omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, levitæ et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas et multitudo, tot insulæ, provinciæ, reges, gentes, regna, nationes : totus postremo jam pene terrarum orbis, per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto seculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuntietur. Hæc ille.

Quibus verbis graphice depingit hæreticorum vitanda dogmata, utpote ex ipsorum insanis mentibus, non Sancti Spiritus instinctu hausta ac propalata. Itaque fideles omnes summo debent studio, quantum sibi optant propitium habere Deum, et animas suas ab æternis inferorum flammis servare immunes, ad id adniti, ut nunquam temere ab Ecclesiæ catholicæ persuasione se patiantur abduci. *Oportet enim hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant,* id est, ut quisque quam tenax, et fidelis, et fixus catholicæ fidei sit amator appareat. Moveri autem omni doctrinæ vento, et instar arundinis quolibet auræ pulsantis flatu agitari, id vero levissimæ mentis est. Solidandus ergo est animus, ut etiam si Angelus de cœlo aliud evangelizet, præterquam quod annuntiatum est nobis, anathematis loco habeatur. Non mihi dicat quisquam : En tot eruditi homines ita sentiunt, ita scribunt, aliquot etiam principes in hac sententia sunt. Nunquam ego eruditos eos dixerim, qui a sanctorum Patrum tot seculis receptis sententiis non verentur diversum sentire, nec eos principes imitandos sentio, qui impiorum hominum adinventiones totius Ecclesiæ consuetudini et sententiæ anteponunt.

Si quæras, quamobrem docti errent, et potentes fallantur? Cito respondeo, doctos vel potius sciolos ob suam superbiam datos a Deo in reprobum sensum : potentes vero non omnes, sed qui Deum non metuunt, ob voluptatum et vanitatum studia contemptos a Deo, atque indignos qui ve-

I. *Cor.* XI, 19.

Docti quinam vere dicantur.

ritatem perspiciant. Non est igitur cur quisquam horum exemplo ab Ecclesiæ unitate sese abjungat. Qui semel in baptismo Christo nomen dedimus, in illius famulatu ad ultimum usque spiritum constanter permanere debemus. Famulari autem Christo non potest, quisquis extra illius magnam domum, quæ est Ecclesia catholica, profugus abscedit. Credere quidem potest, et Christum quoque confiteri potest, sed servus fidelis Christi esse non potest. Sicut membrum si e corpore distrahatur, non potest non emori : ita impossibile est vitam illi manere spiritualem, qui ab Ecclesiæ consortio disjungitur. Et tamen tales sunt hæretici omnes, Judæi et Ethnici, qui tanto sunt a vera vita remotiores, quanto sese extra ovile Christi magis subducunt et abalienant. Quorum est revera misera et deploranda conditio, quandoquidem etsi corpore vivunt, spiritu mortui sunt, et licet sæpe calamitosam atque miserrimam ducant vitam, multa quoque secundum speciem præclara agant opera, dura et aspera multa patiantur, noctes sæpe ducant insomnes, studiis aut aliis intenti laboribus, tamen post hæc omnia mox ubi excesserint e corpore, ducuntur in immane chaos tartarorum, de præsenti exilio et miseria, ad æternas transeuntes tenebras, et ignem inexstinguibilem, diabolo et angelis eis paratum :

Stabilitate quanta opus sit in vera catholicaque fide

Non vere catholicorum omnium quam vita, qualisque mors.

At vero qui in Christi ovili, in Ecclesia sancta catholica fortiter perseverant, et simplici fide, spe bona, sinceraque charitate Domino adhærent, ii ex capite Christo vitalem spiritum, gratiam, virtutes et Sancti Spiritus varia suscipiunt charismata, in iisque crescunt et augescunt : alii tamen plus aliis, prout quisque ad ejusmodi influxum percipiendum sese magis accommodat : atque ubi hinc emigrarint, ad cœlestem ducuntur patriam, et gloriam sempiternam. Quod si qui etiam interim minus bene vivant, tamen a communibus Ecclesiæ precibus non excluduntur, quamdiu ab Ecclesiastica unitate divisi non sunt. Atque ita fit, ut multo facilius possint efficaces gratiæ, quam hæretici et alii penitus ab Ecclesia alieni.

Catholicorum verorum vita ac mors quam felix.

Hoc nimirum præstat unitas corporis Christi mystici, in quo membra alia pro aliis sollicita sunt, et saniora infirmis studiosius subveniunt, ut possint sanitati restitui, donec tandem omnes occurramus in virum perfectum, quod erit in futura resurrectione mortuorum, quando jam similes erimus capiti nostro, nec quidquam in nobis imperfectum reliquum erit. Hac ratione non solum qui adhuc temporariam agunt vitam, sed qui jam in cœlis beati vivunt Angeli et spiritus hominum beatorum, imo etiam ipsum caput nostrum Dominus Jesus Christus mira nobis benevolentiæ et charitatis conjunctione devincti sunt, semper sollicitam nostri curam gerentes, ut ad ipsos pertingamus, idque multo magis quam de illis qui foris sunt. Nam et horum quidem salutem diligunt, sed quia eos ab unitate corporis, quod ipsi sunt, alienos conspiciunt, minus illos curant quam nos, utpote quos sibi concorporatos sentiunt. Pulcherrime sane divus Joannes Chrysostomus Ecclesiam catholicam depingens, ut nos ad illius retinendam colendamque unitatem illiciat, in opere Homiliarum in Matthæum, quod imperfectum vocant (si tamen ille ejus auctor est), ita loquitur : Quamvis infestatione inimici Ecclesia vel seculi tempestate laboret, quibusvis tentationum fluctibus pulsetur, naufragium facere non potest, quia Filium Dei habet gubernatorem. Inter ipsos enim turbines mundi, inter ipsas seculi persecutiones, plus gloriæ ac virtutis acquirit, dum in fide firma et indissolubili permanet. Navigat enim instructa fidei gubernaculo, felici cursu per hujus seculi mare, habens Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans choros omnium sanctorum, erecta in medio ipsa salutari arbore crucis, in qua evangelicæ fidei vela suspendens, flante Spiritu Sancto, ad portum paradisi et securitatem quietis æternæ deducitur. Paulo post eodem capite de ecclesia hæreticorum idem subjungit :

Est et alia seculi navis, non Dei, id est collectio hæreticorum quæ sibi hujus nomen Ecclesiæ vindicat, sed est navis maris, quia hujusmodi ecclesia non Dei est, sed seculi : quæ licet habere in se prædicationem Dominicæ crucis videatur, tamen invalida est arbor ejus, quia ubi non est veritas fidei, infirma crucis assertio est. Et ideo hujusmodi navis, hoc est, ecclesia hæreticorum, amisso veræ fidei gubernaculo, dominantibus adversis spiritibus, in naufragium mortis æternæ demergitur, quæ gubernari a Christo Domino non meretur. Hæc ille. Quis jam ita amens erit, ut relicto cœtu filiorum Dei et congregatione fidelium, quibus Christus ut caput præsidet, illi se impiorum conciliabulo adjungat, cui Lucifer dominabatur ? Quis in tantum stolidus ac improbus esse velit, ut aut propria iniquitate sua dignum se faciat, qui Ecclesiæ judicio et auctoritate extra Ecclesiam ejiciatur, aut suapte amentia et pervicacia inde se ipse præcipitet ? His enim duobus modis peccator ab Ecclesia expellitur.

Semper ergo, dilectissimi, Christi corpori inhæreamus, nec quidquam æque fore formidemus quam a Christi membris separari. Quod si hodie multi ita dementes sunt, ut levissima facilitate sese transferant ad hæreticos, agantque multa, quæ Ecclesia catholica damnat et horrenda anathematis plectit sententia, nos tamen eorum amentiam non imitemur. Maneamus intra ovile piissimi Pastoris et redemptoris nostri Domini Jesu, simus oves pascuæ ejus, repleamur in bonis domus illius, sectemur pacem, amemus concordiam, dissensiones summopere execremur. Semper nobis ob oculos versetur Psalmus ille brevis, sed gravissimo sententiarum pondere venerabilis, quo Propheta canit : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, descendens, etc.* Ecce, inquit, quam bonum et quam jucundum habitare fratres , nempe christianos omnes intra sanctam Ecclesiam catholicam, in unum, id est, in mutua charitate, et dulci animorum consensione, ut ne qua admittant scandala, nullas velint hæreses, dissidia quævis execrentur, sed unum teneant baptisma, eumdem colant Dominum, indissimilem fidem profiteantur, et pacem inviolabili servent studio, quidquid paci adversum est respuentes. Nimirum adeo suavis ac jucunda pax est, ut quidam sapientes affirment nihil in natura præstantius, nihil dulcius excogitatum. Vera namque pax est tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, charitatis nexus, reipublicæ solamen, domorum jucunditas, Angelis domestica, dæmonibus inimica, Deo super omnia grata, et omnium rerum concordia. Et ubi concordia est, ibi harmonia, ibi suavitas, ibi jucunditas. Ex pace pervenitur ad benedictionem, de benedictione ad vitam et regnum, ex vita vero ad unionem felicissimam cum Deo. Unde ultimo hujus Psalmi versu Propheta sic habet : Quoniam illic, ubi scilicet fraterna viget concordia mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in seculum. Deus enim pacis pace delectatur, et amat pacis studiosos, benedicitque illis, ministrando gratiam in præsenti, qua freti crescant et progrediantur in justitia et sanctitate, et vitam sine fine in futuro seculo. Illos autem qui transgredi non verentur terminos a patribus statutos, segregantque semetipsos, animales, Spiritum non habentes, innitentes prudentiæ suæ, dicentes se sapientes cum sint stulti et miseri, e diverso Deus justus et sanctus execratur ac maledicit usque in ævum sempiternum.

Pace vera uti nihil dulcius vel præstantius in vita haberi possit.

Pacis veræ fructus qui sint.

Jud. I, 19.

Rom. I, 22.

Hac de causa beatissimi Apostoli Petrus et Paulus, quorum hodie insignem triumphum Ecclesia celebrat gratulabunda et laudans, modis omnibus conati semper sunt ad pacem, ad concordiam, ad mutuam charitatem, ad veram unitatem fideles exhortari. Pro hac denique tuenda unitate etiam sanguinem suum fundere non dubitarunt. Quos nobis Dominus Jesus duces et patres atque pastores præposuit, quo-

rum et exempla et præcepta adhortationesque sectemur, et meritis ac precibus adjuvemur. De quorum meritis et virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, ut ait Leo Papa sanctissimus, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales : eosque, ut idem inquit, gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut in corpore, cui caput Christus est, quasi geminum illos constituerit lumen oculorum. Quos etsi Dominus graviter labi permisit, ut ex seipsis discerent humanæ fragilitati condolere, tamen lapsos rursus mirabiliter erexit, tantisque gratiæ et gloriæ cumulavit donis, ut pene nullis eis possit æquiparari.

Apostolorum Christi præcellentia quanta.

Divus Petrus prius ancillæ voce, ita perterritus, ut Dominum negaret, postmodum nullos neque reges, neque præsides, neque tyrannos metuit. Divus Paulus quanto atrocius ante erat Ecclesiam persecutus, tanto immaniores postea pro Deo et Ecclesia labores ac dolores libentissime sustinuit. De sancto Petro apud divum Clementem, libro septimo Recognitionum, ipsius Petri verbis fertur in hunc modum : Panis mihi solus cum olivis, et raro etiam cum oleribus in usu est. Indumentum autem hoc est mihi quod vides, tunica cum pallio : et hæc habens, aliud nihil requiro. Hoc mihi sufficit : quia mens mea non ad hæc præsentia, sed ad illa quæ æterna sunt, aspicit : et ideo nihil me rerum præsentium visibiliumque delectat. Paulus vero de seipso scribens : *Castigo,* inquit, *corpus meum et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Rursumque alibi scribens Thessalonicensibus : *Vos,* ait, *testes estis et Deus quam sancte, et juste, et sine querela vobis qui credidistis, adfuimus.* Itemque : *Memores estis fratres, laboris nostri et fatigationis. Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus vobis Evangelium Dei.* Ex quibus uti et aliis testimoniis pene innumeris, elucet horum venerabilium Patrum

Petrum Apostolum cur Christus se negare permiserit.

S. Clemens Papa.

S. Petri Apostoli frugalitas et paupertas quanta.

I. *Cor.* IX, 27.

I. *Thess.* II, 10.

Ib. 9.

Apostolorum vestigiis uti omnibus christianis inhærere conveniat.

erga corporis edomationem et rerum omnium contemptum fervor ac studium : quos etsi non æqualibus passibus, tamen pro modulo nostro imitari debemus. Si enim tam præcellentes viri, quos jam Sancti Spiritus gratia adeo confirmarat, ut in peccatum mortiferum labi non possent, usque adeo in seipsos rigidi fuere, qua fronte, quave conscientia nos audebimus molliter et delicate vivere, nostrisque indulgere affectibus, carni quidquid libet subministrare, de Dei misericordia securi pœnitentiam salutarem negligere, cum tamen miseri et fragiles simus, et aliis atque aliis subinde vitiis implicemur ? Angustam esse viam, quæ ducit ad cœlos non jam ex Christi tantum verbis, sed etiam Apostolorum ejus gestis discimus. In hac perseveremus, ab hac ne latum unguem recedamus.

Quod si adhuc pusilli sumus et debiles, parvusque in nobis inest fervor erga Deum, confugiamus ad beatos Apostolos, eorumque suffragia ambiamus, ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur. Neque timere debemus, ne parum nobis tantorum Patrum collatura sit intercessio apud Deum. Non possunt ullam apud Deum repulsam pati, qui jam unum cum Deo effecti sunt, usque adeo in divinitatis abyssum absorpti, adeoque Deo conjuncti, ut quod Deus est per naturam, ipsi sint per gratiam. Quanto autem erga nos majorem illorum experti sumus charitatem et sollicitudinem, tanto eos ferventiori amore et gratitudine prosequi debemus. Per hos enim reverendissimos Patres nobis Christus annuntiatus est, per hos gentium cæcitas profligata est, et lumen veritatis orbi invectum, potestas dæmonum et sæva tyrannis exclusa : denique optima et præclarissima nobis tradita vivendi præcepta. In quibus tanta extitit charitatis et misericordiæ abundantia, ut haud secus convertendis miseris obcæcatisque peccatoribus totos se impenderint, quam si omnes ipsi genuissent. De ipsis divus Ber-

nardus quadam concione pie admodum et eleganter ita ait : Tales decebat humano generi pastores et doctores constitui, qui
otentia lulcedo ›stolo- et dulces essent, et potentes, et nihilominus sapientes. Dulces, ut me blande et misericorditer susciperent : potentes, ut fortiter protegerent : sapientes, ut ad viam et per viam ducerent, quæ ducit ad civitatem. Quid Petro dulcius, qui tam dulciter omnes ad se convocat peccatores, sicut et Actus apostolici, et Epistolarum ejus series attestatur ? Quid illo potentius, cui et terra obedivit cum mortuos reddidit, et mare sub pedibus ejus se calcabile præbuit ? Qui Simonem Magum spiritu oris sui in aere attigit, qui claves regni cœlorum tam singulariter accepit, ut præcedat sententia Petri sententiam cœli ? Quid autem illo sapientius, cui non caro et sanguis revelavit ? Libentissime Paulum sequor, qui præ nimia dulcedine luget eos, qui peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam : qui fortior est omni principatu et potestate, sapientiam et medullam sacrorum sensuum non a primo vel secundo, sed a tertio cœlo largiter asportavit ?

Idem de eisdem alio sermone loquens : Apostolorum, inquit, Christi festus agitur dies, quibus sane plurimum a nobis honorem deberi scio : sed utrum possit aliquis
Psalm. XVIII, exhiberi, hæsito satis. *Nimis enim honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Quid enim ? Si in terra adhuc positi omnia poterant, non quidem in se sed in Christo, quid non poterunt hodie viventes in æterna felicitate
Maxim. cum ipso? Divus quoque Maximus Episcopus in horum Patrum laudem sic ait : Hi sunt Ecclesiarum columnæ Petrus et Paulus, quos et vita sanctissima venerabilem perduxit ad mortem, et gloriosus occasus fecit esse perpetuos. Quos non solum honoramus ut martyres, sed et ut magistros patresque martyrum veneramur, qui Ecclesiam Dei et cœlestis prædicationis doctrina, et pii sanguinis effusione fundarunt. Itemque : Beati Petrus et Paulus eminent inter universos Apostolos, et peculiari quadam prærogativa præcellunt. Verum inter ipsos quis cui præponatur incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, quia æquales sunt passione et simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrii gloriam pervenisse. Non enim sine causa factum putemus, quod una die, uno in loco, unius tyranni toleravere sententiam. Una die passi sunt, ut ad Christum pariter pervenirent : uno in loco ne alteri Roma deesset : sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Horum, ait idem *S. Maxim.* alibi, per universum mundum hodie passio veneranda celebratur, horum hodie concursu lætissimo excolit Roma martyrium, et quorum dudum impia persecuta est sanguinem eorum, nunc peculiari devota patrocinio gloriatur. Hæc ille antiquus et insignis pontifex. Itaque dilectissimi, tam sanctos, tam illustres, tam præcelsos Patres et patronos nostros ardentissime diligamus, studiosissime veneremur, quotidianis precibus ac piæ devotionis affectibus et officiis invocemus, et eorum institutiones ac exempla sectemur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus in secula, Amen.

SS. Petrus et Paulus cur uno die, unoque in loco ac sub uno tyranno passi sunt.

SERMO SECUNDUS IN EADEM SOLEMNITATE

UT CHRISTUM PETRUS AMARIT, ET VICISSIM CHRISTUS PETRUM. DE BENEFICIIS DEI NOBIS COLLATIS : DE LAUDE VITÆ MONASTICÆ : UT CHRISTIANI OMNES AGNI ESSE DEBEANT, ET DE VIRTUTE OBEDIENTIÆ.

DIXIT Jesus Simoni Petro : Simon Joannis, diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos, Joannis XXI, 15.

Tametsi, charissimi, non ignoraret Dominus præ cæteris se plus diligi a Petro, nihilominus percunctari ex eo voluit, ut et nobis id innotesceret. Plane multum dilexit beatus Petrus Dominum Salvatorem. Vultisne aliqua hujus rei signa discere ? Possunt ex pluribus obiter tria commemorari. Primum est, quod mox vocantem se Dominum Jesum relictis omnibus secutus est. Secundum, quod ex animo tempore passionis dixit ad Christum : Tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire. Ex illo bonæ voluntatis fervore etiam extracto gladio amputavit deinde auriculam servi Dominum invadentis. Tertium, quod tam vehementer doluit se pium magistrum negasse, ut quoad supervixit semper noctibus surgens, fleverit illud peccatum suum, quod tamen non malitia, sed animi infirmitate admiserat. Fertur etiam quoties dulcissimæ allocutionis Christi fuisset recordatus, non potuisse sibi a lacrymis temperare præ nimia amoris dulcedine, atque ob id perpetuo suo in sinu sudarium tulisse, quo lacrymas tergeret, ita crebro ex oculis ejus manantes, ut facies ejus quasi adusta videretur.

Amoris B. Petri ad Christum argumenta triplicia quæ.

S. Clemens Papa.

Sed quia Deus non potest non diligere diligentes ipsum, consequens est Petrum tam singulariter diligentem etiam vicissim a Christo haud vulgariter amatum esse. Quod quidem sex potest argumentis comprobari. Primum est quod Christus illum fecit Apostolorum caput. Alterum quod eum suum Vicarium et totius Ecclesiæ principem declaravit. Tertium, quod illi singulariter dedit claves regni cœlorum. Quartum, quod efficaciorem miraculorum gratiam illi præstitit, adeo ut ad umbram corporis ejus mortui excitarentur. Quintum quod prædicationi ejus magnam contulit virtutem, ita ut octo millia Judæorum paulo post missum Spiritum Sanctum converteret. Sextum quod passionem illius fecit gloriosam eo ipso, quod eum permisit ad suum exemplum crucifigi. Verum quid prodest, charissimi, si Petrum noverimus et ferventer amasse Dominum et eximie charum fuisse Domino, nisi et nos ardenter amare Christum studeamus, ut ab illo itidem multum amemur? Multa quidem sunt, quæ nos ad Christi amorem provocent, sed, ut ait divus Augustinus, nihil hoc æque efficit atque frequens et sedula beneficiorum Dei recordatio, ex quibus perspicue licet intelligi, quantopere nos et amarit et amet. Et quamvis infinita in nos sint Dei beneficia, tamen nobis pauca retulisse hoc loco sufficiet.

Amoris Christi ad S. Petrum argumenta sex quæ.

Beneficia Dei ut in nobis ejus amorem excitent.

Primum illius beneficium est, quod nos creavit ad imaginem et similitudinem suam. Si quæras cur id fecerit, non ob aliud sane quam pro nimia bonitate sua, qua cupiebat nos suæ beatitudinis participes efficere. Quales vero nos condidit ? Certe admodum nobiles et illustres, et qui creaturis cunctis dominaremur. O si perstitissemus in obedientia integra erga illum, quam felices modo essemus ! At eversi sumus hortatu diaboli, et proprio

Quare qualesque nos Deus creaverit.

consensu. Jam penitus actum erat de salute nostra. Non erat spes ulla redeundi ad pristinum statum. Itaque Deus misertus nostri, quasi in seipsum crudelis fuit, ut nobis parceret. Videbat ex nobisipsis nullum nobis restare auxilium vel consilium. Itaque Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, ut ille omnis peccati expers immeritas daret pœnas pro peccatis nostris. O Patris inæstimabilem charitatem! o Filii incomparabilem obedientiam! Agnosce, o homo, quanti te fecerit Deus tuus, et vel jam nunc ingratus esse desine. Ut tu vivas vita æterna, mortis debitum pro te solvere non dedignatur. Dixit ipse Dominus in Evangelio : *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis,* et tamen ipse majori charitate mortuus est etiam pro inimicis. Tertium beneficium est, quod vocavit nos ad fidem et cognitionem nominis sui. Parvumne hoc vobis, dilectissimi, beneficium videtur? Non est parvum, sed immensum. Potest id vel inde intelligi quod tam innumeros reliquit in densissima mentis cæcitate, ut creaturæ potius serviant quam Creatori, et dicant deos opera manuum suarum : quorum omnium certa damnatio est.

Rom. VIII, 3.

Joann. XV, 13.

Vocatio ad fidei Deique cognitionem quantum sit beneficium.

Est et aliud ejus eximium beneficium, quo nonnullos vocat ad aliquod institutum monasticum amplectendum. Paucis hoc contingit, præsertim his turbulentis temporibus, sed quanto paucioribus præstatur, tanto magis colligi potest esse haud vulgare Dei beneficium. Ut enim Aristoteles in Ethicis ait, omnia præclara rara, laudabilia et pulchra. Meministis ut olim ex Ægypto eduxerit Deus filios Israel, et quoties in veteri lege præceperit, ut essent memores tanti beneficii. Idem facit Deus, quando hodie certos quosdam electos suos ex hoc seculo nequam vocat ad vitam monasticam quæ sanctorum virorum testimonio velut quædam paradisus terrestris est : esto quod quidam illic non bene vivant ; quod nihil illi vitæ derogat, quando etiam nemo propterea damnat matrimonium, quod multi sint adulteri. Potest adhuc aliud huc afferri non parvipendendum Dei beneficium, quod nobis tam benigne pepercit multo tempore in peccatis nostris. O quam innumeri jam cruciantur apud inferos, qui forte nonnisi unum perpetrarunt peccatum mortiferum! et nos post plurima peccata adhuc pœnitendi spatium habemus. Si vel semel peccassemus, jure nos creaturæ omnes persequi deberent. Cum enim cætera omnia, quæ Deus condidit, quamvis rationis expertia, tamen servent ordinem et modum suum, homo rationalis contemnit æternas leges Dei sui, nullis neque promissis neque minis illius flexus. O magnam et intolerandam hominis ingratitudinem! Et quia hodie plerique derident eos qui monasticen amplectuntur, libet pauca in illius laudem hic commemorare.

Vocari ad monasticum institutum quam sit beneficium magnificum.

Parcere peccatis quam sit Dei maximum beneficium.

Certe, charissimi, non est vita monastica contemnenda. Si omnem Scripturam Sacram diligenter perspexeritis, invenietis eos qui hodie monachi vocantur, multa exempla, multasque Scripturæ sententias pro ipsis facientes habere. Imo vero non contemnendæ auctoritatis Patres libere asseverant professionem monasticam baptismi virtutem habere, ita ut hominem prorsus liberet a culpa et pœna, si tamen rite fiat. Si enim, ut Dominus ait, eleemosynam danti omnia munda sunt : et ut Theologi dicunt, posset quis tantas præstare eleemosynas, ut peccatis omnibus et pœnis absolveretur, cur non id multo magis assequatur is, qui sese et omnia sua dedit et offert Deo? Itemque, si is qui martyrii causa pro Christo et justitia mortem excipit, totus fit liber ab omni culpa et pœna, cur non etiam id obtineat monachus, qui ob Christum mortem amplectitur spiritalem et longos ac acerbos multos fert dolores seipsum et propriam mortificando voluntatem? Unde etiam nulla solet alicui pœnitentiæ mulcta gravior irrogari, quam ut sese in cœnobium aliquod recipiat. Possunt autem, quibus Deus eam donavit gratiam ut monasticen amplecterentur,

Monastica vita quanta sit laude commendanda.

Luc. XI, 41.

merito de tanto beneficio gratulari, cum ob multas alias causas, tum etiam quod, ut sancti Patres argumentis certis probant, quoties se gaudent cœnobium petiisse, et Deo servituros obtulisse, integram consequuntur veniam peccatorum, si se peccasse doleant. Non ergo deridendi sunt sed laudandi, qui contemptis mundi vanitatibus, totos se conferunt ad serviendum Deo. Atque his interim nonnihil extra ordinem dictis, ad Apostolum Petrum revertamur,

Audivistis jam ante quantum is Christum dilexerit, et quantum illum Christus amarit. Superest ut et hic audiatis, uti Christus illi oves suas pascendas commiserit. Ut enim ex sermonis hujus themate advertere potuistis, Christus illum oves suas pascere jussit. Non enim voluit pius Dominus ex hoc mundo abiturus gregem suum penitus desolatum relinquere, sed sui loco alium ei præfecit rectorem et pastorem, nempe sanctum Petrum Apostolum, dicens illi : Pasce agnos meos. Quod licet soli dictum sit Petro, tanquam universæ Ecclesiæ præcipuo pastori, cujus etiam potestate funguntur, quotquot illi legitime succedunt Romani Pontifices, tamen etiam cuilibet prælato cura incumbit gregem sibi creditum pascendi. Cum enim non possit unus Romanus Antistes omnibus satisfacere, curæ suæ partem multis aliis communicavit, quibus singulis dicit Christus : Pasce agnos meos, id est, habeto curam populi mei tibi commissi. Quod autem Dominus dicit : Pasce agnos meos, hoc utique vult intelligi, ut christiani omnes, qui tamen ad ipsius ovile velint pertinere, sint agni, id est, simplices, mansueti, innocentes, instar agnorum tractabiles, sine clamore et murmuratione, sine invidia et mordacitate (non enim mordent agni pastoris manum), sine calcitratione, sine elatione et protervia.

Pontifex Romanus cur munia derivet in alios.

Atque utinam nos, charissimi, tales agni simus. Siquidem ejusmodi Christus nos esse voluit, quando ait prælatis nostris : Pasce agnos meos. Non dixit : Pasce vitulos meos, pasce lupos meos, pasce porcos meos. Non enim id genus hominum, qui horum animantium habent mores, Christus suis vicariis pascendos commisit, ut tales permaneant, sed ut oves fiant. Itaque etsi tales quandoque feruntur, ideo fit, ut positis malis moribus, in numerum agnorum transeant, id est, ex malis boni fiant. Quod si nolint, arcendi sunt et excludendi ab agnorum consortio, ne illos perdant. Per vitulos, qui insolentes sunt, nec frenum patiuntur, nec ligari se sustinent, sed cursitant, et saltant, et clamitant, possunt accipi homines immorigeri, dissoluti, inquieti, qui frenum obedientiæ ferre nolunt, nec suis obtemperare prælatis, sed rupto sanctæ obedientiæ chamo, quo duci debuissent ad æternæ pascua felicitatis, instar vitulorum currunt præcipites quocumque illos propria ducit voluntas : nec nisi vi quadam et pœnarum formidine ad prælati voluntatem flecti possunt. Qui si tales perseverent, tandem boves et tauri, ubi cornua creverint, efficiuntur, omnibus intolerabiles et intractabiles. Per lupos intelligamus homines iracundos, vindictæ cupidos, detractionis libidini deditos, discordiæ semina spargere paratos, rebelles, et velut canes latrantes. Lupi enim sunt canes sylvestres. Tales pascere molestissimum est. Et quamvis uni ejusmodi sæpe major cura quam centum aliis impendatur, tamen plerumque labor est supervacaneus, quia licet foris quandoque ovinam sumant pellem, tamen intus lupi ingenium permanet, atque eo ipso multo sunt perniciosiores, quam si manifesto sese proderent. Istos omnino expedit a grege Dominico removeri. Porci denique illos significant, qui ad bona opera, et ad quæ obligati sunt, quæque ad Dei spectant honorem, pigri ac desides sunt, et somnum ac carnis delicias amant, fœdisque cogitationibus et factis ut porci sese inquinant.

Vituli quinam mystice censendi sint.

Boves et tauri quinam mystice dicantur.

Lupis quinam similes sint homines.

Porcis quinam homines signentur.

Sed his prætermissis (non enim volumus horum studia imitari), ad oves redeamus. In veteri lege agni præcipue erant

hostiæ quæ Domino offerebantur. Et nos, charissimi, qui diabolo et pompis ejus abrenuntiavimus in baptismo, debemus modis omnibus esse agni, ut simus gratum Deo sacrificium. Habent agni, quamvis irrationales pecudes, proprietates quasdam suas quas etiam hominem imitari deceat. Agnus animal est mansuetum, humile, patientissimum, et iræ prorsus expers. Id sane maxime nos imitari convenit, quando et Apostolus dicit : *Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Quod si qui nos affligant, non moveamur, quandoquidem tales nobis præbent proficiendi materiam, multo magis quam qui palpant aut laudant nos. Ira quatuor habet gradus : Primus est in corde : alter in facie : tertius in lingua : quartus in facto. Ad hoc vitium reprimendum multum valet, ut dum quis eo se accensum sentit, linguam frenet penitus, donec cesset ignis pestilens. Si enim nullum habeat ignis spiramen, facile sua sponte exstinguitur. Attamen notandum hic est, iram, quatenus est passio naturalis, et motus quidam rationem prævenIens, non esse peccatum, si ratione cohibeatur, ne voluntate, aut locutione, vel facto ad peccatum erumpat. Et ejusmodi motus primus vitari vix potest, præsertim a cholericis, qui sunt ad iram faciles.

Agnorum proprietates bonæ quæ sint.

II *Tim.* II, 24.

Iræ gradus quatuor qui.

Ira quando sit peccatum.

Deinde agnus matrem suam etiam inter mille oves nullo negotio agnoscit. Sic et christiani debent agnoscere superiores suos, qui quatenus eos reprehendunt, docent, regunt, pascunt, sunt patres eorum : quatenus eos consolantur, eis blandiuntur, et pietate quadam eos trahunt et injurias remittunt, matres sunt. Itaque debemus prælatis nostris, tanquam spiritalibus parentibus honorem et reverentiam exhibere, qualescumque etiam sint, adeo ut etiam sublimiter et bene de illis sentiamus ; si non ob vitæ meritum, si forte manifeste mali sint, tamen propter officium, quando et Christus illis dicit : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Atque sine his duobus, puta dilectione et reverentia erga prælatum, non potest esse vera et sincera obedientia, ex qua tamen præcipue pendet tota salus nostra : ipsaque obedientia inter virtutes morales præcipuum tenet locum, et quidquid fit ex obedientia, duplex habet meritum : unum ex ipsa actione, alterum ex virtute obedientiæ. Fit sæpius, ut minus bonum si fiat ex obedientia, longe sit acceptius Deo, majori bono ex propria voluntate peracto. Unde haud mediocris præstatur consolatio illis, qui monasticum sunt professi institutum, quando quidquid agunt nisi sit ex se malum, etiamsi alioqui indifferens sit, si propter obedientiam faciant, meritum inde acquirant, puta, si comedant, bibant, dormiant, etc. Sed et christiani omnes quidquid faciunt boni, aut omittunt mali, eo semper referre debent, ut divinæ obediant voluntati.

Agnus ut matrem suam agnoscat.

Prælati quando honorandi sint.

Luc. x, 16

Obedientia ut meritum habeat duplex.

Monachus ut semper mereri possit.

Est autem duplex obedientia. Una necessitatis, qua quis vel naturæ vel consuetudinis lege obtemperare habet, ut servus domino, filius patri : et hæc habet quidem meritum suum, si recte et ordine fiat. Altera est voluntaria, qua quis ultro sive ipsi Deo sive prælato propter Deum morem gerit. Hæc magni est meriti apud Deum, et de illa dicitur : Melior est obedientia quam victimæ. Porro obedientiæ meritum in prosperis sæpe minuitur ex propriæ voluntatis desiderio : ut si cui aliquod officium publicum, quod illi honori possit esse vel quæstui, imponatur, tanto minus inde habet meriti, quanto magis ipse eo aspirat ex propria voluntate, quæ in talibus minima esse debet. In adversis autem quanto plus accedit propriæ voluntatis assensus, tanto est magis meritoria obedientia : ut si cui injungatur jejunium, et ille ex devotione valde cupiat jejunare. Ad obedientiam, sine qua nullus poterit salvus fieri, provocare nos potest et debet, quod omnipotens Deus sæpenumero horribili vindicta castigavit inobedientes. Probat id Luciferi et complicium ejus æterna damnatio, Adæ et Evæ ex

Obedientia duplex quæ.

I *Reg.* xv, 22.

Meritum obedientiæ quomodo vel minuatur vel crescat.

Inobedientiam ut Deus semper puniverit.

paradiso expulsio et totius humani generis calamitas inde secuta ; uxoris Loth in statuam conversio ; Saulis a regni sede deturbatio; prophetæ illius, qui contra præceptum Domini comedit panem in Bethel, a leone præfocatio, multaque alia Scripturæ exempla, ut cætera omittam, quæ a sanctis Patribus passim commemorantur. Maxime vero commovere debet quemlibet christianum quod ipse Filius Dei non solum Deo Patri, sed et Virgini Matri, et patri putatitio, multisque aliis libentissime obedivit. Cujus exemplo permoti multi sancti homines, noluerunt propriæ voluntatis gaudere libertate, sed alterius arbitrio se regendos commiserunt. Denique sancti Patres nostri et Apostoli Petrus et Paulus, quibus hic dies sacer est, sanguinem suum fundere, et innumera perpeti adversa maluerunt, quam a Dei obedientia discedere. Itaque et nos, dilectissimi, castigemus corda nostra in obedientia charitatis, ut simus veri agni et oves Christi, et ab illo agnosci mereamur. Ambulemus semper sub obedientia cum amore et reverentia erga prælatos nostros, cum mansuetudine et patientia erga proximos et æquales, cum bono exemplo erga mortales omnes, ut in extremo die cum ovibus collocemur a dextris Filii Dei, cui est cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in secula seculorum, Amen.

IN SOLEMNITATE

VISITATIONIS B. V. MARIÆ

Epistolam cum sua Paraphrasi quære in Festo Conceptionis ejusdem Beatæ Virginis Mariæ.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, LUCÆ I.

FREQUENTER Ecclesia catholica memoriam celebrat Matris Dei, honorante Filio Dei Matrem suam. Nec tamen quantumcumque illi impendat piæ venerationis, digne se eam laudare, aut pro meritis extollere posse putat Ecclesia. Quis enim dignis vehere laudibus possit matrem omnipotentis Dei ? Sed satisfacit devotioni suæ, colens eam per quam se suscepisse novit Redemptorem atque Servatorem suum. Atque hoc ipsum piis omnibus non solum non molestum, sed suave et jucundum est, identidem scilicet honorare Virginem tam beatam, quamvis impios hæreticos id torqueat, putantes derogari Filio, quod Matri impenditur. Sed nos, dilectissimi, quantum possumus in Matris Dei laudibus perseveremus, certi id gratissimum esse Deo, qui in tantum hanc sacratissimam dilexit Virginem, ut nulla omnino creatura illi ulla ratione possit comparari. Cujus rei certissima documenta sunt, quod Deus Pater æternus unigenitum Filium suum verum quoque hujus Virginis Filium esse voluit, quod eam in singularem elegit sponsam suam, atque adeo præ creaturis omnibus eam honoravit, ut cuncti etiam triumphantis Ecclesiæ cives eam jure fateantur dominam, reginam, ac imperatricem suam, utpote Dei ac Creatoris sui Matrem ; quod etiam Filius Dei non modo per gratiarum charismata, per illuminationem, dilectionem atque familiaritatem externam, sed etiam per naturalem quamdam, ut sic dicam, identitatem se illi conjunxit, de illius substantia sibi corpus assumens ; quod denique Spiritus Sanctus mentem ejusdem sacratissimæ Virginis tam perfecte sibi conformavit, ut nunquam aliquid voluerit, appetierit, egerit aut omiserit, quod Deo displiceret : sed in omnibus ita se gesserit, ut voluit Spiritus Sanctus. Quæ tanta sunt incomparabilis erga ipsam amoris totius adorandæ Trinitatis argumenta, ut ambigi nullo modo possit, quin illi fuerit semper longe charissima, atque ea re velit eam quoque nobis esse charissimam, et modis omnibus pie coli et honorari a nobis. Non ergo timeamus, ne sit in injuriam Dei, si Matrem illius veneremur, certi hanc esse illius voluntatem. At nunc ad Evangelium veniamus, quo describitur causa solemnitatis hodiernæ, nempe Visitatio Matris Virginis, quando perrexit ad sanctam Elisabeth salutandam. Ait ergo sanctus Lucas Evangelista :

Beata Virgo Maria cur ab omnibus honorari debeat.

> Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Judæ : et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.

Hic primo dubitare non debemus, quin non aliqua levitate, sed instinctu et motu Spiritus Sancti Virgo beatissima perrexe-

rit in montana. Alioqui et ætatis teneritudo, et virginitatis pudor, asperitas et prolixitas itineris, atque id genus alia facile eam domi retinuissent. Sed morem gerebat divinæ inspirationi, nec quidquam sibi attendendum putavit, tantum ut Deo satisfaceret. Ubi habemus exemplum promptissimæ obedientiæ, quod libenter et studiose imitari debemus. Virgo ætate tenera, et quæ laborem ferre vix possit, tam longa, difficilis et molestæ viæ emetitur spatia, ut integram præstet obedientiam Creatori. Nihil omnino affert excusationis, nullas nectit moras, nihil reluctatur, sed simul ut intellexit quid placeret Deo, mox iter ingressa est. Et nos ergo divinis discamus parere mandatis, idque alacriter, libenter et integro cordis affectu. Id nos docet suo exemplo Mater Dei. Surrexit et abiit in montana cum festinatione. Nescit, ait Ambrosius, tarda molimina Sancti Spiritus gratia. Surrexit a quietissimo otio contemplationis et dulcissima orationis quiete, et abiit in montana, ut activæ quoque vitæ specimen præberet. Erat in utroque, id est, et contemplatione et actione perfecta, ita ut nec actionem fugeret contemplatio, nec contemplationem actio præpediret : quæ est omnino perfectissima vita, quam pauci assequuntur, ut ubi res exigit, vel actioni vel contemplationi perinde possis insistere. Et quamvis huic electissimæ Virgini nullum potuerit ex itineris occasione evenire periculum vel detrimentum (erat enim tota jam mirabiliter a Deo confirmata), nihilominus cum festinatione abiit in montana : hoc ipso videlicet utilissimum omnibus, maxime virginibus et feminis, præbens exemplum, ut fugiant publicum, et si quid foris agendum sit, cum magna festinatione id exequantur. Alioqui plane se suspectas reddunt, quod castæ non sint, aut castitatem suam periculosis tentationibus exponunt. Mater Dei tenera adhuc juvencula etiam altos et asperos montes seria quadam celeritate transgreditur. O pudicissimam Virginem ! O puritatis et innocentiæ speculum ! O gressus sacros, o vestigia veneranda, quæ primo Emmanuelem sustinuere, in quibus vere nata omnium virtutum aromata, hyssopus humilitatis, lilium puritatis, palma victoriæ, oliva clementiæ !

Obedientiæ exemplar quam magnificum hic omnibus præstat Virgo Maria.

Maria Virgo uti simul et activæ et contemplativæ vitæ de se præbuerit exemplar.

Virgines quanto studio publicum fugere debeant.

Abiit autem Maria in civitatem Judæ, et intravit in domum Zachariæ. Peregrini quidam, qui terram sanctam visitarunt, aiunt oppidulum hoc, quod coluit Zacharias, medium inter Jerusalem et Bethleem esse situm, et domum Zachariæ in templum atque in xenodochium esse conversam. Et salutavit Elisabeth, congratulans illius tam diu sterilis fecunditati. O vere beatam illam domum Zachariæ, ubi Mater Domini salutat matrem præcursoris, ubi futuræ salutis gaudia inchoantur, et salus olim per feminam perdita, per feminas incipit instaurari ! Et in hoc ipso relucet humilitas Mariæ, quod cum esset potior dignitate, tamen prior inferiorem salutavit. Non enim de donis Dei quidquam sibi arrogavit, sed in tutissimo ac solidissimo humilitatis portu perstitit.

Quidam hic sex quædam annotarunt nobis in Matre Domini imitanda. Primo enim dicitur surrexisse. Et nos itidem surgamus a torpore acediæ, desideria terrena dispellamus, quæ nos semper in imis retinet, ne mentem ad superna transferre queamus. Secundo, abiit in montana. Nos quoque ad perfectiora et sublimiora tendamus, contemptisque his infimis, cœlestia et superna appetamus et inquiramus. Tertio, festinavit. Festinemus etiam nos vitam in melius commutare, nec differamus de die in diem, ne præter opinionem extra tempus gratiæ auferamur. Quarto, venit in civitatem Judæ. Juda confessionem significat. Ergo et nos in civitatem divinæ confessionis et laudis ingrediamur : confiteamur illi mala nostra, laudemus bonitatem illius. Quinto, intravit in domum Zachariæ. Zachariam quidam interpretantur memoriam Domini. Itaque exclusis a corde cogitationibus vanis et noxiis, memores simus mandatorum Dei. Quod quantopere deceat christianos omnes, vel inde potest

Quænam sex hic nobis Matre Domini reliquerit imitanda.

Juda quid interpretetur.

Zacharia quid significet.

esse perspicuum, quod Dominus antiquo illi duræ cervicis populo Judæorum ejusmodi præceptum dedit, dicens Moysi: *Loquere filiis Israel, et dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, ne sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes: sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.* Ecce sententiam memorabilem, sed hodie apud christianos plane explosam. Dicas hæc Domini verba cuipiam e populo, respondebit: Num me monachum vis efficere? Hæreticus dicet: Nonne Christus pro nobis satisfecit? Mihi quid opus est tam stricta vivendi ratione? O stulti! tandem sapite et videte, quia non absque studio et conatu nostro pervenitur ad regna cœlorum. Sexto, salutavit Maria Elisabeth. Elisabeth quidam significare aiunt saturitatem Dei mei. Ergo etiam nos posthabitis creaturarum oblectamentis, quæ desiderium mentis irritare possunt, satiare non possunt, illi uni perpetim inhiemus, cui Propheta dicit: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Num. xv, 38, 40.

Elisabeth quid interpretetur.

Ps. xvi, 15.

Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus.

Mira res, ut infans, qui necdum se ipsum sciret, salutationem Mariæ et Creatoris sui adventum sentiret. Plenum est hoc miraculi. Sed quia jam Verbum æternum carnem sumpserat intra sacratissimæ Virginis viscera, Virgo ipsa Verbi voce loquebatur. Quid ergo mirum, si tantæ illa vox efficaciæ fuit? Sed et ipsius reverendæ Virginis excellentissima sanctitas facile beatissimum parvulum tam novo et inusitato gaudio afficere potuit. Exultat Joannes in matris utero, et quod longe post voce dicturus est, et digito demonstraturus, jam miro quodam motu clamat intra matris viscera: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Atque hoc ipso jam tum Domini propheta initiatus est, annuntians modo quo poterat adventum Salvatoris. Divus Joannes Chrysostomus tantam stupens gratiam, ita ait: Dic, infans, dic, prophetarum omnium maxime, qui digne satis plus quam propheta vocaberis, unde tibi hæc exultatio? Nondum natus es, et jam prophetas. Domini adventum agnoscis, quem quia voce salutare non potes, exultando agis quod potes. Quam lætus ei occurreres, si jam natus eum videres, cujus agnito adventu, exultando obviam ire conaris. Hæc ille. Ergo mox ad Beatæ Mariæ salutationem repletus est Joannes Spiritu Sancto, et supra naturæ facultatem accepit usum rationis, ut et Deum, et Matrem Dei agnosceret. Jucundissimam habent ista contemplationem, si cogitemus maternis Deum gestari visceribus, Virginem concepisse ex Deo non ab homine, salvo integritatis pudore, Matrem Dei salutare matrem præcursoris, sub uno eodemque tecto Verbum incarnatum, Matrem Dei et Virginem, summum prophetam, et sterilem prole fecundam manere, nostræque salutis initia celebrare.

Joann. i, 29.

Chrysost.

Infantem Joannem Baptistam ad salutationem B. Mariæ repletum Spiritu Sancto.

Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Ubi filius repletus est Spiritu Sancto, mox replevit et matrem. Tanta gratia effusa est in Joannem, ut copiosissime redundaret in matrem, efficeretque, ut quod Joannes non poterat, ipsa voce promeret erumpens in laudes Dei et Virginis Mariæ. Ergo simul atque repleta est Spiritu Sancto exclamavit voce magna. Grandi enim intus accensa fervore Spiritus Sancti, non se continere poterat, quin flammam sui pectoris vocibus ignitis declararet: et quod ex Sancti Spiritus illustratione ipsa perspiciebat, etiam aliis indicaret, nempe Dominicæ incarnationis mysterium in utero Virginis. Ita semper Spiritus Sanctus quoscumque implet et possidet, Dei laudes celebrare compellit, nec patitur suæ majestatis domicilium ingratitudinis detestandæ marcere ignavia, sed movet ad

Spiritus Sanctus quænam agat in eis quos replet ac possidet.

laudandum Deum, et ejus gratiam ac beneficia prædicanda. Timeant ergo carnales, pigri, tepidi homines huic mundo dediti, quos juvat totos dies inanissimis vacare confabulationibus, tædet autem vel horulam divinis interesse laudibus : qui si Sancto Spiritu habitatore et rectore gauderent, non possent utique unquam a Dei laude cessare. Clamavit autem Elisabeth voce magna non tam oris quam cordis, ut vocem illam non soni magnitudine, sed amoris vehementia metiamur : quanquam potest etiam juxta litteram vox magna de soni contentione accipi. Cum enim fortiter arderet intus, nihil mirum, si cum ingenti sono foras prorupit. Sed plus valet apud Deum cordis quam oris clamor, sicut Augustinus etiam confirmat, ita dicens : Clamor ad Dominum est intentio cordis, et flagrantia dilectionis.

Vox Elisabeth qualis fuerit.

August.

Sed quid tandem clamavit Elisabeth ? Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. O vere dulcissimum clamorem, qui ex abundantia cordis productus est ! Benedicta tu, inquit, inter mulieres, id est, præ cunctis feminis summe benedicta : quia quod nulli unquam contigit, tibi præstitum est, ut sis Mater Dei. In hæc verba Beda venerabilis sic scribit : Eadem voce Beata Maria ab Elisabeth qua a Gabriele benedicitur, quatenus et Angelis et hominibus veneranda monstretur. O vere benedicta Mater Dei, quæ angelicis tremendum potestatibus læta virginali gestavit utero, et quem totius mundi immensa capacitas complecti non potuit, suis visceribus clausum tulit ! Quidni benedicta, quæ totius gratiæ et benedictionis fontem intra se gerebat ? Et benedictus fructus ventris tui. Benedicta Mater, benedictus et Filius, sed longe dissimiliter. Mariæ benedictio modum et finem habuit : sed Filii benedictio prorsus immensa erat. Non enim illi ad mensuram data est benedictio. Imo vero ipse, ut jam dixi, totius benedictionis fons est, ex quo etiam ipsa Matris benedictio derivata est. Quid autem mirum, si benedictus sit fructus ventris intemerati, et benedicta sit Mater illius, quando de se suique similibus Apostolus confidenter ait : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, etc.* Non est autem temere factum, ut hanc clausulam, nempe benedictus fructus ventris tui, sancta Elisabeth adderet ad angelicam salutationem. Id namque illi reservarat Spiritus Sanctus, ut quod Angelus inchoarat, ipsa absolveret, ut jam nihil dubitemus verbis non tam Angeli vel hominis quam ipsius Spiritus Sancti honorare Matrem Dei, dicendo : Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus Christus. Amen. Quæ est oratio dulcissima, gratissima Angelis, dæmonibus terribilis, Virgini Matri acceptissima, toti Trinitati honorifica, denique miseris mortalibus mire conducibilis et fructuosa.

Beda.

Maria Virgo quomodo dicatur benedicta inter mulieres.

Fructus ventris B. Mariæ quomodo fuerit benedictus.

Eph. I, 3

Salutationis angelicæ ad B. Virginem quanta sit efficacia.

> Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me ? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.

Ecce quam reverenter Elisabeth, imo Spiritus Sanctus per Elisabeth compellat et excipit Virginem Mariam. Unde, ait, hoc mihi ? Equidem me plane indignam agnosco, ut veniat Mater Domini mei ad me. Vere apertos habuit oculos venerabilis Elisabeth, et Matris Dei perspexit excellentissimam dignitatem. Ideoque territa, summa cum reverentia et honoris exhibitione eam excipit. Quod etiam nos observare debemus, ut erga tantam Virginem non oscitanter, dissolute, negligenter, impudenter nos geramus, sed studiose, attente, reverenter et alacriter illam honoremus. Alioqui Filius ejus contemptum et irreverentiam Matri suæ illatam indigne feret et graviter ulciscetur. Neque quidquam habet ambigui, quin tota cœlestis curia summo venerationis studio eam prosequatur. Quanto ergo magis nos miseros, virtutis inopes, vitiisque multis implicitos,

Matrem suam uti Christus a nobis honorari velit.

pro illius incomprehensibili dignitate, nostraque multimoda indignationeet vilitate, pio cum timore et submissis animis studiosissime eam venerari decet? Divus Hieronymus in concione de ejusdem Virginis assumptione : Talem, inquit, ac tantam Virginem laudare indignum me fateor et vereor, ne sicut indignus, ita et improbus laudator inveniar : hinc laudes ejus depromere pertimesco. Divus quoque Bernardus : Nihil est, ait, quod tantum me terret, nec aliquid quod tantum me delectat, sicut de beatissima Virgine sermonem habere. Terret me indignitas propria, sed me delectat laus Virginis sanctæ. Hæc dicta sint propter impudentes quosdam, qui tantam Virginem volunt in ordinem cogere, et prope omni honore spoliare, qui cum sint pleni spiritu tartarico, non possunt sibi nec a Matris Dei injuriis temperare. Cæterum in his verbis S. Elisabeth plane animadvertimus spiritu prophetico Dei Filium in Virginis utero incarnatum eam cognovisse. Quæ autem subjecit : Ecce, inquiens, ut facta est vox salutationis tuæ, etc., jam superius exposita sunt. Deinde addit :

Hieron.

Bernard.

Matrem Dei quinam venerari detrectent.

Et beata quæ credidisti : quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.

Poterat sane animum Virginis, præsertim tam modestæ, tam humilis, tam nihil penitus sibi tribuentis, quædam pulsare dubitatio, qua ratione fieret, ut Dei Filium generaret. Non enim parva erant aut usitata quæ illi ab Angelo dicebantur, sed sacratissimi plena mysterii, atque omnem humanæ mentis captum plane excedentia. Quid enim est humilem puellam eligi in Matrem summi Dei? Sed Virgo divinissima supernæ lucis fulgoribus mirifice illustrata, et mysterium agnovit, et de Dei virtute nihil hæsitavit : sicque toto corde assensit verbis Angeli, et humilitate non abjecta, sed devota fide, piaque fiducia suscepta, obtulit se ad omnem voluntatem Dei. Unde jam beata prædicatur a sancta Elisabeth, quod tam miris et occultis, atque ab humana consuetudine, imo et intelligentia usque adeo remotis fidem adhibuit, diciturque illi haud dubio eventura esse, quæ dicta erant a Domino, scilicet, ut Filium Dei quem concepit, etiam pariat opportuno tempore. Vere beata et plus quam beata Virgo, quæ suum et omnium Creatorem meruit habere Filium, et illi e suo purissimo sanguine corporis ministrare substantiam, a quo ipsa corpus animumque acceperat.

Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum.

Hucusque silentio presserat Virgo modestissima, quæ divinitus illi præstita erant : at nunc posteaquam vidit per Spiritum Sanctum aliis revelata, non potest ultra se cohibere, quin prorumpat in laudes Dei. Humilitas sane tegere maluisset tanta beneficia, sed gratitudo et amor compulit laudare Deum, et ejus gratiam ac misericordiam prædicare. Ait ergo : Magnificat anima mea Dominum, id est, anima mea, quamvis non sit nescia maximis se a Deo affectam beneficiis, atque tanto sublimatam honore, ut major sub Deo non possit intelligi, tamen nihil horum sibi tribuit, non sibi inaniter placet, non se extollit, non stulte ac impudenter gloriatur, sed magnis et congruis laudibus Deum effert et prædicat. Ille est enim totius boni auctor. Ex illo est, quidquid tu in me miraris et laudas, o Elisabeth. Nolo imitari superbum dæmonem, qui ineffabili se cernens pulchritudine præditum, ad seipsum cum inani sui complacentia sese reflectens, non dedit honorem Deo : sed quidquid mihi laudis abs te tribuitur, id ego potius refero in Deum meum qui sicut voluit et potuit, ita me humilem ancillam suam elegit in Matrem suam, ut merito illum totis animæ viribus laudare debeam, quod usque adeo sese mihi inclinare dignatus est, quod per me venire instituit in hunc mundum ad liberandos filios Adæ ex captivitate diaboli,

Anima B. Mariæ quomodo magnificaverit Dominum.

reducendosque in paradisum cœlestem.

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

O vere Virginem omnium virtutum formam, totius sanctitatis specimen, omnimodæ perfectionis exemplar ! Non acquiescit in ullis Dei donis, quod faciunt stulti, qui se extollunt et gloriantur in beneficiis Dei, sed exultat in ipso Deo. Gratias quidem agit Deo de beneficiis illius, sed non ibi hæret, non in illis cum delectatione quiescit, sed per illa tendit in Deum. Divus Augustinus quodam sermone ait : Exultat in Domino, qui terrena non curat, quem prosperitas non emollit, quem adversitas temporalis non frangit, quem sola Dei memoria delectat. Exultavit, inquit Maria, spiritus meus in Deo salutari meo : non in impietate, unde gaudet diabolus, non in vanitate, unde lætatur mundus, non in voluptate, unde caro exultat, non in generis nobilitate, non in corporis pulchritudine, non in mundi prosperitate, sed in Deo salutari meo. Vocat autem beata Virgo Deum salutare vel Salvatorem suum, non quidem generali sed speciali ratione, quandoquidem ipsam solam a peccato originis salvavit per gratiam præservationis, qui est modus dignissimus redimendi. Præclarius est enim servare immunem a vulnere, quam ab inflicto curare. Unde in officio Conceptionis ejusdem Virginis sanctissimæ canit sancta Ecclesia :

August.

Exultare in Deo quid sit.

Exultaverit uti spiritus Mariæ in Deo salutari suo.

Præser vari a pe cato qua tum sit d num Dei

Nullum redemit Filius
Ex omni gente dignius,
Qui te servavit provide,
Mundum paterno scelere.

Et insignis quidam Theologus loquens beatæ Virgini : Te, inquit, crimine solam immunem natus contulit esse tuus. Et nos, dilectissimi, non in ullis divitiis, non deliciis, non honoribus, sed in Deo semper exultemus. Non est solidum, verum, stabile gaudium nisi in Deo. Gaudeant filii hujus seculi in rebus nihili, nos gaudeamus in Deo, qui nobis æterna promisit et servat gaudia in cœlis, Amen.

SERMO PRIMUS IN EADEM SOLEMNITATE

UT CUNCTIS MULIERIBUS ILLUSTRIBUS ET IN SCRIPTURA LAUDATIS BEATISSIMA VIRGO MARIA SIT PRÆSTANTIOR.

BENEDICTA *tu inter mulieres.* Lucæ 1, 42.

Charissimi fratres, legimus nonnullas in veteri Testamento mulieres ante Mariam benedictas, verum per homines non a Deo ita commendatas. Maria prima est, quæ cœlestis nuntii primum, iterum Elisabeth, imo Spiritus Sancti per Elisabeth meruit testimonium. Nec modo benedicta dicitur, sed additur etiam in mulieribus, hoc est inter mulieres, præ omnibus, ante omnes, supra omnes. Cæterœ quidem ob unum aut alterum aliquod insigne prædicantur benedictæ, Maria quidquid in singulis claruit, totum in se collegit. Quapropter cum priores in figura ejus commendentur, ipsa tanto intervallo antecedit omnes, quanto interest inter figuram et rem. Principio igitur si generatim de sexu loquendum sit, palam est illum trifario ordine distinctum ita gessisse Mariam, ut horum quemlibet illustrarit, quemlibet Deo consecrarit : nam omnis mulier cum sit aut virgo, aut conjux, aut vidua, Maria quodlibet est horum : atque cujusvis ordinis cum sint claritates quædam tanquam benedictiones, Maria supremo ac inaccessibili gradu cum singulis tum omnibus emicuit.

Est autem benedictio virginum castitas virginalis, pudica verecundia, et tam cor-

Feminei sexus ordi nem tripli cem uti gesserit illustravitque Ma ria.

Virginum benedicti quæ sit.

poris quam morum honesta pulchritudo. Conjugatarum est fecunditas, prudentia, sedulitas. Viduarum continentia, modestia, pietas. His omnibus, quantum beata Maria virgo simul et conjux, tandem et vidua, cunctis aliis mulieribus illustrior sit, quamque præterea multis aliis (quæ in nulla muliere inveniri contingit) singularis eniteat, silentio potius quam indigno præconio laudabimus : quippe cum tanta sint, ut rei magnitudine doctissimus quisque superetur. At vero si de his mulieribus quæ in Scriptura veteris paginæ commendantur sigillatim sermo faciendus sit, cito ostendi potest quam facile et illas omnes vincat Maria. Nam, ut aliquas recenseamus, Evam priscam illam ac primam omnium matrem (neque enim par est illam a sanctarum catalogo mulierum sequestrari), quis nesciat hac nostra matre, puta Virgine beata, longe inferiorem? Cui tametsi non mediocri laude donatum sit, cunctorum mortalium esse parentem, parit tamen filios mortis sicut Maria adoptionis. Multiplicavit quidem Eva gentem, sed non magnificavit lætitiam, quandoquidem filiis suis generale malum induxit, quod Maria beatissima Mater nostra nobis abstulit. Illa igitur auctrix culpæ, hæc inventrix est gratiæ. Illa nos in ærumnas multas conjecit, hæc eripiens nos felicitati restituit. Sic ergo Eva cunctarum gentium parens infelix, Maria omnium est electorum mater beata. Nec mirum videatur, quod dixerim Mariam omnium electorum Matrem. Quomodo enim non esset? quandoquidem non aliud est esse Mariæ Filium atque Christi membrum. Constat autem omnes nos esse membra Christi, atque ideo filios Mariæ. Et de hac satis. Accedamus ad alias.

Conjugatarum.

Viduarum.

Quomodo cunctis mulieribus in Scriptura laudatis Maria sit præstantior.

Evam quantum excellat Maria.

Is. IX, 3.

Electorum omnium mater uti sit Maria.

Commendatur Rebecca a pulchritudine, quod puella sit decora nimis, virgoque pulcherrima. Item Rachel, quod decora sit facie et venusto aspectu. Adeo ut hæc posterior Jacob septennem laborem sui amore reddiderit brevem. Altera Isaac prioris tristitiæ, quæ pro morte acciderat matris, penitus fecerit immemorem. At nihil hoc ad Mariam, quæ tota pulchra et sine macula, et ut verbis utar divi Bernardi, Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decore præfulgida, specie sua et pulchritudine in cœlestibus cognita, cœli civium in se provocavit aspectum, ita ut cœlestis regis animum ad sui concupiscentiam inclinaret, ut cœlestem nuntium ad se de supernis adduceret.

Laudatur mulier illa Thecuitis, quod regi David ejecti filii sui persuaserit reductionem. Maria permulta cum Deo in precibus suis pro humani generis reparatione disputans, id obtinuit, ut non uni tantum ejecto, sed omnibus sit copia revertendi in paradisum multo feliciorem, quam unde sumus extrusi. Sic altera quædam in Abela mulier non tam laudanda est, quod cum Joab per murum sapienter loquens, assentiendo his quæ postulabat ille, urbem servaverit, quam Beata Maria quæ licet pauca, prudenter tamen cum Angelo disserens, dum annuit his quæ petuntur, orbem servat universum. David iratum jam jamque ut de sui contemptoribus ultionem caperet, accinctum prævenit, placat, revocatque Abigail, offerens se in ancillam ut lavet pedes servorum domini sui David, utpote non minus humilis quam prudens. Maria diutinam illam inimicitiam inter Deum et hominem suo interventu dirimit, atque adeo humanam naturam divinæ conciliat, ut in uteri sui thalamo ex utraque unus idemque fieret Emmanuel. Quo nimirum egit ut sententia illis per serpentis astutiam generi humano superinducta (quæ nihilo erat clementior ea, quam olim Judæorum hostis Aman eidem genti fuerat machinatus) revocetur, inveniens apud Deum gratiam pro omnibus uberiorem, quam Esther electa regina ante Assuerum.

II. *Reg.* XIV, 4.

Ibid. XX, 15.

Laudabilis plane uxor Manue quæ, licet sterilis, Angelo credit se parituram, infantemque editum mox Deo consecrat Nazaræum. Anna quoque devota uxor Helcanæ, perinde ac prior haud fecunda datam sibi prolem Samuelem Deo in templum

Judic. XIII.

redonat. At cernite nunc quam sit Maria tum fide major tum devotione illustrior. Credit Angelo se parituram vel virginem, prolem quoque enixa divinam, verum Patri consecrat Nazaræum, Samsone fortiorem : quippe qui non modo de hostibus, verum etiam de morte moriens ipse triumphavit ; Samuele sanctiorem, utpote qui non pecudes, sed hostiam viventem, Deo placabilem, semetipsum mactaret. Adde quod Mater non tam ipsam prolem quam semetipsam Deo in templum dedicat, imo Dei templum etiam ipsa efficitur, dum uterum suum Deo hospitium locat. Quid multa? Quæritur David christo Domini in cunctis finibus Israel virgo adolescentula, quæ foveat illum et ministret seni. Reperta tandem Abisag, qua nulla tum alia speciosior, adductaque servivit ei, dormivitque cum illo manens virgo. Quorsum hoc ? Profecto ut intelligamus Mariam Abisag nobiliorem non modo e finibus unius, sed omnium gentium e cunctis seculis, imo et ab initio et ante secula Christo electam, quippe quæ sola visa digna sit eumdem habere et Deum et Filium, ejusdem esse et sponsa et ancilla, Mater et virgo. Verum dicet aliquis : Quid attinet ad Mariam cubatio Abisag, quandoquidem de ministerio non dubitatur ? Profecto non parum. Christum namque dum lactat, dum pascit, dum fovet, dum denique cætera id genus officia exhibet humanitatis, eidem ministrat. At dum rursus eumdem Deum salutare suum contemplatur, cujus est sponsa dignior quam alia quævis anima contemplativa, dum amat, dum suavissimo exultationis gustu amplexatur, eique inhæret, dormit cum illo. Quidni dormiat Maria, cum filiabus Sion interdicitur, ne interrupto contemplationis ejus somno usquequaque suscitent dilectam, donec ipsa velit ? Dormit ergo, pro qua tantopere mandatur ne suscitetur.

Abisag serviens David uti Mariam designet.

Dormitio Mariæ cum Christo mystice quid.

Occurrit modo, nec tacenda est, puto, mulier illa Sunamitis, non minus devotione quam clementia insignis, quæ Elisæo intra domum suam constituit cœnaculum. Figura est cujus plane veritas elucet clarius in Maria. Siquidem hæc devotissima et tota misericors, quippe quæ usque hodie ab omni seculo canitur, misericordiæ regina, vitæ dulcedo, spes nostra, advocata, clemens, dulcis et pia, suscepit misericordiam Dei in medio templi sui, id est, intra domum corporis sui suscepit verum Elisæum, id est, Dei mei salutare (ita enim interpretatur), in medio templi sui, hoc est, intra domum corporis sui. Nec modo suscepit, verum etiam cœnaculum ei non igneum sed carneum, Spiritu Sancto artifice, donavit. Unde etiam ipsa est mulier illa vidua, quæ Eliæ, id est, Deo meo, sive Deo Domino panem parvulum, de quo omnes in altari reficimur, coxit : cujus neque farina hydriæ, id est, virginitatis candor, neque olei lecythus, id est, exuberantia misericordiæ unquam defecit. Parit Sara anus filium sibi repromissum, quo mater multarum gentium constituitur : parit Maria, quod mirabilius est, virgo verum Isaac in quo benedicentur omnes gentes, in quo omnes Scripturæ complentur, in quo omnes figuræ consummantur. Fit quoque ipsa Maria, ob unius partum, non unius tantum filii, sed omnium qui in Christo regenerantur, omnium qui cum Christo hæreditabunt, Mater, atque propterea sive Lya sive alia quacumque muliere, quam a fecunditate commendat Scriptura, fecundior. Non prætermittenda hoc loco videtur Anna vidua illa Evangelica, quæ de Christo vaticinans infante, ne prophetiæ dono æstimetur indigna, magnis inducitur meritorum divitiis commendata. Verum quantumvis laudata, quando poterit Mariæ integritati comparari ? Deinde quid potuisset mulier sancta de Christo prædicere, quod Mariæ vel experientia non esset compertum ? Ad aliam igitur transeamus.

Elisæ quid in pretetu

Luc. II,

Sunamitis Elisæum suscipiens uti Mariam figurarit.

Ruth, quoniam mulier erat virtutis, a Booz benedicta meruit laudari, quod priorem misericordiam posteriore superarit. Verum, quid illic tam excelsum, quid benedictione tam dignum, quod non superaverit mulier nostra Mater pulchræ dilectionis et

Eccli. XXIV, 2

timoris et agnitionis et sanctæ spei ? In qua gratia omnis vitæ et veritatis, in qua omnis spes vitæ et virtutis ? Vere superavit Maria misericordiam priorem posteriore. Magnam nobis misericordiam fecit quod in Matrem Dei electa et petita annuens, ancillam se obtulit, quod nobis concepit Deum, nobis peperit parvulum, nobis dedit Filium. At majorem hanc fuisse quis dubitet, quod quem genuerat nobis, etiam in mortem exposuit pro nobis, cum illo pariter nostram sub cruce operans salutem ? Aut ista prior misericordia ejus est, qua temporalibus nostris necessitatibus atque corporalibus subvenit ærumnis. Hanc superat posterior, qua nos pia Mater trahit ad æterna : quæ nimirum priore est potior, quanto cœlestia præstant terrenis. Occurrit nunc Rahab, quam fide legimus præclaram, Maria tamen inferiorem. Illa enim coruscantibus prodigiis excitata, ex urbe infidelium Deo Israelitarum credidit. Hæc Christo moriente, simulque cum eo in cunctorum animis lumine fidei occumbente, sola incolumi fide toto illo triduo perseveravit, sola tum Ecclesiæ personam expressit. Unde haud immerito factum est, ut ex Scripturis, quæ tribuuntur Ecclesiæ, eadem tribuantur et Mariæ, quandoquidem, ut dixi, eo triduo quo Christus mortuus est, in una Maria servabatur et Ecclesia et fides integra.

Misericordiam priorem uti Maria superaverit posteriore.

Mariæ cur merito tribuantur ex Scripturis quæ tribuuntur Ecclesiæ.

Cæterum, quia juxta crucem sumus, videte hic Noemi tristiorem, videte Saram honestiorem : quippe quæ non modo in puellaribus annis, verum in tantis etiam dolorum angustiis nihil immaturum, nihil indecens præstitit. Videte Salome constantiorem. Nec quemquam moveat, quod illa in septem, hæc in unigenito passa sit, cum non filiorum numerus, sed dolor compatientis undecumque et in immensum ferme exaggeratus, in Maria pensandus sit. Accedit quod unius Christi vel ad horam vita cunctorum mortalium sit pretiosior, proinde quoque mors ejus vehementius lugenda quam aliorum omnium. Non dubitem tamen, quemadmodum Christum non solum proprius dolor, sed etiam singulorum membrorum suorum spiritualium, puta qui sui amore erant passuri, torsit : ita Mariæ cor doloris gladius, et pro unigenito et pro omnibus filiis adoptivis, futuris scilicet martyribus, dissecuit. Ad aliam pergamus. Miratur quis Deboram propheten populo jus dicentem, innoxiosque ab oppressoribus vindicantem. Miretur potius Mariam novellæ Ecclesiæ post Christi ascensionem præsidentem, legemque Evangelicam interpretantem. Miretur eam nunc cœlis terrisque imperantem, atque clementiori judicio non tam liberantem insontes, quam etiam ex impiis justos facientem. Honoratur Bethsabee Mater Salomonis, et a filio regnante extollitur. Verum illius thronus itemque sedendi majestas ac impetrandi facultas, cunctis liquet quam nihilo possit ad Mariæ gloriam æquari, ne tantillum quidem.

Ad Judith igitur vel nunc tandem veniamus, mulierem tam virtute quam gloria conspicuam, quam gens Judæorum admiratur pro victoria eo speciosiore quo fragiliori manu, utpote feminea parta fuerat, nihilo secius quam olim Jahelis, quæ Israelitarum hostem Sisaram infixo in tempora clavo straverat. At multo gloriosior, omniumque celeberrima est, quæ per Mariam nobis adepta est victoria, qua Deus ipse vincitur, quam Dei justitia ad misericordiam flectitur, qua diaboli virtus sternitur, qua serpentina malignitas pedibus feminæ calcanda, conterenda, eliminandaque subjicitur, qua cœlestis patriæ hæreditas pene amissa nobis recuperatur, qua denique domus superbissimi Nabuchodonosor tota per unam virginem Hebræam confutatur. Quæ plane omnia cum per Mariam habeamus, dignum profecto est immensis eam extollamus laudibus, eique quod in Judith præconium acclamabatur multo verius tribuamus, dicentes : *Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Benedicta tu filia a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus

Victoria per Mariam nobis adepta quam sit gloriosa.

Judith XIII, 22-25.

super terram. Benedictus Dominus qui creavit cœlum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum, quia hodie ita nomen tuum magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri : quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, et ideo eris benedicta in æternum, præstante Filio Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

Judith XV, 10.

SERMO SECUNDUS IN EADEM SOLEMNITATE

QUASNAM OB CAUSAS BEATISSIMA VIRGO MARIA VISITAVERIT COGNATAM SUAM ELISABETH : BENEDICTA UTI FUERIT BEATA MARIA MULTIFARIAM, DEQUE SEPTEM BENEFICIIS CEU VISITATIONIBUS QUIBUS SIBI DEVOTOS VISITAT ET AFFICIT.

EXSURGENS *Maria abiit in montana cum festinatione.* Lucæ I, 39.

Hodie festum, fratres charissimi, Visitationis gloriosæ Virginis Mariæ celebramus : festum quo fidelibus in Maria exemplum miræ pietatis et humilitatis proponitur imitandum. Siquidem per Angelum cœlitus missum salutata, ad redemptionem humani generis electa, et jam Dei, quem in utero habuit, Mater effecta, nihil se extulit, nihil de se præsumpsit, nihil de se plus sensit : non digniorem se æstimari voluit. Cognatam autem senem visitavit, ut de adempto sterilitatis opprobrio, illi gratularetur, ut spiritualem consolationem illi super beneficiorum divinorum collatione impartiretur, ut arcana sua, quia utrique de altera divinitus fuerat revelatum, sibi communicarent, et Deum simul collaudarent : et ipsa Maria, licet dignior, tamen junior seniori jam ad sex menses gravidæ inserviret. Hujus autem historiæ declaratio est Evangelium ipsum, quod hoc die in Ecclesiis recitatur, quodque sanctus describit Lucas Evangelista, dicens: *Exsurgens Maria abiit in montana, etc.* Postquam enim per Angelum edocta fuerat beatissima Maria, senem Elisabeth sterilem concepisse, et in spiritu intellexerat talem filium ac tantum parituram, statuit suam cognatam visitare, haud dubium quin de sponsi sui Joseph, cui reverentiam et obedientiam deferebat, licentia. Concordabant enim optime inter se Joseph et Maria, quia erant templa Spiritus Sancti ambo, licet Maria incomparabiliter dignior esset : concordabant quoque cum Deo, nihil nisi quod Deo placitum esset volentes. Fundatur enim concordia super conformatione humanæ voluntatis cum divina : ideo non poterant esse difformes in voluntate, ubi talis voluntas poterat stabiliter servari. Sunt tamen qui putant Joseph cum Maria ivisse. Sed hujus non habemus certum in Scriptura testimonium.

Luc. I, 39.

B. Maria et Joseph quanta concordia fuerit.

Quæris fortasse, quid movebat sanctam Mariam, ut ad montana ascenderet, et Elisabeth visitaret? Non profecto levitas aut curiositas aliqua. Si autem ad mysticam respicimus significationem, charitas eam dubio procul movebat ascendere montana, id est, superna. Nam ut igni naturale est sursum ferri, ita amori divino proprium est ad superna elevari. Illuc enim fertur, illuc spiritum impellit, ubi sperat invenire quod amat. Cor namque quod Dei amore plenum est, ignem in se sentit, qui sursum impellit ad Deum : quia, secundum Augustinum, anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Maria ergo montana ascendit, id est, quanto plus pro-

Charitas uti moverit B. Mariam ascendere montana.

ficiebat, tanto ad superna et cœlestia magis tendit. Non esset autem mirum, si amans anima, etiam litteraliter loquendo, alta loca potius quæreret quam humilia, quasi hamanum affectum humano modo consolans, ut in locis supernis vicinior quodammodo esset cœlestibus, hoc est, loco illo, quo videtur Deus. Qui quamvis omni in loco præsens sit, in certo tamen solo, hoc est, in cœlo solo se contemplandum atque fruendum præbet. Alludit iis sanctus Ambrosius de beata Maria loquens : In montana, inquit, ascendit : Quo enim jam Deo plena, nisi ad superiora conscenderet ? Et Petrus episcopus Ravennatensis : Accepto, ait, consensu Virginis, ut sine virili semine conciperet Dei Filium, discessit Angelus ab ea, visum utique subtrahendo, non famulatum, atque cœlestia petit : quem Virgo sequitur, dum in montana progreditur. Secundum litteram, necessarium fuit montana ascendere a Nazareth in Judæam, quia Nazareth humiliori loco sita erat, sicut tota Galilæa regio, quam Judæa.

Anima amans cur loca altiora petat.

Ambros.

Petrus Ravennat.

Secundo, pietas eam movebat ad gratulandum seni, quæ ab opprobrio sterilitatis erat liberata. Cum Maria pietas crevit ab infantia, digna profecto quæ mater fieret pietatis, et ex commisso curam nostræ gereret salutis. Unde divus Bernardus : Vere, inquit, ejus misericordiæ et pietatis longitudinem, latitudinem et profunditatem æstimare nemo potest aut mensurare. Ipsa omnibus omnia facta est, omnibus sinum misericordiæ aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, et justi gratiam, et peccatores veniam, Angelus lætitiam, Filius Dei carnis substantiam, et tota Trinitas gloriam. Tertio, Maria ascendit propter humilitatem. Eamdem quam Deo exhibuerat humilitatem dicens: Ecce ancilla Domini, exhibere quoque hominibus curabat. Senium cognatæ attendebat, gravitatem imprægnatæ miserebatur : ideo juvencula vetulæ ministrare volebat. Unde Ambrosius : Ut audivit Maria, scilicet conceptum Elisabeth, non quasi incredula de oraculo, scilicet per Angelum dicto, nec quasi incerta de nuntio, scilicet cœlitus sibi misso, nec quasi dubitans de exemplo, scilicet in conceptu Elisabeth, sibi dato, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, scilicet ad serviendum, festina præ gaudio, ad montana perrexit. Itemque : Didicistis, virgines, pudorem Mariæ, discite et humilitatem. Venit propinqua ad proximam, junior ad seniorem : nec solum venit, sed etiam prior salutavit. Decet enim, ut quanto castior virgo, tanto sit humilior, noverit deferre senioribus, sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Vide humilitatem, vide devotionem. Non eam asperitas montium, non prolixitas itineris, non sexus infirmitas, non virginitatis pudor, vel pudicitia retraxit. Venit Domina ad ancillam, regina ad vasallam, Mater Dei ad matrem servuli. Nos humiles multum fuisse existimamus, si superioribus subjicimur. Maria inferiori se subjecit.

Pietas ut moverit B. Mariam ad visitandum cognotam suam.

Bernard.

Humilitas ut moverit Mariam ad montana conscendere.

Ambros.

Ambros.

Quarto, Maria ad montana conscendit, propter sanctificationem Joannis. Maria enim venit ad Elisabeth, Christus ad Joannem, ut ipsum sanctificaret in utero, et in prophetam ungeret. Vide nunc, quomodo Dei templum nobilissima Virgo et mundi Domina humiliter incedit, non eques, non curru vecta, sed pedes, habens fortasse aliquas virgines pudicas, olim in templo socias, sui itineris comites. Quas si etiam non habuit, nequaquam sola ambulavit. Habuit namque Dominum cœli et terræ, Creatorem omnium, habuit secum Angelorum cœlestem exercitum, quippe quæ regem et reginam suam magna veneratione comitabantur. Sed quomodo ascendit ? Cum festinatione, inquit. Qua sententia spiritualiter fervorem beatæ Mariæ exprimit. Nescit, inquit divus Ambrosius, tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Secundum historiam, ambulavit festinanter, quia diu in publico videri renuebat, ut hoc ipso ostenderet, quam debeat virgo omnis fugere horrereque morari diu in publico, nec ibi contrahere colloquia. Venit

Joannes ut sanctificaretur Mariam cognatam suam visitasse.

Ambros.

Salutationis mutuæ mos quis apud Judæos fuerit.

autem in Jerusalem civitatem Juda, et salutavit Elisabeth. Mos ille fuit patriæ, ut prior salutaret qui esset minor. Unde beata Maria Elisabeth sibi præferens, prior tanquam indignior salutavit. Cum porro audivisset beatæ Mariæ salutationem Elisabeth, exultavit infans in utero ejus. Mox autem ut beata Maria salutavit Elisabeth, repletus est Spiritu Sancto Joannes sanctissimus infans in utero matris: quod fuerat ante per Angelum Zachariæ promissum. Itaque Spiritu Sancto plenus Joannes, Domini sui præsentiam sentit, et præ gaudio, quasi exultando aut saltando, tripudiat, hoc est, quosdam gestus ad modum exultationis aut subsilientis præ se fert: quia quem lingua necdum potuit aut voce, corporis motu et animi exultatione salutat. Movebatur tunc quasi gestiens assurgere, exire et Domino suo occurrere atque salutare. Hoc loco Joannes unctus a Domino, officium suum inchoavit, scilicet præcursionis et prophetationis, quia in utero matris exiliens, adventum Christi evangelizavit, quasi tunc signis et motibus diceret, quod postea verbis clamabat: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Dicit autem hoc loco divus Joannes Chrysostomus: Christus ideo fecit Mariam salutare Elisabeth, ut sermo procedens ex utero Matris, ubi habitabat Dominus, et per aures Elisabeth ingressus descenderet ad Joannem, et illic eum ungeret in prophetam. Nam statim, ut vox salutationis convenit ad aures ejus, exultans puer prophetavit, non voce sed motu. Dic, beatissime infans, dic, prophetarum omnium maxime, qui digne et plus quam propheta vocaberis, unde hæc tibi exultatio tam insolita, tam omnibus seculis inaudita, tamque supra omnem humani intellectus capacitatem? Nondum natus es, et jam prophetas, Domini adventum cognoscis, et quem voce salutare non potes, exultando agis quod potes. Quam lætus illi occurreres, si eum videre posses jam natus. Sed quia id adhuc minime potes, facis exultando quod potes.

S. Joannes quando et ubi officium suum inchoaverit.

Joann. I, 29.

Chrysost.

Cum autem ejusmodi salutationem tam miram tamque humilem Matris Dei audivisset Elisabeth, exultavit, ut dictum est, infans in utero ejus, et repleta est Elisabeth Spiritu Sancto. Non prius quidem repleta mater est, quam filius: sed repletus filius, replevit et matrem. Ex plenitudine gratiæ, qua se recepit Christus in uterum Virginis, effudit gratiam sanctificationis per salutationem Virginis in Joannem, quæ ulterius redundabat in matrem. Unde Elisabeth exultans, totaque exhilarata et Spiritu Sancto accensa, amplexatur Virginem tenerrime, et non valens seipsam continere, exclamat voce magna: filius autem intus latens, docet quid mater exterius facere debeat. Infantis enim spiritus nec valentis clamare, nec voce propria exprimere id quod sensit mysterium, fecit matrem voce magna clamare, tum in signum magnæ affectionis, tum quia magna Dei dona cognovit, tum quia illum in utero tenebat, qui vox Verbi erat. Exclamavit ergo voce magna sancta Elisabeth, dicens: Benedicta tu inter mulieres. Nos quidem omnes reliquæ mulieres opprobrio et maledictioni subjacemus, quæ in immunditia et corruptione concipimus, in dolore parimus. Tu ab omni corruptione, ab omni væ, ab omni impuritate libera, sola benedicta es inter mulieres: quidquid gratiæ, quidquid privilegii, quidquid præeminentiæ singularis in cæteris mulieribus reperitur, tu singulariter benedicta excellentius possides. Laudantur prædecessores nostræ mulieres, aut a castitate, aut a pietate, aut a sapientia et prudentia, aut a pulchritudine, aut a modestia cæterisque virtutibus: tu benedicta supergrederis universas. Tu omnium castissima, omnium pulcherrima, omnium prudentissima, omnium piissima, omnium modestissima atque virtuosissima.

Hanc ergo sanctissimam Christi Matrem cum diva Elisabeth, et nos, fratres charissimi, corde et labiis honoremus et collaudemus, et quonam pacto benedicta sit a sanctissima Trinitate, et a nobis omni-

busque creaturis benedicenda, ex his S. Elisabeth verbis Angelicaque, qua eam S. Gabriel quoque benedictam testatus est, salutatione admoniti, paulo altius repetamus : Benedicta tu inter mulieres, quando te Deus ab æterno elegit, non modo ut ab ipso æternam beatitudinem consequaris, verum per quam æterna Sapientia nasci dignabitur, per quam universum mundum Patri suo reconciliabit, per quam peccatores ad se, instar retis ad littus salutis tracturus est, cujus pietate intercedente, innumeris desperatis fiduciam, afflictis consolationem, captivis liberationem, perditis salutem præstabit. Benedicta tu in tua purissima conceptione, præ omnibus, non solum mulieribus, sed et hominibus universis, qui nascuntur filii iræ, quia singulari gratiæ dono præ cunctis mortalibus ab omni prorsus te peccato præservavit. Benedicta tu, quam non modo hominibus sed et Angelis sanctitatis excellentia fecit præstantiorem, implens te omnigena gratiarum ac virtutum plenitudine, tanta scilicet, quanta creatura posset ulla suscipere. Nam cum, divo Hieronymo teste, cæteris per partes data sit gratia sanctitatis, Mariæ totam se infudit gratiæ plenitudo. Benedicta tu a generis nobilitate, ut puta patriarchali, prophetico, regio ac sacerdotali stemmate illustrissima, ex parentibus quoque sanctis ac castis, quibus propter te Deus sterilitatis opprobrium abstulerat, prognata. Benedicta tu in corporis venustate, morum elegantia, ac quidquid decoris, quidquid gratiæ est, quod humanis oculis solet esse acceptum, omni videlicet pulchritudine, omni donorum varietate venustata. Benedicta tu in primo virginitatis perpetuo servandæ proposito ac voto, cunctis retro te seculis illaudato, mundo incognito, in salutem autem innumerabilium animarum, in angelicæ conversationis exordium, in sanctorum omnium profectum, in monasticæ vitæ institutum, qui tuum videlicet exemplum erunt imitaturi. Benedicta tu in virginalis puritatis fecunditate. Nam in tuo utero felicissimo, et de tua carne purissima sibi Dei Filius æternaque sapientia, carnem assumpsit, et ut esses Dei verissima Mater, quod est excellentissimæ dignitatis, et quanta sub Deo non posset esse major, fecit. Benedicta tu, in cujus utero mensibus novem Filius Dei requievit, quem sine gravamine et modestia, tumescente felicissimo utero tuo, gestasti, qui interim non solum animam tuam, sed et corpus miris consolationibus affecit. Benedicta tu, in partu felicissimo, quandoquidem carnis integritatem, ex te miro modo Filius Dei nascens, tibi non solum non abstulit, sed parienti etiam dolorem nullum intulit. Benedicta tu, quam passionis suæ sociam, nostræ redemptionis cooperatricem sibi in cruce pendenti adstare voluit, doloribus animi internis cunctis martyribus præstantiorem te fecit, matrem te omnium filiorum adoptionis constituit. Benedicta tu, in ipsius resurrectione, quia primo omnium tibi gloriosus apparuit, tristitiam omnem depulit, gaudiis potioribus ac singularibus te refecit. Benedicta tu, in ejusdem Filii tui gloriosa ascensione, quando carnem ipsius ex te sumptam, tam vidisti mirifice supra ordines omnes Angelorum sublimari. Benedicta tu, in Spiritus Sancti missione, quando te in Apostolorum prædicatione, in mundi conversione, in Ecclesiæ propagatione, in gentium vocatione, cujus figuram typumque jam olim in Magorum intellexeras adventu, atque in donorum Dei in credentes uberrima supereffusione, te, quæ eras charitate perfectissima, incredibili spiritus exultatione replevit. Benedicta tu in quietissima dormitione, quando in egressu sanctissimæ animæ tuæ a corpore, requiem tibi potius quam mortem donavit : quandoquidem te ab omni dolore fecit liberam, et a timore omni securam, amore ebriam, omnique beatitudine plenam et beatam. Benedicta tu, in tui felicissima assumptione. Nam corpori tuo incorruptionem præstitit, resurrectionem prærogavit, teque in anima et corpore assumptam glorificavit. Benedicta tu, in

Benedicta uti fuerit B. Maria multifariam.

tui coronatione, quia te in cœlo omnibus superiorem ad dexteram suam collocavit, mundo post se honorabilissimam, amabilissimam, utilissimamque constituit, gratiamque consolandi, necnon et copiam exorandi pro omnibus tibi donavit. Benedicta ergo tu inter mulieres, quandoquidem per te omnes benedicuntur, maledictio omnis per te exire compellitur, et benedictio omnis per te intrat. Benedicta tu inter mulieres, quæ omnem feminei sexus statum in te continens, sanctificas : omnis enim mulier, cum aut virgo, aut conjux, aut vidua sit, tu omnia es. Ergo benedicta tu inter mulieres. Quidquid enim in ulla sanctarum mulierum reperitur, excellentius est in te : et præterea multa alia, quæ nulli mulierum donata sunt, tibi singulariter pro benedictione collata sunt.

Fructus ventris B. Mariæ ut fuerit multipliciter benedictus.

Et benedictus fructus ventris tui. Ideo tu benedicta, quia benedictus fructus ventris tui. Et vere singulariterque benedictus, qui non nostro more, postquam natus est, gratiam benedictionis a Domino percepit, sed ad salvandum mundum, ipse venit benedictus in nomine Domini : per quem et semen incorruptionis et supernæ hæreditatis, quam perdidimus in Adam, recepimus fructum. Benedictus quoque fructus ventris tui, quandoquidem benedictio per illum omnibus aliis venit, qui juxta quod homo est, benedictus singulari gratiæ benedictione omnium divinorum charismatum. Benedictus item benedictione gloriæ, juxta quod Deus est, ab æterno usque in æternum, aut, sicut ait Apostolus, qui est super omnia benedictus Deus in secula, qui benedixit nos omni benedictione spirituali, scilicet per suam incarnationem et passionem, in cœlestibus.

Rom. IX, 3.
Eph. I, 3.

Commendat sancta Elisabeth deinde beatam Mariam a sua humilitate, dicens : Et unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me? Ubi hoc merui? Quo jure fit? Quid bene feci, ut mihi talia fierent? ut tantum se humiliaret erga me peccatricem Mater Domini mei? Ego venire debui ad te, et tu venis ad me? Scio quæ sis : agnosco quæ sim ego. Scio quod hujus Mater sis, cujus non sum dignâ vocari ancilla. Scio quod indigna sim osculari pedes tuos. Et tu venis ad me? Sed hæc est gratia tua, hæc dignatio tuæ humilitatis. Sensi in utero meo, quanta mihi bona per tuum adventum acciderunt. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Ac si dicat : En in tuo adventu et salutatione non solum ego, sed et infans in meo utero lætabundus subsilit et gratulatur : et quod voce nequit, efficit ut potest exultatione. Et hic quidem sancta Elisabeth miraculum et incarnationem Verbi cognovit, Mariam Matrem esse Domini intellexit. Intellexit utique per Spiritum Sanctum quo repleta erat, sicut etiam quid sibi vellet exultatio infantis præter omnem usum naturæ, quid mysteriorum non modo in Dei Matre, sed etiam in suo utero gereretur, quandoquidem senserat præsentem regem, cujus esset futurus propheta. Sancta Elisabeth usque nunc gravidam se celaverat, jam non ultro celabat, adeo ut etiam gloriaretur quod mater esset prophetæ Domini sui, ostendens se Spiritu Sancto consciam (talis est doctor qui in momento omnia docere potest Spiritus Sanctus) eorum quæ locutus fuerat ad Mariam Angelus, dicens: Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino. Mirum in modum Sanctus Spiritus sanctam Elisabeth implevit præsentium simul præteritorum et futurorum eam scientia instruens. De præsentibus namque se edoctam monstravit, quando beatam Mariam Matrem Domini sui vocans, quia Redemptorem omnium in suo felici utero gestaret, indicavit. Præteritorum se quoque notitiam impetrasse ostendit, quando et verba Angeli ad Mariam, et consensum Mariæ credentis sibi innotuisse prodidit. Sed et futurorum sibi scientiam non negatam intimavit, cum perficienda a Domino quæ ei

Elisabeth quænam Spiritu Sancto doctore cognoverit.

Elisabeth ut præteritorum, præsentium et futurorum scientiam fuerit consecuta.

dicta essent, aperuit. Quis autem, charissimi fratres, dicere, quis æstimare sufficiat, quæ tum gratia Spiritus Sancti Dei genitricem repleverit, cum tanta in matre præcursoris lux doni cœlestis emicuit ? Ea autem quæ in historia solemnitatis hodiernæ leguntur dicta a beatissima Virgine Deique Matre Maria, adeo sunt profunda, et humanæ intelligentiæ impenetrabilia, ut potius sint veneranda silentioque premenda, quam temerario ore promenda.

Post has laudes beata Maria vere humilis ancilla Domini, et grata Deo Spiritu Sancto in se loquente, ait : Magnificat anima mea Dominum. Tu laudas et prædicas me, sed anima mea nihil in se cognoscit proprium, nihil invenit laude dignum. Unde se non magnificat, sed Dominum. Et spiritus meus exultavit non in se, sed in Deo salutari meo. Quare autem spiritus meus exultat ? Quia non dedignatus est respicere parvitatem meam, cum ipse sit magnus et excelsus. Inde ergo exulto, inde amplius magnifico, non propter mea merita, sed quia humilitatem, id est, vilitatem indignitatemque meam respexit Dominus, eligendo me sibi in Matrem, qui habet Deum Creatorem omnium rerum creatarum in cœlis Patrem.

Hæc, fratres charissimi, de ratione præsentis solemnitatis dicta sint paucis. Cæterum, quomodo dicit beatus Bernardus in laudibus hujus Deo dignæ beatissimæque Mariæ Virginis : Hæc non recedat ab ore, non recedat a corde : et ut impetres ejus orationis suffragium non, deseras conversationis exemplum : idcirco hic breviter quin annecterem committere non potui, quonam pacto eadem fidelissima Dei et hominum Mater, ipsi deditos devotosque mystice spiritualiterque visitet per septem præter alia complura beneficia.

Beneficia septem quænam B. Maria suis exhibeat devotariis.

Prima ejus visitatio seu beneficium est, quod ipsa miseros excæcatosque peccatores Deo et a via salutis virtutumque alienos et aversos, benigne revocat ad saniorem, quam ante habuerunt, mentem, illosque ut pœniteant suorum malefactorum gratiam

B. Maria ut peccatoribus pœnitendi gratiam emendandique tempus impetret.

eis, tempusque impetrat emendationis vitæ, ne scilicet ira Dei in illos juste desæviens repente trahat, et improvise protrudat in gehennam ignis. O quot ipsius visitatione pioque interventu, non absque stupendis miraculis subito conversi sunt, Deique gratiam vel amissam, vel etiam nunquam speratam obtinere meruerunt ! Hoc ipsum considerans sanctissimus Dei amicus Bernardus inculcat, dicens : O quisquis intelligis te inter hujus seculi procellas et tempestates fluctuare, ne avertas oculos tuos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis. *Bernard.*

B. Maria ut homines in sui cognitionem revocet.

Secundo, visitat beata Maria sua melliflua gratia miseros peccatores in adversitatis nocte constitutos, trahitque eos in agnitionem propriæ perversitatis et vilitatis, dum gratiam illis prævenientem et gratis datam suis precibus administrat, illisque vitam præsentem quantis sit miseriis periculisque et calamitatibus exposita, indicat. Hinc contingit, quod tum suam pristinam lubricam et facinorosam vitam recolendo cognoscunt, cognoscendo despiciunt, despiciendo horrescunt, horrendo ad misericordiæ Matrem recurrunt : sicque salubri quadam attritione prævia retrusi, peccare desistunt, a venenosis vitiorum poculis plus solito solliciti, præcavent. Hoc ipsum norunt quotquot ex lænocinio peccatorum ad statum salutis revocati sunt.

B. Maria ut suis contritionem obtineat peccatorum.

Tertio, visitat beata Maria eosdem de quibus prædiximus, scilicet eos qui ejus opitulante misericordia et clementia ad gratiam attritionis perducti sunt suorum peccatorum, eorumdem attritionem in veram contritionem commutans, ita quod corda eorum prius per peccatorum frigus congelata, in fluxum lacrymarumque fon-

tem resolvuntur, incipiuntque illis vehementer amarescere, quæ olim nimium male placebant. Hoc igitur beneficio Mariæ quisquis præventus est, gratias illi magnificas agat, inventricem tantæ gratiæ sedulis precibus pulset, quatenus id quod quarto loco singularis visitationis ac beneficii collocandum est, obtinere dignetur.

B. Maria ut sit canalis fluentorum divinæ gratiæ.

Quod autem est illud ? Sane remissionem et indulgentiam peccatorum id haud absurde dixerim. Est enim ipsa tanquam canalis per quam universis mortalibus fluenta divinæ gratiæ et indulgentiæ profluunt. Quod profecto divus Augustinus in se expertus, ait ad eamdem : O beata Maria accipe a nobis quascumque, quanquam exiles nostras gratiarum actiones intra sacrarium exauditionis tuæ, et obtine nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus : quandoquidem nec potiorem te invenimus ad placandam iram judicis, quæ meruisti esse Mater Redemptoris nostri et judicis. Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super cœlorum peregrinis.

August.

B. Maria ut erga sibi devotos gestet materna viscera.

Quinto, visitat beata Maria suo servitio devotionique deditos, per præcipuam curam et respectum. Nam quos e faucibus dæmonum extraxit, non potest non erga eos materna gestare viscera, sed ipsos sagaci cura filio suo Jesu Christo Domino nostro reconciliatos commendat, ipsisque misericordiam gratiamque illius impetrat. Nam, ut inquit divus Bernardus, sine illa nec ulla divinæ misericordiæ ac gratiæ stilla miseris est præstanda. Quare post debitam conversionem, ad illam tanquam omnis misericordiæ et gratiæ aquæductum omnis peccator fidenter accedere debet, atque in sinu ejus pietatis maternæ securus quiescere, inque cunctis suis miseriis, calamitatibus et hujus calamitosissimi seculi turbinibus et afflictionibus, oculos suos interiores levare, et suspirare cum sancto Augustino, dicens : Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, etc., sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

August.

Sexto, visitat invocata suos beata Maria in tentationibus constitutos, eos ab hostium invisibilium maxima ferocitate vel eruendo, vel etiam protegendo, tanquam murum impenetrabilem sese hostibus nostræ salutis objiciens, eos terrens, viresque ipsorum enervans. Hoc enim ipsum privilegium meruit, quando caput tortuosi serpentis contrivit, sicut de ipsa ad serpentem dictum fuit : *Inimicitias ponam inter te et mulierem : ipsa conteret caput tuum.* Meritis ergo suisque precibus beata Maria aereas potestates virtute sibi desuper concessa, vehementer fortiterque prosternit, adeoque eorum vires enervat, ut ad nominis quoque sui inclamationem fugere cogantur. Quod ipsum sapientissimus ille Salomon considerans admiransque, ait de ipsa in Canticis canticorum : Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ?

B. Maria ut tentat subveniat

Gen. III, 15

Nomen B. Mariæ ut dæmones exturbet.

Cant. VI, 9

Septimo, visitat suos beata Maria, per suarum virtutum exemplarem præmonstrationem. Sit vobis, inquit sanctus ille Ambrosius ad sacras virgines, tanquam in imagine descripta virginitas et vita Mariæ, in qua velut in speculo refulget species castitatis, et forma omnis virtutis. Et divus Hieronymus in laudibus ejusdem beatissimæ Virginis ait : Habetis in ea magisteria probitatis expressa, quid primum eligere, quid respuere, quid sequi debeatis. Primum ergo discendi incitamentum nobilitas est magistri : deinde merces laboris optimi fructus beatitudinis. Præstet nobis omnibus benedictus fructus hujus sacratissimæ Virginis et Matris, ipsius meritis precibusque in præsenti seculo suam gratiam, et post hanc vitam frui æterna una cum ipsa beatitudine, Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu Sancto et sua dulcissima Matre vivit in æternum, Amen.

B. Maria ut suos visitet per exempla virtutum.

Ambros.

Hieron.

IN FESTO

S. MARGARITÆ VIRG. AC MARTYRIS

Paraphrasim in Epistolam, et Exegesim in Evangelium una cum Sermone quære in Festo S. Agnetis virginis et martyris.

IN SOLEMNITATE

BEATISSIMÆ MARIÆ MAGDALENÆ

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

MULIEREM fortem quis inveniet? Procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum et non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, et emit eum, de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. Gustavit et vidit quoniam bona est negotiatio ejus, non exstinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis ; omnes enim domestici ejus vestiti duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus. Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt, et vir ejus laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Fallax gratia, et vana est pulchritudo, mulier timens Dominum

ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. *Prov. XXXI.*

PRÆSENS lectio ex Libro Proverbiorum Salomonis extracta est, constatque versibus duobus et viginti, quot apud Hebræos elementa habentur, in eaque, ut Beda ait, Salomon plene describit virtutes ac merita totius Ecclesiæ, vel cujuslibet fidelis animæ. Unde absque ulla absurditate recte potest etiam de beatissima Maria Magdalena recitari, quæ revera mulier fortis fuit, conculcans mundum, carnem et dæmonem, quorum dominio diu subjacuerat : de qua hodie gratulabunda canit Ecclesia in hymno quodam :

Maria soror Lazari,
Quæ tot commisit crimina,
Ab ipsa fauce tartari
Redit ad vitæ limina.
Post fluxæ carnis scandala
Fit ex lebete phiala,
In vas translata gloriæ
De vase contumeliæ.
Ægra currit ad medicum,
Vas ferens aromaticum,
Et a morbo multiplici
Verbo curatur medici.

Sed ipsam lectionem more nostro referamus. Magna est et multiplex fragilitas, inconstantia et pusillanimitas in feminis, si naturam spectes ; quis ergo unquam poterit fortem invenire mulierem, quæ infirmitati renuntiet, et res magnas et arduas animo virili aggrediatur? Quod quidem absque ingenti et speciali gratia Sancti Spiritus fieri non potest. Procul et de ultimis finibus, ex ipso cœlo empyreo pretium ejus, nempe Dominus noster Jesus Christus, de quo Psalmista canit : *A summo cœlo egressio ejus.* Et Apostolus : *In fide,* inquit, *vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Christus enim est pretium nostrum, quo ab æterna morte redempti sumus. Confidit in ea cor viri sui, id est, Domini Jesu, qui est uniuscujusque fidelis animæ vir, de quo Apostolus ait : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo :* qui confidit in anima sancta, certus eam probe suo officio functuram. Multa quoque ei et magna præstat beneficia, virtutes, dona, charismata, confidens eam illis omnibus non elatum iri, sed recte usuram. Unde etiam spoliis non indigebit, abundans nimirum divitiis internis, sed et externis facultatibus prædita, quantum illi satis est aut expedit. Non enim iners sectatur otium, sed sedula sibi suisque victum parat. Quod est contra vagas, otiosas, garrulas mulieres, quæ sæpe ex desidia eo rediguntur, ut turpibus studiis tanquam spoliis victum sibi quærere cogantur.

Reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitæ suæ, semper laudes gratesque Deo pro perceptis ab eo beneficiis, et abstinens a peccatis quibus offenditur Deus. Improbi vero mala pro bonis reddunt Deo, quando illius benignitate contempta ejus præcepta violant, illique obtemperare nolunt. Sic nostra Magdalena reddidit Christo bonum et non malum omnibus diebus vitæ suæ, quando illius gratia conversa perstitit in justitia, nec recidit in iniquitatem, sed multis annis sanctissimam et ab hominibus prorsus remotam egit vitam. Quæsivit lanam et linum unde vestes conficeret in usus pauperum ac miserorum, operans consilio manuum suarum, ut habeat unde tribuat necessitatem patientibus. Decet enim feminas semper operis quidpiam agere, ne pateant malis desideriis et insidiis diaboli. Quæsivit etiam lanam et linum, id est, veram innocentiam, et castitatem, quibus nisi prædita sit mulier, nonnisi rete diaboli est et sentina vitiorum. Facta est quasi navis institoris, plena videlicet spiritalibus divitiis et charismatibus Spiritus Sancti, quæ rursus

Ps. XVIII, 7. Gal. II, 20.

Christ ut dican vir fide animæ. II C XI, 2.

in proximorum usus expendit, non contenta sibi uni prodesse, sed multis : portatque de longe panem suum, colligens sibi undecumque atque proponens exempla et recte facta sanctorum hominum, quibus haud secus anima ad virtutes colendas confortatur atque nutritur, quam corpus pane. Habent enim mirabilem energiam viva aliorum exempla, plusque factis quam verbis moveri solemus. De nocte surrexit, faciens quod hortatur Jeremias : Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. Namque sanctus amor pigritiam odit, somnum superfluum respuit, tempusque omne quod virtuti non impenderit, amisisse se putat. Surgit etiam in nocte tribulationis, confugiens precibus ad Deum suum. Deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis, reficiens subditos suos sive cæteros fideles optimis monitis, piisque institutionibus, et divinæ Scripturæ sententiis, de quibus Propheta ait : *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.*

Exempla viva quantam habeant energiam.

Ps. CXVIII, 162.

Consideravit agrum patriæ cœlestis, ubi visuri sumus bona Domini in terra viventium, et emit illum, peccata admissa plangendo, atque a peccatis abstinendo, et divinam semper exequendo voluntatem. De fructu manuum suarum, id est, piarum actionum et sanctarum exhortationum, plantavit vineam, multas Domino animas lucrifaciens. Ita beatissima Magdalena ferventissimis sermonibus suis et sanctissima vivendi ratione optimisque exemplis plurimos convertit ad Dominum. Accinxit fortitudine lumbos suos, carnis petulantiam fortiter premens, et continentiæ freno corpus stringens, sicut ipse Dominus monet : Sint, inquiens, lumbi vestri præcincti. Et roboravit brachium suum, animo virili ardua quæque aggrediens, et carnem subdens spiritui. Gustavit affectu, et vidit intellectu, quia bona est negotiatio agri cœlestis, cujus amore contempsit caduca omnia, et ut stercora execrabatur.

Non exstinguetur in nocte adversitatis lucerna fidei et charitatis ejus, gratiæque divinitus infusæ, sine quibus anima in tenebris est. Manum suam misit ad fortia, non contenta languere circa communia, aut sola exequi mandata, sed angustam consiliorum amplexa semitam, cum propheta custodit vias duras, et cum Apostolo in anteriora se extendit : et digiti ejus apprehenderunt fusum, ut quotidianum sanctæ servitutis Domino pensum solvat : atque etiam ut fugiat otium et de labore manuum suarum sese et alios sustentet. Siquidem manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem, gaudens et gratulans se in paupere Christum alere, Christo benefacere, Christum sibi demereri. Novit enim in actibus charitatis et pietatis consistere summam christianæ religionis. Væ igitur avaris, qui Christum in miseris et egenis sustentare negligunt, quasi non habeat Christus, unde eis possit abunde restituere. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis. Omnes enim domestici ejus vestiti duplicibus. Beatissima Maria Magdalena, quæ ferventissimo accensa amore omnem a se timorem servilem excluserat, non timebat serviliter domui suæ, hoc est, animæ suæ a frigoribus nivis, id est, tentationibus dæmonum, vel impugnationibus vitiorum, aut persecutionibus impiorum, quandoquidem omnem animæ suæ familiam duplici vestierat charitate, nempe Dei et proximi : de qua in Canticis dicitur : *Fortis est ut mors dilectio;* et : *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem nec flumina obruent illam.*

Psal. XVI, 4.

Philipp. III, 13.

Summa christianæ religionis in quo consistat.

Cant. VIII, 6, 7.

Stragulatam vestem multiplici virtutum charismatum et bonorum actuum varietate conspicuam fecit sibi, byssus innocentiæ et castitatis, et purpura charitatis, qua virtutes omnes et exornantur et perficiuntur, indumentum ejus. Beata anima quæ his tecta virtutibus est. Nobilis in portis, id est, extremo judicio (olim namque in portis fiebant judicia), vir ejus, Dominus Jesus Christus, quando sederit cum senatoribus terræ, sanctis Apostolis et

cæteris perfectis viris ad judicandos vivos et mortuos. Tum enim omnes pariter illius intelligent majestatem et, velint nolint, verum Deum, quæ summa nobilitas est, confitebuntur. Sindonem fecit et vendidit, præbens omnibus in se purissimæ castitatis exempla atque ad sui imitationem provocans : et cingulum tradidit Chananæo : homines a Deo alienos invitans ad pœnitentiam et arctiorem vitam, quæ potest per cingulum accipi, quo corpus stringitur. Vel cingulum tradidit Chananæo, quando Christi ex Chananæorum terra oriundi servitio se mancipavit. Fortitudo et decor indumentum ejus : siquidem constantiam in adversis retinet, et mores compositos atque honestos ubique sectatur: et ridebit in die novissimo ob conscientiæ securitatem, quam præstat vita sincera et inculpata.

Cingulum tradere Chananæo quid sit.

Os suum aperuit sapientiæ, nihil unquam futile, nihil supervacaneum, nihil stultum aut scurrile proferens, sed quod sit ad ædificationem fidei, ut det gratiam audienti : et lex clementiæ in lingua ejus, qua consolatur afflictos, imbecilles, fragiles, tentationibus prægravatos, quibus piæ consolationis fomenta adhibenda sunt, ne abundantiori tristitia absorbeantur. Consideravit semitas domus suæ, et conscientiæ suæ latebras omnes perspexit, panemque otiosa non comedit. Non enim otio torpentibus, sed fortiter decertantibus datur regnum cœlorum. Sed et Apostoli ea verba sunt, ut qui non laborat, nec manducet. Et hic utilissima institutio est, ut unusquisque sese non alios consideret. Habent enim singuli sua vitia, quæ si bene attendant, incuriosi erunt alienorum. Surrexerunt filii ejus, qui ejus vel verbis vel exemplis ad Dominum conversi sunt, et beatissimam prædicaverunt, tum ob eximia gratiæ dona, quæ percipit in præsenti, tum ob futuram gloriam in cœlis illi repositam : et vir ejus, id est Christus laudavit eam, dum laudabilem reddidit, et olim etiam in cœlis coram sanctis omnibus laudabit. Multæ filiæ, sanctæ Ecclesiæ congregaverunt divitias virtutum et meritorum : at tu, beatissima Maria Magdalena, omnes pene supergressa es, excellentissime coronata in cœlis. Fallax gratia et favor humanus, et vana est corporis pulchritudo : mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, ut ex iis quæ gessit in corpore, metat vitam æternam, et laudent eam in portis extremi vel particularis judicii opera ejus. *Bonorum* enim *operum gloriosus est fructus*. Impii autem qui hic bene operari negligunt, non laudem, sed ignominiam sempiternam referent ex sceleribus suis.

II. T... III, 10

Sap. 15.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, LUCÆ VII.

IN præsentis diei Evangelio, fratres charissimi, proponitur nobis exemplum veræ pœnitentiæ in beatissima Maria Magdalena, in qua sicut abundarat iniquitas, ita abundavit et gratia, quam Christus pro sua benignitate totam convertit ad se, unico gratiæ suæ, sed singulari valde respectu, adeo in ea veterem exstinguens hominem, peccandique destruens consuetudinem, vertensque illi in nauseam quidquid prius male dilexerat : denique tanta eam inflammans charitate, ut inter præcipuos sanctos merito numeretur. Quam magna multitudo misericordiæ tuæ, Domine Jesu, quam inæstimabilis altitudo sapientiæ tuæ, quam incomprehensibilis virtus potentiæ tuæ, qua tantis iniquitatibus tam facilem dedisti veniam,

tam longe et misere aberrantem ad vitæ reduxisti viam, tam inexplicabilibus irretitam nexibus vitiorum, omnino reddidisti liberam et absolutam ! In his omnibus tuam, Domine, prædicamus bonitatem, tuam efferimus clementiam : quia toto ad te corde converti post admissa peccata non volentis est neque currentis, sed miserentis gratiæ tuæ. Atque utinam tua efficias gratia, ut hoc tam memorabile pœnitentiæ exemplum omnes peccatis deditos ad meliorem animum revocet, quibusque libuit imitari peccatricem mulierem, libeat etiam imitari pœnitentem discipulam tuam. Non enim propterea memoriæ posterorum commendari voluisti misericordiæ tuæ viscera, quæ in beatissimam Mariam Magdalenam declarasti, ut simus ad peccandum audentiores, sed ut ad agendam pœnitentiam efficiamur alacriores. Plane, inquam, dilectissimi, insignis nobis hodie peccatrix, sed eadem toto animo pœnitens Evangelica lectione depingitur, ut et nos declinemus a malo, et faciamus dignos pœnitentiæ fructus. Alioqui ad majus judicium nobis erit Mariæ Magdalenæ pœnitentia, si nos pigeat illam pro modulo nostro imitari. Atqui ipsum Evangelium inspiciamus.

Rogavit Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit.

Pharisæorum in Christum insidiæ et odii inexpiabiles.

Pharisæorum Dominus Jesus multas semper insidias perpessus est. Publice illum calumniabantur, occulte illi derogabant : quandoque blanditiis eum demulcebant, sed ut velut incautum gravius vulnerarent et tamen quamvis eorum erga se malitiam et inexpiabile odium non ignoraret, nihilominus non refugit eorum convivia, si qua forte ratione eos a sua dementia potuisset revocare. Dolebat eorum insaniam, sed quia non tam infirmitate quam destinata malitia eum persequebantur, difficile curari poterant. Caveamus ergo invidentiam, quæ miseros Scribas et Pharisæos Judæorumque pontifices eo miseriæ, imo malitiæ adduxit, ut vitæ auctorem perimere non dubitarint. Ingressus est igitur Dominus domum Pharisæi non tam manducandi causa, quam illum convertendi. Quanquam etiam hic notandum sit Dominum propter nos, cum dives esset, tantam subiisse inopiam, ut etiam hostium suorum, nempe Pharisæorum, voluerit cibis sustentari.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti.

Mulier quænam revera hæc fuerit.

Mulier hæc non alia fuisse credenda est, quam soror Lazari, tametsi quidam diversum sentire videantur. Sufficiat nobis ita sentire Romanam Ecclesiam, pluresque doctissimos et sanctissimos patres. Peccatricem autem eam fuisse et quidem insignem declarat Marcus, dum ait ab ea septem dæmonia, id est, ut Patres exponunt, vitiorum universitatem esse expulsam. Erat autem divitiis et deliciis affluens, quæ res uberem illi peccandi materiam suppeditabant : jamque illius vita dissoluta in tantum apud omnes divulgata erat, ut peccatrix diceretur. Quod autem corde compuncta, venit ad domum Pharisæi, non casu illi evenisse putandum est, sed quod Dominum forte audierit concionantem. Facile autem potuit Dominus Jesus verborum suorum aculeos in illius cor defigere, eamque penitus animo sauciare, lucisque suæ radiis illustrare tenebras mentis ejus, ut turpitudinem suam, vitæque pericula agnosceret, atque ex iis agnitis terrore concussa, sui emendationem meditaretur. Tracta est igitur prius a Domino, ut veniret ad auscultanda verba illius. Non enim venisset, nisi traheretur. Si autem non venisset, misericordiam non esset consecuta, quia nec pœnitentiam egisset, ad quam agendam incitata et compuncta est sermonibus Salvatoris. Sed mirum est quod nulla habita neque convivii neque convivarum ratione, confusione contempta, ingressa est alienas ædes, et

Peccatrix cur dicta fuerit Maria Magdalena.

Mariæ Magdalenæ initium conversionis quale fuerit.

Confusio Mariæ Magdalenæ publica qualis.

aliis epulantibus, ipsa lacrymis sese affligit. Verum fecit hoc intima peccatorum suorum agnitio et vehementissimus dolor, quod Deum suum tam dire offendisset : et quia publice peccaverat, multisque fuerat peccandi occasio, publicam quoque non erubuit agere pœnitentiam, nihil magnopere quid de se sentirent homines sibi curandum putavit, tantum ut posset cum Deo redire in gratiam. Vicit pudorem ingens dolor et amor, quantoque vehementius intus ponderabat peccati sui turpitudinem, tanto minus foris erubescebat coram hominibus plangere quod perpetraverat. Itaque attulit secum alabastrum unguenti. Noluit enim vacua venire ad Dominum, sed quem multipliciter offenderat, multis officiosissimæ humanitatis obsequiis rursus delinire contendit. Unguentum quod contra Dei voluntatem suo corpori male adhibuerat, jam venit effundere in pedes Salvatoris.

Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus et unguento ungebat.

Pœnitentiæ perfectæ forma qualisnam esse debeat.

Hæc est forma veræ pœnitentiæ, ut qui se prius extulit per superbiam, per humilitatem sese dejiciat. Humilis enim et verecunda debet esse satisfactio, per quam emendatur superba transgressio. Maria Magdalena quæ prius frontem perfricuerat, et absque ullo rubore volutabatur in sordibus vitiorum, neque Deum neque homines verita, jam verecunda domum Pharisæi ingreditur, nec tamen se jungit convivantibus, sed demisso vultu, lugubri corde sese abjecit ad pedes Domini Jesu, idque a tergo, non ausa scilicet in faciem illius conspectumque venire, quem se noverat tam impudenter contempsisse. Deinde lacrymis laxans habenas, magnum earum imbrem fudit in pedes Domini haud dubie pulverulentos et cœnosos, eo quod nudus pedes pius Dominus semper incederet, luens pœnas nostris sceleribus debitas, rigavitque pedes lacrymis, et capillis capitis tergebat quos laverat, et ore osculabatur, et unguento ungebat. Ita ergo membra corporis quibus ante peccaverat, jam pœnitentiæ studiis castigat. Oculos dudum lascivos jam lacrymis affligit : capillos ad illaqueandas animas meretricio ornatu compositos, nunc adhibet ad tergendas sordes pedum sui Redemptoris : ore prius impudico, nunc eosdem frequentissime et humillime osculatur : unguentum denique in Domini pedes effundit, iis omnibus id revera significans, quod se totam suaque omnia Deo optet velitque impendere, et priorem infidelitatem et ingratitudinem suam summa cum fide et gratitudine compensare.

Modus pœnitendi B. Mariæ Magdalenæ quam fuerit mirabilis.

Divus Gregorius in hunc locum scribens: *Greg.* Quot, inquit, in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia quidquid ex se Deum contempserat in culpa. Divus quoque Cyprianus, sermone de *Cypria.* Ablutione pedum, elegantissime hanc Mariæ Magdalenæ pœnitentiam commemorat, dicens ad Dominum : Hoc in muliere peccatrice aliquando passus es : nec dedignatus es in mensa solemni multis convescentibus infamis personæ suscipere famulatum, cujus devotio usa est ibi capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro baptismo. Tetigit, lavit et unxit unguento. Mactata intrinsecus anima proprium in Sancta sanguinem intulit : singula suum præbuere ministerium. Cor contritum erupit in lacrymas, fides lavit, charitas unxit. Hæc multa in conspectu tuo congerens holocausta, de fonte cordis fletus hausit quos protulit, de pœnitentiæ pyxide unguenta quæ obtulit, caputque pro suppedaneo stravit, crinibus circumfusis pedes sacros involvit et tersit. Nihil sibi de se retinens, totam sese tibi devovit, et tu affectum potius quam factum attendens, ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecus pœnitentem. Hæc ille.

Sed quid hæc nosse juvat, nisi imitanda suscipiamus ? Pro publicis criminibus publicam esse agendam pœnitentiam hoc exemplo docemur. Qui enim alios suis exemplis pertraxit ad vitia, sua quoque pœnitentia debet, quos evertit aut saltem evertere potuisset, ad sui emendationem provocare. Sic David sanctus pro perpetrato adulterio et homicidio qualem egerit pœnitentiam ipse de se locuples testis est multis Psalmorum locis, ut ubi ait : *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Itemque : *Miser factus sum et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar. Afflictus sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.* Cujus pœnitentiam divus Hieronymus in Fabiola sic describit : David sancti et mansuetissimi viri homicidium pariter et adulterium, septem dierum emendabat fames : jacebat in terra, volutabatur in cinere, et oblitus regiæ potestatis, lumen quærebat in tenebris : illumque tantum respiciens, quem offenderat, lacrymabili voce dicebat : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci ;* et : *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.* Atque ita factum est, ut qui me prius docuerat virtutibus suis, quomodo stans non caderem, doceret per pœnitentiam, quomodo cadens resurgerem. Hactenus ille. Olim fideles, ut divinum possent antevertere judicium, et ipsi potius in se punirent quod perperam admisissent, quam divinæ justitiæ puniendum servarent, etiam pro occultis criminibus quandoque aut ipsi ultro exigebant, aut a sacerdote oblatum non respuebant publicæ pœnitentiæ salutare remedium.

Pœnitentiam publicam quando quis agere debeat

Psalm. VI, 7.

Ibid. XXXVII, 7, 9, 19.

Hieronym.

Psalm. L, 6.

Ibid. 14.

Pœnitentiam agendi olim mos quis fuerit.

Sed hodie etiam impune gravissima admittuntur flagitia, nec tamen pœnitentiæ pharmacum quæritur, imo etiam oblatum contemnitur. Unde mala innumera proficiscuntur. Videat quisque ne sibiipsi imponat. Qui hic pro manifestis sceleribus non vult congruam agere pœnitentiam, quandoque incidet in manus Dei viventis, qui nihil patietur inultum abire. Magna quidem est misericordia Dei, et Christus Jesus abunde satisfecit pro peccatis nostris, at nihilominus ipse Dominus in Evangelio clamat : *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.* Quid tibi blandiris homuncio de Christi satisfactione, de Dei misericordia, si illius nolis jussa exequi ? Vult ille ut pro peccatis agas pœnitentiam et tu semper in vitiis jacens audes illius satisfactione contentus esse ? Obsecro, dilectissimi, sequamur pœnitentem Mariam Magdalenam, quod si non tanta nobis inest cordis contritio, precibus eam a Deo impetrare nitamur. Hoc ipsum nobis graviter doleat, quod non dolemus. Interim clamemus ad Dominum ut auferat a nobis cor lapideum, et det nobis cor carneum. Certe non fraudabimur desiderio nostro, si in prece perseveraverimus. Quid vero consultius, quid magis necessarium esse queat homini, quam ut per pœnitentiam castiget mala quæ fecit, dum adhuc vivere licet, ne inopinata exstinctus morte, cum peccatis suis mergatur in chaos tartareum, ubi nulla est redemptio ? Sequitur :

Luc. XIII, 5.

Christus quomodo pro peccatis nostris satisfecerit.

Ezech. XI, 19.

Videns autem Pharisæus qui vocaverat eum, ait intra se, dicens : Hic si esset Propheta sciret utique, quæ et qualis esset mulier quæ tangit eum : quia peccatrix est.

Ecce superbus et leprosus Simon superbo oculo divinæ clementiæ, ut ait divus Cyprianus, diligentiam non potest intueri, sed moleste fert, quod tangi se a peccatrice Dominus sustinet. Qui si lepræ suæ ipsum Dominum attenderet mundatorem, non dedignaretur, si de plenitudine gratiæ ejus alii accipiant, si lavat immundos, si justificat impios, si revocat exules et abjectos. O vere superbum Pharisæum, qui, ut ait divus Gregorius, non solum venientem peccatricem mulierem, sed etiam suscipientem Dominum reprehen-

Sermone de pedum ablutione.

dit! videlicet veraciter apud se superbus et fallaciter justus. Ægram reprehendit de ægritudine, medicum de subventione, qui ipse quoque de elationis vulnere ægrotabat et ignorabat. Duplex autem Pharisæus iste temerarium tulit judicium. Unum de Domino, alterum de Maria Magdalena; Dominum ob susceptam mulierem censet non esse prophetam, tantum abest, ut eum Deum credat: mulierem autem affirmat esse peccatricem, quæ jam peccatrix non erat. Itaque impegit in Domini prohibitionem, dicentis: Nolite judicare. Atque hinc perspicue licet animadverti, quantopere judicium omne vitandum sit. Pharisæus certo noverat mulierem hanc fuisse peccatricem, et tamen erravit graviter id de ea sentiendo, quandoquidem jamjam conversa erat. Quis ergo posthac ita stolidus erit, ut quantumvis flagitiosum hominem audeat temere judicare, cum possit in momento totus resipiscere? Quanta igitur eorum improbitas et amentia est, qui sæpe ex frivolis suspicionibus alios judicant, et quandoque etiam aliorum bene facta in pejus interpretantur? Nemo facile possit capere, quam periculosum, quam horrendum sit leviter alios judicare. Probat hoc istius Pharisæi error, qui utique bene sentiebat eam fuisse peccatricem: sed errabat credens adhuc talem esse. Faciamus igitur, quod Apostolus sapientissime admonet, ita dicens: *Non ergo amplius invicem judicemus: sed hoc judicate magis ne ponatis offendiculum, fratri vel scandalum.* At nunc videamus quemadmodum Dominus Pharisæum hunc, licet sola adhuc cogitatione isthæc pertractantem, de errore convicerit, et proprio illum mucrone jugularit.

Judicium temerarium duplex hunc pharisæum tulisse hoc in loco.

Judicare alios leviter quam sit periculosum et impium.

Rom. XIV, 13.

Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Et respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte judicasti.

Hic primo ipsum Pharisæum ad alios considerandos et judicandos male intentum ad se revocat, et ipsa verborum specie reddit attentum, tanquam illi diceret: Nosse teipsum. Tantumne est ab re tua otii tibi, aliena ut cures, eaque quæ nihil ad te attinent? Hoc, inquam, Dominus efficere voluisse videtur, dum ait: Simon, habeo tibi aliquid dicere. Istis enim verbis ejus attentionem provocat, simulque a mulieris temeraria judicatione sapienter abducit. Quod autem de duobus debitoribus proponit paradigma, de duobus peccatoribus intelligendum est, sed quorum unus plus, alius minus peccaverit: dumque addit fœneratorem, illis non habentibus unde redderent, utrisque donasse debitum, Dei misericordiam exprimit, nobis non habentibus unde illius justitiæ unquam possimus satisfacere, peccata nostra condonantem. Quis enim illi posset vel pro minimo peccato satisfacere? Quod ergo remittit nobis, illius immensæ misericordiæ est, non nostri meriti. Gratis justificat nos, non tamen ut hæretici volunt, quasi nos nihil agere debeamus. Namque etiam hic dicitur quod cui plus donatum est plus diligat. Quid est autem diligere Deum, nisi ejus præceptis obtemperare? Sic ergo gratis justificat, ut tamen velit nos suis obtemperare mandatis. Nec movere quemquam debet, quod Deus hic fœneratori comparatur. Revera namque fœnerator est, sed omnino benignissimus, qui sic a nobis usuras exigit, ut tamen eas non in suum, sed in nostrum velit lucrum cedere. Neque enim vult in nobis otiosa esse dona sua, sed ut proferantur in opus; et tamen nihil inde illi accedit commodi, totum nobis proficit: nobis plane et seritur et metitur. At nihilo secius vult nos esse cooperatores gratiæ suæ. Quod cum nollet servus ille piger, qui abscondit pecuniam domini sui, audivit ab eo: Serve male et

Grati
stifica
nos, q
modo
intelli
dum.

Fœner
uti dic
Deus.

Ma
xxv, 2

piger, quare non dedisti pecuniam meam nummulariis? et ego veniens recepissem utique quod meum est cum usuris. Eant nunc nostri Evangelici, et securi de meritis Christi, ipsi nulla sibi merita acquirant. Sentient quandoque quam misere et sibi et aliis imposuerint. Porro sciscitatur Dominus ex Pharisæo, uter plus dilexerit, cui minus vel cui plus donatum est : cumque respondet plus amare cui plus remissum sit, suo nimirum se gladio confodit. Unde est apud divum Gregorium in homilia : Dum sua sententia Pharisæus convincitur, quasi phreneticus funem portat, unde ligetur. Simul autem hic animadvertendum est, quanta modestia et humanitate usus sit Dominus ad hunc Pharisæum ab errore revocandum. Summa erga eum mansuetudine, non aliqua severitate utitur. Deinde eidem mala illius, et mulieris bona enumerat.

Lutherani uti frustra sibi de Christi meritis blandiantur.

Gregor.

Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigavit pedes meos et capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos.

Pulchre convincit Pharisæum minus eum dilexisse Dominum, quam pœnitentem mulierem, idque enumerando illi quæ ipse erga Dominum neglexisset, et quæ sanctissima peccatrix declarasset : tanquam illi diceret : Tu quidem Simon justus tibi videris et hanc feminam ut peccatricem despicis. Sed quod illa me longe plus amet, atque ideo justior sit quam tu, testantur illius in me maximi amoris argumenta, tuaque negligentia. Tu mihi et vilia et usitata humanitatis officia non impendisti : hæc vero et magna et insolita mihi præstitit. Quare hoc? Quia et ipsa me vehementer amat, et ipsum amorem quibus potest indiciis demonstrat : et tu parvo aut nullo mei teneris amore. Si enim diligeres, non posses utique tam erga me negligens esse. Amor enim aut magna operatur ubi est : aut si operari renuit, amor non est. Noli ergo feminam hanc despicere, quæ etsi hactenus muliebri levitate et seculari vanitate seducta vitiis dedita fuit, tamen nunc toto ad me corde conversa, ut cernis, agit pœnitentiam et quidem publicam atque ex maximo amore proficiscentem, sicut ejus facta probant. Notandum hic est, quod Dominus tam studiose Pharisæo enumerat opera sanctæ peccatricis. Cur id, obsecro, nisi quia ei gratissima sunt benefacta nostra?

Gregor.

Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

Nimirum charitas operit multitudinem peccatorum. Charitas ignis est, quo quisquis ferventer accensus est, in eo peccati rubigo omnis ad purum excoquitur. Hæc est præclarissima virtus, regina virtutum, sine qua nec fides, nec ulla alia virtus Deo placere potest. Idiota quispiam, modo charitate præditus sit, gratior est Deo, quam tota illa veterum Academicorum et Peripateticorum frequentia, de quibus Apostolus dicit, quod cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Hoc loco Dominus remissionem peccatorum charitati assignat, ne quis putet fidem solam ad obtinendam veniam sufficere. Remittuntur, ait, ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Charitas autem, ut jam ante diximus, otiosa non est. Ergo ad consequendam peccatorum veniam plurimum conducunt opera bona, ex charitate proficiscentia. Mirum quod hæc nostri Evangelici adeo parvipendunt. Sed fortassis nolunt intelligere ut bene agant, et placet illis error suus, tantum ut liberius suis possint indulgere voluptatibus. Itaque habeant si-

Prov. x, 12. Charitas quantæ sit efficaciæ virtus.

Rom. i, 21. Remissionem peccatorum pendere ex charitate.

Apoc. III, 18. bi fidem suam, nos emamus a Deo aurum ignitum probatum, id est, ferventem charitatem, ut non appareat confusio nuditatis nostræ. Charitas unit nos Deo, charitas Deo nos similes reddit. Sine charitate impossibile est placere Deo. Charitatem Basilius Magnus christiani hominis quasi peculiare quoddam insigne vocat : atque, ut idem ait, necessarium a nobis veluti æs alienum charitas erga Deum requiritur, qua carere malum est, malorum omnium longe gravissimum. Denique idem auctor ait, qui charitatem non habet eum divina gratia carere. Cæterum, quod Dominus addit : Cui minus dimittitur, minus diligit, non simpliciter accipiendum est, quasi semper minus diligant, quibus pauciora peccata remittuntur : sed quod causa, quamobrem minus nobis remittatur ea sit, quod minus diligamus. Quanto enim plus diligimus, tanto faciliorem impetramus indulgentiam : et quanto minus diligimus, tanto quoque minus nobis remittitur : idque ad peccati pœnam referendum. Nam qui vel tenuissima charitate præditus est ei culpa omnis remittitur, sed non pœna. Nefas est enim a Deo dimidiam sperare veniam, ut ait Hieronymus. Denique cum paucissimi perfectam habeant charitatem, certum est multos ex hac vita decedere ita ut nondum pœna omnis illis remissa sit : iique in purgatoriis locis tamdiu cruciantur, donec plene satisfaciant. Quod si ita non est, necesse est fateamur electos omnes perfectos mori : quod tamen ridiculum est dicere : cum multi valde imperfecti moriantur. Aut certe affirmare cogimur necdum plene expiatos recipi in cœlum : quod est contra *Sap.* VII, 25. illam Scripturæ sententiam : Nihil inquinatum intrabit in illud. Attamen certissimum est hæreticos omnes, sine purgatorio decedere : siquidem mox ut spiritum reddiderint, merguntur in tartara.

Minus quare nobis remittatur causa quænam sit.

Culpam dimitti absque pœna peccatorum.

Hieron.

Purgatorium necessario astruendum.

Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se : Quis est hic, qui etiam peccata dimittit ? Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : vade in pace.

Quod jam Pharisæo dixerat, etiam mulieri dicit, remissa ei peccata. Sed dum peccatrix sanatur, inde alii deterius languescunt, et Dominum sibi usurpare non sua putant, quasi blasphemus sit divina utens potestate, cum ipsi potius blasphemi fuerint. At quia Dominus hujusmodi calumnias sæpe experiebatur, contempsit, sententiamque suam mulieri confirmavit, addens : Fides tua te salvam fecit : vade in pace. Jam ante dixerat remitti ei peccata multa quod diligeret multum : cur ergo hic fide salvatam dicit, nisi quia eam vult fidem intelligi, quæ per charitatem operatur ? Non dixit, sola fides, vel nuda fides, sed fides tua cum spe et charitate conjuncta te salvam fecit. Vade in pace. Peccatum inter Deum et nos discordiam facit. Ergo qui justitiam colit, pacem sectatur. Dum igitur Maria Magdalena in pace ire jubetur, nihil utique aliud ei dicitur, nisi ut declinet a malo et faciat bonum, quod præstat pacem conscientiæ per quam pervenitur ad illam pacem sempiternam, quam nobis in cœlis pollicitus est Filius Dei Christus Jesus Deus et Dominus noster, si tamen et nos plangamus cum beatissima Maria Magdalena mala perpetrata, et toto corde ac ferventi amore ad Dominum conversi, serviamus illi in sanctitate et justitia omnibus diebus nostris.

Fides q modo vare qu piam astruat.

In p ire qui sit.

SERMO PRIMUS IN EADEM SOLEMNITATE

QUANTIS S. MAGDALENA VITIIS ANTE CONVERSIONEM, QUANTA ITEM ET QUAM MULTIPLICI GRATIA POST CONVERSIONEM ABUNDARIT.

UBI abundavit delictum, superabundavit et gratia. Ad Romanos, V, 20.

Quantis S. Maria Magdalena ante conversionem vitiis subjacuerit.

Dicti hujus Apostoli veritatem, fratres charissimi, facillime comprobare possumus ex ea, cujus hodie diem festum colimus, muliere, quam etiamsi consideramus qualis ante et qualis post conversionem fuerit, liquebit, sicut delictum, ita et gratiam in ea abundasse. Quod multis ante conversionem obnoxia fuerit peccatis, potest ex verbis Christi elici, quibus dixit: *Remittuntur tibi peccata multa, etc.* Ex quibus conjici licet, quod jam cognomine vocabatur peccatrix. Ita non pauca aut levia et occulta commiserat peccata, quæ id nominis obtinuerat, ut omnibus nota esset peccatrix. Ideo etiam Pharisæus, cum tangeret Christi pedes Maria Magdalena, mirabatur, quod permitteret se Christus tangi a tanta peccatrice. Nimirum si ad suos pedes venisset, ut dicit sanctus Gregorius, calcibus eam repulisset. Accedit quod Marcus, cum describeret Christum resurgentem primo Magdalenæ apparuisse, ita refert: *Surgens Jesus prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia.* Non quidem fuit obsessa Maria Magdalena dæmonibus corporaliter, sed peccatis, quibus dæmonum facta erat captiva atque mancipium. Hæc itaque peccata non levia erant, quæ vocantur dæmonia. Unde etiam non est facile credendum, quod corpore fuerit virgo beata Maria Magdalena, ut quidam dicere voluerunt, et mente tantummodo peccaverit, atque ornatu pretioso, curioso, lascivo provocans adolescentes suis studiis ac moribus ad sui concupiscentiam, putantes eam inde honoratiorem facere, cum tamen nihil modo deroget gloriæ illius quod peccatrix olim fuerit: sed potius illi aliquid addat, ut postea dicam. Non tamen etiam crediderim publicam fuisse meretricem, quandoquidem erat nobilis mulier et dives: nec fuit adeo demens, nec adeo turpis, ut omnibus sese communem exponeret. Poterat tamen habere, quo suam expleret libidinem. Fuit nihilominus publica peccatrix vocata. Et inde dicuntur peccata ejus tam gravia, quia fuit superba et lasciva, ornans se ad provocandam concupiscentiam virorum. Namque hæc duo peccata nunquam sunt sola, sed plura alia ad ea concurrunt. Erat itaque in vanitatibus vana et superba: unde sequebatur (quia dives erat) superfluus sumptus in vestium apparatu, et cæterorum muliebrium ornatuum splendore, suique superba ostentatione. Quia vero lasciva erat, sequebantur et comitabantur alia peccata multa, de quibus non est dicendum modo. Erat autem, licet non publica meretrix, tamen publica peccatrix, contenta uno aut altero amatore, et hoc palam. Quia ergo scandalo erat multis, et occasio ruinæ per vitam suam lubricam, item alliciendo et inficiendo corda aliorum, graviter peccabat, et quoddam rete erat diaboli ad capiendas animas.

Luc. VII, 48.

Gregor.

Marc. XVI, 9.

Dæmonia quomodo dicantur ex Magdalena ejecta.

Magdalena num corpore virgo fuerit.

Magdalena an fuerit meretrix publica.

Magdalena ut publica peccatrix fuerit.

Quia vero ex vase iniquitatis volebat Christus eam facere vas dilectionis (prædestinaverat enim illam ad magnam gloriam: quæ prædestinatio non poterat esse inanis), attraxit eam, ut saltem prima feminea curiositate ad prædicationem Jesu veniret. Dominus autem Jesus ita formavit verba sua, cum eam præsentem videret, illustrans gratiæ suæ radiis cor ejus, ut

Magdalenam ut Christus ad se trahere cœperit.

sua dicta illam compungerent, ac cor ejus penetrarent, et simul ignitis jaculis vulnerarent. Itaque compuncta dum plena cogitationibus atque suspiriis esset, totus mundus ei fiebat angustus, ita enim est gravatæ conscientiæ, nec poterat quiescere, donec ad Dominum rediret, quem jam credebat Deum et Salvatorem suum. Proinde discens illum invitatum in domum Simonis, quamvis de peccatis erubesceret, de quibus ante non erubuit, non tamen erubescebat pœnitere, sed abjecto pudore humano, ad convivium ingressa est in domum Simonis leprosi, sicut sanctus Lucas Evangelista in hodierno describit Evangelio.

Verum quia hactenus, quomodo superabundavit delictum in beata Maria Magdalena, diximus, nunc dicendum quomodo superabundavit in ea et gratia. Principio autem quia Apostolus dixit : *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum,* sciendum electis omnia cedere et cooperari in bonum etiam peccata post conversionem. Cernimus hoc in beata Maria Magdalena (quandoquidem omnino oportet eam excusare a peccatis,) cui etiam peccata occasio fuerunt majoris profectus, et per consequens majoris gloriæ. Non quod peccata ejus non fuerint peccata aut offensæ, sed quod fuerint ei occasio salutis, et majoris fervoris ac profectus post conversionem, quod olim ante conversionem excesserat nimis peccando : quomodo intelligitur etiam quod Dominus dicit : *Gaudium est majus Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* Tanto namque fuit ferventior postea in dilectione, quanto sensit se tarde conversam et in multis perperam se fecisse. Tanto magis curavit Deum non offendere, quanto plus ante offenderat. Tanto gratior fuit, quanto majus beneficium acceperat : quia sentiebat se ex ore inferni, ex faucibus diaboli ereptam, et tot donis ditatam. Ita ergo fuerunt occasio ei peccata melioris vitæ, majoris meriti et gloriæ. Puto equidem nunquam tam sancta fuisset beata Maria Magdalena, nisi ante fuisset peccatrix : non quia peccata fecerunt eam sanctam, sed quoniam humiliaverunt eam valde : et illa ejus tanta humilitas locum divinæ gratiæ in ea præparavit. Nec tamen omnibus profuit etiam electis quod peccaverant. Aliqui enim magis accenduntur erga Deum, quod servati sunt in innocentia : alii quod perducti sunt ad pœnitentiam. Secundum ergo dispositionem cujusque hominis operatur gratia : et ut operetur gratia in eo, ita permittit Deus hominem aptari. Est itaque prima gratia magna Dei, quæ abundavit in beata Maria Magdalena, quod peccata ejus ei Deus non solum ad damnationem non imputavit, sed etiam ad profectum ordinavit, et majorem charitatem.

Secunda gratia quæ collata est in beatam Mariam Magdalenam, est perfectæ conversionis. Paucis sanctorum donatum est, ut ex immunda vita, ad perfectam pœnitentiam venerint. Licet plures sint pœnitentes quam innocentes, tamen perfectam pœnitentiam agentes pauci sunt. Unde Ambrosius plures dicit reperiri posse, qui innocentiam servaverint, quam qui perfectam pœnitentiam egerint. Quod tamen intelligitur de perfectissima pœnitentia, quæ non solum peccata damnat, nec solum carnem castigat, sed etiam vitia carnis et affectiones pravas et concupiscentias mortificat. Talem pœnitentiam fecit beata Maria Magdalena. Videte ejus contritionis fervorem, videte ejus dolorem. Non exspectavit ut solum inveniret Dominum, sed super convivas ingressa est, nihil curans quid homines cogitarent, modo propitium sibi haberet Dominum. Cogitans autem quid pro munusculo Domino offerret, animadvertit Dominum terrena non amare : pro fatigatione tamen et calore relevando emit unguentum nardi pystici et instar aquæ rosaceæ fluidum ac refrigerativum, et accessit retro (olim jacebant discumbentes, non sedebant : ideo retro expositis pedibus potuit appropin-

Rom. VIII, 28. Ut electis omnia cooperentur in bonum.

Luc. XV, 7.

Peccata ut S. Magdalenæ profuerint.

Pri… gratia N… gdalenæ … collata quæ.

Gra… conversi… nis perf… ctæ S. M… gdalenæ … collata qualis.

Pauc… perfecte … pœniten…

Ambro…

quare) pro verecundia, stans secus pedes pro humilitate, et ex nimio dolore cordis fluebant ei tot lacrymæ super pedes Domini, ut illos lacrymis lavaret. O quid operabatur Dominus in corde hujus mulieris! Capillos deinde suos accepit ad tergendum : quibus ante superba lascivierat, eos nunc Domino in ministerium parat: et osculabatur pedes ejus pro summa devotione, et ungebat. O quales cogitationes ascenderunt in cor ejus! Christus manducabat in mensa foris, sed magis ibi convivium habebat cum anima beatæ Mariæ Magdalenæ, quam trahebat, liquefaciebat et urebat in camino divinæ dilectionis. O quam subita mutatio! Heri peccatrix fuit, et filia diaboli : hodie filia, et discipula, et sponsa facta est Christi. Heri malis pejor erat : hodie multis, qui nunquam mortaliter peccaverunt, effecta est melior atque perfectior.

Magdalena quam subito mutata.

Non dubium, quin multis innocentibus surrexerit sanctior : siquidem sanctitas et essentiale meritum non ex operibus pensatur, sed charitate, qua fit ut opera meritoria sint. Charitas enim est, qua fit ut mereamur : et quanto major est, tanto plus meremur. Potest quis ex peccatis surgere et vivificari atque donari majori gradu charitatis, quam qui ante multis annis innocenter vixerit. Non quidem iste habet opera, sed habet majorem charitatem, quæ tamen otiosa non manet, sed quo major est, eo magis inde operatur. Videte quam temere judicarit Pharisæus. Habebat ipse opera justorum, sed non habebat tantam charitatem ad Deum, quantam mulier una die conversa : ideo fuit illi prælata in merito. Temere itaque judicavit, et Mariam quasi peccatricem, quæ jam non erat, sed conversa et majori gradu charitatis fulcita, quam ipse, et Christum judicavit quasi nescientem, et qui deberet non permittere se tangi ab ea persona, quæ omnium per ora volabat, tanquam omnium hominum familiaritate esset indigna. Videte quam neminem debeamus judicare etiam peccatorem, quia qualis in momento esse potest, aut jam est mutatus in corde ignoramus : et subito resurgere potest in majori charitate : ergo etiam in majori sanctitate.

Meritum quid efficiat.

Judicium temerarium quantopere vitandum.

Cum autem Pharisæus ille diceret intra se : *Si hic esset propheta, sciret utique quæ et qualis esset mulier, quæ tangit eum,* Dominus similitudinem ac paradigma opponit inter cætera, dicens : Cui plus dimittitur, plus diligit, et cui minus dimittitur, minus diligit. Sed dicat forte hic aliquis : Ergo oportet me peccare multum, ut multum mihi dimittatur, et sic cum dimissum fuerit multum, diligam etiam multum. Non oportet te plus peccare, ut plus dimittatur : quia multi plura admittunt peccata, quibus tamen nihil dimittitur : sed oportet te peccata magis agnoscere, et te debitorem fateri. Quanto te magis agnoscis debitorem, tanto tibi plus dimittitur. Dupliciter namque possunt hæc intelligi verba, scilicet cui plus dimittitur, etc. Est qui peccatum suum parum curat, nec agnoscit quantum offenderit Deum. Iste quidem peccatum non magnipendit. Quare hoc? Quia non magno in pretio habet Deum, quem offendit. Quidquid enim magni æstimat homo, id sane non vult amittere aut offendere. Quia ergo parum agnoscit, parum etiam dolet; et idcirco parum etiam dimittitur ei : et ideo parum etiam beneficii consecutum se putat ex hac dimissione peccati : Deo parum gratus est pro beneficio, parumque diligit. Sunt qui minima plangunt ut alii magna, quia cognoscunt quantum sit offendere Deum. Isti pro minimis putant se magnos debitores : ideo multum dimittitur eis, atque hoc ipso multum diligunt pro magno beneficio, quod putant magnum, quia est vere magnum.

Plus diligere eum cui plus remittitur, quomodo sit intelligendum.

Alio modo possunt ita intelligi : Dimittitur homini non solum quod peccavit, sed etiam quod præservatus est ab aliis peccatis. Qui ergo etiam in paucis deliquit, et a multis præservatus est, si vere sapiens est, multorum se debitorem constituit, scilicet et eorum quæ incidit, et quæ inci-

dere potuit : quæ utraque sunt dimissa. Alterum est, quia resuscitatus est per gratiam a malis, in quæ incidit : alterum quia præservatus, ne incideret : quæ incidisset, nisi præservatus fuisset. Multa dimissa sunt beatæ Mariæ Magdalenæ : quia et quæ commisit, et a quibus ne ea committeret, præservata fuit. Hoc cum agnosceret, et utrobique debito se obnoxiam intelligeret, tanquam pro duplici magno beneficio dilexit multum. Ille autem qui minus agnoscit, minus diligit, minusque dimittitur ei. Itaque non est ut plus pecces, sed ut perfectius agnoscas, in quo sis debitor : quia pro transgressione, et pro præservatione a peccato debes. Id in quo transgressus es, non leviter æstimes : ita fiet, ut et multa tibi dimittantur, et multum diligas benefactorem magnum.

Agnoscenti plus ignosci.

Tertio, abundavit in ea gratia ardentissimæ charitatis. Tanta fuit in ea charitas, ut etiam supra dixi, ut in initio conversionis multos excelleret, qui multo tempore innocentes Deo servierant. Dilexit quoque multum, quia intellexit multa sibi dimissa; et quæ commisit, et quæ committere potuit.

Gratia charitatis quanta abundarit in S. Magdalena.

Ejus autem dilectio primo liquet ex hoc, quia reconciliata, Christum deinceps nunquam offendit, nec amplius peccavit, sed semper de cætero innocenter vixit. Secundo, quia Christo semper adhæsit, prædicanti aderat, ambulantem sequebatur, comedenti assidebat ad ejus pedes. Quando adveniebat Jesus mortuo Lazaro fratre ejus, ait : *Domine, si fuisses hic non esset mortuus frater meus*. Quæ verba, ex nimio amore erga Christum protulit. O quantum fiebat illi ! et hoc ex amore. Vocata cito occurrit ei, vocaverat enim Dominus eam, sciens quantum se diligeret. Cum aperiretur Lazari sepulchrum, timuit Maria pro Jesu, ne fœtore gravaretur, et ait : Domine, jam fœtet, etc. O quam fidele cor pro dilecto gerebat ! Patientem quoque eum credenda est nunquam deseruisse. Quando Jesus amor suus pependit in cruce, illi quoque lacrymabilis assistebat, tota vulnerata et compassione et amore. O quam libenter crucem Domini portasset, ac cum ipso mortua fuisset ! Præter Matrem enim Domini non fuit afflictius cor et mœrens magis quam Mariæ Magdalenæ in passione Domini. Quare aliis abeuntibus, ipsa mansit sub cruce. Ideo etiam summa cum devotione de facultatibus suis ministravit Domino, ut inquit Evangelista. Bis quoque Christum unxit viventem : primo, conversa : secundo, sabbato ante diem Palmarum. Item non sufficiebat ei quod Joseph ab Arimathea defunctum condierat, sed volebat etiam ipsa mortuum ungere, quod cum sexta feria non posset propter noctem, nec sabbato propter festum, altera post sabbatum, cum adhuc tenebræ essent, venit ad monumentum : quia cum maxima angustia exspectaverat tamdiu, ut sabbatum transiret, ut suo posset amori satisfacere. Mansit quoque aliis mulieribus recedentibus ad sepulchrum flens, nec poterat ab illo separari, neque noctem imminentem, nec milites armis strepentes ac sævientes timens. Christum item agnoscens, voluit se in terra prosternere ad tenendos pedes ejus. O quam festinanter cucurrit ebria præ amore ad annuntiandum aliis, cum Christus illi diceret : Vade, nuntia fratribus meis. Postquam autem ascendit Christus, ac si nihil haberet in terris relictum sibi charum, ivit ad desertum, ibique mansit triginta annis, Deo et Angelis solis cognita.

Magdalenæ charitas erga Christum unde perspici possit.

Joann. xi, 21.

Quarto, gratia mira superabundavit in ejus perfectissima conversatione. Nam omnium virtutum fuit speculum. Humillima etiam fuit : ideo se non excusavit, cum soror ejus Martha contra eam quereretur : sed Dominus eam non modo excusavit, sed et laudavit, ut habetur etiam hodie uno in Evangelio. Nunquam laudavit Dominus aliquem in præsentia illius nisi beatam Mariam Magdalenam : quod utique non fecisset, nisi ejus maximam humilitatem scivisset. Fuit quoque patientissima : ideo non obmurmuravit, nec indignationem concepit adversus murmu-

rantes discipulos, Simonem ac alios, perfectior in hoc Apostolis existens, qui murmuraverunt contra duos fratres, Jacobum scilicet et Joannem, cum vellent cum Christo sedere ad dextram et sinistram ipsius, et vindictam ignis de cœlo petebant contra eos, qui Christum recipere noluerunt.

Gratia contemplationis ut abundarit in S. Magdalena.

Quinto, in ea superabundavit gratia contemplationis. Siquidem in eremo triginta annis, elevata in aera manibus Angelorum, septies per dies singulos cœlestes hausit melodias, tota in Deum absorpta : et quo volebat ire, non suorum pedum vel aliorum hominum ministerio, sed ductu angelico ferebatur.

Gratia familiaritatis erga Christum quanta in S. Magdalena.

Sexto, beata Maria Magdalena abundavit gratia singularis familiaritatis ad Christum. Nunquam enim poterat diu Christo abesse, et post Domini Matrem non legitur Christus cuipiam se adeo familiarem exhibuisse, quemadmodum beatæ Mariæ Magdalenæ. Apud quem ita libenter moratus, ita sæpe hospitatus est Christus? Cui ad suos pedes sedenti tam dulciter prædicavit? Cui adeo collacrymatus est flenti? Quem orantem tam cito exaudivit? Quem excusavit ita studiose simul et amorose apud discipulos? apud sororem? apud Simonem leprosum? Quem denique ita præsentem laudavit? Denique et excitatus a mortuis, primus illi apparuit, ut quam vivens in carne mortali exhibuerat, etiam jam redivivus et immortalis eidem exhiberet præcipuam et amicitiam et familiaritatem.

Gratia intercessionis quanta in S. Magdalena.

Septimo, abundavit gratia singularis intercessionis. Non dubium est, quin sicut Christus eam sibi habuit charissimam, ita promptissime illius precibus assenserit olim in terris, atque etiamnum annuat in cœlis. Magna charitas invincibilem Deum facile superat. Legitur Deus quondam ad preces Josue jussisse Solem et Lunam totius diei et noctis spatio in eodem loco consistere: multaque alia Scriptura Sacra commemorat fecisse Deum suorum amicorum precibus adductum. Ita ergo et quidem multo magis ob hanc sibi tam eximie dilectam sponsam suam beatam Magdalenam multa fecit et facere non desinit. Possemus id multis probare exemplis, nisi prolixitatem vitaremus. Nec est sane ullis opus exemplis, ubi per se quilibet potest nullo negotio intelligere Dominum nostrum Jesum Christum nihil illi negare aut potuisse aut posse, quam et ipse tanta sibi familiaritate conjunxit, et a qua se tam voluit vehementer amari. Nihil enim tam est efficax ad impetrandum, quam ingens charitas.

Neque vero quisquam aut potest aut debet ambigere, quin sicut olim adhuc in terris beata hæc Maria Magdalena ferventissimo Christi flagravit amore, ita hodie sit Seraphicis adjuncta spiritibus, et inter illos ignitissimos lapides cœlestis Jerusalem tanquam gemma præclarissima niteat ardens inæstimabiliter et mirifice resplendens, tota fervens amore incomparabili, et luce micans ineffabili, totum illud cœleste palatium mirum in modum amoris suavitate et splendoris serenitate exhilarans. Quam nos, charissimi, modis omnibus decet et assiduis precibus nobis apud Deum patronam conciliare, et virtutum ac benefactorum ejus exempla imitari. Peccatricem quondam fuisse agnovimus, sed relictis vitiis perfecte pœnituisse. Et nos ergo, qui sine peccatis non sumus, male hactenus actam vitam deploremus, et contractas vitiorum maculas pœnitentiæ lacrymis eluamus. Voluit omnipotens Deus hanc insignem peccatricem ad maximam suæ amicitiæ prærogativam evehere, ut nos non desperemus post perpetrata peccata, sed de divinæ pietatis visceribus confisi redeamus ad implorandam divinam Dei misericordiam, et superioris vitæ damnata cæcitate ac nequitia, deinceps caste, religiose et juste vivamus. Non vincitur Deus multitudine scelerum, ubi vera et sincera agitur pœnitentia. Jam nunc resipiscamus, et laqueis dæmonum excussis, confugiamus ad pium Patrem; ecce exspectat nos. Sit animus rectus et

Magdalena seraphicis creditur inserta choris.

candidus, qui vitia oderit, et sit deditus pietati. Curramus, properemus, jam hoc ipso puncto, hoc momento convertamur. *Ambros.* Nescit tarda molimina Sancti Spiritus gratia. Hodie licet, cras fortassis non dabitur opportunitas. Si ex animo cupimus redire cum Deo in gratiam, et totos nos componimus ad illius voluntatem, nulla erit in impetranda venia difficultas. Adjuvet infirmitatem nostram, qui propter nos infirmus fieri dignatus est Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per infinita secula seculorum, Amen.

SERMO SECUNDUS IN EADEM SOLEMNITATE

SERVARE INNOCENTIAM, ET AD VITAM SPIRITUS PER PŒNITENTIAM RESUSCITARI, UTRUMQUE DIVINÆ GRATIÆ ESSE MUNUS.

POSTQUAM convertisti me, egi pœnitentiam. Jeremiæ XXXI, 19.

Hæc verba non absurde possunt tribui beatissimæ Magdalenæ pœnitentiam agenti, quasi quæ Domino Christo ejus fervorem contra Pharisæum laudanti respondendo, laudem declinaverit, dicens : Postquam convertisti me, egi pœnitentiam, ac si dicat : Antequam tu me convertisti qualis fuerim, et omnis civitas, et hic Pharisæus novit, modo vero postquam convertisti me, egi pœnitentiam, hoc est, non ego laude digna sum. Tuum agnosco donum, tua gratia est, quod ago et quod sum. Pœnitentiam ago, sed postquam convertisti me. Duo hujus thematis verbis innuuntur, quæ ad beatæ Magdalenæ conversionem et pœnitentiam, imo et ad opus quodlibet bonum concurrunt, Dei gratia et humana voluntas. Quidquid boni facit homo, utrique adscribitur, magis tamen gratiæ Dei, utpote origini et causæ, quam humanæ voluntati : quamvis juxta communem legem, neque sola gratia sine hominis arbitrio, neque arbitrium hominis sine gratia, bonum, quod vere sit bonum ac æterno præmio dignum, efficiat. Nam quidquid solius gratiæ est, Dei non hominis est : quidquid humanæ solius industriæ est, id præmio æternali dignum non est. Dicit igitur beata Magdalena : *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.*

Ad quodlibet opus bonum quæ duo concurrant.

Quisquis salvatur, ex gratia Dei salvatur, quæ prædestinat homines : hunc per innocentiam servans, alterum per pœnitentiam liberans. Quare autem Mariam Magdalenam non servaverit innocentem, ut Margaritam aut aliam quamvis sanctam virginem, non est nostrum inquirere. Secretum Dei est, quod tametsi lateat nos, apud Deum tamen nulla caret ratione. Porro, hoc nobis compertum est, utramque a Deo prædestinatam : hanc per innocentiam, illam per pœnitentiam, utramque Dei gratia salutatam. Quæ gratia in neutra vacua fuit, sed operibus bonis omnibus abundare fecit. Potuisset pius Dominus Magdalenam æque ac Margaritam innocentem præservasse. Atque rursus potuisset benignus Dominus Margaritam, si non præservata cecidisset, quemadmodum Magdalenam per pœnitentiam resuscitasse. Ambæ erant electæ. Divinæ gratiæ munus est, et innocentem servare, et ad pœnitentiam, imo ad innocentiam peccantem resuscitare. Adeo autem bonus est Deus, ut peccata dimittat, et male actæ vitæ reatus erroresque non improperet. Adeo bonus est Deus, ut pœnitentem haud minus atque innocentem diligat. Adeo bonus est Deus, ut opera bona pœnitentis sicut innocentis, modo utriusque alioqui par sit devotio aut charitas, æqualiter respiciat, æqualiter coronet.

Quam bonus sit Deus pœnitentibus.

Adeo bonus est Deus, ut ejus, qui ex multis peccatis conversus est, nolit etiam iniquitatem recordari. Quid est non recordari? Non ulcisci. Non dico, quod nolit satisfactionem et pœnitentiæ lamenta exigere. Neque enim Deum laudare est, ita ejus statuere misericordiam ut justitiam prætermittamus. Misericorditer justus est, et juste misericors. Itaque peccata non vult ulcisci, non vult recordari, si tu ultus, si tu recordatus fueris. Audi quomodo non recordatur. Tantam, si post peccata ad ipsum conversus fueris, præsto est dare tibi gratiam, quantam, si nunquam peccaveris. Tantam mercedem operibus tuis daturus est, vel iis, quibus peccata diluis, quibus justitiæ ipsius satisfacis, quantam daret, si nihil haberes in te puniendum. Hoc est, opera pœnitentiæ, opera satisfactionis, et quæcumque agis pia, quibus peccata, id est, pœnam peccatorum tuorum redimis, eamdem tibi mercedem, eamdem gloriam comparabunt, ac si nunquam peccasses, aut nihil, pro quo satisfaciendum esset, haberes. Et quid hoc mirandum in bonitate divina? Quandoquidem et in innocente et in pœnitente idem est ipse, qui opera bona, non sine nobis, sed per nos operatur : idem est ipse qui opera in nobis bona, quæ operatus est, nobis donat, id est, pro merito nobis computat, illaque tanquam nostra coronat.

Pœnitentium peccata quomodo non recordetur Deus.

Consolatio idcirco est magna pœnitenti, metuenti fortasse, quia peccatis fuit olim multis obstrictus, ne nihil hic ad gratiæ, et subinde etiam ad gloriæ augmentum possit mereri, propterea quod multa sibi adhuc restent peccata, per satisfactionem nondum usquequaque deleta. Siquidem uno eodemque opere meritorio, et peccata tua, hoc est, pœnam peccatorum tuorum, cui obnoxius es, diluit Deus, o pœnitens, et pro eodem, ut dixi, opere, ac si nihil satisfacere deberes, aut nullum peccatum haberes delendum, sempiterno te præmio donat. Neque enim personarum est acceptor Deus, neque improperat, quæ dimittit peccata, neque pœnitentis minus

Consolatio magna pœnitentibus.

Operis pœnitentialis virtus duplex quæ sit.

Act. x, 34.

valent opera, quam innocentis, cæteris, ut dici solet, paribus, cum in gratia Dei uterque sit et in charitate operetur ; et plerumque fiat, ut pœnitens, qui nondum satisfecerit pro peccatis patratis, in majori sit gratia, et perfectiori operetur charitate, quam qui singularia non habet, pro quibus satisfaciat, gravia peccata. Hæc dico ob nonnullorum pusillanimitatem, qui interdum dicunt : Ego nihil boni per Dei possum gratiam operari, quo merear, quia tot sum obrutus peccatis veteribus, ut si quæ facio bona, cuncta transeant, vixque sufficiant ad satisfactionem peccatorum. Humilitas quidem toleranda esset horum, qui ita sentiunt : error tamen nihilominus etiam amovendus est, et credendum opus bonum pro peccatis, si peccata invenit, satisfacere juxta divinam justitiam, et idem opus simul præmio æterno a Deo coronari, juxta divinam clementiam, idque diverso respectu, videlicet propter opus sibi laboriosum aut pœnale, quod operans operatur, et propter charitatem, ex qua operatur, seu ad operandum movetur. Transeo hæc, quia amplior est materia de essentiali et accidentali merito aut præmio apud Theologos : qui hic vult, potest eruditionem petere uberiorem ex doctoribus super libros Sententiarum.

Mihi consultissimum videtur pro peccatis suis quemvis debere Christi passionem ac merita offerre, sua opera, (quamvis quæcumque possit bona, debeat unusquisque indesinenter operari), despicere, merito ac præmio indigna æstimare, ad solius Dei gloriam, non ut mercenarius, sed ut filius operari bona, et ex sola Dei misericordia a Christo regnum cœlorum exspectare. Ad beatam Magdalenam revertamur. Postquam convertisti me, inquit, egi pœnitentiam. Conversa est a vita impia ad piam, ab iniquitate ad virtutem, a via damnabili ad salutarem. Qualis ante conversionem fuerit, Evangelista satis indicat, qui septem dæmonibus eam, id est, ut Gregorius dicit, cunctis vitiis plenam, asserit liberatam. Publica fuit pec-

Passio ac merita Christi quomodo pro peccatis nostris offerenda sint.

catrix, non meretrix, quæ unum, ut creditur, alterumve palam admiserit amatorem. Quo impudicitiæ juxta ac inverecundiæ suæ exemplo multos scandalizabat, et lascivis moribus ornatuque fastuoso, ad sui concupiscentiam non paucos illiciebat.

Cæterum, ut dixi, credenda non est fuisse publica meretrix, sed publica, id est, manifesta peccatrix : de cujus virginitate, id est, utrum corpore corrupta fuerit necne, disputent alii : nobis hoc certum sit, modo neque gloriæ, neque ejus quidquam demere sanctitati, aut in Ecclesia honori, quod peccatis olim captiva fuerit diaboli. Quæ contrito tandem sub pedibus hoste, ad amplexus recepta venerit Dei, cum nos quoque in ea nihil minus, sed magis veneremur sanctissimam pœnitentiam, quam in nonnullis aliis jugem innocentiam. Unde pariter liquet quam nihil gaudio, quam nihil sanctorum deroget honori, quod non minus in cœlo jam manifesta eorum prava sunt opera a quibus per gratiam Dei sunt erepti, quam bona, pro quibus sunt coronati : quandoquidem etiam nos in mundo afficimur suavius quandoque ad eos sanctos, qui calcata carnis spurcitia superatisque cunctis illecebris, quibus olim subdebantur captivi, ad ardentissimum Dei amorem creduntur evasisse, quam ad eos, qui semper innocentiæ leguntur palmam tenuisse. Itaque beata Magdalena, quæ ex seipsa diabolo se mancipaverat famulam, et ejus captivitatem, sicut piscis hamum, unde se redimere non potuit, sponte intraverat, Christi miseratione, quod fatetur, educta est. Illuminata resipuit, pœnituit, ad medicum et Salvatorem cucurrit, et totam se ei in sanctificationem et holocaustum obtulit.

Magdalena uti se coram Deo in holocaustum obtulerit.

Per quæ peccaverat, per quæ Deum offenderat, per hæc eadem et Christo serviebat. Ambulaverat frontosa post concupiscentias et desideria sua, accessit humilis ad pedes Domini : et ne quidquam verecundiæ deesset, stat retro secus pedes ejus flens et tremens. Quæ oculis lascivientibus ad peccata et alios sæpe illexerat, et ipsa illecta fuerat, nunc lacrymis eos affligit adeo exuberantibus, ut pedibus Domini non modo madefaciendis, verum lavandis etiam sufficerent. Quæ crinibus ad vanitatem et diaboli servitium se extulerat, modo in Domini ministerium illis utens, ad pedes ejus tergendos se inclinat. Ore scurrilia impudicaque evomuerat, quo nunc suavissimos Domini pedes amantissimo affectu lambit. Auribus malesuavia, sed pestifera colloquia audiens, lethale animæ virus hauserat, at nunc ad pedes Domini auscultans vitæ antidotum pectore recondit. Nihil in ea manet otiosum, totam se reddit Domino, quæ totam se Domino abstraxerat. Ita et nos, fratres charissimi, qui ad pœnitentiam agendam isthoc exemplo provocamur, in pœnitentia ferventes simus. Non vacemus otio, non inutilibus colloquiis, non infructuosis operibus tempus amittamus. Pretiosa tempora sunt quibus aut ingentia lucra possumus diligentia nostra mercari, aut inertia perdere. Quidquid boni gessimus, quidquid laudabile agimus, modicum sit et vile in oculis nostris : et quam multa reprehensibilia admittamus, e regione conferamus. Deinde etiam pensemus si quæ bona operamur, quam parvo fervore cuncta fiant, quam parum sincere, quam parum integre, quam multis imperfectionibus vitiata, et quam multis defectibus sint inquinata. Adeo ut merito non modo de peccatis nostris, sed etiam ex bonis nostris dolorem atque lugendi materiam inveniamus : benignitate vero optimi et misericordissimi Dei pacem et consolationem. Huic attribuere, huic gratias agere, huic acceptum referre debemus, quidquid boni agimus aut habemus.

Pœnitentiæ fe[illegible] ter in[illegible] tendu[illegible] se.

Qui ex peccatis ereptus est, Domini misericordia ereptus est : et qui a peccatis servatus est, Domini misericordia servatus est. Igitur id Domino, non sibi acceptum referat, se vero omnium, quæ vel male egit, vel male acturus fuisset, si Domini manu præservatus non fuisset, reum atque debitorem cognoscat, ut juxta Evan-

gelium hodiernum multum diligat, quum multa sibi dimissa intelligit. Cui enim minus dimittitur, inquit Dominus, minus diligit. Non præferuntur hac sententia peccatores pœnitentes innocentibus. Nec ut plus pecces necessarium est, quo Deo non desit copia multum dimittendi. Hoc enim quidam putantes: quomodo, inquiunt, multa dimittuntur paucis delinquenti? Itaque si minus diligit, cui minus dimittitur : ne minus ego diligam, numquid non necesse est, ut multa admittam peccata, quæ multa dimittantur? Ubi enim non multum peccatur, quomodo multum dimittitur? Ubi autem non multum dimittitur, etiam non multum secundum Christi, ut apparent, verba diligitur. Ut ergo plus diligam, multum dimittatur, ut multum dimittatur, plus peccetur. Nequaquam. Non illi plus dimittitur, qui plus peccavit, sed qui plus cognoscit et dolet se debitorem. Neque enim admissio, sed cognitio et contritio peccatorum causa est veniæ. Quæ quanto fuerit grandior, tanto est etiam remissio major. Itaque tantum tibi dimittitur, quanti te cognoscis debitorem. Noli timere quia gravia non admisisti peccata, parum cognoscere possis, modicum debeas, modicum tibi dimittatur, et modicum inde diligas, cognosce et ex animo dic te debitorem, non modo eorum quæ fecisti, verum omnium etiam malorum quæ facere potuisti : quæ ne faceres, divina protectione prohibitus fuisti. In quæ enim pec cata quæ cæteri inciderunt, non cecidisses et tu, si Deus te non præservasset? Debes igitur Deo, et ubi cadentem a peccatis iterum te erexit, et ubi casurus eras, ne caderes, præservavit. Utraque tam innocens quam pœnitens vita donum Dei est. Utrique gratiæ est debitor, et qua dimisit patrata peccata dans veniam, et qua dimisit patranda, prævenien ac præservans per gratiam.

Cuinam plus dimittitur.

Debitorem se Deo cognoscere debet homo non solum pro dimissis peccatis, sed etiam quibus præservatus est.

Quid autem interest, an præveniat, an sequatur te gratia salvans? Nobilius certe beneficium est innocentiæ semper servatæ, quam restitutæ. Sicut medicus ille nobilius te curavit, qui cum in malam incidere debuisses ex vitio tuo valetudinem, per artem suam ille a morbo te sanum præservavit, quam qui postquam diutino languore confectus es, sanitati restituit. Ita debes Deo non tam pro peccatis a quibus te liberavit, quam a quibus te semper liberum præservavit. Quapropter omnium erga Deum constitue te debitorem, recognoscendo, dolendo, gratias agendo, quia revera erga Deum omnium es debitor. Da laudem et honorem Deo, qui revera multa tibi dimisit per gratiam justificantem : plura tibi dimisit, idque nobilius, per gratiam præservantem. Quæ omnia quanto clarius cognoveris, quanto magis pensaveris, quanto item quum plura tum majora esse debita tua quæ tibi dimissa sunt, æstimaveris, sive admissa, sive quantum in te fuit, admittenda, et beneficium hoc et præservationis et reconciliationis, pluris duxeris, tanto etiam benefactorem hunc tuum, tanto Dominum Deum hunc tuum plus amabis. Cæterum suadeo innocenti ne suam innocentiam magni æstimet, neve alterius lapsum contemnat, nulli denique se præferat. Suadeo pœnitenti, ne pœnitentiæ opera sua velit metiri, nec æstimare quod satisfaciat. Cognoscat se debitorem justitiæ divinæ, cui se imparem ut reddere possit, sentiat. Ad benefaciendum magis animo moveatur Deo placendi, quam pro peccatis satisfaciendi. Credat quidem Deum satisfactionem exigere, sed ad satisfaciendum se impotentem esse. Igitur Christum roget, ut ipse pro se suis meritis satisfaciat, seque Christo in omne ejus beneplacitum offerat, qui est amandus et benedicendus in secula, Amen.

Innocentiæ semper servatæ beneficium esse nobilius quam restitutæ.

IN FESTO

SANCTI JACOBI APOSTOLI

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

JAM non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo et angulari lapide Christo Jesu. In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei, in Spiritu Sancto. *Ad Ephes. II.*

APOSTOLUS Ephesiis, qui ex gentibus maxime erant conversi, scribens, dicit : Etsi aliquando eratis longe a Christo, non habentes repromissionem hæreditatis, alieni a gratia Dei et a salute, jam tamen ad Christum conversi, non estis hospites, ut olim testamentorum, quasi hi ad quos non spectaret Sacra Scriptura : sed estis plebs Dei, et continuo in lege Domini meditantes, eamdem observantes, in eaque vos exercetis. Quare, inquam, non hospites estis et advenæ, sed ad familiam Domini pertinentes, de grege fidelium, et de numero consortioque electorum estis, cives sanctorum et domestici Dei, puta in Ecclesiam credentium, quæ Dei est domus, adunati, scientesque secreta Dei. Nam communionem habetis sanctorum in sacramentis Ecclesiæ. Superædificati in ædificio Dei super fidem Christi, super quam fundati primo sunt Apostoli et Prophetæ. Hujus enim civitatis fundamentum est, super hoc fundamento Apostoli sunt ædificati. Porro qui super Apostolorum prædicatione sunt fundati, non aliter quam supra fundamentum secundarium sunt constabiliti, cui fundamento aliud adhuc supponitur fundamentum Christus. Super Christum igitur, qui fundamentum est Apostolorum et prophetarum omnes sumus quotquot sumus fundati, ipso eodem Christo Jesu summo angularique lapide hujus ædificii spiritualis constituto. Ideo enim angularis dicitur, quia in unius Ecclesiæ ædificium duos populos diversos, quasi angularis lapis, concludit : qui pariter summus dicitur, quia alius lapis non debet illo superior in hoc ædificio poni. Superponere autem contendit alium lapidem angularem, quisquis super Christum introducit doctrinam aliam, in qua salutem ponit. Quod pseudo-apostoli faciebant, legalem observantiam Christo superducere conantes. In quo lapide omnis ædificatio constructa crescit, atque in sublime evehitur, ut fiat templum sanctum in Domino, id est secundum voluntatem ejus. In quo non Judæi soli, sed vos etiam ex gentibus ad Christum conversi, cum illis coædificamini, ut sitis habitaculum Dei, domus atque sanctuarium Dei : idque per operationem Spiritus Sancti.

Fides cujusnam civitatis sit fundamentum.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, MATTHÆI XX.

EX hac Evangelica lectione manifesto cognoscimus, quam infirmi, et ut ita dicam, carnales fuerint sancti Apostoli ante perceptionem illam mirabilem Spiritus Sancti, qua induti sunt virtute ex alto, et in alios plane viros dextera Excelsi immutati. Hic namque duo ex præcipuis ambitionis cujusdam vitio laborasse videntur, et cæteris voluisse anteferri Apostolis : quod certe si secundum ipsam rei faciem judicemus, minime illos decebat, ut qui tot tantaque jam in Christo humilitatis exemplas viderant, ab eoque audierant : *Matth.* XI, *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Verum non debemus factum istud ex nostro affectu fortassis nimium corrupto metiri, sed ita nobis persuadere, Apostolos hosce sanctissimos rusticitate magis et simplicitate ac ignorantia, quam superbia vel malitia hac in parte deliquisse. Piscatores fuerant et homines idiotæ ac simplices, nec considerabant ne forte ipsis non congrueret quod petebant, sed putabant se recte moveri, quamvis errore quodam humano ducerentur. Postea vero quum repleti sunt Spiritu Sancto, non solum honores non appetierunt, sed abjectione, contumeliis atque suppliciis lætabantur, sicut legimus in Actis apostolicis : *Act.* V, 41. *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumelias pati.* Non ergo quisquam putet licere sibi exemplo Apostolorum ad honores et dignitates aspirare : siquidem illi magis ignorantia, ut dixi, et simplicitate, quam immoderata superbia ducti fuisse censendi sunt : atque ipse Dominus errorem illorum dure objurgavit, non tam illos reprehendens, licet non omnino culpa vacarent, quam ambitiosos omnes, qui dignitates per fas et nefas aucupantur, aut alioqui optant et conantur aliis præesse, cum non possint præesse sibiipsis. Verum ad Evangelii exegesim veniendum est.

onores
nam
mo duo
ostoli
ctarint.

Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo.

Mater filiorum inducta precibus, credens se repulsam minime passuram, eo quod Christo sanguine juncta foret, accessit ad Dominum, generalem quamdam initio ei precem offerens et quasi benevolentiam Redemptoris captans. Non enim ausa fuit statim animi sui votum exprimere, fortasse quod adverteret id impudentiæ posse assignari : sed primo viam sibi sternit ad faciendam precem pro filiis, quos ipsos sibi adjunxerat, ut illis una petentibus, facilius voto potiretur. Ita legimus in Regum volumine Bethsabee precaturam pro Adonia generalem quamdam præmisisse petitionem, ac deinde speciatim indicasse animi sui sententiam. Sic namque dixisse legitur ad Salomonem: *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam.* Annuente autem rege, subintulit : *Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor.* Fit hoc ad captandam gratiam illius qui rogetur, maxime cum ejusmodi res petitur, quæ videatur impetratu difficilis. III. *Reg.* II, 16.

Qui dixit ei : Quid vis ?

Pius et prudens Magister, etsi amabat hanc sanctam mulierem, discipulos quoque admodum charos haberet, tamen prius explorat quid velint, non statim inconsulto petitioni illorum necdum expli-

catæ et examinatæ annuens : hoc ipso utilissimum nobis et consultissimum præbens exemplum, saluberrimamque institutionem, ut dum quidpiam a nobis etiam consanguinei vel alii quantumvis chari petunt, non simus ad assentiendum præcipites, sed rem omnem nobiscum maturius expendamus ac ponderemus, videamusque num æquum sit et justum petitioni eorum morem gerere. Prudentia namque et justitia in ejusmodi adhibenda est, ut prius id quod petitur discutiamus : ac deinde absque ullo personarum respectu, ita ut justitia postulat, vel consentiamus vel recusemus. Ea de causa sapiens præceptor, imo sapientia ipsa prius percontatur ex muliere quid velit : non quod ipse mentem illius ignoraret : sed ut nos instrueret, atque ut illius explicata prece, rationabilius et convenientius illi responderet. Hac in parte plurimi graviter delinquunt, dum nimis facile prolibus aut cognatis aut etiam extraneis, quamvis inhonesta aut perniciosa petentibus, nulla præmissa deliberatione aut examinatione obsequuntur.

Petitioni aliorum quomodo non præcipitanter nimis annuendum sit.

Ait illi : Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.

Audierat paulo superius mater filiorum Zebedæi Dominum de sua resurrectione dicentem. Unde putabat eum tum illico in terris regnaturum, quemadmodum adhuc miseri Judæi suum exspectant Messiam temporali gloria, ut ipsi putant, latissime dominaturum. Atqui regnum Salvatoris non erat de hoc mundo : neque ministrari venerat, sed ministrare. Propterea etiam cum sensisset turbas ipsum rapere velle atque in regem constituere, fugit. Non enim missus erat a Patre ad prospera mundi hujus, ad honores dignitates quecapessendas, sed ad perferendam ignominiam, et omnigenas mundi miserias et calamitates, atque ipsum denique turpissimum mortis genus. Quod igitur mater filiorum Zebedæi petit filiis temporariam dignitatem, errore facit muliebri, et affectu quodam carnali, quo cupiebat filiis. Neque enim cujusmodi futurum esset Christi regnum intelligebat. Nam si intellexisset, potius eis abjectionem quam gloriam petiisset. Nam quo quis majorem propter Deum abjectionem in hoc mundo patitur, eo sublimius in cœlis coronatur. Et raro cuiquam et præsentis vitæ prosperitas, et futuræ singularis gloria contingit. Ut plurimum electi omnes mundo huic despecti sunt. Quare? Quia mundus regitur spiritu diaboli : pii autem omnes Christi spiritu ducuntur. Porro spiritus malus semper Christum persequitur. Quid igitur mirum, si electos mundus opprimat? Sed quid sibi vult, quod petit mater, ut filiorum suorum alter ad sinistram Christi sedeat? Id plane confirmat sententiam nostram, scilicet non intellexisse eam, quale esset futurum Christi regnum. In regno cœlesti omnia dextra sunt, nec quidquam est ibi sinistrum. Quisquis igitur ad Christi sinistram collocari appetit, damnari se velle significat. Quo facit illa Domini sententia : Oves ponet a dextris, hœdos autem a sinistris : ubi per oves electi, per hœdos reprobi significantur. Videant ergo, qui temporarias captant prosperitates, ne non oves sint, sed hœdi potius, cum tota ubique Scriptura clamet multas esse justorum tribulationes : et omnes qui in Christo pie vivere volunt, persecutiones passuros.

Ele uti mur sem fere spec

Si dext quæ insi tur.

xxv,

Ps. 20. II. T. 12.

Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis.

Mater precem obtulit, et Dominus discipulis respondet, hoc ipso plane significans, discipulos matrem impulisse, ut pro eis rogaret. Estque verisimile Dominum hæc verba cum aliqua severitate protulisse, tum ut discipulorum castigaret temeritatem, tum ut mortales omnes a detestabili ambitionis vitio arceret. Nescitis, ait, quid petatis. Hoccine est, quod tot monitis, tot exemplis meis docere vos volui, ut honores ambiatis? Ego e summa cœlorum arce

descendi in terras, et infra mortales omnes me abjeci, et cum mihi summo jure creata omnia servire debeant, ego me creaturarum omnium servum feci. Nihil in hoc mundo prosperum, nihil delectabile, nihil jucundum habere volui, sed extremam ab ipso Matris utero semper inopiam, vilitatem, abjectionem, miseriam amplexus sum propter vos non solum redimendos, sed etiam instruendos, ut mea sectemini vestigia: et jam vos præcipuam petitis dignitatem, et omnibus vultis anteferri? Nonne ea res Luciferum detraxit in tartara? Nonne totum humanum genus per unius superbiam periit? Cur ergo vobis ista non incutiunt timorem, ne vobis similia accidant? Nescitis plane quid petatis. Si mei discipuli estis, cur adeo mihi adhuc dissimiles estis? Qui honores ambit, pericula innumera appetit. Qui autem amat periculum, peribit in illo. Humilitas tutissimus animæ portus est. Locus sublimis peccandi infinitam præbet materiam: et licet videatur esse honori, tamen recte intelligentibus certum est nonnisi oneri esse.

O quam merito possit hodie multis dici, per fas et nefas in sublime contendentibus, et alios excellere conantibus: Nescitis quid petatis. Rustici hodie aut æquare aut superare cives volunt. Cives in nullo cedere volunt magistratui aut nobilibus viris. Nobiles cupiunt excedere comites. Atque isti majori sæpe fastu quam principes sese efferunt. Porro principes ad regiam aspirant dignitatem. Reges denique imperatorum æmulantur gloriam. Quanta nunc ubique in omni gradu et conditione hominum cernitur vestium pompa et petulantia, non parva causa præsentium malorum quæ patimur, si fides sanctis adhibenda est. Quotidie novæ excogitantur artes petulantissime ac superbissime conficiendi vestes, et plerique jam haud secus quam monstra quædam et turpissimi histriones incedunt, ubique ita scissi et dissecti, ut dæmones ex tartaris ad nos sumpta humana specie commigrasse videantur. Atque hæc omnia ex miserrima ambitione proficiscuntur, qua cupimus alios antecellere, et cæteris honoratiores videri. Sed nesciunt tales stulti et amentes quid petant. Sui similibus insanis et deliris fortassis placent, sed Deo et sanctis omnibus, cunctisque viris gravibus et honestis horrori et execrationi sunt. Sed dicunt: Numquid vestis me aut sanctum aut improbum facit? Deus cor inspicit, non vestes. Quid dicitis, cæci et stolidi? Utique nisi vanissimis et superbissimis essetis cordibus, non possetis tam lascivis et portentosis uti vestibus. Qualis cujusque est animus, talis fere est et corporis cultus. Fieri potest, imo fit nonnunquam, ut sub humili habitu cor lateat superbissimum: sed fieri vix potest, ut sub tam portentosa et intoleranda habitus petulantia et fastu pius geratur animus. Verum his obiter de vestium fœdissima turpitudine dictis, Evangelii exegesim prosequamur. Apostoli non pensata virium suarum imbecillitate, nullis etiamdum eximiis roborati virtutibus, maximam petebant dignitatem: sed pius Dominus non ignorans periculosissimum eis fore, si mox in sublime tollerentur, quod petunt, negat: porro ad id eos revocat, quod eis novit esse utilius: quemadmodum periti medici ægrotis perniciosa petentibus non permittunt, sed salutaria subministrant. Ait ergo:

Vestium hoc tempore quanta sit petulantia ac turpitudo.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?

Græca exemplaria hic adjunctum habent: Et baptismo quo ego baptizor baptizari? sicut etiam in ea quæ mox sequitur sententia: Calicem quidem meum bibetis, annectunt: Et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini. Verum ex Marci Evangelio huc translata videntur. Sed quid sibi vult, quod Dominus discipulos gloriam aucupantes, ad cruces mittit? Non ita est judicium hujus mundi. Inopes, afflictos, miseros despicit mundus, divites et omnibus rebus ac voluptatibus affluentes beatos prædicat. Sed mentitur iniquitas sibi. Lazarus mendicus portatus est ab

Marc. x, 38.

Angelis in sinum Abrahæ, dives epulo sepultus est in inferno. Itaque pauperes pios amat Deus, et per temporarias calamitates ad immensas beatæ vitæ divitias et perennem felicitatem perducit. Atqui superbos divites, et suis opibus ad luxum voluptatesque et mundi fastum abutentes ad extremam et incomprehensibilem perpetuo apud inferos perferendam protrudit egestatem. Divus Gregorius quadam Homilia mentionem faciens loci hujus, ita ait: Dum filii Zebedæi interveniente matre quærerent, ut unus a dextris Dei, et alius a sinistris sedere debuissent, audierunt: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Jam locum celsitudinis quærebant: ad viam illos veritas revocat, per quam ad celsitudinem venirent. Ac si dicatur: Jam vos locus delectat celsitudinis, sed prius exerceat via laboris. Per calicem pertingitur ad majestatem. Si mens vestra appetit quod demulcet, prius bibite quod dolet. Sic per amarum poculum confectionis pervenitur ad gaudium salutis. Hæc ille.

Gregor.

Per quænam media perveniatur ad beatitudinem.

At quis hæc persuadeat hominibus per adversorum tolerantiam, per crucem, per afflictiones, per mundi odia et persecutiones, per ludibria et verbera, per probra et ignominiam, denique per mortis voluntariam perpessionem ad beatitudinem perveniri? Nihil minus volunt homines quam adversa præsertim propter Deum perpeti; ut honores, divitias, voluptates obtineant, haud gravatim animas et corpora mille periculis exponunt: ubi causa Dei quidquam ferendum est, omnes subterfugiunt. Denique quidquid adversi occurrit, omnes ferme moleste ferunt. Si adversa premat valetudo, nihil intentatum relinquitur, ut possit sanitas recuperari, et multi imperitorum medicorum pharmacis perire malunt, quam non omnem movere lapidem, ut citius convalescant. Et tamen sicut caro spiritui semper adversa est, ita carnis ægritudo spiritui utilis est, atque hoc ipso etiam expetenda est. Divus Petrus Apostolus ex humili piscatore apostolici agminis vertex, ex undis vectus ad sidera cœlique claviger effectus, cujus sola umbra pellebantur corporum morbi et molestiæ, interrogatus aliquando, cur filiam ipse suam gravi morbo affligi sineret, respondit: Sic expedit ei. Quid ergo nos scimus, an expediat et nobis potius ægre affectos esse? Sed et paupertas, quam Christus cupidissime amplexus est, multis gravissima est. Atqui ut multa præteream, Romani quamdiu pauperes fuerunt, multis floruere seculis: at ubi cœperunt abundare divitiis, luxu et deliciis enervati, intestinis concidere bellis.

Ægritudo corporis quomodo sit utilis animæ.

Porro intra tentoria paupertatis sobriæ atque sollicitæ, ut ait quidam, luxus iners, sopor marcidus, ac vitia languida et enervata non subeunt. Atque ut paupertas eadem resistentibus permolesta, sic cedentibus perjucunda est. Pulcherrima est illa cujusdam sententia: Si necessitatibus obsequeris, pauper nunquam esse potes: si cupiditatibus, nunquam dives. Denique ut divitiis amica sunt vitia, ita paupertatis comites sunt securitas, humilitas, sobrietas, requies, modestia, et id genus virtutes aliæ. Et quamvis tristis sit in vita paupertas, nemo tamen fere tam pauper vixit, ut moriens nollet vixisse pauperior. Sunt denique et alia multa, quæ ad calicem Domini pertinent, sed omnibus invisa sunt. Haud secus jam affecti sunt homines, quam si re ipsa Domino Jesu dicant: Sit calix tuus tibi, nobis illum bibere non vacat. Comedamus et bibamus, et omnibus deliciis nos oblectemus, cras enim moriemur. Paucissimos sane invenias, qui calicem Domini bibere velint. Apostoli, de quibus agimus, promptum quidem obtulerunt Domino animum, sed ubi ad rem ventum est, uterque fugit a Domino: videamus ipsorum responsum.

Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

Usque adeo ferebantur desiderio assidendi Christo, ut etiamsi necdum satis caperent quisnam calix ille esset, neque etiam virium suarum haberent exploratam imbecillitatem, tamen audenter se dicant bibituros calicem Domini. Sic etiam divus Petrus Domino ad passionem ituro, ait : *Paratus sum tecum et in carcerem, et in mortem ire.* At ubi voce ancillæ unius urgeri cœpit, Dominum suum abjuravit. Voluntas hominis quantumvis firma et seria sit, nisi divinæ gratiæ auxilio suffulta sit, facillime a justitia abducitur. Debebant saltem addidisse Apostoli : Possumus tua gratia adjuti. Quasi fidentius et inconsultius dicunt absolute : Possumus. Postea non poterant perseverare cum Christo in horto, etiamsi illius divina virtute cincti ac protecti essent, ne læderentur ab hostibus : sed relicto eo fugerunt. Sed tamen quia obtulerunt Domino bonam voluntatem, seseque illi permiserunt, ait illis : Calicem quidem meum bibetis. In exilio non est quærenda gloria, sed potius animus ad toleranda adversa præparandus. Equidem vobis honorem non invideo, imo vero opportuno tempore, plus quam putatis honoris vobis a me tribuetur : sed necdum expedit vobis honore evehi. Calicem prius meum bibetis, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum : et quamvis non uterque pro me mortem excipietis, tamen uterque multa patiemini, et alterum gladius reipsa et voluntate, alterum tyrannorum ac malorum hominum vexationes voluntate, martyrem meum efficient. Quod autem petitis, ut possitis assidere mihi, non est meum, quatenus homo sum, dare vobis, qui id præter ordinem et ante tempus petitis : sed quibus paratum est a Patre meo. Non est personarum acceptio apud Deum. Sed quicumque talem se præbuerit, ut regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet quod non personæ, sed vitæ paratum est. Si itaque tales estis qui consequamini regnum cœlorum, quod Pater meus victoribus præparavit, vos quoque accipietis illud. Docemur hoc loco in præsenti vita, ubi propter peccata nostra nonnisi exules degimus procul a patria illa cœlesti, non esse prospera appetenda, sed potius adversa. Hæc enim magis conveniunt exilium patientibus. Propterea etiam Salomon ait : *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Itemque : *Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia.* Et sunt revera permultæ graves causæ, quibus merito possumus moveri ad contemnenda vana mundi gaudia, et crucem libenter ferendam. Tot injuriis quotidie afficitur Deus ab hominibus, quos creavit bonitate sua, et redemit sanguine suo, ut si nihil aliud sit, hoc solum abunde nos permovere queat, ut semper optemus miseri esse in hac vita, atque cum Domino Jesu perpetuos cordis dolores perpeti. Quod etiam pertinet ad calicem Domini. Imo internus animi dolor sæpe multo acerbior est, quam quævis externa afflictio, ut de illo dictum videatur christianis omnibus : Calicem meum bibetis. Quisquis autem hunc calicem non bibit, ut non doleat injurias Creatoris et Redemptoris sui, non est utique verus christianus. Et quia modo non vult bibere calicem Christi, postea bibet calicem iræ furoris Domini.

Luc XXII, 33.

Voluntas hominis quam sit infirma sine gratiæ Dei auxilio.

Adversa esse hic potius appetenda ac prospera.

Eccle. VII, 3.

Ibid. 5.

Gaudia mundi contemnendi rationes quæ.

SERMO IN EODEM FESTO

DE CONTEMNENDIS HUJUS VITÆ DELICIIS, DIVITIIS ET HONORIBUS.

NESCITIS *quid petatis.* Matthæi XX, 22.

Ps. IV, 3. *Filii hominum,* ait Psalmista quodam loco, *usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* *Ib.* XIII, 2. Itemque alibi dicit : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Nimirum cœlesti illustratus lumine vir sanctissimus dilucide perspexit, quam misere a Deo mortales omnes aversi, in his infimis rebus sua captent oblectamenta. I. *Joann.* V, 19. Nam revera mundus totus in maligno positus est, et vix paucissimos invenias, qui toto corde Deum quærant : paucissimos etiam, qui noverint quo sit hominis vita omnis referenda. Alii suæ carnis sectandis voluptatibus, alii cumulandis divitiis, alii honoribus aucupandis ita sunt dediti, tanquam nunquam sint ex hac vita emigraturi. Juvenes et virgines, senes cum junioribus in hoc uno animo omnes intenti sunt, ut mollibus fruantur voluptatibus, ut se suosque reddant locupletes, ut alios antecellant dignitate, honore, existimatione. Sed dici illis omnibus rectissime potest : Nescitis, miseri, quid petatis. Vultis veras delicias ? Non eædem nisi in Deo inveniuntur. Vultis veras divitias ? Virtutibus detis operam, quæ solæ animum locupletant. Vultis summos et inæstimabiles honores ? Præsentia despicite, et cœlestibus bonis inhiate. *Transit mundus et concupiscentia ejus,* et vos audetis ullam vobis in terris felicitatem polliceri, audetis quidquam in terris appetere ?

Studia secularium hominum cujusmodi hodie sint.

Divitiæ et deliciæ ubinam vere repetiantur.

I. *Joann.* II, 17.

Sed quid frustra verbis agimus ? Funiculus iste triplex, concupiscentiam dico carnis et oculorum et superbiam vitæ, difficile rumpitur, et qui eo obligati sunt, verba salutis vix unquam recipiunt. Audiunt quidem, sed corporis, non cordis auribus. Etsi quandoque ad horam vel ex divina inspiratione, vel salutifera lectione, aut verbi Dei auscultatione, vel piorum hominum exhortatione et familiari colloquio compunguntur, tamen ubi rursus sese offert occasio, tum carnis infirmitate, tum peccandi libidine, tum dæmonum impugnatione superati, redeunt ad ingenium suum. O si quis posset miseris parsuadere, vellent tamen recto secum judicio perpendere quid agant, vellent tamen animarum immortalium curam saltem non minorem quam mortalium corporum gerere, vellent tamen quadam uti circumspectione et prudentia, nec semper se paterentur dæmonibus esse ludibrio. Scio non esse nos Angelos, sed homines, scio proclives nos esse in malum, scio difficillimum esse assueta relinquere, et blandis ac fallaciosis voluptatibus nuntium remittere : sed tamen adest nobis Dei gratia, qua possimus plurimum, nec infirmitas aut proclivitas in malum, peccandi necessitatem adducit, nec aliquid tam difficile est, quod labor improbus et bona consuetudo non reddat facillimum, ut nihil dicam de gratia et amore Dei.

Quod si parum hæc movent, quia a christiano dicuntur, quia Christi legibus præscribuntur, pudeat saltem minus apud nos valere Christi Jesu Dei ac Domini nostri auctoritatem, minus nos illius moveri verbis, quam Ethnici plerique vel Philosophorum vel aliorum gravium virorum exhortationibus moti fuerint. De Pythagora quidem, qui gloriosum illud et

arrogans cognomen sapientiæ erubuit, primusque philosophum se dici maluit, id est, sapientiæ amatorem, non sapientem, quo nomine septem illi Græciæ sapientes vocitati sunt, memoriæ proditum est, quod cum Crotonis urbis quondam florentissimæ populus gravi prælio attritus virtutes odisset, atque otio perniciali dare se cœpisset, peropportune in Italiam adveniens Crotonem sese contulit, moresque civitatis jam plane in luxuriam prolapsos sapientiæ suæ præsidio firmavit erexitque, tantumque apud eos multis perpetuisque adhortationibus consecutus est, ut ad pristinæ virtutis habitum revocarit. Adhibebat singulis quibusque opportuna consilia pro sexuum et ætatum varietate : viris fortitudinem et ignaviæ fugam, mulieribus pudicitiam et conjugalem fidem, pueris verecundiam et litterarum amorem, omnibus pariter frugalitatis studium suadebat : extorsitque perorando, ut non modo viri, sed et feminæ ab omni morum perversitate velut ab ancipiti fovea pedem retraherent, eumque ad sublimia et ardua invitantem sequerentur, usque adeo ut sponte sua vestes quoque purpureas et aureas, cæteraque corporis ornamenta rejicerent, doctæ videlicet ornatum muliebrem in pudicitia, non in auro gemmisque consistere, hisque potissimum armis atque his facibus sævire luxuriam. Quid ad hæc dicemus nos christiani ? Turpene erit nobis ab Ethnicis superari ? Est id quidem omnino turpissimum. An vero christiani non poterimus, quod illi a Deo alieni potuerunt ? Aut forsan ista tanquam nugas deridebimus ? Et tamen ut frugalitate, pudicitia, continentia, modestia ac mediocritate urbes crescunt et florent : ita luxu et intemperantia funditus evertuntur. Hæc nobis in Scripturis divinis sæpissime inculcantur.

Pythagoræ prudentia in consiliis dandis.

Quæso, emolliant nos, quemadmodum illos Crotonienses movit Pythagoræ oratio, ne quemadmodum Ninivitæ et regina Austri dicuntur in judicio Judæos condemnaturi, ita nos isti condemnent, quod isti homuncionis unius tantum tribuerint exhortationi, nos ipsius Dei nullis neque monitis nec minis permoveamur. Nec est sane, cur nobis arduum videatur quidquid exigimur a Deo, quando et ab Ethnicis philosophis multo difficiliora et tradita et observata sunt, atque a multis etiam aliis præstita. Qui Epistolas Senecæ, Officia Ciceronis, pluraque alia aliorum scripta perlustrant, vident, quam multa illi homines veræ religionis expertes litteris mandarint, christianis etiam perfectis admiranda. Nec pauca extant miræ virtutis exempla edita ab Ethnicis, quæ christiani paucissimi possint imitari aut exprimere. Sed ea hic commemorare longum foret. Eo tantum hæc dicta sint, ut magis provocemur ad proculcandas mundi vanitates, carnis illecebras, et diaboli superbiam. Non est jam quod dicamus : Non possumus. Ecce Ethnici innumeri potuerunt. Nemo dicat : Non possum continenter vivere, quia infirmus sum. Innumerabiles olim apud Ethnicos deæ Vestæ virgines in perpetua castitate servierunt : et si qua ex illis fuisset deprehensa cum viro concubuisse, viva humo operiebatur. Avaritiam multi Ethnicorum penitus execrarunt. Superbiam denique verbis et factis detestati sunt. Si in illis tantum potuit vel virtutis amor naturalis, vel popularis auræ captandæ studium, vel nescio quid aliud intra naturæ limites consistens, quid non poterimus nos divina ope subnixi ? Tantum conemur, et malæ consuetudini, pravisque desideriis frenum injiciamus : cogitemus non ideo nos hic esse, ut semper hic simus, sed ut pro peccatis nostris agamus pœnitentiam, et virtutibus animum excolamus, atque ita quandoque ad patriam, unde extrusi sumus, revertamur. Virtutes enim pennæ quædam sunt animi, quibus fertur in cœlum.

Ethnicorum modestia christianos omnes merito revocari ad emendationem.

Virtutes quanto studio quasnam Ethnici excoluerint.

Virtutes ut sint quædam pennæ quibus animæ in cœlum evolent.

Si infestat nos luxuria, quam fere semper otium gignit et ventris ingluvies, cogitemus hac nihil homine esse indignius, ut quæ vitam nostram maxime bestialem efficiat, et cum sint alia graviora mala,

[1] *Matth.* XII, 41.

Luxuria quænam mala gignat.

hac nihil vilius sit. Libido ad corporis et animæ mortem, ad infamem notam, ad seram et ut plurimum infrugiferam ducit pœnitentiam. O quam multi homines singulares, quam multæ urbes, quanta sæpe regna hac peste interierunt! De hac Cicero memoria dignam protulit sententiam : Voluptates, inquiens, blandissimæ dominæ majores partes animi a virtute detorquent. Et Seneca de iisdem loquens, ita ait : In hoc nos complectuntur ut strangulent. Non aliter ergo quam latrunculi viatoribus insidiantes, eosque seducentes ac perimentes declinandæ sunt. Denique Scipio Africanus apud Livium fertur Masinissæ ita dixisse : Vince animum, cave deformes multa bona uno vitio, et tot meritorum gratiam majore culpa, quam causa culpæ est, corrumpas.

Cicero.

Seneca.

Scipio.

Luxuriam quænam mala sequantur.

Ut autem facilius hæc præstare possimus, serio et acriter cogitanda est voluptatis vilitas, obscenitas, brevitas, et finis, longumque dedecus, et horæ fugacis aut etiam brevissimi momenti unius illecebræ multorum annorum pœnitentia, vel æterno supplicio puniendæ. Deliciis corpus enervatur, vigor animi frangitur, vitiorum æstus acuitur, virtutes eliminantur, cor malis perturbationibus repletur, rationis splendor obscuratur. Qui delicias amat et aucupatur, perniciem diligit, venenum melle conditum appetit, et æterna sibi tormenta cumulat. Denique in deliciis omne malum latitat. Porro corporis castigatio, virtutis corroboratio est.

Avaritia ut sit insatiabilis.

Jam si habendi cupido nos vexet, et avaritiæ stimulis urgeamur, debemus cogitare naturam paucis esse contentam, vitamque esse brevissimam, ideoque frustra supervacuis nos angi curis, et paucorum egentes multa inaniter desiderare. Deinde eum qui quærendis cumulandisque opibus inhiat, parta non cernere, atque ita quodammodo quæsita perdere, quo nihil est stultius. Ad hæc inter quærendum et tempus et vitam, cui opes quæruntur, elabi. Unde mira accidit stolidis perplexitas : dum vita abundare videntur, divitiis indigent : dumque indigentia illa præteriit, succedit altera, ut divitiis abundantes vita egeant. Quod irridens Sapiens quidam : *Est,* inquit, *qui locupletatur parce agendo, et hæc est pars mercedis illius, in eo quod dicit : Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus : et nescit quod tempus prætereat, et mors appropinquet, et relinquet omnia aliis, et moriatur.* Et idem alibi : *Qui acervat injuste aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur.* O terribile dictum, sed commune quotidieque se oculis ingerens, nec idcirco tamen quidquam proficiens in animis avarorum! Idem rursus : *Avaro,* inquit, *nihil est scelestius :* et nihil est iniquius, quam amare pecunias. Cui optime consentiens Cicero : Pecuniæ, ait, fugienda cupiditas. Nihil est enim tam angusti animi tamque parvi, quam amare divitias.

Ec 18.

Ibi 4.

Ibid.

Denique si superbia nostri sibi pectoris velit vindicare domicilium, nobisipsis dicere debemus : *Quid superbis, terra et cinis?* Tune tantorum malorum fascibus prægravatus et oppressus extolleris? Quæ etiamsi liber esses a malis omnibus, cunctisque ornatus virtutibus, atque inde animo te efferres, hoc ipso proculdudio bonis omnibus te nudares. Nihil est enim Deo odiosius quam superbia. Quid, quæso, superbis, miser homuncio? Annon te mortalem, annon assidue fatiscentem, annon peccatorem, annon mille casibus expositum, annon morti et quidem incertæ obnoxium, annon denique te miserum meministi, et non famosissimum illud Homericum audivisti : Nihil miserius terra nutrit homine? Scire velim quid te horum potissime ad superbiam cohortatur, an fragilitas membrorum, exercitusque morborum, an vitæ brevitas, an cæcitas animi inter spes vanissimas metusque perpetuos fluctuantis, an præteritorum oblivio, an ignorantia futurorum ac præsentium, an hostium insidiæ, an mortes amicorum, an adversitas perseverans, an fugitiva prosperitas? Hæ namque et non aliæ vobis sunt ad superbiam scalæ, his ascenditis ad ruinam.

Ibid.

Od
quid
Deo
omni

Hom

Quæ
nos d
tentu
super

Scala
superb
quæ s

Itaque superbia morbus est miserorum atque stultorum. Nam tales haud dubie sunt, qui superbiunt. Neque enim aliter superbirent. Quod si cuncta propius intueamur, nimirum videbimus monstrum esse superbum homuncionem. Pulcherrime de superbia et quæ inde nascitur ambitione, scribit Cyrillus in Apologiis suis in hæc verba : Cave ne appetendo dominationem, in superbiæ corruas servitutem, et ne cum aliis te præfers, tu ipse tam grande tui ipsius dominium perdas. Sed dic mihi, quæso, anne justum putas desiderare quod optas? Nam si justum non est, hoc ipsum appetere est injustum. Velle enim quod injustum est iniquum esse cognoscitur. Ipsa quoque injustitia miseria est : ergo ex hoc appetitu es miser. Verum omnis miser suæ calamitatis est servus. Sed si quod injuste desideras, obtineres, plus miser existeres. Quoniam unusquisque tanto miserior esse convincitur, quanto ejus voluntas in malo citius adimpletur. Si vero quod cupis asseris esse justum, necesse est, ut sit ex aliqua supereminentia tui. Ostende ergo quo dono aut specie ita excellas. Nimirum si sapientia alios cupis transcendere, et si ejus prælatione levaris, hæc dominatio vera est. Sed hæc nequaquam sursum te projicit, sed humilitatis sinu salubri deorsum te recondit. Nam ubi vera sapientia ibi humilitas. Si autem potentia niteris transcendere alios, et si ejus prælatione levaris cum Nemrod impiissimo, et Alexandro nequissimo, prædo eris. Potentia namque per se non excellentiam, sed violentiam parit. Quamobrem apud te mane, atque communi naturalis societatis lege subsiste : quoniam si injuste te levas, mox veræ firmitatis amissa justitia, servus similium juste eris. Verum in æquitatis politia præesse, subesse est : et cui arrogantia dominatur, justitiam spernit, et vitiis subest. Idcirco depone fastum, tolle nomina dignitatum. Et quid est omnis homo nisi homo ? Una igitur tantum æquitas est hominem possidendi, voluntas diligendi. Hactenus ille.

Cyrillus.

Miser vere quis dicatur.

Ambitio quomodo contingat.

Potentia iniqua cui comparetur.

Divus Joannes Damascenus quoque in historia Jasaphat et Barlaam, ipsum Barlaam introducit quamdam certe venustam et memorabilem referentem parabolam de his qui præsentia captant oblectamenta, et futura non attendunt, quam nos hic ad verbum recitabimus, quia non parum facit ad emolliendos animos, ad contemnendas nedum voluptates, sed etiam opes et honores præsentis vitæ. Qui a bono et benigno Domino nempe Deo, mente perdita semetipsos elongant, et præsentibus inhiant negotiis et eis tenentur adstricti, et nullam futurorum habent memoriam, sed delectationes corporales incessanter desiderant, animas vero suas dimittentes fame tabescere, et innumerabilibus affici malis, similes esse arbitror homini fugienti a facie furentis unicornis : qui non ferens sonum vocis illius et terribilium mugituum, fortiter fugiebat, ne devoraretur ab eo. Dum ergo velociter curreret, in magnum quoddam decidit barathrum. Dum autem caderet, manibus extensis arbusculam quamdam apprehendit, et fortiter tenuit, et in basi quadam pedibus impressis, visus est sibi in pace de reliquo fore et stabilitate. Respiciens ergo, vidit duos mures, album quidem unum, alterum vero nigrum, corrodentes incessanter radicem arbusculæ quam apprehenderat : et jam prope erat ut eam abscinderent. Considerans etiam ipsius barathri fundum, vidit draconem adspectu terribilem, ignem spirantem, et feralibus oculis adspicientem, osque terribiliter aperire, et devorare eum cupientem. Intuens vero rursus basem illam, super quam pedes habebat firmatos, contemplatus est quatuor aspidum capita de pariete prodeuntia ubi consistebat. Elevans autem sursum oculos, vidit de ramis arbusculæ illius exiguum mel distillans. Dimittens ergo considerare quæ circumdederunt eum mala, scilicet quomodo sursum quidem unicornis horribiliter insaniens quærebat hunc devorare, deorsum vero amarissimus draco inhiabat deglutire eum: arbuscula vero quam apprehenderat, post

Parabola mira in eos qui oblectationes in creaturis immodice aucupantur.

modicum erat excidenda : pedes super lubricam et infidam basem statuerat : et tantorum ac talium malorum oblitus, seipsum dulcedini modici illius mellis tradidit. Hæc similitudo est eorum, qui seductioni præsentis seculi adhæserunt. Cujus expositionem modo dicam tibi.

Parabolæ hujus sensus mysticus quis sit.

Unicornis quidem figuram tenet mortis, quæ semper persequitur et comprehendere nititur genus humanum. Barathrum vero mundus est iste, plenus omnibus malis et mortiferis laqueis. Arbuscula autem, quæ a duobus muribus incessanter incidebatur, quam apprehendimus, vitæ uniuscujusque nostrum mensura est, quæ per horas diei et noctis, velut per murem album et atrum consumitur et diminuitur, et incisioni sensim appropinquat. Quatuor vero aspides, de quatuor fragilibus et instabilibus elementis constitutione humani corporis significant, quibus inordinatis et conturbatis, compago dissolvitur. Cum his et igneus ille atque crudelissimus draco, terribilem figurat ventrem inferni, cupiens suscipere eos, qui præsentes delectationes futuris præponunt bonis. Stilla vero mellis, dulcedinem significat delectationum mundi, per quam seductor ille non sinit amicos suos propriam videre salutem. Hæc ex Joanne Damasceno.

Obsecro, dilectissimi, si hæc jam dicta attentis et seriis animis, non autem perfunctorie, ut solent salutis suæ incuriosi, inspiciamus, nonne satis superque advertimus, quam miseri et infelices sint, qui relicto Deo, somnia et umbras quasdam amplectuntur, ut merito dici illis queat : Nescitis quid petatis ? Et quid facient ejusmodi, ubi fuerit e corpore discedendum ? Quis dubitet summa cum amaritudine hinc exituros, ut qui totam spem suam in bonis præsentibus collocatam habeant ? O plus quam sanguineis deplorandam lacrymis humanorum pectorum duritiam et cæcitatem ! Heu ! experiuntur quotidie miseri nihil esse sub sole perpetuum, cuncta subjacere vanitati, voluptates omnes toxico illitas, et nolentes volentes homines quotidie ad sepulchrum proficisci : et tamen tanquam hæc in somnis viderint ita parvipendunt. Adscribam hic paucos quosdam versus divi Hildeberdi Episcopi Cenomanensis, qui ante annos quadringentos floruit, et dura pro Christo perpessus est, si forte vel iis nonnihil moveri possit sive lector, sive auditor.

Hei mihi nulla fides, nulla est constantia rebus.
Res ipsæ quid sint, mobilitate docent.
Res hominum atque homines levis aura versat in horas,
Et venit a summo summa ruina gradu.
Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,
Et spondent propria mobilitate fugam.
Quidquid habes hodie, cras te fortasse relinquet,
Aut modo dum loqueris desinit esse tuum.
Has ludit fortuna vices, regesque superbos,
Aut servos humiles non sinit esse diu.
Illa dolosa comes, sola levitate fidelis,
Non impune favet, aut sine fine premit.

Itemque :

Hoc est hic hominis, semper cum tempore labi,
Et semper quadam conditione mori.
Est hominis nasci nudum nudumque reverti
Ad matrem, nec opes tollere posse suas.
Est hominis putrere solo, sanieque fetere,
Et miseris gradibus in cinerem redigi.

Ergo, charissimi, contemnamus fallaciosas illecebras, et quidquid in præsenti blanditur seculo, ne et nobis dicatur : Nescitis quid petatis. Habet Dominus Jesus unde abunde restituat nobis pro sui amore fugientibus temporarias vanitates, et suæ obtemperantibus voluntati. Et si arduum est iter ad regna cœlorum, tamen labor est brevis et merces infinita, quam nobis promisit qui non mentitur Deus, cui est laus et gloria in secula seculorum, Amen.

IN SOLEMNITATE
SANCTÆ ANNÆ
MATRIS BEATISSIMÆ DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ

Paraphrasim in Epistolam require supra in Festo S. Mariæ Magdalenæ, Exegesim in Evangelium quære in Feriis Conceptionis ejusdem Virginis Mariæ.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

S. ANNÆ MATRIS DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ ENCOMIUM, QUOD CERTIS PANEGYRICIS LAUDES ET PRÆCONIA EJUS TUM GENERATIM TUM SPECIATIM COMPLECTITUR.

DATE ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. Prov. XXXI, 31.

Charissimi in Christo fratres, hodie ferias ad laudem et gloriam et honorem sanctæ Annæ matris Deiparæ virginis Mariæ, cum summo cordis nostri gaudio agentes, celebramus, festivamque memoriam diei illius, qua carnis soluta ergastulo, nobilis illius anima, cum tripudio ad cœlos Angelorum obsequiis subvecta est, quo magis erga eam vestra inflammetur devotio, vitæ illius pariter et mortis a me encomium præstolamini, rem utique dignissimam, atque mea quidem sententia, haud minus difficilem. Quis enim unquam tam sanctæ, tamque præclaræ mulieris laudes verbis assequi posset? Quamobrem id quod barbatus ille Hieronymus Latinæ linguæ disertissimus, Hebraicæ quoque et Græcæ non trivialiter doctus, quibusdam sermonem de ea poscentibus, respondit: Ego etiam in præsentiarum jure vobis optime respondero. Nempe quod de qua agimus, res est præcelsa, res præclara, res omni laude digna. Hæc est enim arbor bona, de qua virga excisa per se, divinitus floruit. Hæc est terra sancta, quæ rubum ardentem, sed incombustum permanentem germinavit. Hæc est cœlum excelsum, de quo stella maris ad ortum processit. Hæc est sterilitas fecunda, quæ ab Angelis est frequentata. Hæc est benedicta inter mulieres, et mater inter matres beata, ex qua templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti, Mater Dei mundo illuxit. Hactenus ille.

Hæc est illa supernæ benedictionis terra, de qua cœlestis figulus ollam spei nostræ composuit beatam Virginem Mariam, quæ ex divini roris imbre conceptum Dei Verbum, humano generi protulit incarnatum. Hæc est ille divinus ager, balsamorum cœlestium floribus circumseptus, ex cujus suavitate per omnes fines terræ diffusus odor vitæ emanavit, et in eo sponsus virginum myrrham suam cum aromatibus suis miscuit. Gloriosissima utique est mater hæc Anna, Christi avia, et omnium quæ solemni attollatur præconio dignissima. Quamvis proinde gravis admodum hæc provincia mihi videatur, *Cant.* v

quam subire cogitis, ut de tanta tamque præclara et excelsa, nunquam satis laudanda matrona concionem in medium vestri afferam, spe tamen fretus divini præsidii vobis morem gerere officii mei putabam. Ne igitur prorsus sileam in tanta copia laudum, obiter et quidem generatim paucula recensebo, quæ vitam ejus omnem pariter et mortem reddere poterunt clariorem.

Et quo felicius auspicari detur, resque magis innotescat vobis, mox ab ipsius nomine matris exordiemur. Nam et illud virtutum atque gratiarum, quibus cæteris præstantior noscitur, copiam insinuat. Porro, non abs re Anna, quod donum gratiæ interpretatur, appellata est. Quo nomine etsi plures in quibus peculiare quoddam gratiæ donum fuisse, ex divinis eloquiis constet (cujusmodi fuere Anna Samuelis de tribu Ephraim; et altera Tobiæ uxor; Raguelis quoque de tribu Nephtalim conjux; Anna denique prophetissa filia Phanuelis de tribu Aser), hæc nostra tamen Anna eas genere, prole et dignitate haud parum præcellit. Prima enim vero prophetam a Dan usque Bersabee cognitum genuit. Atque hæc nostra Anna, non modo prophetam, sed Deiparam Virginem Mariam, Domini prophetarum Matrem, nobis protulit. Anna Tobiæ consortem habuit virum, ad misericordiæ opera propensum, verum hæc Matrem misericordiæ et totius consolationis genuit. Annæ uxoris Raguelis filia dulcissima ab Angelo Raphaele nuptui traditur : atque hujus Annæ filia Virgo Maria, Angelo nuntiante, consensumque exigente, mox ubi paranimpho cœlesti Gabrieli annuisset, a Spiritu Sancto in eam superveniente, et virtute Altissimi sibi obumbrante, concepit Filium Dei, salvatorem mundi ex se incarnatum. Quarta Anna vidua permanet.

Verum hæc trinuba licet ex castissimo matrimonio, quo amore prolis legi obtemperabat, tres dignæ propaginis matres ex tribus successive maritis genuit filias, quibus singulis Mariæ nomen indidit, ut ex prole dignissima illustrior esset seu redderetur. Nobilis utique genere fuit, quæ viro de regia stirpe Joachim nupsit, et ejus sororis nempe Hismeriæ filia Elisabeth Zachariæ sacerdoti in conjugem tradita fuit. Verum nobilior erat moribus, utpote quam propriarum virtutum venustas summe decorat, ut in hoc ipso cunctis feminis præstet eleemosynis, jejuniis et orationibus sedulis, et quidem devotissimis, quibus tandem obtinuit uteri fecunditatem divino munere, quod naturæ negatum erat. Qua cœlitus nacta, supra naturæ decursum cunctis mulieribus celebriorem protulit partum, Dominam mundi, reginam cœli, hoc est, Unigeniti Dei futuram Matrem. In hac itaque muliere sanctissima, gratia super gratiam cæterarum mulierum quantumvis alias præclarissimarum Dei munere refulsit, ne quidem otiosum ejus habeatur nomen, quod ex omni parte rei optime quadrat. Nonne jure optimo præ cunctis mulieribus ampliori gratia divinorum charismatum prædotata, quæ Redemptoris mundi Genitricem a se post longæ sterilitatis opprobrium nascituram cum maximo gaudio et tripudio digna fuit concipere, atque huic mundo in præcipuum solamen edere? Ad hoc siquidem Deus superbenedictus eam ab æterno procul dubio præelegerat, ut post filiam Deiparam, ipsa omnibus ab initio seculis ampliore sanctitatis munere cunctis præstaret feminis.

Quod vel hinc convincendum reor. Porro quemcumque elegerit Deus, ipse erit sanctus, quemadmodum inquit divina Scriptura. Cui gentium doctor, divinus ille Paulus, alludens ait : *Elegit nos ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum.* Siquidem ad altiorem dignitatem prædestinatos ampliore sanctitatis gratia locupletavit semper: id quod nemo sacrarum litterarum scius ambigit. Quis ergo inficiabitur Annam multa gratiarum copia cumulatiorem factam a Deo Optimo Maximo, qui ipsam unigeniti Filii sui ex filia ipsius carnem nostræ

Eph. 1, 5.

na quid erprete-

nna er Ma- ut om- cæteras ias præ- at.

Annam genu- Mari-

Anna quam fuerit moribus nobilis.

Anna ut genuerit reginam cœli.

Anna ut cunctis mulieribus præferatur.

Nobilitatis Annæ causa quæ fuerit.

mortalitatis assumpturi aviam prædestinavit, dulcissimam fore, ut quo filius natæ celsior, eo genitricis mater gratiarum multitudine et altitudine ditior nosceretur? Neque enim parvo (mea quidem sententia) benedictionis honore eam dignatus est Altissimus.

Qanquam enimvero de multis legamus præclaris mulieribus quas Sacra Scriptura ob singulares benedictiones mirum in modum sustollit ad cœlos usque : his tamen Anna vel hac unica benedictione uteri sui alioqui sterilis, illustrior reddita est, quod Matrem Dei gignere meruit. Saram quippe Abrahæ conthoralem superat : Jaheli præstat : Abigail ea inferior est : non hanc ulla benedictione Judith æquare potest : nec sexcentæ aliæ, quin gratiarum et cœlestium donorum muneribus longe cunctis repletior sit. Saram utique benedixit Deus, quatenus jam veterana et quidem nonagenaria, utero hactenus infecundo, jam ex marito centenario Isaac, non sine munere Dei susceptum, cum maxima utriusque lætitia genuisset. Cujus desideratissimi fœtus perfecta Abrahæ patriarchæ fides, et unius Dei cultus causa fuit. At vero Anna sacratissima, fide sua et obedientia, non jam prophetam aut filium alicujus vatis genuit, sed Matrem Domini omnium prophetarum concipere et parere meruit. Et nihilominus aliis post eam dignissimis prolibus, nempe Maria Cleophæ una, et altera Maria Salomæ, non infimæ dignitatis, secundum carnem nepotes propagavit Christi salvatoris. Ut enim ex prima omnium dignissima filia Deipara vidit Christum Jesum mundi salvatorem Spiritu Sancto conceptum, ita ex altera quam Cleophæ secundo post fata Joachim marito genuerat, filia Alphæi uxore habuit nepotulos Jacobum, quem minorem vocant, Joseph justum, Simonem Chananæum et Judam, non illum Iscariotis Christi traditorem, sed Thaddæum, ut alias vocant. Tertia denique ejus atque Salomæ conjugis sui postremi filia, Zebedæi autem uxor Maria Jacobum majorem et Joannem Apostolum et Evangelistam genuit, ut multiplici hac prole earumque posteritate redderetur non parum illustris, omnique benedictione præ cæteris mulieribus clarissima.

Nepotuli Annæ qui fuerint.

Non parum est Jahelis præconium quæ utique legitur inter mulieres benedicta. Nam ut Sisaram, filiorum Israel hostem inimicissimum, multa constantia interemit, ita et thorum immaculatum juste ac fideliter servans, hostem pudicitiæ non absque divina benedictione (sine qua castus nemo esse poterit), superavit. Verum hæc nostra Anna castissima, viginti ferme annis sterilitatis opprobrium longanimitate præcipua patienter sustinens, non marito culpam injecit, non petulanter alium quæsivit virum, sed tacita secum mente cogitavit hanc ignominiam æquo ferendam animo, donec Deus misericordiarum et totius consolationis preces sedulo ad se clamantium admitteret. Rex Israel David potissimum benedixit pientissimæ mulieri Abigail, quod delinivit furorem ejus, ne ab inimico suo Nabal vindex mali sese ulcisceretur. Cujus nomen pater meus fortis interpretatum sonans, eos apte designat, qui operibus pietatis et misericordiæ Christum ex semine Davidis prognatum placant, ne ab hostibus seipsum vindicet : quin potius ad misericordiam inclinatus, fiat propitius peccatoribus, et opem ferat cunctis qui ab eo salutem præstolantur. Atque ut hujus nostræ Annæ historia enarrat, ipsa simul atque maritus pietate erga Deum pleni erant, totumque studium exercendis misericordiæ operibus in pauperes et egenos impendebant, nec de tota substantia plusquam familiæ usibus necessarium fuerat, reservabant. Opere quippe ostendebat hæc mulierum præclarissima, quam devotam in corde gereret ad Deum Optimum Maximum affectionem, piisque suis visceribus quanta inesset ad proximum compassio, reipsa compertum est : ubi divitiæ, quæ aliis impedimento solent esse, huic feminæ liquet fuisse adjumento ad virtutes exercendas. Non enim rerum

temporalium, quibus opulentissimi erant, avaritia detinebantur, quo minus modis omnibus de substantia quam eis Deus abunde donaverat, Deum honorarent, et proximorum necessitati largiflua manu deservirent. Hinc primum Dei ministris magnifica pietate primam omnium bonorum partem afferunt, quatenus juxta divini eloquii hortamen hoc ipso Deum omnium bonorum largitorem agnoscentes, pro innumeris beneficiis, ut par erat, gratias agerent magnificas, exemplum imitandæ virtutis quibusque præstituri, ne et ipsi in conspectu Domini, quod Scriptura vetat, appareant vacui. Alteram autem partem in pauperum, peregrinorum, viduarum et orphanorum eleemosynas charitate sincera erogabant, vel eo potissimum, quod non ignorarent, *quoniam fiducia magna,* ut Tobias inquit, *erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Justitia itaque eorum manet in seculum seculi. Sic ergo non parvam pietatis benedictionem in hac sancta muliere fuisse, qua Abigaeli præstet, existimo.

Nemo denique pro arbitratu sensus sui temere præsumat Judith viduam, licet castissimam, divæ Annæ etiam trinubæ præferre. Quamvis enim illa a pontifice audire meruisset: *Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram, etc.* propter victoriam adversus inimicos dicta. Hæc namque Holophernem proprio mucrone necavit, a Domino fortitudinem manus animique constantiam, accipiens: fuitque id quod ingenue fatemur, castarum mulierum pudicitiæ præclarum exemplar: eo quod in virginitate quamdiu in hoc erat statu, mundam sese ab omni spurcitia lubricæ carnis servaverit, ac in matrimonio caste vixerit, et in viduitatis statu, legitimi thori lege soluta, primam continentiæ fidem Deo præstitam non irritaverit, sed manserit vidua, habens super lumbos suos cilicium, et jejunans omnibus diebus vitæ suæ castitatis amore. Anna tamen ea neutiquam inferior censebitur, quæ cœlestis paranymphi monitis a Deo consolationem in castissimo connubio accepit, se a sterilitatis ignominia liberandam, quæ et mox conceptura esset prolem, cujus filius universæ carnis hostem propriis spiculis conficeret. Si utique beatus Hieronymus audet conjugium Abrahæ cum virginitate Joannis conferre, eo quod uterque horum suo tempori deserviret, quare Annæ castissimæ matrimonium reprehensione dignum censebitur, aut viduitate Judith postponendum? Licet enim status viduarum suapte ratione nonnihil matrimonii statui præstet, non tamen propterea hoc conjugium ea ratione contractum, tali viduitate sequatur propterea esse inferius. Si cæteræ mulieres, ipsa natura steriles, postmodum cœlesti dono fecundæ effectæ matres ex prolibus, quas celebriores multoque sanctiores procrearunt, in sacris litteris mirum in modum præ aliis commendantur, in quarum albo fuere Sara conjux Abrahæ quæ Isaac patriarcham, in quo omnes gentes benedicendæ erant, genuit: et Anna uxor Helcanæ, quæ Samuelis prophetæ Domini fidelis mater fuit: atque Elisabeth Zachariæ conthoralis, cui Joannem Domini præcursorem protulit: quis mihi hanc infecundam multo tempore matronam satis commendare posset a prole Dei munere, cœlesti benedictione suscepta? Anna enim hæc generosa domina, præ omnibus jure optimo specialis prærogativæ et dignitatis principatum obtinet, quandoquidem ipsa propagavit nobis Deiparam Virginem, quæ postmodum virtute Altissimi obumbrata, a Spiritu Sancto in eam superveniente, concepit et peperit unigenitum Filium, qui nec aliunde patrem haberet in mundo secundum carnem, nec aliam Matrem juxta divinitatem in cœlo.

Anna quanto laudum præconio sit extollenda.

Hæc est igitur mater vere gloriosa Anna super cunctas mulieres, post natam benedictam ad sidera usque extollenda, summisque laudibus semper prædicanda, quæ nobis effudit vas divinis charismatibus plenum, ac micantibus virtutum margaritis undequaque exornatum, Mariam,

inquam, Virginem, unigeniti Dei Genitricem, qui ex nimia ad genus humanum charitate, vestem in ea mortalitatis induit, quatenus suæ divinitatis participes nos efficeret. Hæc radix itaque est illa benedicta, quæ surculum protulit et virgam virgæque florem, super quem requiesceret Spiritus almus. Virga utique illa, Virgo Maria fuit : flos autem Filius ejus in quo habitavit divinitas corporaliter. Hic jam licet mihi commendes omnes a constitutione mundi præclaras, multarumque virtutum insignes mulieres, nulla tamen illarum fuit, quæ tanto dotaretur privilegio, ut Matrem Dei et totius consolationis pareret, quod solum huic nobili matronæ duntaxat peculiariter reservatum est.

Anna ut sit radix.

Maria ut sit virga.

Christus ut sit flos.

Quæ ex nobili prosapia propagata, ita virtutibus vitam omnem reddidit clariorem, ut in ea nihil desiderari possit, quod ad virtutum cumulum attineret. Ipsa siquidem simul atque Joachim dulcissimus conjux, ambo justi erant ante Dominum, non suam facientes justitiam, et ab hominibus videri cupientes : in mandatis quoque Domini, quæ strictissime observabant, ambulantes, facere studebant omnia quæ præceperat eis in lege Dominus. In templo confitebantur Domino, gratias agentes, ac peccata sua, si quæ commisissent ex humana fragilitate, sacrificiis abluentes. De substantia Deum honorabant, et pauperes largis eleemosynis reficiebant. Inter hæc, voti emissione sperantes ignominiam sterilitatis levandam, non ad vanas fallacesque discurrerunt mulieres, vana tollendi opprobrii consilia petentes, sed fructum ventris, si quem Dei beneficio obtinere mererentur, divinis mancipandum obsequiis unanimi consensu spoponderunt. Quam fidem, voti compotes effecti, absque cunctatione, ut par erat, exsolverunt, filiam in templo Domino sistentes. Deus proinde qui nunquam deserit sperantes in se, et cui semper placuit humilium deprecatio, misericorditer eorumdem admittens preces, consolabatur eos Angelo destinato, qui futuram Filii Dei Matrem ex ipsis nasciturum, promitteret. Cujus rei promissæ ambo accipientes certum ac indubitatum signum, mutuo sibi Jerosolymis in aurea porta occurrunt, simulque cum gaudio domum revertuntur, legitimis honesti matrimonii amplexibus in omni pudicitia inservientes, donec promissum conciperet Anna fœtum. Quæ interim agnoscens se sub viri legibus constitutam, eidem in omnibus ultronea obediebat, et perpetuas simul Deo pro tanto beneficio gratias agebant, donec Joachim debitum carnis exsolvens, cum patribus obdormiens in pace requiesceret.

Parentum B. Mariæ sanctitas quanta.

Annæ vita et conversatio quam sancta.

Anna cœlitus promissum accipit.

Quo apud Nazareth in sepulchro patrum suorum recondito, Anna luctus transactis diebus, divinæ legis obsecutura mandatis, spe concipiendæ, qua caruit, masculæ prolis, Cleophæ prioris mariti germano nupsit, ut ille ex se semen fratri mortuo suscitaret, atque ab eo filiam alteram suscepit. Quamobrem et tertio nupsit viro, quando dira fata secundum eidem abstulissent. Nam Salomas, mortuo Cleopha, Annam duxit in uxorem, cui tertiam genuit filiam, quam nomine priorum quoque Mariam appellavit, quæ a patre Maria Salomæ dicta est : a filio autem suo Jacobo, Joannis Evangelistæ germano, quos Zebedæo conjugi suo genuerat, nonnunquam Maria Jacobi nuncupatur. Nec hic causeris Annæ libidinem vel impudicitiam, quasi veterana trinubium admiserit. Enimvero quadragesimum nondum excessit annum, quando Salomas eam duxit uxorem, qua ætate adhuc florida, et ad concipiendum apta, absque piaculo, generandis prolibus operam, in laudabili et honesto matrimonio, navare poterat : non tam libidinis funesto ardore, quam angelica, ut ejus historia recenset, præmonitione, juxta ritum et consuetudinem illius legis id agens. Hoc quippe lex jussit, hoc exemplar similis facti suasit. Si namque gravis pœna manebat fratrem, qui noluisset defuncti fratris ex relicta uxore semen suscitare. Si Thamar prolis amore sub meretricis habitu sese socero Judæ insinuavit, ut ab eo conciperet,

cujus filii infecundam eam reliquerant, quis calumniabitur Annam, quæ absque omni controversia nondum quadragesimum quartum egit annum, quod post prioris mariti Joachim fata atque obitum germani illius Cleophæ, a quibus masculam prolem non sucepisset, voluit ad tertias etiam transire nuptias, donec, si possibile foret, masculum generaret?

Verum, quia in terris Deo serviens non ex omni parte ad votum illi cuncta cesserunt, tandem apud Deum melioris muneris quiddam acceptura, ad cœlestia evocatur regna. Nam hodie agimus diem percelebrem memoriæ ejus (id quod prælibavi), qua gloriosa hæc Genitricis Dei parens, ad æthera Angelorum ministerio, atque perpetuis gaudiis a nepotulo beatificanda, in cœlesti gloria sublimatur, et ut sanctus Hieronymus de ipsa inquit, paradisus voluptatis in terris effecta, ad portas cœlestis paradisi perducitur : ubi a Domino corona gloriæ in manu Domini, et serto exultationis perenniter coronatur. O quali tripudio, omnem istam cœlestem Jerusalem credendum est ineffabiliter exultasse, quando Anna gloriosa Verbi incarnati avia, sibi occurrentibus omnibus cœlestis curiæ ordinibus ad æthereum thalamum est deducta ; ubi mater gloriosa fructu suavissimo satiatur, et regem gloriæ cordis oculo limpidissimo delectabiliter contemplatur. Ibi ejus auditui semper datur gaudium et lætitia, cum sibi a tota Trinitate dicuntur verba melliflua, omni jucunditate plena : *Date ei de fructu manuum suarum.* *Prov.* XXXI, 31.

Hanc itaque mulierem nobilissimam, merito laudent omnes, propter vitæ probitatem, et insignes virtutes, prolisque dignitatem, tandemque propter cœlestem gloriam, quam hodie assecuta est, summam videlicet laborum suorum mercedem et præmium. Nos quoque, fratres charissimi, laudemus toto corde et animo, hymnisque dulcisonis beatam Annam Genitricis Dei matrem, et Christi dulcissimam aviam omni laude dignissimam, ut Deus, qui beatam hanc Annam tanta gratia donare dignatus est, ut Matrem Unigeniti sui in utero suo portare mereretur, det nobis per intercessionem matris et filiæ suæ propitiationis abundantiam, ut multiplicatis intercessoribus, ad cœlestia regna cum ipsis pervenire mereamur : quod nobis concedere dignetur Deus in æternum benedictus, Amen.

RODOLPHI AGRICOLÆ FRISII

VIRI CHRISTIANISSIMI JUXTA AC ERUDITISSIMI

AD SANCTAM ANNAM

BEATISSIMÆ DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ MATREM

ENCOMIUM.

ANNA parens summæ genitrix veneranda parentis,
Quæ pandis populis prima salutis iter,
Atque paris matrem : cujus, quem non capit orbis,
Ipse libens subiit viscera casta Deus :
Te cano, tu sancti posco mihi carminis haustus
Ingere, voce sacra pectora nostra rigans.
Ast mihi si centum sint uno pectore mentes,
Et totidem linguæ, tot moveamque sonos,

Nulla tamen te digna queam præconia laudum
Dicere, nec meritis te cecinisse modis :
Exsuperat quoniam mortalis carmina laudis
Virtus ; qua superas sidera summa poli,
Gloria major et hæc, cui non certaverit ulla,
Quam tibi præ cunctis filia chara tulit.
Filia, qua majus nihil est meliusve creatum,
Germine mortali, filia virgo parens.
Filia, quæ summo potuit deducere cœlo,
Corporis et nostri claudere veste Deum,
Quamque vocat matrem summi Sapientia Patris,
Et matrem trepidi nos miserumque genus.
Natus ab hac ille est, et matrem natus honorat,
Audit et humanas hac perhibente preces.
Anxia, quam nunquam miserorum vota fatigant,
Sed placidam mœstis porrigit usque manum.
Hancque petit sibi spem, cui nil sperare relictum est,
Hanc portum medio naufraga turba mari.
Visceribus parta est hæc Anna tuis, et ovanti.
Gaudia magna patri, gaudia fertque tibi.
Salve, sancta parens, et tu nata inclyta, salve,
Quas caro, quas pietas, has quoque jungat honor.
Natam mater amas, et natæ mater amaris ;
Laus capit una duas, ut tenet unus amor.
Bis tamen Anna potens hoc partu bisque beata,
Et prolis titulus nobilis atque tuis.
Conspicuos præstant alios benefacta parentum,
Tu contra natæ nobilitate nites.
Magna quidem meritisque tuis, pietate, fideque :
Quis neget ? at nata hæc splendidiora facit.
Acceptumque refert munus tibi maximus orbis
Hanc, post dona Dei cui bona cuncta refert.
Esther quod populum scelerati fraudibus Aman
Eruit, et regis mitior ira fuit.
Judith et Hebræis ferrum flammasque minantem,
Hostem, tartareas fecit adire domos.
Laudibus et colitur Judith, et laudibus Esther
Semper, et æternum nomina clara tenent.
Et tamen exiguos perituris addidit annos
Utraque, et hæc meriti summa duabus erat,
Ne vitæ nec opum fieret ferus arbiter hostis,
Neu natus ferat aut uxor amata jugum.
Magna quidem, fragilis sed vitæ munera, quæque
Sint qui habeant, sint qui non habuisse petant.
Quanto tu major, quanto felicior Anna,
Quæ das, quo mulier plus nihil ulla tulit,
Natam, quæ cœlo Dominum deduxit aperto,
Rursus et ad cœlos hinc patefecit iter ;

Natam, quæque Deique hominum commercia prima
Reddidit, et pacis janua prima fuit.
Tu felix igitur, et tanta prole beata
Anna, precor nostras sume benigne preces.
Quod potes atque facis, natam tu mater adhortans,
Vota simul junctæ reddite nostra Deo.
Non erit ut quisquam duce te diffidere votis
Debeat, oratu fac modo vota juves.
Te duce quisque ferat rectos ad sidera vultus,
Nec timeat vanas invalidasque preces.
Nil tibi nata negat, nil et negat ille parenti;
Ille colit matrem, te quoque nata colit.
Ergo voca matrem te, se vocet illa parentem;
Tuque tuum tibi jus, afferat illa suum.
Jam nihil exposcent mortalia pectora frustra:
Quodque voles, simul id nata Deusque volent.
Scilicet hæc ita sunt, et non decepta rogantum
Spes facit ut precibus te lacrymisque petant.
Te cuncti fugiunt morbi, pallorque dolorque,
Noxia quæque animo, corpore quæque sedent.
Quidquid id est, hominum quod curas cordaque lassat,
Te fugit, ut ventos nubila pulsa solent.
Hinc tibi nomen et hinc veneratio sacra parentis,
Et qui te sequitur, maximus orbis amor.
Hinc spectanda nites trepido fiducia mundo,
Nocte velut tumido fulgida stella mari.
Teque petit sexus, petit ætas omnis et ordo,
Teque gradus omnes, dives inopsque petunt.
Lubrica tu firmans fortunæ munera præstas,
Ne fugiant nostros lapsa repente sinus.
Et bona quæ miser hic vitæ sibi postulat usus
Aggeris, et rursus jam fugitiva refers.
Tu cunctis tu tamen ades, te præside fidunt,
Quosque suus metus, et quos alienus agit.
Fidaque non spernis suspiria mater amantum,
Grataque pro charis solvere vota juvat.
Certa loquor, magnisque mihi comperta periclis,
Hæcque reus voti carmina reddo mei.
Namque ferox languor stratis afflixerat ægrum,
Non vis, non color, aut corpus, ut ante manet.
Victor adest morbus, mors ad caput ore cruento,
Horrida terribili concrepat arma manu.
Frigore jam febris corpus jam coxerat æstu;
Æstu, quo rapido non calet Etna magis;
Æstu, qui vires venasque resolveret omnes,
Quique animo tantus, corpore quantus erat.
Concutiens subito mores mentemque furore,
Verbaque, jam totum mors quoque visa foret.

Illa potens herbis ars, sacraque cura medentum
Cessit, et ingenium vicerat omne dolor.
Quid faciam ? quid sperem ? quem precer ? Anna parens hæc :
Ut spes una fuit, sic erit una salus.
Hæc medicum numen simul attulit, ilicet ægris
Artubus ac animo vita vigorque redit.
Hinc adeo flagrent quovis mea pectora motu,
Ardeat et curis mens animusque mihi ;
Atque premant magnæ quantumvis factæ ruinæ,
Anna vocata mihi dulce levamen ades.
Tu mihi certa salus, in te mea vita recumbit,
Tu dux, tu portus, tu requiesque mihi.
Te dicent igitur mea carmina, laus tua semper
Vivet, et insigni nomen honore feram.
Quantum voce queam, quantum contendere lingua,
Quantum animo, quantum flatibus ore cœli :
Laus erit Anna tibi, decus Annæ, Annam canet orbis,
Annaque pro sacro numine nomen erit ;
Postque Deum cui prima redit laus omnis in ævum,
A quo laus, decus et gloria cuncta venit ;
Postque tuam natam, laus est hæc summa parentis :
Tertia stans triplicem quæ facis Anna chorum.
Laus tua dicetur, tua gloria, tu quoque semper
Proxima cum primis juncta duobus eris.
Ergo ades et perfer suspiria nostra tonanti,
Utque ferat placidus crimina nostra roga.
Posce bonam mentem nobis, et dedita menti,
Dedita nec vitiis corpora fœda suis.
Sint validæ vires, sit opum moderata facultas,
Famaque quam metuat tangere livor edax ;
Si tamen hæc prosint, si non, procul omnia sunto,
Et jubeas laxo fundere cuncta sinu.
Quod satis est cœlo sit vitæ : se quoque mortis
Non properanda ferat, non fugienda dies.
Puraque velamen quum corporis exuet hujus
Mens, teneat summi splendida templa poli.
Hoc pater, Anna, velit mundi fac maximus auctor ;
Hocque tuæ natæ natus et ipse velit.
Hoc sacer amborum velit ardor spiritus, unus
Vivunt quique triplex secula cuncta Deus.

D. JOANNIS TRITHEMII

ABBATIS SPANHEMENSIS, VIRI PRÆCIPUÆ ET ERUDITIONIS ET PIETATIS,
AD SANCTISSIMÆ DEIPARÆ VIRGINIS MATREM

SANCTAM ANNAM

SUPPLICATORIA ORATIO, APPROBATA ET CONFIRMATA PER R. D. RAYMUNDUM APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUM, ANNO DOMINI M. D. III.

Salve, sanctissima Dei Genitricis mater venerabilis Anna. Salve, quæ sine macula originalis culpæ Dominam Angelorum peperisti, quam Dei templum corporaliter futuram summo Regi consecrasti. Gaude, mater inclyta, in aviam Salvatoris humani generis ab æterno præordinata. Gaude, quæ secundum legem Moysi vivens innocenter, omnipotenti Deo complacuisti in terris, in cujus conspectu filiæ atque nepoti feliciter conjuncta modo sine fine regnas in cœlis. Et quæ Filio Altissimi templum in filia tua quondam condidisti purissimum, nunc in ejus cœlesti palatio potens effecta, ut reginæ amantissima parens, quidquid volueris ab ipso nepotulo facile impetrabis.

Gaude, mater sanctissima Anna, quoniam pro tuo arbitrio et voluntate omnes te cum puritate honorantes, et in hoc mundo et in futuro seculo remunerantur a Domino. Tu enim servientes tibi cum pura devotione copiose remuneras, indulgentiam pœnitentibus impetras, teque diligentes multipliciter honoras. Gaude, dulcissima domina, quoniam secundum nomen tuum gratiam te amantibus ab Altissimo pro tua voluntate potes acquirere, tuisque cultoribus æternæ felicitatis gaudia obtinere. Gaude, nobilis matrona, quæ multis quotidie apud mortales illustraris miraculis, dum in his qui nomen tuum invocant cum devota fide, complura beneficia ostendis : dæmones fugas, ægritudines sanas, inopiam pauperum relevas, tempestates aeris sedas, maris impetum mitigas, et omnia hujus vitæ pericula, si fides mereatur postulantium, tuis sanctis meritis allevias, tentationes carnis devotius invocata comprimis, acediam perniciosamque cordis tristitiam repellis, virtutum ornamenta tribuis, et omnium vitiorum incendia exstinguis. Nulla denique tribulatio vel tentatio potest subsistere, si devota mens te orationibus studeat invocare.

Cum igitur, o mater sanctissima, de potentia tua nullum sit mihi dubium, quin potenter invocantibus te valeas subvenire in omnibus, exaudi me servum tui nepotis invictissimi regis Jesu Christi, filiæque tuæ reginæ cœlorum, ac sanctitatis tuæ, quamvis indignum, et ora pro me in cœlesti palatio Regem, qui te ut aviam sanctissimam diligens honorat, et nihil tibi penitus creditur denegare. Servus enim tuus ego sum. O mater nobilissima, qui etsi nihil condigni honoris tibi possim impendere, totis tamen affectibus te cupio amare. Igitur, o domina vere sanctissima, per amorem Domini nostri Jesu Christi regis æterni, te oro ut sis mihi pia semper et prompta in omnibus necessitatibus meis adjutrix, et mihi tam in vita quam in morte mitis adesse patrona digneris. Ora pro me ad Dominum, cui matrem carnis intemeratam peperisti.

Impetra mihi omnium peccatorum meorum veniam, sanctæ compunctionis gratiam, divini amoris incendium, firmum et inviolabile spiritualis conversationis propositum, quotidianum hominis interni profectum. Impetra mihi, o sanctissima do-

mina, interni amoris dulcedinem, veram cordis mei devotionem, lacrymarum fontem, intellectus illuminationem, affectus puritatem, voluntatis rectitudinem, intentionis bonæ omnimodam sanctitatem. Age, domina mea clementissima, impetra mihi in sancto proposito perseverantiam, in adversis constantiam, in agendis prudentiam, in moribus disciplinam, et in cunctis operibus meis christianam cum humilitate puritatem. Fac me tuis meritis, precor, mundum cum suis vanitatibus pro Dei amore contemnere, tentationes diaboli vincere, carnis illicitos motus restringere, atque in Dei et proximi dilectione jugiter ardere. Impetra mihi, obsecro, necessarium præsentis vitæ subsidium, sancti regiminis modum, spiritualis sollicitudinis profectum.

Custodi me, domina, hodie et in omni tempore ab insidiis diaboli, præserva me tuis meritis a laqueo peccati, impetra mihi salutem mentis et corporis, libera me ab omni concilio humanæ pravitatis. Esto mihi semper veneranda comes itineris, averte pericula cujuslibet tribulationis. Nulla me vincant incendia libidinis, te protegente nulla me commoveat aura vanitatis. Manentem me in domo, mater sanctissima, ut servum tuum fidelem a malis omnibus protege, sanctis meritis tuis cordis mei instabilitatem restringe, mihique serenæ mentis tranquillitatem impetra, meam salutem ut mater filii cura. Rogo te, sanctissima Anna, domina mea, per amaram Domini Salvatoris passionem, ut me tuis meritis in ejus beneplacita voluntate dirigas, servum ipsius omnipotentis Dei me fidelem efficias, et in omni necessitate tuis mihi precibus assistas.

Vitam meam tibi semper tuendam, o veneranda mater, commendo, egredientem in hora mortis de corpore animam meam tibi humiliter committo, et ut mihi clementer adesse digneris in illa terribili hora supplici devotione expostulo. Impetra mihi, obsecro, in tempore obitus maxime, peccatorum meorum veram contritionem, puram confessionem, et perfectam omnium peccatorum remissionem, sacri quoque Dominici corporis communionem, et venerandam olei sancti inunctionem. Sit, oro, te intercedente, mihi in hora mortis fides firma, spes certa, charitas in omnibus perfecta. Sit mihi humilitas vera, conscientia munda, emigratio per omnia christiana. Cum vero anima mea jamjam egressura de corpore, mortis cœperit doloribus angustiari, tunc mihi, o sanctissima mater Anna, cum filia tua et nepote ipso Domino nostro Jesu Christo clementer velis adesse, exeuntemque defendere, egressam vero tuis munitam præsidiis ipsi summo judici commendare. Cumque judicis est acceptura sententiam, tunc vires interpone tuas, o patrona nobilis, ne pœnam incurrat pro demeritis propriis, sed gratiam inveniat pro meritis tuis, Amen.

IN FESTO

VINCULORUM SANCTI PETRI

APOSTOLORUM PRINCIPIS

In Epistolam Paraphrasim et in Evangelium Exegesim require supra in Solemnitate Apostolorum Petri et Pauli.

SERMO IN EODEM FESTO

OBTEMPERANDUM ESSE ECCLESIÆ PRÆFECTIS : DE AUCTORITATE ECCLESIÆ : FIDEM SOLAM ABSQUE OPERIBUS NON SUFFICERE : DENIQUE OPERA NOSTRA QUATENUS SINT MERITORIA.

Verbum quod ant no- seculi ngelici le sit.

TU es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ inferni non prævalebunt adversus eam. Matthæi XVI, 18.

Ipsa nos præsens solemnitas admonet, dilectissimi, ut de illis quæ ad fidem pertinent vobis aliquid loquamur. Illius enim, ut nostis, festum agimus diem, qui primus a Christo universalis Ecclesiæ præfectus est : in qua sola vera est et catholica fides, extra quam nec fides vera, nec ulla salutis spes, nec germana Dei ac proximi charitas esse potest. Et ut libentius de fide recta et catholica et aliis quibusdam eo pertinentibus vestris in auribus disseramus, etiam hujus seculi corruptissima nos dogmata compellunt, quæ jam pridem ad multorum perniciem excogitarunt ac longe lateque propagarunt homines quidam revera miseri, in Deum impii, in proximos crudeles et injurii, in seipsos autem longe crudelissimi : qui se jactitant Evangelicos, aiuntque se verbo Dei sincero et germano obedire.

Et fortassis persuadere id nobis possint, scilicet verbo Dei se morem gerere, nec toto quod aiunt aberrare cœlo, si reperiri queat hoc esse verbum Dei, quod abjecto jugo cujusvis obedientiæ, doceat calumnias inferre Pontifici, doceat Cæsari resistere, doceatque tandem repugnare cuivis, quamvis a Deo sit, potestati. Et post hæc omnia, doceat leges tanquam humanas contemnere, adeoque prorsus faciat liberum, ut jam quidquid libuerit, liceat, modo in Christum credatur : quandoquidem sola apud eos absque operibus fides comparat salutem. Nec obstat, quod nos non auditores sed factores legis justificari legimus apud Deum : nihil movet etiam, quod obediendum monet Paulus præpositis nostris, qui pervigili cura pro animabus nostris rationem sunt reddituri. Pro nihilo denique ducunt, quod Christum legunt dicentem : Super cathedram Moysi sedere Scribas et Pharisæos : quæ dicunt ipsi, nobis facienda : quæ autem faciunt, nobis non esse facienda, cum ea quæ recte docent nec ipsi faciant. Porro quod Apostolis eorumque successoribus Christus dicit : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit,* cæcutientes prætereunt. Nec adver-

Rom. II, 13.

Hebr. XIII, 17.

Matth. XXIII, 2.

Luc. X, 6.

tunt Apostolum dicentem, omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse debere : quandoquidem non est potestas, nisi a Deo. Postremo, surda audiunt aure illud, quo Christus eos ipsos notavit : *Qui Ecclesiam,* inquiens, *non audierit, sit tibi ut ethnicus et publicanus.*

Rom. XIII, 1.

Matth. XVIII, 17.

Et quid opus est plura percurrere, cum in veteri quoque Testamento, summo sacerdoti non minorem obedientiam mandaverit Deus exhibendam ? Sic enim in Deuteronomio legimus : *Si difficile et ambiguum apud te esse judicium perpexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et non lepram : et judicum intra portas tuas videris verba variari, surge, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii tui veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens sacerdotis obedire imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* Videtis, charissimi, in veteri Testamento sicubi dubia ambiguave occurrissent, consulendam audiendamque tunc ex Dei mandato fuisse summi sacerdotis sententiam : inobedientiam vero mortis supplicio fuisse mulctatam, quanto magis in novo non ita amodo effrenes esse debemus, ut nullius subdamur imperio? Nec tamen adeo insipientem quempiam reor, qui putet in veteri Testamento obediendum, in novo non obediendum : quandoquidem clarissimum atque indubitatum est, non minorem a nobis deberi obedientiam reverentiamque Petro, apostolis cæteris, eorumque successoribus, qui Evangelium nobis Christi nuntiant, quam olim debebatur Aaroni, Eleazaro aut aliis pecudum sacrificis, idque quamdiu nihil, quod verbo Christi repugnet, doceant.

Deut. XXVII, 8, 13.

Pontificis summi audiendam sententiam.

Obediendum quibusnam necessario sit ex Dei præcepto.

Certo quoque certius est, magis nobis esse obtemperandum Ecclesiæ, quam Judæis olim synagogæ. Ecclesiæ namque tanta est auctoritas, ut Scripturam Sacram et verbum Dei nobis tradat. Neque enim aliter quam ex judicio Ecclesiæ nobis constat, quid Scriptura sit, quæ sacra, quæve profana : quæ item canonica, quæve apocrypha sit. Si itaque de Scripturis judicandi habet auctoritatem Ecclesia, adeo ut multa jam olim refutarit, quæ sub nomine Apostolorum vulgata erant, quædam vero ita tolerat, ut nihil tamen ex illis possit probari, quomodo non etiam ubi in Scriptura quid abstrusum fuerit, aut ambiguum, non habebit auctoritatem interpretandi ac elucidandi ? quandoquidem a Christo recepit tenetque Spiritum veritatis, qui eam doceat, atque inducat in omnem veritatem maneatque, juxta Christi promissum, cum ea in æternum. Porro, abstrusa quædam esse in Sacra Scriptura, quædamque arcana, quædam latentia, varietas dogmatum vel hæreticorum ipsa nobis commonstrat. Dum enim pro suo quisque hanc captu nisus est interpretari, suo ingenio confidens, et non captivans, quod Apostolus monet, intellectum suum in obsequium Christi, quæ perperam intellexit, perperam et docuit. Nemo enim unquam fuit hæreticus, nisi qui non sane Scripturam intelligens, nec genuinum illum sensum, quem ipsa loquitur, inveniens, suo nisus fuerit ingenio, suoque hæserit judicio, atque judicium Ecclesiæ interim spreverit, non docens quod Scriptura docet, sed quod docet ipse, ex Scriptura firmare contendens. Quod tamen haudquaquam fieret, si non, juxta sententiam Petri, quædam in Scriptura essent obscura, quæ vel indocti non capiunt, vel impii depravant.

Habet igitur Ecclesia, quæ est juxta Apostolum columna veritatis, auctoritatem quæ in Scriptura obscura sunt interpretandi, quæ dubia pronuntiandi, et

quæ verbo Dei non repugnant, instituendi. Quidquid enim non fuerit contra Scripturam (tametsi non adeo sit expressum in ea), pro Scriptura est, Christo quoque Apostolis dicente : Qui non est contra vos, pro vobis est. Hæc dixerim, huc commigrans quod non possumus obedire Deo, nisi etiam propter Deum obediamus hominibus, quemadmodum non potest amari Deus, nisi propter Deum diligatur et proximus.

redere tum non icere ad item.

Inde quoque elucet, quod solum credere non sufficit ad salutem. Neque enim propterea tantum sua nobis Christus dedit mandata, ut hæc sciamus, aut illum præcepta dedisse credamus : sed ut præcepta faciendo ejus obediamus voluntati. Nam de operibus misericordiæ ut loquamur, de quibus in extremo judicii die Christus nobiscum disceptabit, si credendo ea, non autem operando, est satisfactum verbo Dei, ridiculum erit plane totum quod Evangelium præcipit. Vanum quoque erit, quod Christus adolescenti pro consequendo regno Dei, quid facto opus sit percontanti, respondit : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Deinde nonne videmus ad oculum ubi de sola fide necessaria, de operibus non necessariis prædicatum est, quantum mox facinoribus ansam hoc dogma præbuit, quantum tumultum atque insultum mox excitavit, quantum denique rebellioni, quantum contemptui Ecclesiæ ostium illico apertum est? Si nihil sunt opera bona, quid, quæso, baptista Christi Joannes pro servanda innocentia, puer ad eremum fugiens, pœnitentia tam dura se attrivit? Quid gratis, imo quid falso a Christo tantopere laudatus est ? Cur tandem eo non major in regno cœlorum surrexisse dicitur? Est enim major (ut alibi quoque Christus non tacet), et minor in regno cœlorum. Quemadmodum Paulus quoque electorum gratias et gloriam comparans, stellam inquit differre a stella in claritate. Quod nimirum falsum esse necessum erit, si credendo tantum, quia Christus pro nobis passus est, hæc sola nos fides salvat, id est, ad regnum cœleste perducit, nec operibus bonis erit corona : eritque tunc qui major a Christo dicitur in regno cœlorum, non melior quovis facinoroso peccatore. Erimus enim tunc omnes æquales, si opera bona, si observationes mandatorum Dei pro magnitudine charitatis, quæ hæc operatur, non coronantur, aut si innocentia vitæque sanctitas non præstat iniquitati. Siquidem pro omnibus æque Christus mortuus est, nihil pro uno plus, pro altero minus sanguinem fundens : atque ideo nec unum altero plus redimens. Quapropter si nihil distamus in charitate, si nihilo plus conducunt opera bona, quæ ex charitate manant, quam ea quæ extra charitatem fiunt, nemo altero erit sanctior, nemo justior. Pro omnibus enim et malis et bonis Christus passus est, pro omnibus ipse satisfecit, omnibus denique nobis perinde factus est sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio, et hostia pro peccato.

Matth. , 17. hisma æresis us se- i unde buerint am.

th. XI,

. *Cor.* 41.

dem so- non icere alutem.

Verum non ita pro nobis passus est, non ita pro nostris delictis satisfecit, ut jam non egeamus nos operibus bonis, sine quibus Dei mandata impleri est prorsus impossibile ; nec ita redemit, ut quidquid posthac fecerimus, modo crediderimus, mox salvi simus. Est certe nobis fides adeo necessaria, ut sine hac impossibile sit placere Deo : sed non sola hæc nobis est necessaria. Est necessaria quoque charitas. *Si enim fidem habuero* (verba sunt Pauli), *ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Constat itaque sine charitate hominem, licet tanta polleat fide, damnari. Constat sola fide, si dum potest et debet bene operari renuat, non salvari, nisi pœniteat. Est ergo illa potius fides necessaria, quæ per dilectionem operatur. Porro, de fide sine charitate loquitur Christus, quando multos in novissimo die venturos prænuntiat, atque dicturos : *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor*

Fides quænam nobis sit necessaria.

I. *Cor.* XIII, 2.

Matth. VII, 22, 23.

illis : Nunquam novi vos. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Habuerunt ii haud dubium fidem in nomine Christi in quo prophetaverunt, et signa fecerunt. Sed quid illis profuit hæc fides absque charitate, quid absque bono opere? Neque enim fides illa, si esset viva, nec charitas ipsa, esse sine bono opere potuisset. Charitas enim hoc ipso se veram ostentat, si non otiosa est, si gaudet bene operari, si opere exprimit quanti faciat suum Conditorem, cujus præcepta amat, quia ipsum qui præcipit, amat.

Charitas vera ut nunquam possit esse otiosa.

Joann. XIV, 15. *Ibid.* 21. Nec aliter Christus docens : *Si diligitis,* inquit, *me, mandata mea servate ;* et : *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.* Item : *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Et iterum : *Vos amici mei estis, si feceritis ea quæcumque ego præcipio vobis.* Cæterum, eos qui fidem quidem habent, et Christum Dominum vocant, non tamen ita amant ut illi obediant, arguit, dicens : *Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? Non enim omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, hic intrabit in regnum cœlorum.* Denique ut fidem otiosam nihil prodesse, verum supplicio etiam dignam intelligamus: *Omnis,* inquit, *arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Et arbori viridi folia quidem pulchra, non autem fructum habenti, dum Christus maledicit, atque mox aridam sua maledictione efficit, quid aliud, quæso, voluit significare, nisi eos qui per fidem in Ecclesia sunt virides, folia speciosa, id est, verbum Dei in ore ferentes, non autem habentes fidei fructum, hoc est, opera bona, utpote arbores steriles, quæ non faciunt fructum bonum, dignos esse divina maledictione, ut sic infructuosi excidantur, et in ignem mittantur ?

Ib. XV, 10. *Ibid.* 14. *Matth.* VII, 21. *Ibid.* 19.

Beneficia Christus quanta nobis exhibuerit.

Itaque quod verissimum est, Christus peccata nostra delevit, Christus per sanguinem suum nos redemit, Christus ex filiis iræ, ex filiis diffidentiæ, ex filiis diaboli et tenebrarum nos filios gratiæ, filios adoptionis, filios Dei, atque regni sui cohæredes fecit : quia suis operibus, sua redemptione, sua morte nos vivificavit : quia pœnam æternam, cui dum inimici essemus obnoxii tenebamur, nobis abstulit : quia supplicium malorum servorum, in filiorum prædilectorum virgam mutavit : quia nostris operibus posthac, utpote iis, quæ sua ipse gratia in nobis operatur, satisfaciendi, placandi atque merendi virtutem indidit, atque sua dignatione, non necessitate adactus, sed dignatione, inquam, sua, quia sic vult et promisit, iis coronam tribuit atque mercedem. Inde igitur fit, ut quod ex nobisipsis alioqui haudquaquam possumus, ex ipsius gratia et passionis merito possimus. Gratia enim Dei sumus id, quod sumus. Sive igitur fidem, sive charitatem, sive opera bona habeamus, ex ipsius gratia habemus, et gratis, id est, absque merito, ut gratia appareat gratia, habemus. Non autem ita gratis, id est, ut otiosa in nobis hæc maneant, sed ut voluntatem Patris nostri faciamus, qui in cœlis est : quod nequaquam faceremus, nisi in illum credentes, in illum sperantes, et illum amantes.

I C 10.

In Christo itaque radicati, et per gratiam ejus confortati, omnia possumus, qui ex nobisipsis nihil sine ipso possumus: sed in eo, inquam, possumus omnia, qui nos confortat. Itaque extollatur gratia, quantum potest, deprimatur humana infirmitas, quantum potest : non potest major sanctiorque Dei gratia in nobis prædicari, non potest humana præsumptio magis humiliari, quam si dicatur sentiaturque, sine gratia Dei nihil nos posse, per gratiam Dei omnia nos posse. Atque ideo quamvis nonnullis Christus dixisse legatur : *Fides tua te salvam fecit,* quod certe de sospitate corporis, quam homines quæsierant plerumque, aliquando etiam de animæ reconciliatione Christum arbitramur locutum, non autem de beatitudine cœlesti, quam nondum fuerant assecuti ; imo a qua adhuc poterant excidere, utpote in

Matt. 22.

gratia necdum confirmati ; ego tamen haudquaquam mihi usurpare hæc verba auderem : fides mea me salvum fecit. Quippe qui nec Petrum, cœlesti jam gloria securum, arbitror audere id sibi arrogare, ut diceret : Fides mea, aut opera mea me salvum fecerunt ; sed dicere cogeretur et ipse : Gratia Dei me salvum fecit. Longo namque intervallo distant dicere : fides mea me salvum fecit, et : gratia Domini mei Jesu Christi per fidem me salvum fecit.

Sive igitur fides, sive opera prædicentur, nec fides est salvifica sine operibus, nec opera placent Christo sine fide : omnia autem per gratiam Domini nostri Jesu Christi. Ab eo enim habemus fidem, quibus donatum est, ut credamus in eum. Ab eo habemus bona opera, quia sine eo nihil possumus facere. Possumus autem omnia in eo, qui nos confortat. Possumus gratiam per gratiam mereri, hoc est, possumus gratia sic uti, ut illa aut crescat, aut illi major adjiciatur : possumus per gratiam cœlestem gloriam obtinere sive mereri. Quid enim est mereri nostrum, si excludatur gratia? Profecto nullum. Meritum ergo nostrum est gratia. Nam quomodo operibus nostris, quæ Christus, ut Scriptura refert, ipse omnia operatur in nobis, deerit tanta virtus, vel ex eo quod Christus sua hæc gratia operetur, ut iis meritum præmiumve negetur, quandoquidem jam non sunt nostra, sed Christi, nisi quia ea nobis donat, et tanquam nostra, revera tamen sua, coronat in nobis ?

Operibus certe humanis, ut humanis, seclusa gratia Dei, perspicuum est nihil meriti præmiive æterni deberi. At gratiæ divinæ, quæ non sola, sed nobiscum in nobis operatur, quis neget inesse virtutem, ut nihil possit facere merito aut præmio quidquid operatur dignum ? An ita invidus est Deus, ut iis operibus, quæ in nobis et nobiscum ipse operatur, nihil velit dari mercedis ? Aut adeo inops, adeo infirma, adeo denique impotens atque vilis est ejus gratia, quæ nihil queat mercede præmiove dignum in nobis operari ? Et ubi interim est : *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis ?* Ubi vero quod itidem Christus dixit Apostolis, imo nobis omnibus : *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam ?* Ubi denique, quod reddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum ? Aliaque id genus permulta. Verum objicit aliquis, Apostolum dicere non uno in loco justificari hominem per fidem sine operibus legis. Si ergo per fidem et sine operibus, jam igitur non per opera. Esto, dicat Apostolus hominem justificari sine operibus legis, numquid dicit etiam justificatum jam in justitia servari salvarique sine operibus legis, hoc est, sine operibus bonis? Ita enim nunc permittimus hæc verba accipi, quamvis sciamus, de quibus operibus, quibusque hominibus scripserit hæc verba Paulus. Verum sic esto. Bene Paulus dicit hominem justificandum non indigere operibus bonis præcedentibus, quæ impetrent ei justificationem, aut unde justificetur, sed fide : nullo autem modo dicit justificato, si vivat et possit, non bona opera, quæ sequantur, necessaria ad consequendam felicitatem. Quomodo enim Dei præcepta impleret, nisi bene operans ?

Matth. v, 12.

Ibid. x, 42.

Sap. x, 17.

Sine operibus justificari hominem ut intelligendum.

Pervenitur itaque ad fidei justificationem non merito bonorum operum, sed gratia Dei, quæ vacua esse non potest, id est, sine operibus bonis, in eo qui jam justificatus est : et hoc si vivat. Nam si cum crediderit, mox de hac vita discedat, justificatio fidei, quam non præcedentibus obtinuit bonis operibus, manet cum ipso : quia non merito, sed gratia pervenit ad illam ; nec consequentibus ; sed Domini misericordia obtinet salutem : quia in hac luce esse non sinitur, ut vel bene operando obtemperare possit Dei voluntati. Non igitur dicit Apostolus hominem justificari per fidem sine operibus, ut quidquid postea egerit accepta fide, etiamsi male vixerit, dicamus tum

Ad justificationem fidei quomodo pervenitur.

justum, sed ut Dei gratiam cognoscamus, qua justificatus sit, et non ex operibus. Sequuntur enim bona opera justificatum, non præcedunt justificandum. Nam qui post fidei acceptionem nolunt bene operari, de iis Apostolus Jacobus loquitur, quod fides eorum, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Hinc liquet manifestissime operibus humanis, quæ ante justificationem fidei (qua ex infideli fidelis, ex impio fit justus) homo operatur, nihil deberi præmii mercedisve cœlestis : porro iis quæ justificationem sequuntur, quibus justus, sicut scriptum est, justificatur adhuc, id est, quibus ex justo fit justior, meritum et præmium nemo sapiens negabit. Postquam enim per fidem gratia Dei in homine habitare cœpit, postquam Dei charitas in illum diffusa est per Spiritum Sanctum qui datus est ei, postquam homo ille Dei filius per adoptionem gratiæ factus, postquam per gratiam consors, ut Petrus ait, divinæ naturæ effectus est, quis negabit ejuscemodi hominem, gratia Dei in illo operante, bona agere posse, quibus debeatur et meritum et præmium? Præcipuum enim quod in eo operatur, est gratia, licet non absque assensu et conatu voluntatis humanæ.

Cujusmodi operibus præmium reddatur.

Rom. v, 5.

II. *Petr.* I, 4.

Debetur itaque meritum, debetur et præmium iis operibus bonis, non quibus nos Deum constituamus nobis debitorem, sed quia sua benignitate (quia sic vult) constituit seipsum nobis debitorem, ut opera hæc bona, quæ ipse in nobis sua gratia vult operari et coronare, non careant merito ac mercede. Imputat ergo homini meritum et mercedem, quia sic vult, et sic ejus decet bonitatem infinitam. An non licet ei, an non potest quæ vult facere? An oculus hæretici nequam est, quia ipse bonus est? Certe hæc gratiæ ejus est potissima commendatio, quod adeo bonus est Deus, ut ipse licet per gratiam suam hominis mentem excitet, confortet, juvet, cooperetur, bonumque opus in nobis perficiat atque consummet ; quidquid tamen est ibi laudis et meriti, totum donet imputetque hominis voluntati. Vult enim eadem opera hominis censeri, hominique pro illis se debitorem constituere, atque promittere retributorem. Quomodo posset ejus gratia major laudari, quam quod ita hominem Deus dignatur, ut operetur in eo, detque illi merita quæ coronet ? Nonne hoc modo ejus gratia magis agnoscitur, prædicaturque illustrior, quam si diceretur, nulla bona opera, tametsi Deus operetur in nobis et velle et operari, mercedem coronamve habitura? An justitiæ quoque divinæ non hoc magis congruit, ut gratiæ instinctum adjutoriumque recipiens ac obtemperans coronetur, gratiæ autem renitens aut eam contemnens damnetur, quam ut suo duntaxat arbitratu Deus unum cœlo dignetur, alium supplicio damnet? Et quid, quæso, peccavit in nos gratia Dei, ut in homine (quem sibi Deus jam adoptavit, quem suæ naturæ consortem fecit, quemque gratiæ atque subinde virtutis suæ participem fecit) negemus illi, hoc est, gratiæ simul cum homine atque præcipue bonum operanti, virtutem merendi, efficaciamque præmii cœlestis obtinendi?

Opera nostra ut merito et præmio digna sint.

Hoc itaque pro constanti nunc relicto, suaserim nihilominus ego cuivis homini christiano, ut relicta hac disputatione, ex toto corde, ex tota anima, et tota virtute Deum diligere, illique obtemperare satagat, neque supplicium, neque mercedem cogitans, sed Deo placere, eidemque acceptum se facere cupiens, operetur bonum ad omnes, et ubicumque potest : nihilominus existimet se nihil fecisse, sed velut Dei mendicus ante januam patris oret nunc pro misericordia, nunc pro gratia, pro virtute denique et auxilio in tempore tentationis opportuno. Nihil tamen interim eorum quæ sunt beneplacita Deo, quoad potest, negligat. Quantumvis etiam oraverit, quidquid pro Dei honore certaverit, quantumvis boni operatus fuerit, nihil sibi arroget, sed totum Dei gratiæ, qua se cognoscat indignissimum, adscribat : se vero peccatorem et inutilem servum, in quo nihil sit præmio dignum, judicet. Credat

Gratiam Dei quid potissimum commendet.

Ut
per
ager
et tæ
subr
de s
tien

Boni
quid
hom
refer
beat

alios homines per gratiam Dei mereri, ipse vero, qui spiritui gratiæ toties contumeliam fecerit, fleat, atque nihil adhuc fecisse se existimet, cui merces sancta debeatur.

Ideo quamlibet charitate fervens, quantumvis bene ac sedulo operans, de operibus suis nihil prorsus confidat : in passione vero ac morte Redemptoris, in ejusdemque copiosissima misericordia spem omnem sibi constituat. Hujus oret, credat, speretque merita sibi applicari. Et hoc titulo regnum Dei, atque cœlestem beatitudinem exspectet. Hanc puto securissimam viam, qua videlicet gratiam Dei non in vacuum recipiamus, gratiæque virtutem merendi tribuamus, Christo adscribamus dignitatem et benevolentiam : nobis vero ipsis nihil nisi peccatum. Hoc enim modo Deum extollimus, gratiam ejus prædicantes, nos vero ipsos humiliamus. Verum de hoc satis nimiumque fortasse, nisi quod juxta Catholicæ fidei normam paulo fusius hinc instituendam putavimus charitatem vestram, ne seduci se patiatur ab hæreticis nostris, qui sibi juxta Apostolum permissum esse volunt probare omnia, et quod bonum est tenere. Bene quidem, si quod bonum est, tenerent. Jam vero non quod Ecclesiæ unitati bonum est visum, tenent; ideo non quod bonum est, sed quod bonum illis videtur malunt tenere.

Scriptum quoque legunt pariter in Apostolo : *Spiritualis omnia dijudicat,* eadem verba, ut alia multa, perperam intelligentes, quasi liceat illis quod ab Ecclesia semel judicatum est atque jam receptum, judicare denuo : matris Ecclesiæ sententiam discutere, iterumque in dubium, quæ rata sunt, revocare. Nam si putanda est Ecclesia errasse (quod reor non dicent), jam Ecclesia quam Paulus columnam vocat veritatis, cui et Christus veritatis Spiritum promisit, qui maneat cum ea in æternum, non erit Ecclesia, fefellitque Christus, cujus contra promissa Ecclesia non veritatis Spiritu, sed spiritu ducitur seduciturque erroris. Deinde falsum quoque erit id, quod idem Christus : *Si duo,* inquit, *ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si in veteribus olim conciliis tot sanctissimi viri ex omni pene natione quæ sub cœlo est convocati, ubi Spiritu Sancto invocato de fidei negotiis cæptum est tractari, hallucinati sunt; si trecenti, inquam, pluresve sanctissimi viri personam Ecclesiæ exprimentes, et Dei nomine congregati, in rebus fidei erraverunt omnes, quo pacto nescio quis ex latebris hodie prodiens, et Spiritu Sancto se illustratum jactitans, putabit se recte sentire, Ecclesiamque dijudicare posse et corrigere? Proh nefas! in quantam caliginem superba præsumptio quosdam præcipitat.

Matth. XVIII, 19.

Hæreticorum impudens temeritas.

Quapropter aliter atque putant hæc verba Pauli intelligenda sunt : videlicet, si novi peregrinive aliquid dogmatis cœperit prædicari, qui spiritualis est, hoc est, cujus mens luce Spiritus Sancti illustratur, et qui spiritu vivere docetur (quod multum valde est, ut quis hæc sibi arroget), is dijudicat omnia, puta perspiciens in hoc dogmate, atque expendens singula, observat ne quid Sacræ Scripturæ contrarium recipiat, ne quid Ecclesiæ placitis non consentaneum credat, ne quid etiam, quod jam ab Ecclesia judicatum atque definitum est, in dubium iterum vertat, hoc est, ne quod illa damnat, ipse recipiat, aut quod statuit illa, bonumque pronuntiat, ipse damnet. Nam de spiritu atque judicio Ecclesiæ (nisi stipes fuerit) non potest dubitare : de suo vero spiritu aut judicio merito potest nec parum debet hæsitare. Quod enim Spiritum Sanctum receperit habeatque Ecclesia, dubium non est. An vero ipse receperit necne, quis dicet illi? Et quis contra Ecclesiam se erigens, Spiritum Sanctum sibi arrogabit?

Spiritualis omnia dijudicans quis sit.

Verum si tam reperiatur tumidus, inflatus sensu carnis, vanus, superbus quispiam, qui judicio Ecclesiæ suum prætulerit, aut

qui ab Ecclesia etiam desciverit aut dissenserit, certum est illum eo Spiritu non illustratum, quem recepit, quove regitur Ecclesia. Hic enim, quem Ecclesia omnesque Ecclesiæ filii ac membra recipiunt, non est nisi unus idemque Spiritus, Spiritus pacis et non dissensionis. Spiritum igitur alium credendus est is qui ejusmodi est, recepisse, puta satanicum, qui spiritui Ecclesiæ, hoc est, Spiritui Sancto repugnat : idque propterea sibi agnoscat contigisse, nempe ob temeritatem et nimiam arrogantiam suam, qua suum intellectum nesciat aut non velit captivare in obsequium Christi, nec idipsum voluerit cum reliquis Ecclesiæ filiis sapere. Hi itaque sunt insolentissimi illi impostores, qui ad Ecclesiæ contemptum omnia illa antiqua, ab omnibus recepta, totque seculis comprobata, atque quasi per manus Patrum ab Apostolis hucusque nobis tradita convellunt : Bohemiticam vero illam licet olim damnatam sentinam, Joannis quoque Hus fabulam, et obsoleta quæque impiissima dogmata revocare, atque denuo instaurare, nonnulla etiam magis adhuc execranda statuere moliuntur. Qui sacramentis virtutem quibusdam auctoritatibus adimunt : qui sacerdotii Ordines plebi etiam profanæ atque adeo feminis tribuunt : qui enarratoribus illis Evangelii tum antiquissimis, tum sanctissimis, Nazianzeno, Basilio, Nissæno, Damasceno, Athanasio, Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, Gregorio, fidem omnem abrogant, quo suas impietates facilius statuant, quove suis impiis sententiis (cum eorum mens tam sit indocta, quam vita reproba) auctoritatem adjiciant.

Hæretici cur spiritu satanæ regantur.

Hæretici hujus seculi quam sint insolentes.

Quibus vos, dilectissimi, aures præbere nunquam debetis, sed fugere eorum consortia, vitare congressus, odire impietatem, et execranda dogmata, fortiterque in ea perseverare Ecclesia, quam Christus, ut ipse ait, supra Petrum extruxit, non quasi primum ac primarium fundamentum, quod non est aliud, quam ipse Christus, ut Paulus affirmat, sed alterum a se : in qua nimirum Ecclesia quisquis perseverat fide, et spe et charitate munitus, non potest seculi fluctibus obrui, nec perire unquam in hoc mari magno : sed sicut olim qui in arca Noe erant, diluvii excidium liberi evaserunt, ita et ipse securus ad æternæ salutis pertinget portum, gratia et benignitate Christi Jesu, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

IN FESTO

SANCTI LAURENTII MARTYRIS

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

QUI parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo : non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in seculum seculi. Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ. *II. Cor. IX.*

APOSTOLUS Paulus studiosissime adhortabatur Corinthios ad conferendam eleemosynam in pauperes, qui erant Jerosolymis. Putares illum in scholis rhetorum semper versatum, ita eis persuadere conatur, et quasi invitos cogit. Et quia noverat per Spiritus Sancti revelationem, quosdam ad dandum difficiles, quod putarent ex liberali rerum suarum distributione se inopiam passuros, hac lectione scribit eis : Fratres, ne quæso vobis persuadeatis damnum aliquod vos allaturos, si sitis largi in inopes, certi nimirum, qui parce et timide seminat ac exequitur opera misericordiæ miseris necessaria, eumdem etiam parce recepturum : qui autem de superfluis sibi largus est, quantum recta dictat ratio verumque judicium, non avaritia sed veritate metiendum, eumdem etiam copiose recepturum. Si enim Deus promisit calicem aquæ frigidæ ministranti præmium, multo magis mercede sua non fraudabitur, qui majora præstiterit. Sed non cogo vos, non vobis laqueum injicio. Si molestum est liberaliter impartiri quibus abundatis, placetque parca miseratio, equidem nihil urgeo ; sed tamen scire vos velim, quod parce vobis a Deo tribuetur. *Date,* inquit ille, *et dabitur vobis.* Si large dederitis, large vobis dabitur : sin parce, parca erit retributio. *h. x,* *Luc. VI, 36.*

Sed unusquisque faciat pro suo arbitrio et bona voluntate, nihil sordide, nihil avare, nihil coactus et invitus, sed libenti et alacri animo. Non delectatur Deus coactis obsequiis. Si quid illius causa præstare vultis, id ex animo fiat. Non indiget Deus beneficentia vestra, sed tamen delectatur benefactis vestris. Nihil magis optat, quam ut habeat causam tanquam ex debito gratificandi vobis. Non cogitetis vos hominibus præstare beneficium sed Deo. Poterit autem Deus collati in se beneficii unquam oblivisci ? Sane non poterit. Imo vero quanto erit majoribus affectus

Beneficium ac eleemosyna quonam animo præstanda.

pietatis studiis, tanto copiosiorem reddet gratiam. Itaque nihil cum tædio, nihil cum tristitia, nihil ex pusillanimitate et diffidentia faciatis. Sit animus promptus et voluntarius. Hilarem enim datorem diligit Deus. Si diligitis Deum, haud gravate membris illius opitulamini. Si autem gravate id facitis, non utique eum admodum diligitis. Itaque nec ille multum diligit vos. Ergo, charissimi, in præstanda eleemosyna Deum cogitetis, Deum spectetis : atque ita non solum non molestum, sed etiam summe jucundum vobis sit, posse vos pauperibus subvenire : quandoquidem totum redundat in Deum. Atque hanc animi promptitudinem diligit Deus, qua illi servitur non ex timore servili, non ex cupiditate mercenariorum, sed amore liberali et dedita voluntate, quæ proprie ad filios pertinet.

Potest autem Deus pro vestra bona voluntate, qua temporalia communicatis sanctis illius, sua gratia abunde vos implere, ita ut nedum corporis sed etiam animæ bonis abundetis, quæ longe præstantiora sunt rebus temporariis. Adeoque non solum nullum ex vestra liberalitate patiemini detrimentum, sed Deo vobis benedicente, habebitis semper in omnibus sufficientiam, unde etiam aliis semper impartiri valeatis. Annon meministis Davidici illius : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem : Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit?* Qui etiam de viro justo alibi scribit : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in seculum seculi.* Hoc egregie præstitit divus Laurentius martyr invictus, quando Ecclesiæ thesauros, non furenti Decio Cæsari prodidit, sed in numerosos pauperum greges dispensavit, quæ res illi mortem attulit corporis, et vitam sempiternam. Dispersisse dicit virum justum res suas in diversos pauperes, sed illis quamvis distributis, quamvis liberalitate præcipua in miserorum usus collatis, justitia illius non imminuta est, non defecit, non elanguit, sed manet in seculum seculi. Non enim perit apud Deum quidquid illius contemplatione in inopes dispergitur, sed semper illius in conspectu perseverat.

Ps. XXXVI, 25, 26.

Ib. CXI, 9.

Idem autem ipse, sicut semen, id est, eleemosynarum materiam ministrat ferenti, hoc est, eleemosynas facienti, ita dabit et panem ad manducandum, id est, vitæ ac victui necessaria. Quod quidem innumeris probatum est exemplis, nunquam defuisse bona temporaria eleemosynas largas tamen cum ratione facientibus, sed semper eos divitiis esse auctos. Quanquam id avaris persuaderi non potest, qui sæpe in res frivolas magnos faciunt sumptus absque ulla animi molestia, scilicet ubi sperant se aliquid percepturos lucri aut voluptatis, aut vanæ existimationis et humanæ laudis : pauperi autem nec teruncium nisi cum tædio largiuntur. O credant tales tandem Domino Deo, et sint misericordes ac liberales in proximos inopes, quibus mundus plenus est, et longe feliciores erunt, quam sua avare et impie retinendo ! Denique multiplicabit Deus semen et facultates temporales eorum qui faciunt eleemosynas : et augebit incrementa frugum justitiæ illorum, id est temporalibus et spiritualibus eos divitiis abundare faciet. Nam hoc ipso, quod quis Dei amore pauperibus miseretur, Deum cujus est immensa liberalitas, ad misericordiam ipsi præstandam provocat. Sicque fit, ut a Deo nedum copiosam in temporalibus remunerationem accipiat, sed etiam gratiæ donis augeatur. Nihil enim unquam fit in gratia et charitate Dei, quod non certum habeat præmium apud Deum. Neque id mirum, quando omnia opera nostra *I*
bona Deus ipse in nobis, non tamen sine nobis, operatur : id quod apud Isaiam manifeste legitur. Si ergo Deus est auctor operum nostrorum, quis audeat negare ejusmodi opera digna esse vita æterna ? Nihil in nobis muneratur Deus, nisi opera sua. Et tamen donat et imputat ea nobis suæ gratiæ cooperantibus. Nemo ergo sit piger ad agenda bona : certus si parce seminaverit, parce et metet : quod idem uti-

que confirmat mercedem restituendam operibus bonis. Sed supervacaneum est probare velle, unde nemo nisi stultissimus dubitare potest.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, JOANNIS XII.

INVICTISSIMI martyris Laurentii festum hodie diem celebrat Ecclesia Catholica, fratres charissimi. Sed Evangelici nostri sanctissimum martyrem e divorum catalogo removerunt. Et qua tandem vel ratione, vel auctoritate? Ratione quidem nulla, auctoritate autem sua. O homines omni lacrymarum fonte plangendos! Sed nos interim patrum vestigiis inhærentes, celebremus natalem sancti Laurentii : certi ante annos mille et eo amplius celebratum eum esse ab Ecclesia Catholica. Multa nobis in divo Laurentio imitanda proponuntur, multa et præclara ejus exstant merita, nec ambigi potest, quin potens sit apud Deum suis meritis et precibus nobis patrocinari. Quid igitur causæ est, quominus illius festum agere diem velimus? Esto torqueat diabolum memoria et veneratio divorum, sicut olim torsit eum illorum insuperabilis animi fortitudo et patientia, num propterea non debemus eos pie colere? Imo colamus eos, dilectissimi, et patronos apud Deum nobis conciliemus, ut in illo tremendo judicii die habeamus qui nos adjuvent et defendant apud Deum. Quidquid interim sentiant adversarii, nihil nos moveat. Illi enim tam perfecti sunt (si inferis placet) ut non egeant ullo sanctorum patrocinio. Sed his paucis justo animi dolore de sanctorum colendis festivitatibus præmissis, ipsa Evangelii verba videamus.

Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, fructum multum affert.

Grano frumenti uti se Christus comparavit.

Hæc verba specialiter ad Dominum Salvatorem pertinent, qui est verissimum illud frumenti granum, quod infidelitate Judæorum, ut ait Augustinus, mortificatum, multiplicatum est fide populorum. De quo dubium non est, si pro nobis mortuus non fuisset, solum eum fuisse mansurum, nec quemquam secum perducturum in cœlestem paradisum. Mortuus autem quantum fructum attulerit, probant innumeræ nationes ad fidem a paganismi erroribus conversæ, et in hæreditatem filiorum Dei translatæ. Atque ea de causa sese demiserat in uterum Virginis, ut inde sumpto mortali corpore, pro nobis moreretur, et moriendo nos vivificaret, qui eramus peccatis mortui et perditi. Poterat quidem non mori, sed nisi moreretur, nos non redimeremur, non ad vitam resuscitaremur. Quod quia ferre non potuit, mortem, eamque durissimam amplexus est, malens in seipsum crudelis esse, quam nos miseros in exilii hujus captivitate relinquere. Mortuus est igitur, ut nos vivificaremur. Mors illius nostræ vitæ reparatio est. Dum ille sponte moritur, nos ex æterna morte resuscitamur ad vitam sempiternam. Sed non proderit nobis mors illius, nisi et nos moriamur. Nam quamvis, ut dixi, specialiter hæc verba ad Christum referenda sint, possunt tamen et ad quemlibet hominem accommodari, ut sit iste sensus : Nisi quis mortuus fuerit vitiis et peccatis, solus manet, omni divina gratia

Grano frumenti ut quilibet vere credentium comparetur.

destitutus, et postea mittendus in miserrimam inferni solitudinem, ubi est extrema desolatio. Si autem mortuus fuerit, fructum multum affert, divina gratia eum movente, atque per eum efficiente omne opus bonum. Id jam certa quotidiana experientia verum probamus.

Docti quidam concionatores cur parvum aut nullum referant fructum.

Multi sunt præclare docti, qui strenue concionentur ad populum, aut multos scribant codices, et tamen parvum aut nullum faciant fructum, eo quod peccatis mori non velint, atque eo ipso sese aliis reddant contemptibiles. Qui autem contemptui est, ejus quoque doctrina despicitur. Sed et plures alii magna quædam faciunt opera, largas conferunt eleemosynas, orant et jejunant, et habent exercitia sua externa: verum quamdiu Deum contemnunt, vitiisque mori nolunt, soli manent divinæ gratiæ expertes. Tamen non debent isti ejusmodi benefacta abjicere. Nam sæpe per talia eo pertingunt, ut revera sibi et peccatis moriantur. Qui autem hoc pacto

Mortui vitiis quantum fructum sibi faciant.

mortui sunt, illi utique ingentes ferunt fructus, quandoquidem Dei gratia et charitate præditi sunt, atque inde quidquid ex charitate agunt, meritorium illis fit : sed et aliis plurimum prosunt, Deo per eos tanquam viva et apta organa suam voluntatem efficaciter exequente ac operante. Sed ut ita moriamur, principio difficile est : quo fit ut pene omnes mori nolint. *O mors, quam amara est memoria tua* homini sensibus suis et huic mundo dedito ! Et tamen nisi mors præcedat, vita obtineri non potest. Non vis mori vitiis ? morieris ergo semper sine ullo fine in flammis sulphureis.

Eccli. XLI, 1.

Moriendi vitiis modus quis sit.

Sed durum est, inquis. Tenta quotidie aliquid, et levius fiet. Difficilis est ascensus montium, sed paulatim scandendo ad cacumen pervenitur. Saxum licet durissimum guttæ cavant sæpe cadendo. Nemo magis proficit in virtutibus, quam qui magis difficilia et contraria sibi fortiter vincere nititur. Copiosior namque datur illi gratia, qui sese magis vincit, et in spiritu mortificat. Ora Deum, et persevera in labore : senties brevi arridentem gratiam, et quod prius labor et dolor erat, gaudium et voluptas erit. Duo quædam plurimum faciunt ad sui mortificationem : ut videlicet etiam violenter te subtrahas quo natura vitiose propensa est : et ferventer assequi coneris bona illa, quorum te magis indigum senseris. Vigila super teipsum, excita et adhortare teipsum. Millies lapsus, rursus arma corripe, instaura animum, renova propositum. Non fatigabis Deum post lapsum humiliter revertendo, etiamsi millies revertaris. Tantum proficies, quantum tibiipsi vim quamdam propter Deum adhibueris. Nemo verius, felicius, securius, quietius vivit, quam qui sibiipsi et vitiis mortuus est. Nam in quo vitia etiamnum dominantur et sæviunt, quo pacto is vere et tranquille possit vivere? Quod etiam philosophi quidam non ignorantes, maximo labore et infatigabili studio malas animi perturbationes sive passiones edomare nitebantur, ut tanto essent animo sereniore et aptiore ad contemplandam veritatem. Sed quærat aliquis, quid ad sui mortificationem pertineat? Nimirum pertinet eo, ut pro peccatis admissis congruam agamus pœnitentiam, ut mala nostra fletibus castigemus, ut cum sancto Ezechia recogitemus omnes annos nostros in amaritudine animæ nostræ. Hoc molestum est carni et portioni sensitivæ sive sensualitati, sed mortificanda est, et rationi subjicienda. Pertinet etiam eo, ut corpus subditum sit spiritui, ut earum rerum quæ ad corporis sustentationem pertinent, sicuti est cibus, potus, somnus, vestimenta, etc., nihil amplius illi tribuamus, quam prosit ei ad serviendum Deo. Nam qui plus illi tribuit, vitiorum fomenta ei subministrat, armatque servum in perniciem domini sui. Unde Apostolus ait : *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Ad hæc pertinet ad mortificationem, ut anima cunctis corporis membris bene utatur, videlicet ad exequendam justitiam et actus bonos, non autem ad perpetranda

Mortificationem vitiorum duo quænam promoveant.

Philosophorum quorumdam studium in vitiis edomandis.

Is. XXXVIII, 15.

Quænam ad mortificationem vitiorum pertineant.

Rom. XII, 1.

mala. Non enim sumus nostri, sed Domini. Itaque illi totos nos mancipare debemus, non vitiis. Præterea eodem requiritur, ut vires inferiores, sensus externi et appetitus sensitivi rationis imperio subjaceant, ne per ista vel eorum actiones ratio impediatur a bonis, et animus a divinorum contemplatione distineatur. Denique huc exigitur, ut ratio et voluntas Deo subdita sit, ita ut juxta divinæ legis, Sacræ Scripturæ et fidei Catholicæ normam et præscriptum omnes rationis et voluntatis actiones dirigantur : quod quidem fit per fidem, spem et charitatem. Redigendus namque est et captivandus intellectus, ut
II. *Cor.* x, 5. ait Apostolus, in obsequium Christi, ut ea omnia, quæ sunt fidei christianæ, incunctanter credat, tametsi captum rationis naturalem longe lateque excedant. Voluntas etiam ita Deo subdenda est, ut quæ credit, amet, ut appetat invisibilia, visibilia
Ps. xxvi, 13. contemnat, cupiatque toto corde videre bona Domini in terra viventium. Hoc pacto quisquis bene mortuus fuerit, non poterit non maximos referre fructus. Memoria quoque animæ repurganda est, ut nihil in ea resideat quo Dei in ea actio aut locus impediatur. Sequitur :

Qui amat animam suam, perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Ecce quomodo ubique verbum Dei, et doctrina Evangelica carnis damnat voluptates, eamque persequi et odisse jubet. Nemo se fallat, credens sola fide nos salvos fieri, atque interim molliter et delicate vivens. Qui amat, inquit Dominus Jesus, animam suam, perdet eam, hoc est, quisquis carnalibus et illicitis animæ suæ desideriis obsequitur et satisfacit, malens illi parere quam præceptis Dei, quæ ubique nostris concupiscentiis adversantur et contradicunt, is perdet eam in mortem
Animam male amare quid sit. sempiternam. Hortatur carnalis anima, ut diu dormias, ut laute et splendide epuleris, ut mulceas aures variis musicorum organis, sola voluptatis causa, ut otio desidiæque indulgeas, ut jocis et fabulationibus tempus transigas, ut securus de misericordia Dei pœnitentiam differas in extremam senectutem. Quod si illi acquieveris, absque ulla hæsitatione peribis. Dives ille Evangelicus, qui multas sibi pararat opes, quando cœpit velle animum dare voluptatibus, et frui bonis vitæ hujus, audivit : *Stulte, hac nocte tollent a te animam tuam :* *Luc.* xii, 20. *et quæ parasti, cujus erunt ?* Amabat ille perdite animam suam, eoque penitus perdidit. Judas, Domini proditor, postquam animi sui concupiscentiam, quam profligare et odisse debuisset, expleverat, acceptis a Judæis triginta argenteis quibus Dominum vendidit, abiens laqueo se suspendit. Accidit quandoque, ut dives quidam morti vicinus admoneretur confessionem facere, et instar christiani hominis sese ad mortem præparare. Sed aliquoties repulit confessarium, spe salutis recuperandæ. Videns autem mortem adesse præ foribus, jussit sibi arcam suam nummis plenam afferri. Qua allata, manu versabat pecuniam donec animam exhalaret. Confiteri autem non voluit. Tremenda res! Accidit illi, ut in morte oblivisceretur sui, qui vivens oblitus fuerat Dei. Amaverat iste, ut apparet, animæ suæ iniquam concupiscentiam, et divitiis comparandis inhiaverat. Itaque animæ suæ ne in extremis quidem consulere potuit, nimio devinctus amore divitiarum. O quot sunt hodie ejusmodi, qui tam perniciose amant animas suas, illarum perniciosissimis semper favendo et obsequendo cupiditatibus ! sed certe brevi et animas suas et quidquid modo corradunt, perdent.

Qui autem odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Quod sanctus Gregorius Papa quadam Homilia exponens : Tunc, inquit, animam nostram bene odimus, cum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus, cum ejus appetitum frangimus, ejus voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amatur.

Animam quisnam suam probe odiat. *Gregor.*

Certe dum Paulus Jerosolymam pergeret, propheta Agabus zonam illius apprehendit, suisque pedibus alligavit, dicens: *Act.* xxi, 11. *Virum, cujus hæc zona est, sic alligabunt Judæi in Jerusalem.* Sed is, qui animam suam perfecte oderat, quid dicebat? *Ego non solum alligari, sed et mori paratus sum in Jerusalem propter nomen Domini Jesu Christi : nec facio animam meam pretiosiorem quam me.* Ecce quomodo animam suam amando oderat, imo odiens amabat, quam cupiebat pro Jesu morti tradere, ut hanc ad vitam de peccati morte suscitaret. Hæc Gregorius. Non est igitur amanda anima amore improbo, carnali, privato, vitioso, ut consentiamus illi in rebus illicitis ac perniciosis, et a divina voluntate et recta ratione discrepantibus : sed odienda potius, ut vim quamdam illi inferamus, ubi nos cupit abstrahere a justitia, et cogamus eam divinis inhærere mandatis. Ubi sane virilis adhibenda animi severitas est, ut nullis tentationibus cedamus, nulla pusillanimitate frangamur. Anima quomodo sibi ipsi mori dicatur. Quantumcumque importunis urgeamus concupiscentiæ stimulis, non est tribuendus assensus : sicut parentes infantibus etiam acerrime plorantibus nolunt tribuere ea, quæ sciunt eis obfutura.

Bernard. Divus Bernardus, sermone trigesimo in Cantica, scribit in hæc verba : Tu quoque si propriam deseras voluntatem, si corporis voluptatibus perfecte renunties, si carnem tuam crucifigas cum vitiis et concupiscentiis, sed et mortifices membra tua quæ sunt super terram, probabis te Pauli imitatorem, qui non facies animam tuam pretiosiorem teipso : probabis et Christi discipulum, etiam illam perdendo salubriter. Et quidem prudentius eam perdis ut custodias, quam custodis ut perdas. Nam qui voluerit anima suam salvam facere, perdet eam. Perdet eam, inquit, sive ponendo ut martyr, sive affligendo ut pœnitens. Quanquam genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Hactenus Bernardus : qui quidem perdere hic in bonam partem interpretatus est, quod nos in malam exposuimus. Tolerari utraque interpretatio potest : tamen Augustino teste, et ipsis quoque Evangelii verbis assentientibus, potius de malo quam bono accipiendum est, ut sit sensus : Qui male amat animam suam in hoc mundo, perdet eam in futuro : qui bene odit in hoc mundo, custodit eam in vitam æternam. Loquitur autem hic Dominus de anima per peccatum vitiata, quæ semper in malum proclivis est. Alioqui ratio ad optima hortatur. Damnantur autem hac sententia omnes, qui asperam et duram vivendi rationem fugiunt, et suavia ac mollia amplectuntur. Videant Evangelici nostri, quam pulchre sua doctrina ex Epicuri potius quam Christi schola profecta, cum verbo Dei consentiat. Sed advertunt haud dubio etiam ipsi toto se errare cœlo, et tamen vel peccati delectatio, vel præfracta animi obstinatio non sinit eos palinodiam canere. Qui si cogitarent humanum esse errare et labi, nec cuiquam vitio verti posse, si errasse se doleat, proculcarentque animi superbiam, facile et cum Deo, et cum hominibus in gratiam redire possent. Sequitur :

Anima quidnam hoc loco significat.

Lutherani uti huic Evangelio Christi contradicunt.

> Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

O verbum breve, sed non parum multa complectens! Non est minister Christi, qui Christum non sequitur. Quid est sequi Christum? Ejus humilitatem, obedientiam, mansuetudinem, mundi contemptum, patientiam, charitatem imitari. Habes, christiane, satis superque quod agas. Si minister Christi es, imitare Dominum tuum. Et ne putes virtutum studia et actus sua carere mercede, audi Dominum promittentem : *Ubi sum ego, illic et minister meus erit :* hoc est, in vita sempiterna, ubi unusquisque mercedem accipiet juxta laborem suum, ubi parce metet, qui hic parce seminaverit. Habemus ducem quem sequa-

Sequi Christum quid sit.

II. *Cor.* ix, 6.

Voluptatibus pravis quænam anima resistat. *Gal.* v, 24. *Col.* iii, 5.

Animam perdi bifariam.

mur, habemus præmium quod speremus. Non est nobis turpe Filium Dei imitari ; imo vero gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo. Nihil est melius quam timor Dei, et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini : non utique ad cognoscendum duntaxat, sed ad faciendum ea, quod est sequi Salvatorem. Ipse enim ait : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Tu quoque imitare illum, et propria calcata voluntate, fac quæ tibi præcepit Deus.

Eccli. XXIII, 38.

Joann. V, 30.

Basilius. Sanctus Basilius circa hæc verba pulcherrima utitur adhortatione, quam huc partim afferre placet. Tu quisquis, inquit, candidatus cœlestis gloriæ amplissimum expetis honorem, animum huc adverte : tu, inquam, cui in animo est Christo ut comes assideas individuus, audi illam regis tui eximiam vocem : *Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, ibi et minister meus erit.* Ubi ergo Christus est rex ? In cœlo sine dubio. Huc tuus tibi, o Christi miles, dirigendus est cursus. Obliviscere quidquid hic in terris refectionis haberi potest. Deinde describit vitam militis terreni, sub rege stipendia facientis : post ita prosequitur : Age igitur, Christi miles, qui jam tenuia quædam ex rebus humanis exempla inspexeris, subeat animum tuum sempiternorum bonorum cogitatio : propositum tibi vitæ genus sit, domo civitateque ac possessione rerum omnium carens : solutus esto, atque ab omnibus vitæ hujus curis liber. Non te ulla impediat illigetve de conjuge cupiditas, non de filiis sollicitudo : quando alienum hoc est penitus a cœlestis militiæ disciplina. Hæc Basilius. Quæ quia possunt quibusdam ingrata videri, quod ad monasticen invitent, nosque hæc laicis potius scribimus, quam qui sacris initiati sunt aut monasticen profitentur, nolumus diutius prosequi : attamen ut sciant etiam ipsi qui conjugio serviunt, quid faciendum sibi sit, si Christi ministri esse velint, ex eodem sanctissimo viro pauca adhuc commemorabimus. Non est, ait, quamobrem tu qui ad uxorem animum applicare maluisti, perinde quasi ea re mundum tibi amplecti licitum sit, desidiæ te des : quando eo majore tibi labore contendendum est, attentioreque animi utendum vigilantia, ut salutem invenias : veluti qui sedem tibi in mediis laqueis, mediaque rebellium potestatum ditione delegeris, ubi peccatorum assidua ante oculos posita irritamenta habeas, ad quæ concupiscenda omnes sensuum tuorum libidines assidue loco veluti emotæ impellantur. Quocirca intelligere debes neutiquam effugere te posse, quin cum diabolo tibi sit deluctandum, ex eoque nullo modo victoriam te sine multis laboribus, pro Evangelicorum præceptorum conservatione susceptis, reportaturum. Vide cætera apud eumdem. Ergo minister Christi nemo erit, nisi qui pro Christo legitime certaverit. Quod si in certamine perseveraverit, victor ibit ad cœlos, eritque semper cum Domino suo.

Miles Christi quomodo militare debeat.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui est in cœlis.

His verbis, ut ait Augustinus, intelligitur Dominus exposuisse quod supra dixerat, illic et minister meus erit. Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est unicus ? Sed quæ est ignavia, imo insania nostra, ut si quis propositus sit honor temporalis, ad illum consequendum per ignem et aquam omnes properemus, cœlesti autem et æterno oblato nobis honore vix quisquam sit, qui pedem loco movere velit ? O stulti filii hominum, tamen quandoque sapite ! Quare tam misere perditis animas vestras ? Quare non videtis mundi vanitatem ? Quærite Deum et veros honores, et felices ac beati eritis.

SERMO IN EODEM FESTO

DE DANDIS ELEEMOSYNIS.

DISPERSIT, dedit pauperibus : justitia ejus manet in seculum seculi. Psalmo CXI, 9.

Sæviente illa impiissima sub Decio tyranno christianorum persecutione, inter alios, qui tum variis conficiebantur supplicii, etiam invictissimus Levita Laurentius peremptus est, tum quod Christi fidem negare nollet, tum quod Ecclesiæ thesauros in usus pauperum liberalissime distribuisset. Postulabat Tyrannus thesauros sibi dari, quos Philippus junior Imperator Ecclesiæ donaverat : sed contemptus est a Levita Laurentio christianissimo, castissimo, simul ac sapientissimo : dumque speraret thesauros sibi illatum iri, oblatos sibi vidit numerosissimos sanctorum pauperum greges, in quorum victu atque vestitu sanctus martyr, ut ait Leo Papa, inamissibiles condiderat facultates : quæ tanto integrius erant salvæ, quanto sanctius probantur expensæ. Hac de causa, ut equidem puto, recitatur hodie Epistola, ubi de eleemosynis dandis fit adhortatio, commemoraturque Psalmi Davidici versiculus, quem nos thematis loco proposuimus, nempe : *Dispersit, dedit pauperibus, etc.*

Suppliciorum S. Laurentio illatorum causa quæ fuerint.

Unde nos quoque sumpta hinc occasione operæ pretium facturi videmur, si charitatem vestram ad præstandas eleemosynas exhortemur. Multi enim fœdissima avaritiæ cupiditate inflammati, nihil ita fugiunt ac abhorrent, ut miseris præstare beneficium. Semper enim suis decedere facultatibus arbitrantur, quidquid in pauperum usus contulerint. Vident quotidie, velint nolint, fratres suos christianos, Christi sanguine redemptos, alios fame et siti affici, alios nuditate cruciari, alios morbis vexari, nec ullum habere subsidium, alios aliis calamitatibus subditos absque alicujus ope et auxilio : et tamen plus quam saxea, plus quam ferina duritia prætereunt ac negligunt miseros. Legunt isti aut aliunde bene norunt, omnipotentem Deum ne ipsi quidem licet amantissimo cordis sui Unigenito pepercisse propter nos, qui est revera immensus quidam miserationis excessus : et ipsi vilissimis ac brevi amittendis parcunt pecuniis adversum semetipsos. Christus Jesus Filius Dei pro nostri redemptione animam posuit, sanguinem fudit, totum se impendit, cum tamen non amici sed inimici illius essemus : isti autem neque pecunias illius causa fundere dignantur, sed adamantinis pectoribus despiciunt eum nudum et peregrinum pro nobis mortuum. Possent hæc feras et saxa mollire, et tamen homines nihil movent. Malumus plerique humanitatis et misericordiæ esse expertes, quam vel parum tribuere. Etiamsi moriantur innumeri, extrema rerum omnium penuria adacti, nihil ad nos attinet : plus cruciat nos modicæ pecuniæ erogatio, quam mortes miserorum.

Crudelitas quorumdam in pauperes unde.

In nimium avaros et immiseri-cordes.

Et qua tandem ratione poterimus gravissimos inferorum cruciatus evadere ? Si nihil aliud a nobis mali perpetratum sit, nonne hoc unum justissimam nobis damnationem conciliat ? Quænam sunt in illo homine humanitatis vestigia, qui cum possit absque suo detrimento consortem naturæ suæ inopia laborantem relevare ac reficere, tamen penitus non curat, nec ulla illius necessitate, nullis lacrymis, nullis precibus, nullis miseriis flecti potest ? Quis vero talis unquam potest vel audet divinam sperare misericordiam, qui tam cru-

delis est in proximum suum? In hominem similem sibi non habet misericordiam, et propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis illius? Et tamen omne animal diligit simile sibi: nec quidquam tam est secundum naturam, quam juvare naturæ consortem. Fingunt sibi multas causas quasdam frivolas et calvas excusationes, et tanquam mentiri possit Deus, aut quidquam iniquum præcipere, res suas indigentibus impartiri metuunt. Aiunt prospiciendum esse sibi ac suis. Recte quidem. Sed Christus pauper negligendus non est. Necessaria sibi ac suis ut procurent, nemo vetat: porro grandes coacervare divitias quorsum attinet? Qui prolibus suis bene prospectum cupiunt, liberalitatis ac misericordiæ exempla eis relinquant. Opes mediocres sæpe longe utiliores sunt, quam nimium abundantes. Cui enim parum relictum est, cogitur ipse cura et industria sua quod sibi deesse conspicit, comparare. Qui autem rebus abundant, ut plurimum comessando, potando, scortando, atque aliis improbis studiis eas abliguriunt. Interim eorum, a quibus ampla eis relicta sunt patrimonia, nulla fit mentio: utrum animæ eorum in pœnis vel refrigerio sint, perinde est illis. Quanto igitur satius est facultates suas in illorum usus distribuere, quibus quidquid præstiteris, Christo præstitum dubitare non possis? Potest autem immenso carere præmio, quidquid in Christum collatum erit? Sed hic fide multa opus est. Non enim vides Christum dum pauperi confers beneficium: et tamen Christus ibi est. Verum avaritia diffidentiam parit, ut quod tribuis, non multo auctius restituendum, sed amissum iri putes. O pessimum avaritiæ morbum, qui fiduciam homini aufert! Unde rectissime Apostolus vocat eam idololatriæ servitutem.

Eccli. XIII, 19.

Parentes quomodo prolibus suis miserationis exempla relinquant.

Eleemosynas ipsi Christo erogari.

Avaritia uti dicatur idolorum servitus.

Gal. V, 20.

Agnosce, o homo, Deum ac Dominum, a quo habes, quidquid boni habes. Cogita, quæso, quisnam tu ipse sis, quid dispenses, a quo consecutus sis ea quæ obtines: qua denique ex causa tam multa tibi collata sint. Dei Optimi Maximi minister es, tuorum dispensator conservorum. Ne tibi persuadeas tibi uni donata ea quæ habes, aut eo te multa accepisse, ut tanquam communis naturæ hostis, tuis includas arcis, quod multorum necessitati a summo omnium Parente præparatum est. Imo vero ea aliena cogites accommodata tibi potius quam donata, ut in miseros ac inopes tanquam summi patrisfamilias substantiam liberaliter ac sapienter distribuas, non tibi uni seu fur nequissimus et raptor crudelissimus usurpes. Noli ea repagulis et seris interclusa retinere, noli rerum usum commoditatemque invidere hominibus, quarum a te quandoque in judicio severissima exigenda ratio est: noli omnibus a te avare retractis, omnes eorum utilitate privare. Si quid in pauperem conferis beneficii, tibiipsi consules. Si tua tibi inique servaveris, cum divite illo epulone damnaberis, quem Scriptura æternis ait suppliciis deditum, non quod aliena rapuerit, sed quod sua miseris non sit impartitus. Crede mihi, imo crede divinis Literis et pollicitationibus, quidquid pauperibus dederis, ad te multis modis auctum et multiplicatum revertetur. Nam quemadmodum frumentum terræ mandatum, lucrum mittenti parat, et ex paucis granis uberes consurgunt segetes: ita panis esurienti præstitus, maximam conferenti in posterum affert utilitatem.

Divitias non esse nisi aliorum, non propria bona.

Luc. XVI.

Quod egeno contuleris id non posse tibi perire.

Est autem in faciendis eleemosynis diligenter unicuique observandum. Primo ut fiant ex charitate. Nam alioqui minor illarum efficacia est. Valent tamen etiam extra charitatem factæ, tum ad præparandum hominem ad suscipiendam gratiam, tum ad mitigandas pœnas æternas, si forte in flagitiis obstinatus et impœnitens moriatur: tum ad obtinendum bonum aliquod temporale, quod tamen in eleemosynis præstandis præcipue spectandum non est. Nam secundo curandum est, ut fiant propter Deum. Quanto intentio fuerit purior, tanto erit merces copiosior. Nihil autem ibi spectare aliud, quam lau-

In eleemosynarum erogatione quænam observanda sint.

des humanas, quod faciebant Pharisæi hypocritæ, quos Dominus in Evangelio reprehendit, aut temporalium divitiarum retributionem, id non decet hominem christianum, cui Deus promisit regna cœlorum. Tertio videndum est, ut non animo invito et tristi, sed voluntario ac hilari fiant. *Hilarem enim datorem diligit Deus. Bis dat, qui cito dat.* Id autem facile est illis, qui in pauperibus Deum contemplantur. Quarto denique etiam hoc observandum est, ut eleemosynam, quæ triplex est, nempe cordis per compassionem, oris per correctionem, operis per largitionem, primo nobisipsis impendamus, deinde proximis : in quibus etiam ordo servandus est, ut præferantur fideles, domestici et propinqui : atque ex his justi, si cæteræ circumstantiæ pares sint. Quanquam omnibus benefaciendum est, et bonis et malis, et justis et impiis, et amicis et inimicis, cum exigit necessitas, et facultas suppeditat. Sed pensandæ in his semper sunt circumstantiæ, ut sciri possit quando, et qua ratione, et ubi, et cui potissimum oporteat gratificari ac opem ferre.

II. *Cor.* IX, 7.

Eleemosyna ut sit triplex.

Circumstantiæ in beneficii collatione quæ attendendæ.

Neque vero ambigendum est, quin eleemosynarum largitio sit in præcepto, quandoquidem in Evangelio secundum Matthæum, damnationis sententia plectendi leguntur, qui opera misericordiæ non præstiterint. Cur autem mortiferi peccati rei sint, qui eleemosynam præstare nolunt, ratio est, quod dilectio proximi, quæ est in præcepto, sine eleemosynarum collatione servari non potest. Porro ad dilectionem proximi certissimum est pertinere, ut non solum bene eis velimus, sed etiam bene faciamus, ut est apud sanctum Joannem in Epistola : *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* Item : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum*, id est, proximum, *necessitatem habere, et clauserit viscera sua eb eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Et divus Gregorius : Probatio, inquit, dilectionis exhibitio est operis. Verum in ipsa præstanda eleemosyna considerandum est, ut superflua tantum intelligantur necessario tribuenda, superflua, inquam, non solum quantum ad ipsum tribuentem pertinet, sed illos etiam, quorum cura ipsi incumbit. Hic adhibenda discretio est, ut non simus nimium pusillanimes, peccatum fabricando, ubi non est : nec avaritia retineamur, quo minus opem feramus indigentibus. Metuenda est enim illa sancti Ambrosii sententia : Pasce esurientem, pasce fame morientem ; si non pavisti, occidisti. Et illa sancti Gregorii Papæ: Tot quotidie divites perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt.

Matth. XXV, 41.

Crudeles in pauperes cur peccent mortaliter.

I. *Joann.* III, 18.

Ibid. 17.

Gregor.

Superflua ex quibus præstanda est eleemosyna quomodo intelligenda.

Ambros.

Gregor.

Possem hic innumera Sacræ Scripturæ testimonia adducere, quæ vel commendant, vel etiam præcipiunt misericordiæ opera : sed quia illa cuilibet obvia sunt, omissis probari illis, aliquot sanctorum Patrum ad faciendas eleemosynas adhortationes huc afferam, ut tanto magis apud animos vestros proficiam, quanto major est illorum auctoritas et sanctitas, quorum verbis apud vos utar. Primo loco placet sanctum Basilium commemorare, qui Homilia in divites avaros sic ait : Quantam te Deo beneficentissimo gratiam habere, quam hilarem esse te simul et in inopes munificum atque liberalem oportebat, quod non ipse pro foribus alienis cogeris obstreperus esse et querulus, sed tuas alii occupant ? Nunc autem tristis es et rogatu difficilis : occursus pauperum vitas, ne forte aliquid vel modicum coacto e manibus exeat. Unam tantum nosti vocem : Non habeo, non dabo ; nam et pauper ego quoque sum. Pauper es, profecto pauper, et omnium egens bonorum. Pauper, inquam, charitate pauper, benignitate in indigos pauper, fide erga Deum pauper, pauper æterna spe. Quamobrem frumenti quodcumque possides, tuos fac fratres participes. Cras forte marcescet. Hodie egenti da. Avaritiæ genus id pessimum est, nolle ne ea quidem, quæ facile corrumpuntur, inopi dare. Dixeris : Cui facio injuriam, si mea retineo

Eleemosynam necessario dandam sanctorum Patrum testimoniis.

Basilius.

Avarorum excusationes quominus egenis tribuant impiæ.

Avaritiæ genus pessimum quodnam sit.

conservoque? Quæ illa, dic mihi, tua? Unde accepta hæc ad traducendam præsentem hanc vitam invexisti? Perinde enim facis, ac si quis in theatro locum spectandi mox ut antevertit aliis arripere, cæteros abarceat ingressu, suo unius usui id adjudicans, quod ad omnium communem usum proponitur. Tales et divites existunt. Communia namque cum priores obtinuerint, propria faciunt occupando. Nam si tantum quisque usurparet, quantum ad propriæ necessitatis solatium faceret, superfluumque egenti tribueret, nemo profecto esset dives, nemo item pauper. Nonne nudus ex utero matris excidisti, nudusque rursus reverteris ad humum? Hæc tibi bona præsentia unde? Si a casu dixeris, impius es, eum non agnoscens qui te condidit, neque ei qui dedit rependens gratiam. Quod si ex Deo te illa habere fateris, dic mihi, quamobrem hæc sortitus es? Non enim injustus est Deus, qui ea quæ sunt ad victum, inæqualiter nobis diviserit. Cur tu dives es, ille pauper? Profecto non ob aliam causam, nisi ut tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille vero patientiæ maximis præmiis honoretur. Tu vero insatiabilis avaritiæ lacertis omnia circumplexus, et tot homines illis privans, neminem te lædere putas? Quis, quæso, est avarus? Ille qui eo quod satis esse debet, non est contentus. Quis vero peculator? Ille qui ad se unum transfert, quæ singulorum sunt. Tu ergo non avarus? Non tu peculator, cum ea quæ ad dispensandum distribuendumque receperis, tibi propria facis? Num qui vestem diripuerit, spoliator nominabitur: qui autem nudum non texerit, modo possit, alterius cujusdam nominis appellatione dignus erit? Esurientis est panis, quem tu retines: nudi est vestis, quam in arca custodis: discalceati calceus, qui apud te marcescit: egentis argentum, quod tu terræ infossum possides. Quare tot injurius es hominibus, quot poteras opem conferre.

Quomodo nemo possit esse dives, nemo pauper.

Divites aut pauperes cur Deus quosdam esse sinat.

Avarus revera quisnam dicatur.

Basilius. Idem alibi dicit: Sustines inexoratus abs te pauperem rejicere, nec metuis judicis minas, ac ea quæ se ille pollicitus est hominibus hujusmodi redditurum. Non te miseret? misericordiam non invenies. Non aperuisti domum tuam? a regno Dei excluderis. Non dedisti panem? non vitam recipies æternam. Sed et pauperem teipsum dicis. Et ego tecum sentio. Pauper profecto est, qui multis indiget. Pauperes, inquam, insatiabilis concupiscentia reddit.

Concupiscentia insatiabilis ut faciat homines vere pauperes.

Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia trigesima quarta ad populum Antiochenum sic habet: Tuarum es, o homo, dispensator pecuniarum, non minus quam qui Ecclesiæ bona dispensat. Sicut igitur ille potestatem non habet, ea quæ propter pauperes a vobis erogantur, temere et ut casu venit dispergendi, quoniam in pauperum data sunt alimentum: ita neque tu tua. Etsi namque paternam excepisti hæreditatem, et ita possides quæcumque tibi sunt, ita quoque tamen Dei sunt omnia. Postea vero tu quod erogasti quidem, tali vis dispensari diligentia: Deum vero sua non censes majori nos repetiturum vehementia, sed ea simpliciter passurum pereuntia? Non ita est, nequaquam. Hæc enim propterea tibi concessit ut dares illis escam in tempore opportuno, egenis, esurientibus: sicut tu conservo dispensanda dedisti, itidem et Deus te vult hæc incongrua erogare. Propterea quoque cum auferre posset, ea demisit: ut exhibendæ virtutis occasionem habeas, ut alterum alterius indigentem constituens, mutuam charitatem redderet ferventiorem. Non enim ad hoc accepisti, ut in delicias absumeres, sed ut in eleemosynam erogares. Numquid enim tua possides? Res pauperum tibi sunt creditæ, sive ex laboribus justis, sive ex hæreditate paterna possideas. Numquid enim non potuit Deus hæc tibi auferre? Verum hoc non facit, in potestate tua ponens liberam in pauperes liberalitatem. Tu vero, quæso, considera, quomodo per omnes parabolas non suis congrue pecuniis utentes punit. Nec enim virgines aliena rapuerant, sed propria non dederunt. Neque qui

Divites cur Deus esse quosdam permittat.

Divitias opulentorum necessitates esse pauperum.

talentum in terram defodit, injustum usum sibi vindicavit, sed quia non geminavit : nec esurientem despicientes quod aliena rapuerint puniuntur, sed quoniam sua non disperserunt. Audiamus itaque quotquot ventri indulgemus, quotquot in opiparas cœnas expendimus divitias, nihil nobis pertinentes, sed indigentibus debitas. Non enim quoniam ex benignitate multa de tuis erogare jussus es, hæc ideo putes esse tua. Tibi mutuavit, ut laudabilis fieri posses. Ne tua igitur esse putes ei sua præbens : nec enim si cui tu mutuasses, ut abiens aliquas posset quæstuum occasiones invenire, illius pecunias esse diceres. Igitur et tibi Deus tradidit, ut cœlum lucrari posses. Ergo benignitatis excessum ne facias ingratitudinis materiam.

Bona temporaria ut Deus divitibus tantum mutuarit.

Ambros. Sanctus Ambrosius sanctissimus Ecclesiæ Doctor scribit in hunc modum : Habe dives hypothecas, inopum sinus : habeas hypothecas, viduarum domos : habeas hypothecas, ora infantium orphanorum. *Idem.* Itemque : Si peregrinum sub tectum tuum inducas, si suscipias egentem, ille tibi acquirit sanctorum amicitias et æterna tabernacula. Et rursus : Tu qui putas te manum habere sanam, cave ne avaritia, cave ne sacrilegio contrahatur. Extende eam sæpius, extende eam ad illum pauperem, qui te obsecrat ; extende ut proximum juves, ut viduæ feras præsidium, eripias injuriæ, quem vides injustæ contumeliæ subjacere. *Maxim.* Sanctus Maximus episcopus Thurinensis : Eleemosyna, inquit, quodammodo animarum aliquod est lavacrum et si quis forte post baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei ut iterum eleemosynis emundetur, sicut ait Dominus : *Luc.* XI, 41. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. *Cyprian.* Sanctus Cyprianus gloriosissimus martyr et episcopus, quem me oportuit primo loco commemorasse, sic ait : Locupletem te esse dicis et divitem, et utendum putas iis quæ Deus possidere te voluit. Utere, sed ad res salutares : utere, sed ad bonas artes : utere ad illa, quæ Deus præcepit, quæ Dominus ostendit. Divitem te sentiant pauperes, locupletem sentiant indigentes. Patrimonia tua Deo fœnera, Christum ciba. Commenda illic thesauros tuos, ubi nullus fur effodiat, quo nullus insidians grassator irrumpat. Possessiones tibi sed cœlestes magis compara, ubi fructus tuos juges ac perennes et ab omni contactu injuriæ secularis immunes, nec rubigo atterat, nec grando cædat, nec sol urat, nec pluvia corrumpat. Nam delinquis et hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo divitias datas credis, ut illis non salubriter perfruaris. Tentatio est patrimonium grande, nisi ad usus bonos census operetur, ut patrimonio suo unusquisque locupletior, magis redimere debeat, quam augere delicta. Denique sanctissimus atque eruditissimus Pontifex Leo ita scriptum reliquit : Magna est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, et quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum : ut quamvis offensus Deus, quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis.

Eleemosyna uti sit lavacrum animarum.

Divitiæ ut sint tentatio periculosa.

Leo Papa.

Possem hic innumera alia tum Sacræ Scripturæ, tum sanctorum Patrum dicta proferre, sed vitanda nimietas est. Tamen memoratu dignam sancti Hieronymi sententiam non omittam, qua sic ait : Qui divitiarum servus est, divitias custodit ut servus : qui autem servitutis excusserit jugum, distribuit eas ut dominus. Hoc enim interest, divitias habere, et divitiis servire : iis si uti scias, tibi serviunt : si uti nescias, illis servis. Itaque, dilectissimi, ne sim prolixior, contemnamus divitias, Christi paupertatem sectemur, cogitemus divitias perdere animam, si non recte dispensentur ; sciamus eas non veras, sed falsas opes esse. Solæ namque virtutes, veræ divitiæ sunt. Attendamus ut mentem deprimant, quam brevis et fallax sit vita præsens, quam innumera pariat mala divitiarum amor, quam non expleant animæ sitim quantumvis immensæ opes mundi,

Hieron.

Divitias habere ac divitiis servire quid differant.

Divitiæ veræ ut sint solæ virtutes.

quam turpiter et profuse sæpius ab alienis concoquantur, et quod pauca necessitati sufficiant, quod nudi hinc exibimus, et cuncta aliis forte extraneis et ingratis relinquemus, quod rerum nostrarum non domini, sed dispensatores simus. Horum diligens consideratio faciet nos ad contemnenda præsentis vitæ bona, et præstandas eleemosynas alacriores, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre et Spiritu Sancto est gloria sempiterna, Amen.

IN SOLEMNITATE

ASSUMPTIONIS B. V. MARIÆ

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

IN omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium : et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion : quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi. Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. *Eccli. XXIV.*

UT alias quoque dixisse me memini, nihil obstat, si ea quæ capiti nostro Domino Jesu Christo tribuuntur, etiam de membris illius, quatenus fas est et congruit, intelligantur. Itaque licet tota hæc lectio speciatim ad Dei sapientiam pertineat, potest tamen absque ulla absurditate ad Matrem Virginem pia interpretatione accommodari : quæ ut est sanctitate et dignitate Filio suo proxima, ita præcipue illi conveniunt præ cæteris, quæ hac lectione continentur. Ait ergo Virgo intemerata : In omnibus requiem quæsivi, omnium pacem et quietem sempiternam summe desideravi, atque ut a vitiorum perturbationibus liberi, secura et tranquilla mente serviant Deo creatori suo : idque ut possint, exemplo, precibus, auxilio et ope eos adjuvare non desino : et in hæreditate Domini, sancta Ecclesia Catholica ex omnibus nationibus confecta, morabor perpetuo illis assistendo. Vel, in hæreditate Domini, quæ est gloria sempiterna, modo quidem dum adhuc vivo, certa spe, defuncta autem, reipsa et corpore et anima sine ullo fine morabor. Dumque ita requiem optassem, præcepit et dixit mihi Creator omnium, qui quidem ut me sua benignitate creare dignatus est, ita ineffabili misericordia propter hominum instaurandam salutem etiam intra corpusculi mei conclave quiescere, et humanam sumere naturam voluit. Is, inquam, præcepit mihi, ut in Jacob populo Judaico ad fidem converso habitarem, meisque verbis, exemplis et precibus eis quoad possem prodessem, et in Israel, Deum contemplantibus hæreditarer, facta eis ceu norma et exemplar perfectæ contemplationis : et in electis ejus mitterem radices, id est, ha-

bitus virtutum, ex quibus deinde optimæ et saluberrimæ actiones ceu rami ex radicibus proficiscerentur. Voluit enim Deus me suo populo præferre totius sanctitatis exemplar, ut multis prodessem, quæ omnibus salutem genui, et tanto sit mihi auctior gloriæ corona, quanto ex me plures acceperint salutis exempla et adminicula.

Ita ergo in Sion populo Deum ac divina speculante firmata sum, facta eis constantissimum virtutum omnium exemplar, et firmissimum apud Deum præsidium, et in civitate sanctificata, quæ est Ecclesia militans, quæ ex multis constat fidelibus Dei gratia sanctificatis, sicut civitas ex multis civibus in unum collectis, similiter requievi, dulcissima contemplationis quiete, et felicissimo divinorum excessuum somno assidue recreata. Habuit enim Virgo sacratissima animum ab omni divinæ contemplationis impedimento absolutissimum. Unde quoties voluit, totam se in Deum recipere potuit, requiescens et obdormiens in illo suavissimo mentis excessu, quem capere non possit creatus ullus intellectus. Et in Jerusalem cœlesti potestas mea. Quid non possit Mater omnipotentis Dei? Quis vel Angelorum vel hominum illius ausit detrectare imperium, cujus filius esse dignatus est conditor hominum et Angelorum? Potestne quidquam Deus Pater negare Genitrici Filii sui, aut Filius amantissimæ Matri suæ, aut Spiritus Sanctus præclarissimæ sponsæ suæ? Recte igitur vocamus eam reginam Angelorum et mundi dominam, quoniam illius imperio subjacent creaturæ omnes. Nemo est in tota cœlesti Jerusalem, qui non promptissimus sit ad exequendam voluntatem Matris Dei.

Contemplatio B. Mariæ virginis quam fuerit altissima.

Maria virgo uti jure dicatur regina angelorum et hominum.

Et radices virtutum misi in populo christiano, divinis charismatibus mirifice honorato, et cœlestibus donis ac virtutibus copiosissime ornato; cujus hæreditas et spes omnis est in cœlesti patria, ubi sunt mansiones multæ ceu partes et portiones Dei, distribuentis unicuique pro meritis singulorum. Qui enim vere sunt christiani, eo totam suam vitam referunt, ut possint cum Deo suo in cœlis semper vivere non autem ut temporaria quavis mercede afficiantur. Et in plenitudine sanctorum perpetua commoratio et detentio mea. Siquidem Matri Dei optima quæque bona cœlestis patriæ attributa sunt, et plenissima ac perfectissima post Filium beatitudine perfruitur. Sicut enim præ creaturis omnibus totam se illi gratiæ plenitudo infudit, ita etiam nunc plenissima gloria potitur.

Gloria in cœlis quanta præstita B. Mariæ virgini Deiparæ.

Sicut cedrus in Libano exaltatur, ita ego quantumvis mundas animas fama celeberrima, meritorum dignitate et donorum excellentia antecedo: et quasi cypressus per summam et inviolabilem integritatis incorruptionem in monte Sion, id est Ecclesia, exaltata sum. Quis enim vel in cœlis vel terris audeat ad Matris Dei aspirare gloriam, cujus odor virtutum et optimæ existimationis per cœlos omnes terrasque latissime diffusus est, et incorruptio ac integritas omnem creatam vincit puritatem? Quasi palma exaltata sum in Cades, perpetuam retinens inter quævis adversa et prospera virtutum viriditatem mentisque serenitatem, nec elata prosperis, nec depressa adversis: et ut rosæ Jericho cæteris floribus antecellunt, sic ego merita cæterorum longe supero. Misericordiæ quoque ac pietatis visceribus tota affluo haud secus, quam oliva speciosa in campis plantata olei liquore: et ut platanus crescit in sublime juxta aquam in plateis, sic ego in omnibus per mortalis vitæ fluxam instabilitatem decurrentibus celsissima existo. Et instar cinnamomi et balsami gratissimum spirantium odorem, suavissimam reddidi famam et opinionem virtutum omnium cunctis imitari volentibus, ita ut nemo mihi similis sit in creaturis: quasi myrrha electa et longe præstantissima dedi suavitatem odoris. Sicut enim bono odore confirmatur et exhilaratur cor hominis, ita memoria hujus sacratissimæ Virginis ceu

Puritas beatæ Mariæ virginis quanta fuerit.

odor gratissimus mentes pias et corda christianorum omnium mire confortat et lætificat, nec patitur perniciosam hærere tristitiæ nebulam quocumque pertingere potest. Ergo semper illius memores simus, ut diabolicum a nobis virus omne depellat.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, LUCÆ X.

MIRABITUR fortassis quispiam, cur Evangelium istud hodierna die legatur, ubi tamen nulla fit mentio beatissimæ Genitricis Dei, sed tantum describitur res gesta in ædibus Marthæ et Mariæ sororum Lazari. Fortassis etiam non deerunt, qui irrideant nos hoc Evangelium lectitantes. Verum non errat in hoc nec desipit Ecclesia Catholica, doctorem et gubernatorem habens Spiritum Sanctum, cujus illustratione facile perspicit eamdem historiam juxta mysticam interpretationem convenientissime diversis posse accommodari. Et quid, quæso, absurdi habet si Matrem Dei castellum illud spiritaliter fuisse dicamus, in quod intravit Dominus Jesus, quando pro certo est in illius virgineum uterum non solum ingressum eum fuisse, sed etiam inibi novem mensibus demoratum? Aut quid vetat Marthæ et Magdalenæ historiam de eadem purissima Virgine intelligi, cum ea fuerit tam in contemplatione, quam actione, quarum hanc Martha, illam Magdalena expressit, absolutissima? Quæ etiam haud dubie partem optimam elegit, nunquam ab ea auferendam, contemplationem scilicet Dei per speciem, ad quam hodie pervenit, secura de sua immarcescibili corona et gloria. Cui nos, dilectissimi, piis mentibus et devotis cordibus congratulari debemus, et contempta impudentissima hæreticorum audacia, qui hoc festum sacratissimum abrogasse feruntur, diem hunc festivis gaudiis et sinceris officiis celebrem ducere, ut ejus apud Deum patrocinia experiri mereamur. Videamus nunc ipsum Evangelium.

Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.

Castellum hoc Bethaniam fuisse constat, quo Dominus, pro amore Lazari et Marthæ ac Mariæ sororum ejus, et frequenter et libentissime divertere solebat, deferens nimirum humanitati illorum et officiosissimæ benevolentiæ, qua tanto hospiti, ita ut par erat, promptissimæ ministrabant. Et quia divites erant, non poterant gravari: eoque libentius ad eos Dominus se conferebat, non utique toties eo venturus, si eis fuisset oneri : utpote qui id semper summopere vitabat, ne quem gravaret. Non enim erat incivilis Dominus aut inurbanus, quales sunt, qui se impudenter ingerunt, nec alios molestia afficere verentur. Ibat autem ad illos, ut eis cumularet ex liberalitate et beneficentia in ipsum collata meritum : non quasi ipse necessario indigeret. Qua enim re indigeret, cujus erant omnia ? Quod autem Martha illum excepisse dicitur in domum suam, fortassis ideo factum est, quod illa senior esset, aut forte propriæ domus illius esset domina et moderatrix. Dicuntur enim largissimas habuisse possessiones. Excepit autem Dominum, non ipsa tantum, sed et Maria et Lazarus, summa cum reverentia et omni studio humanitatis, nihil ambigentes, quin suum et omnium Creatorem reciperent. Et quis non tali ac

Castellum hoc quomodo intelligatur?

tanto hospiti promptissima alacritate occurreret? Verum cum ille dicat : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis,* cur tam pauci hodie pauperes tecto recipiunt, et ad prandium invitant? Utique non mentitur veritas, qui se in pauperibus recipi ait. Sed non amant tales, aut tepide valde amant Christum : quamobrem non curant eum recipere in domos suas. Quod idcirco dixerim, quod possint forsitan homines sibi blandiri, quod libenter et ipsi exciperent Christum, si adhuc in terris degeret. Sed mentiuntur, quando pauperes negligunt. Non enim denegatum est hominibus etiam hodie Christum pascere. Et licet abjecta et vilis sit persona pauperum, in quibus se pasci ait, tamen non est minus meritum, quam si Christus ipse pascatur. Imo contigit sæpe, ut qui pauperes se tecto recepisse putarant, ipsum Dei Filium revera susceperint. Sed his frigidis temporibus charitas omnis misere refrixit.

Matth. xxv, 40.

Christus quomodo in suis pascatur pauperibus.

Martha autem excepit Dominum in domum suam. Vide quantum se propter nos abjecerit rex et Dominus Angelorum et hominum, ut aliena voluerit liberalitate sustentari. Non enim habebat opes unde viveret, sed ex piorum hominum eleemosynis, se suosque discipulos sustentabat. Quare hoc, nisi ut sua inopia nos ditaret? ut sua rerum omnium penuria ad amissas cœli divitias nos reduceret? ut denique suo exemplo nos doceret mundi facultates contemnere, utpote quæ sæpe animos nostros ab amore futurorum abducant, et solis æternis cœlestibus inhiare bonis? Itaque non sunt contemnendi qui relinquunt omnia et monasticam amplectuntur vitam, ubi nemo dicit aliquid suum, sed sunt eis omnia communia, non ad voluptatem sed necessitatem. Habent enim hujus rei exemplum in ipso Christo, quem qui sequitur, non ambulat in tenebris, nec unquam errare potest. Sequitur :

Eleemosynarius cur Christus propter nos factus sit.

Monasticam vitam eligentes quam sibi sapienter prospiciant.

Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

Libet hoc loco sanctissimi ac eruditissimi pontificis Basilii Magni dicta referre, quibus hujus Evangelii sensa interpretatur. Is ergo capite secundo Constitutionum monasticarum, ait in hæc verba : Martha quidem hospitio Dominum suscepit : ad ejus vero pedes assidet Maria. Laudandum sane in utraque sorore studium. Cæterum tu res distinguito. Nam Martha ipsa in ministerio occupata, ea parabat, quæ hospitis corpori erant futura necessaria, contra Maria, cum ad pedes illius assideret, audiendis quæ ab eo dicebantur vacabat. Sic altera Domini partem illam quæ tangi aspectu poterat, reficiebat : altera parti illi, quæ occulta cerni non poterat, consulebat. Vere enim qui aderat, is et homo erat et Deus, idem Dominus ambarum mulierum studium approbabat. At Martha, cum labore nimio delassaretur, Dominum rogabat, ut ad se in suscepto opere adjuvandam sororem vellet adhortari. Dic enim illi tu, inquit, ut surgens simul mecum ministret. Cui Dominus : Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria autem optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Neque enim ea fuit causa, quamobrem huc veniremus, ut in toris supini recumberemus, neque ut ventrem expleremus : sed ob eam rem hic sumus, ut pascamus vos verbo veritatis et mysteriorum contemplatione. Ita Dominus neque illam a suscepto ministerio est dehortatus, et huic laudem tribuit, quod quæ diceret, attentius auscultaret. Agedum igitur per duas mulieres duo mihi vitæ genera introduci animadvertito : unum quidem inferioris notæ, nempe quod in crassioribus se obeundis vitæ hujus muneribus occuparit, quanquam ipsum quoque mirifice commodum est : alterum nobilius, et cum spiritu magis conjunctum, nimirum quod sese ad arcanas res contemplandas altius extulerit. Hæc tu, qui audis, spiritu convenienter interpretare, et utrumvis magis placuerit deligito. Et si ministrare vis, in nomine Christi ministrato. Ipse

Basilius.

Sorores duas, duas expressisse vitas.

enim dixit : Quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Nam sive hospites recipis, sive mendicos reficis, sive dolentium misericordia commoveris, sive necessitate aliqua calamitateve oppressos auxiliari manu sublevas, sive adversa valetudine laborantibus inservis, omnia isthæc officia perinde Christus habet, ac si in ipsum proprie conferrentur. Quod si mavis Mariam imitari, quæ spreto corporis obsequio, altius ad rerum divinarum contemplationem ascendit, corporis curam abjicito, apparatus etiam epularum et obsoniorum aspernator, et ad Domini pedes assideto, et quæ ille dicat auscultato, ut arcanorum divinitatis particeps efficiare. Siquidem officiis iis, quæ corpori impenduntur, potior est dogmatum Christi contemplatio. Hæc Basilius.

Officia quænam pietatis Christo in suis membris exhibeantur.

Pulchre autem dicit Evangelista sedisse Mariam secus pedes Domini Jesu : duo una sententia exprimens, quietem scilicet et humilitatem quæ maxime sunt contemplationi necessaria. Aristotelis sententia est animam sedendo et quiescendo sapientem fieri. Maria ergo ut esset attentior, sessum se recepit : ut esset capacior, non ad latus, sed ad pedes Domini resedit, in altero audiendi sedulitatem, in altero modestiam præ se ferens. Fecit quod per prophetam Dominus commendarat, dicens juxta versionem antiquam : *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super quietum et humilem?* Ut enim pluviarum unda copiosior ad vallium ima confluit, ita gratia Spiritus Sancti mentibus humilitate submissis largissima illabitur. Sed quid, quæso, agebat Maria sedens secus pedes Domini? num prorsus inani vacabat otio? Minime. Non est enim otiosus amor Dei. Audiebat, inquit Evangelista, verbum illius. Dicebat cum Propheta : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Audiebat verbum Domini Jesu, qui erat ipsum patris Verbum : audiebat Dei sapientiam, audiebat verbum vitæ æternæ. Dicebat secum in corde suo : *Quam dulcia eloquia tua super mel ori meo. Mihi autem adhærere Deo bonum est :* nec est æquum relinquere me verbum Dei, et ministrare mensæ. Habeo hic pascentem omnia, *qui dat jumentis escam illorum, et pullis corvorum invocantibus eum,* qui pascit volucres cœli, pisces maris, et pecora campi : et ego illo relicto cibis præparandis animum meum distrahi patiar? Non faciam : et puto sic esse voluntatem illius, cujus mihi verbum auditu suavissimum juxta ac utilissimum est.

Ad pedes sedisse Domini cur dicta sit Maria.

Is. LXVI, 2.

Sedendo quid Maria audiebat.

Ps. LXXXIV, 9.

Ib. CXVIII, 103.

Ib. LXXII, 28.

Act. V, .

Ps. CXII 9.

Et nos, dilectissimi, non sic simus rebus familiaribus dediti, quominus confluamus ad audiendum verbum Dei. Dum dies est, dum adhuc licet, libenter auscultemus verbum Dei : utque id cum fructu possimus, sedeamus, id est, animi curas, sollicitudines, distractiones, perturbationes interim seponamus, et tota mente simus intenti ad percipienda ea quæ concionatoris ore promuntur, simulque voluntatem accommodemus ad agenda et omittenda quæcumque didicerimus divinæ legi aut esse consentanea, aut ab ea discrepantia. Sedeamus, inquam, id est, omnes corporis inhonestos motus vitemus, simusque moribus et animis compositi, et auribus ac cordibus erecti ad percipienda verba salutis. Non faciemus hac in parte ullam rerum temporalium jacturam. Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, ait Dominus, et hæc omnia adjicientur vobis. Væ autem illis, qui aut nunquam, aut nonnisi summo cum fastidio sacris intersunt concionibus : et maxime væ illis, qui ipso concionis aut divini officii tempore in sacris ædibus ultro citroque obambulant, aliorum studium et attentionem impedientes garrulitate sua et impiis confabulationibus, qui sane digni essent ab omnibus summa severitate et zelo ex templis ejici ac exturbari, tanquam membra et organa spirituum tartaricorum.

Verbi Dei quæ to studi audien- dum.

Matth. 33.

In eos q sub sacr concioni- bus obar bulando per ædes sacras ali rum stu- dium pe turbant.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium.

Multi venerant cum Domino, quos omnes ut honorifice tractaret Martha, præparabat multa, sed majori animi anxietate et cura, quam res postularet. Multa animo

disponebat, multisque apparandis intenta erat, et interim ab ipso Dei verbo sese elongabat. Quanto enim animus sese latius in hæc externa effundit, tanto fit a Deo remotior: qui cum sit unus, cordis unitatem diligit et inhabitat, fugit multitudinem. Unde dicitur in Psalmo: *Loquetur Dominus pacem in eos qui convertuntur ad cor.* Tamen non reprehendimus Marthæ sanctissimam occupationem, sed nimia sollicitudo forsitan reprehendi potest. Unde scribit Doctor quidam valde venerabilis: Sicut externæ actiones et opera in scriptis divinis magnopere commendantur, ita sollicitudo cordis vituperatur. Ergo quamvis Marthæ ministerium sanctum fuit, tamen non est æque laudatum a Domino, ut sororis otium, quia externum erat et in multa distractum, quod fere semper animum a Deo magis ac magis efficit alienum, cum non possit quis simul duobus servire dominis, creaturis et Creatori, ut utrisque satisfaciat. Nam etsi serviendum est proximis ex charitate, tamen semper animus ad unum referendus est, nempe ad Deum, ut omnia propter illum fiant, nihilque in multitudine ipsa obsequiorum spectetur aliud quam Deus; porro distractio omnis, qua mens a Deo ad creaturas rapitur, devitetur. Ubi enim animi oculus alio quam in Deum intenditur, non potest culpa vitari, quandoquidem ab ultimo totius vitæ nostræ scopo aberratur.

Animus hominis quando a Deo sit remotior.

Sollicitudo quænam reprehensibilis sit.

Quæ stetit et ait: Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adjuvet.

Primo hic advertendum est, querelas istas Marthæ erga sororem non invidentiæ aut impatientiæ, sed amoris esse. In tantum enim Martha diligebat Dominum, ut omnino dignum putaret sororem una ad res necessarias præparandas incumbere debere. Aberat ab illa domo virus invidentiæ, totiusque malitiæ amaritudo, nec nisi charitas et pietas dominabatur: ne quis carnalis et imperfectus verba hæc ex suo animo metiens, putet Martham vitiosa perturbatione incitatam, adversus sororem suam ea protulisse. Dolebat Domino non præstari omne humanitatis officium, sororemque ad pedes illius residentem, timebat non satisfacere tanto hospiti, neque digna illum excipere reverentia. Defert ergo pias querimonias non ad quoslibet e familia, vel extraneos, qui potuissent rem sinistre interpretari, sed ad ipsum Dominum, quem sciebat nonnisi justissime judicaturum. Nec ipsa in sororem ausa est promulgare sententiam, quod male otiosa foret, sed totum commisit Domini judicio, ut si ille eam negligentem nosset, juberet ad opus surgere: sin aliter, ipsam excusaret. Solent homines mechanici et qui de manuum opere victitant, clericos et monachos otii insimulare, quod non quærant sibi victum sudore vultus sui. Sed potius malitia aut invidentia quam ratione moventur. Quid enim ad eos attinet, si clerus vivat ex aliorum beneficentia, quando multi nobiles et divites mercatores de suis opibus absque ullo labore victitant? Clerici et monachi nocte et die precantur Deum, pro populo pro Ecclesia et pro omnibus: ministrant populo verbum Dei et Sacramenta, et non licebit eis ex eleemosynis piorum vivere? *Si nos vobis seminavimus spiritalia,* ait Apostolus, *magnum est si vestra carnalia metamus?* Multa sunt et diversissima Ecclesiæ membra et tamen alia pro aliis sollicita sunt. Mechanici, rustici, mercatores parant et convehunt omnibus necessaria: principes et nobiles et magistratus justitiam tuentur ac subditos protegunt: clerici et monachi pro omnium salute Deum nocte ac die precantur. Ita sunt diversæ hominum functiones, nec debet omnium eadem esse conditio. Faciat unusquisque ad quod se obligatum novit, et tranquillus erit reipublicæ status. Tollant laici invidentiæ pestem ab animo suo, et desinent male sentire de clericis. Quod si quæ sunt vitia in clero, cogitent etiam se suis non carere vitiis, nec judicent temere, quorum benefi-

Querelæ piæ ut fuerint hæ Marthæ.

Clericorum et monachorum opus quodnam fore debeat. I. *Cor.* IX, 11.

Membra Ecclesiæ quam sint diversa.

ciis et corporalibus et spiritalibus sæpe non minimum juvantur.

Et respondens, dixit illi Dominus : Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima.

Ex his Domini verbis apparet Martham plus satis sollicitam et occupatam fuisse.

Rerum temporalium administratio ut necessario animum laceret.

Habet hoc temporalium rerum administratio, ut animum laceret et distrahat in multa : unde sæpenumero accidit, ut etiam boni homines quamvis sanctis et licitis terrenarum rerum occupationibus implicíti, facile turbentur et moveantur, utpote qui non satis animi compotes sint, propter negotiorum secularium multitudinem et importunitatem. O felices igitur qui, quoad possunt, paucissimis sese admiscent curis temporariis ! *Habentes victum et vestitum,* ait Apostolus, *his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem diaboli.* Quare hoc? Quia scilicet in multa distracti, facilem ad animi arcem impugnandam diabolo aditum patefaciunt. Sed dicat aliquis : Num ergo abjicienda sunt misericordiæ opera? Minime sane : sed modis omnibus sunt exercenda : tamen cavendum ne animus plus satis occupetur, sed sit liber et semper intentus in unum, nempe Deum, quem solum pure spectet et contempletur in omnibus quibus gratificatur et benefacit. Nec unquam ita sit circa actionem occupatus, ut Deum et divina negligat. Poterat fortassis Martha minori negotio Domino serviisse atque illum verba salutis suo more referentem auscultasse, et tamen ad parandos cibos corporis relicto animæ pabulo sese totam effudit. Hoc plane cavendum est in officiis misericordiæ et charitatis, quæ erga proximos præstantur, uti ne propter illa animas nostras nimium negligamus. *Quid proficit homini si universum mundum lucretur, seipsum autem perdat et detrimentum sui faciat ?* Ergo quoad fieri potest, in ipsa piarum actionum necessaria occupatione et distractiva multitudine, vitanda est nimia sollicitudo et mentis perturbatio, ut fiant omnia tranquillo et in unum intento animo, ac deinde cuncta Deo committantur, nec unquam propriæ salus animæ penitus postponatur. Ita servias proximis, ut Deum et teipsum non negligas.

I. *Tim.* VI, 8.

Misericordiæ opera quomodo exercenda

Luc. IX, 25.

Porro unum est necessarium.

Ab uno omnia cœperunt, et omnia tendunt ad unum. Deus omnipotens fons est et origo omnium, idem ipse et finis omnium. Ipse est enim alpha et omega : ipse fons et clausula omnium quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt per æterna secula. Ipse ergo est unum necessarium. Hoc unum quisquis non spectat in occupationibus suis circa multa, perdit laborem suum, quia obliquus est animus illius, nec recta fertur ad scopum. Hoc unum si in omnibus illis, quæ cogitant, dicunt, agunt et omittunt homines simplici corde spectarent, eoque et se et sua omnia referrent, felicissimi forent. Sed si totam hominum viventium summam colligas in unum, vix paucos ex omnibus invenies, qui animi intentione ferantur in Deum. Tanta est cæcitas hominum ! Alius hæc, alius illa aucupatur, et plerique omnes in multa dispersi sunt, et una ipsi multiplices, instabiles, et miseri fiunt, prout res, quibus dediti sunt, sese habent : paucissimi in unum Deum diriguntur. O homo, attende excellentiam conditionis tuæ ! Quidquid amas rerum visibilium, longe est infra dignitatem tuam. Si amet rex vile prostibulum, commune omnibus, despicitur ab omnibus : ita tu dum vilia hæc et misera sectaris, aversus ab uno summo bono Deo Optimo Maximo, dæmonibus cunctis ludibrio es. Nec dissimilis es pueris nondum ratione utentibus, qui maximis thesauris vilia poma charius amplectuntur, Sed si vis bene consultum tibi, postposita labentium creaturarum varia et lubrica multiplicitate, animi obtutus in unum Deum tuum intende. Illuc tota feratur mentis tuæ intentio, ubi est verissima unitas et tranquillissimum otium, ubi infinita creaturarum multitudo nonnisi unum est.

Unum quodnar solum s necessar um.

Omnia ad unum referend sint.

Intentio animi ut Deum un ce dirige da in cu ctis actio nibus.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Hæc de vita contemplationi dedita exponuntur, quæ pars optima est, et hic incipit, porro in vita æterna semper perseverat et perficitur. Dicamus hic pauca de activa et contemplativa vita : id enim Evangelii mysticus sensus exigere videtur. Activa vita non solum in eo posita est, ut vacemus operibus misericordiæ, sed etiam ut vitia extirpemus, passiones animi reformemus, sensitivam portionem rationi, et totum exteriorem hominem interiori subjiciamus : ut moralibus obtinendis virtutibus operam demus, ut in meditandis illis quæ Dominus Jesus propter nos assumere, agere et pati dignatus est, sedulo versemur, ut in omnibus semper conemur obedire mandatis Dei et Ecclesiæ catholicæ, ut in operibus bonis, in bonis moribus, et in exercitiis activæ vitæ nos exercitemus, idque pure ad honorem et propter voluntatem Dei, et salutem proximorum, exclusa omni vitiosa et obliqua intentione. Atque ante omnia necesse est ut per veram contritionem, puram confessionem, dignam satisfactionem sive dignos pœnitentiæ fructus, studeamus nos a præteritis culpis reformare, et sollicite vigilare adversus tentationes diabolicas, et cordis puritati navare operam. Curandum est etiam, ut propriam discamus frangere voluntatem in omnibus, ut superfluas et inordinatas corporis delicias proculcemus, ut pacem et gaudium in solo Deo quæramus, ut adversa libenter feramus, ut ab omnibus despici cupiamus.

Vita activa quænam necessario requirat.

Vita activa quomodo auspicanda.

In his atque id genus aliis quisquis serio ac studiose sese exercitarit, quandoque ad contemplativam pertinget vitam, quæ est revera dulcissima et felicissima, cui non possunt ullæ hujus mundi deliciæ comparari : quæ tamen hodie non solum apud vulgus, sed etiam viros litteratos et ecclesiasticos usque adeo neglecta jacet, ut paucissimi sint, qui aliquam illius saltem notitiam, nedum experientiam, habeant. Basilius Magnus contemplationem dicit esse cordis illuminationem, apothecam Spiritus Sancti, mentis jucunditatem, hortum deliciarum, paradisum amœnæ suavitatis, lucem et pacem serenæ tranquillitatis. Origenes eam vocat cellam omnium charismatum plenitudine refertam. De qua si quis plura nosse velit, legat scripta domini Joannis Rusbrochii, domini Joannis Tauleri, Henrici Harpii, Dionysium Carthusianum de Contemplatione et alios plures. Multa hinc in populo tractare vix consilii est, quandoquidem illius capaces non sunt. Imo nemo, quamvis doctus, capax est, nisi scientia illius cum profunda humilitate et ferventi charitate conjuncta sit.

Vita contemplativa sit.

Vita contemplativæ encomia.

Viri contemplativi recentioris seculi qui fuerint excellentiores.

Denique hanc partem optimam elegit virgo sacratissima Maria, in qua quam fuerit excellens, nulla lingua explicare, imo nulla mens capere sufficit. Sicut enim dono sapientiæ excellentissime prædita erat, ita contemplatione omnes longissime superabat : estque hæc indubitata multorum persuasio, usque ad contemplandam divinam essentiam per speciem, sæpius raptam eam fuisse etiam in hac vita. Neque hoc mirum, quando id Moysi et Paulo contigisse legimus. Nec ullum in se vel tenuissimæ habebat culpæ impedimentum, quominus posset ferri in Deum per contemplationem assiduam et admirabilem, aliorum contemplationem longe excedentem.

Maria mater Christi uti optimam sibi partem delegerit.

Rogemus ergo eam, charissimi, ut impetret nobis a Filio suo gratiam Spiritus Sancti, qua et agnoscamus quæ saluti magis vicina, et Deo gratiora sunt, et agnita eligamus, et deinde firmiter retineamus. Non nos detineat amor rerum præsentium, quæ sine intermissione præterfluunt, nec nobiscum permanere possunt : sed simus dediti Deo et rebus divinis, eaque nobis potissimum cordi sint semper, quæ nemo possit auferre a nobis. Quod si necdum idonei sumus optimam contemplationis partem eligere cum Maria, fideliter activæ vitæ partes exequamur cum Martha : simus pii in proximos, et quidquid in nobis

Vita contemplativa dulcissima.

Deo displicet, mortificemus : ita quandoque perveniemus ad partem optimam nunquam nobis neque vi, neque fraude cujusquam eripiendam.

SERMO PRIMUS IN EADEM SOLEMNITATE

QUOD BEATAM VIRGINEM AMARE VENERARIQUE DEBEAMUS, EJUSQUE EXEMPLO OPTIMA QUÆQUE VIRTUTUM DELIGERE.

MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucæ X, 42.

Charissimi fratres, nonne insipientiæ arguendus est vehementer, quisquis eligendi optione sibi data non optima quæque, sed aut parum bona, aut etiam mala eligat ? Et nos propemodum ii sumus, quibus optima eligendi data est copia, nec copia nobis tantum est data, sed vocati sumus etiam et jussi optima eligere, ut simus perfecti, sicut est Pater noster perfectus, qui in cœlis est. Jam videat unusquisque quid eligat, quid quærat an optimum, ne dicam bonum, ne dicam malum sit. In externis morari occupationibus, toto die (idque non ex obedientia et sine fructu charitatis fraternæ) fere fabulari, nugari, et ad hæc occasiones quærere, de fratrum conversatione, non charitate, sed invidia stimulante, investigare, de seculi rumoribus scrutari, obloqui, murmurare, perperamque judicare, nocturnos et clandestinos conventus agere, instituta Spiritus Sancti contemnere, vetita transgredi, quæro an monacho, an eremita digna sint, an optima vocanda? Verum non ab accusatione sermo noster sumere deberet exordium, nisi dolor urgeret me prævenientes, quod ad transgressiones quidam nati, et nescio a quo ad monasteria missi, et suas et aliorum animas seducunt. Video multos inter vos bonos, sed sunt revera etiam nonnulli quos lugere habeo, licet cohortationes quas facimus, hi aut ad se pertinere non arbitrentur, aut ad sui persecutionem existiment dictas : persequimur certe peccata eorum et vitia, quæ ipsimet persequi deberent, sed diligimus eos quos tantopere curamus fore bonos.

Maria optimam partem elegit, optimam partem elegit in quovis vivendi genere : nam non unum duntaxat vivendi statum tenuit, quippe cui sancte vivendi neque status neque modus defuit ullus. Habuit enim statum virginalem, conjugalem et vidualem, in quorum quolibet exemplar atque speculum se virtutum præbuit. Fuit præterea in ea status Angelorum, Apostolorum, martyrum, confessorum atque virginum, ut in quocumque quis esset statu, in Mariam respicere, ac sibi in ea emendationis posset vitæ sumere normam. Unde non incongrue ei Ecclesiastici illud tribuitur dicentis : *In omni terra steti, et in populo, et in omni gente primatum habui.* Et verissimum est illud Bernardi : Merito, o Virgo benedicta, de te plenitudo gratiæ prædicatur, quia non defuit tibi fides patriarcharum, spes prophetarum, charitas apostolorum, constantia martyrum, sobrietas confessorum, castitas virginum, fecunditas conjugatorum, puritas Angelorum, denique plenitudo divinitatis.

Optim partem in quo vivend genere gerit M ria.

Ecc XXIV, 1

Bernar

Ipsa elegit optimam partem, non uni tantum sed omnibus et charitatis et beneficiorum sinum expandens, ut nemo sit qui misericordiæ et benignitatis ejus non sit particeps, teste divo Bernardo, dicente : Maria sinum aperit universis, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger recreationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, Filius

Sinu charitati aperire Maria u versis.

Bernar

Dei carnis substantiam, denique tota Trinitas gloriam. Et iterum : Maria stat in publico omnibus se offerens, clamans ad omnes : *Venite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini.* Et iterum : Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, qui eam in suis necessitatibus invocatam non senserit sibi adfuisse. Ipsa optimam partem elegit, quæ in singulis virtutibus, in singulis donis ac gratiis Dei excellentiam obtinet et principatum, utpote major cunctis, sanctior universis. Quis enumerare sufficiat quantum in quibuslibet virtutibus præmineat singularis, quomodo omnis decor, omnis honestas, omnis dignitas, omnis gratia, omnis excellentia in ea præfulgeat, et hoc in supremo gradu sanctitatis : quandoquidem Deus eam tantam fecit, ornavit, honoravit, gratiis implevit, potestate et gloria in cœlis coronavit, ut in puro homine, hoc est, in ea, bonitatis suæ divitias, abyssum largitatis, beneficentiæ suæ consummationem, potentiæ, ut sic loquar, suæ terminum, atque naturæ miraculum ostenderet, in omnibus illustrissimam atque præclarissimam eam faciens, utpote tantam, quantum puram creaturam ipse facere, aut quanta fieri illa potuit. Hanc ob rem, ut cernimus, universa Ecclesia ei laudes, præconia, honores, officia devotionis atque venerationem quanto potest studio tribuit. Vocat eam reginam misericordiæ, matrem gratiæ, advocatam nostram, spem, vitam, et dulcedinem nostram, paradisi portam, cœli fenestram, et si qua hujusmodi laudum honorisque alia sunt nomina, magna eidem pietate tribuens adscribit. Quæ tametsi hæreticis vehementer displiceant, et sub specie æmulationis quasi pro Christo zelantes (quem tamen interim operibus facinorosis impudenter insigniterque blasphemant), calumniantur nimium tribui creaturæ, idque derogari Deo, quasi adeo nos simus stupidi, ut citra discrimen vel Christum vel ejus Matrem vocemus aut advocatam aut salutem nostram, tamen rumpantur licet ilia eis, coguntur nos illam venerantes sustinere. Sciunt pii omnes a Christo, et per Christum solum nobis operatam, sperandamque salutem.

Bernard.

Eccli. XXIV, 26.

Excellentia Mariæ in singulis virtutibus, donis ac gratiis quanta.

Cur merito ab Ecclesia honoretur ac invocetur mater Dei Maria.

Salutem nostram quomodo vocemus Christum et quomodo ejus Matrem.

Porro non ignoramus pariter ad hujus assecutionem, quam varia dederit nobis subsidia, potissime autem suam Matrem quæ pro nobis loquatur coram se bona, quam propter ipsum, id est, propter Christum venerantes, mittamus ad eumdem, et precibus humilibus dona ac gratiam divinam per eam impetremus. Ipse namque eam ceu thesaurariam suæ gratiæ constituens per eamdem vult nos recipere, quæ petimus (licet ipse det et per seipsum dare possit), quomodo per eleemosynarium a rege constitutum, mendici egenique subsidia recipiunt. Quare et a mendicis invocationes, honores et gratiarum actiones recipiunt eleemosynarii, licet tam ipsi quam ii qui ab eis beneficia recipiunt non ignorent omnia a rege hæc eadem sibi donari, nec eleemosynarios aliud esse agereve, quam ministerium ac officium suum, simulque commiserantis faventisque impartiri animum, quod ultimum egeni potissime quærunt, quo sibi uberius, misericordiusque etiam ex distribuentis benevolentia subveniatur. Sinant igitur hæretici ut vel hoc modo laudes invocationesque Dei Matri tribuamus, quando nos permittimus eis ut suas amicas quas in deliciis habent, ne dicam vilissima scorta, vocent suas coronas, suum amorem, sua corda, sua basia ac suavia, dimidiumque, si inferis placet, animæ suæ atque ut nos quoque aliquid adjiciamus, suas furias, suum infernum. Vos, charissimi, diligite, vos honorate, vos devotionis obsequia officiaque venerationis beatæ impendite Dei Genitrici, idque in ejus, quem genuit, referatis honorem. Gratias agite Deo, qui hujusmodi piam, hujusmodi dulcem, misericordem, benignam, clementissimamque vobis dedit matrem, quæ clementer vos respiciat, hilariter recipiat, amanter apud Filium promoveat, et quæcumque saluti sunt vobis necessaria, ubertim obtineat. Neminem legimus sanctissimorum qui Mariæ singularis non fue-

Thesaurariam Dei esse Mariam.

Laudes et invocationes quomodo Dei Matri tribuat Ecclesia.

Mariam a nobis esse diligendam ac honorandam.

rit, aut venerator, aut cultor devotus. Neminem item legimus aut vidimus beatissimæ Mariæ devotum, neminem audivimus ejus amatorem, qui non gratiam singularem a Deo obtinuerit perfectionis. Vos, charissimi, præter devotionis officia ejusque sanctitatis amorem ad ejus accingimini imitationem, ut quomodo ipsa in omnibus optimam elegit partem, ita vos quoque nondum vos arbitremini aliquid comprehendisse, quin potius extendatis vos semper in anteriora perfectioraque salutis. Enitamini semper ad optima quæque.

Devoti Mariæ cultores quantam obtineant gratiam a Deo.

Videtis mundi divites et avaros non satiari divitiis : quascumque exaggeraverint opes, desideriis eorum satisfieri non potest : sed pro majoribus semper habendis et curas et labores suscipiunt, vigilias anxias et noctes ducunt insomnes. Siccine oportet affligi corda vestra, o filii hominum, pro favoribus, pro honoribus, pro divitiisque terrenis, ut egregie beatos faciatis vestros hæredes, easdem illis curas sollicitudinesque relinquentes ? An sic mereri oportebat Dei iram, ejus gratiæ amissionem, inferni ignem, damnationemque sempiternam ? Minoribus multo laboribus et tranquillo corde Dei potuissetis comparasse amicitiam, læti vixisse juxta facies sanctorum, pacati, tranquilli, paucis contenti, et post hanc vitam lætitiam obtinuisse sempiternam. O quam tristis erit separatio animæ vestræ a corpore, o quam luctuosa mors, si hoc modo cum amore seculi et vitæ hujus ad finem perveneritis, nihil habentes præter peccata vestra vobiscum, quæ angent, prement et depriment vos usque in tartari abyssum ! Quam felices e diverso vos estis, charissimi, qui contemptis honoribus, voluptatibus, luxu, fastuque mundi, pauperes spiritu, hoc est, habentes victum et vestimenta, iisque non plura desiderantes vivitis, Deo in tranquillitate servientes, felices in vita, feliciores in morte !

Avari quantis laboribus comparent sibi damnationem æternam.

Amicitiam Dei minoribus mereri posse laboribus quam infernum.

Mors amatorum seculi quam sit luctuosa.

Contemptores seculi quam sint felices.

Verumtamen, charissimi fratres, quantumvis in felici sitis statu, nolite quamdiu vivitis, vobis felices videri. Deo pro tam multis donis vobis agite gratias collatis, verumtamen interea ex vestris vos negligentiis, ex vestra ingratitudine vosipsos accusate, humiliate, flete, et novum quotidie propositum, novum vobis corrigendæ vitæ fervorem restaurate. Eligite cum beatissima Maria partem in omnibus optimam. Bona pars est Deum ita diligere, ut mandata ejus absque transgressione serventur. Melior est ejus quoque consilia Evangelica diligenter implere. Optima, voluntatem ac omnia ejus beneplacita, perfecta sui abnegatione observare. Simili circa dilectionem proximi modo bona est pars, proximo naturæ jura servare, facere illi quod sibi velit quisque fieri, et quod sibi oderit evenire, non facere proximo. Melior est omnia proximi, sive gaudium, sive tristitiam inducant, in animo tanquam sua sentire. Optima est etiam odientes, persequentes ac calumniantes diligere, eisdem benefacere, eisdem compati, et pro eisdem orare.

Optima quæque virtutum quomodo cum B. Maria nobis eligenda sint.

In dilectione Dei et proximi quæ sit pars optima.

In humilitate pars optima quæ.

In humilitate bona pars est se non extollere, non superbire, non se proximis præferre, sed suam vilitatem vere agnoscere, nec plusquam congruit, de se sentire. Melior est seipsum ex animo despicere, ac propter agnitionem suæ vilitatis velle despici, ad sui contemptum neque irasci, neque tristari, sed potius de honore erubescere, omnibusque quomodo sibi in veritate se cognitum esse desiderare. Optima pars, ut quamlibet perfectus quamlibet illustrior cæteris, quibusvis etiam donis fortasse potioribus a Deo prædditus, nihil sibi adscribat, nihil sibi vindicet, nihil arroget sibi, sed cuncta in largitorem pure refundat ; solamque vilitatem et malitiam quam ex se habet, suam agnoscat, hanc sibi tribuat.

In virtute patientiæ bona est pars se cohibere a verbis a signisque iræ, ne foras erumpat quo impatientiæ atque iracundiæ vitium demonstret. Melior est, continua pugna et renisu ita vim iræ cohibuisse, ita patientiæ assuetum esse, ut absque

In patientia pars optima quæ sit.

perturbatione ac metu exspectet adversa, suscipiat fortiter, hilariterque ferat. Optima pars est adversa desiderare cum desunt, gaudere cum adsunt, totoque corde ut Christo mereatur conformari pro se patienti, desiderare.

Obedientiæ bona pars est transgressionem cujuscumque præcepti cavere. Melior mandata etiam ac voluntatem Prælatorum non solum observare, sed etiam diligere. Optima est nullam prorsus voluntatem propriam habere, sed semetipsum funditus abnegare.

Obedientiæ pars optima quæ.

Castitatis bona pars est ab omni illicito carnis actu et etiam tactu cavere et abstinere, continentiam cum proposito semper sic manendi observare, illicitos sensuum motus et verba carnalia proscindere. Melior pars est, assiduitate repugnandi, jugi mortificatione carnisque abstinentia cum aliis bonis studiis orationum lectionumque ita esse assuefactum, ut spiritui carnem subjectam habeat, rarius carnis stimulos sentiat. Optima pars est ita domasse carnem, ut rarissime stimulos carnis sentiat, ita induisse virtutem castitatis, ut ex animo illam diligat, omniaque carnalitatem olentia detestetur et horreat. Nimis, fratres charissimi, fiam prolixus, nimis onerosus timeo inveniar, si in singulis hoc modo recenserem gradus virtutibus. Vos ipsi cogitate quæ sit Dei in omnibus voluntas beneplacens et perfecta. Vos ipsi non meliora tantum, sed optima quæque, utpote negotiatores Christi, vobis coacervate, eaque omnia ne a superbia inanive gloria exsufflentur pereantque vobis, ad ejusdem gloriam referatis, qui est benedictus in secula, Amen.

Castitatis pars optima quæ.

SERMO SECUNDUS IN EADEM SOLEMNITATE

UT B. MARIA DEI GENITRIX BONIS NATURÆ, GRATIÆ ET GLORIÆ, ITEMQUE VITA ACTIVA, CONTEMPLATIVA ET CŒLESTI PRÆDITA FUERIT.

Eccli. XV, 14.

MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucæ X, 42.

In Ecclesiastici libro, charissimi, scriptum legimus : Deus ab initio constituit hominem, et dimisit eum in manu consilii sui, id est, arbitrii libertate et potestate : posuit ante eum bonum et malum, vitam et mortem : ad quodcumque voluerit, extendit manum suam. Enimvero gemina quædam in homine propensio est : altera sensualitatis, vel portionis sensitivæ ad malum concupiscentiæ et vitia quælibet : altera rationis ad bonum virtutis. Itaque si peccatum eligat, mortem animæ ipse sibi adscissit. Si vero ad recte facta, et ad virtutes manum extendat eaque amplectatur, vitam utique gratiæ eligit. Porro triplicia inveniuntur bona, quæ possit homo eligere et amplecti : nempe bona Naturæ, Gratiæ, et Gloriæ. Bona naturæ sunt, nobilitas, pulchritudo, fortitudo, incolumitas : atque id genus alia. Quæ quidem eatenus homini bona sunt, quatenus iis bene utitur. Siquidem Dei dona sunt et opera. Bona gratiæ sunt, munera spiritalium charismatum, virtutum perfectiones quæ sunt longe præstantiora bona : iisque prædíti sunt Angeli et homines sancti. Bona gloriæ sunt in Deo et cum Deo, eaque optima et excellentissima sunt, nec desinunt unquam, nec deficiunt. Bona quidem naturæ morte tolluntur : bona gratiæ exstinguit consensus in peccatum mortiferum, quod est mors animæ. Atqui bona gloriæ semel obtenta non amittuntur unquam : siquidem non possunt am-

Duplex ut sit in homine propensio.

Bona naturæ quæ sint.

Bona gratiæ quæ.

Bona gloriæ quæ sint.

plius peccare, qui ea adepti sunt divina virtute in bono confirmati.

B. Virgo Maria ut triplicibus fuerit ornata bonis.

His vero triplicibus bonis eximie ornata fuit beata et gloriosa Virgo Maria. Et quantum quidem ad bona naturæ attinet, fuit genere nobilissima, ex regio ac sacerdotali stemmate oriunda : fuit item corpore pulcherrima præ cunctis feminis ac virginibus, ita ut non immerito sancta Ecclesia ad designandam animæ et corporis illius decorem, cantet de ea : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Idemque quidquid ad splendorem et honestatem ac dignitatem spectat, perfectissime habuit Virgo sacratissima. Et tamen quanto hæc in ipsa fuere excellentiora, tanto fuit humilior, sicque illis omnibus usa est, atque ita semper in illis sese gessit, ut in cunctis Deo summe placeret. At vero bona gratiæ in ea mirifice enituerunt, utpote quæ tanta gratiæ, charismatum divinorum ac virtutum perfectione resplenduit, quanta potuerit pura creatura. Namque eo ipso, quod est digna Mater Dei, tantæ est excellentiæ, ut nequeat esse major, nisi sit ipsa Deus. Neque tamen in his acquievit, nec his contenta esse voluit quoad supervixit in hoc exilio, maxime post Filii in cœlos ascensionem, sed perpetuis ac anhelis et ardentissimis flagrabat desideriis, ut acciperet bona gloriæ ipsi a Filio tanquam Matri dulcissimæ in cœlis præparata, atque ita tota esset semperque permaneret cum Deo in vita sempiterna : quæ nimirum illa est pars optima quam hodierna die consecuta est, quæ nunquam auferetur ab ea, cujus meminit Evangelium hujus diei, quod licet secundum litteram non conveniat Virgini intemeratæ, tamen juxta sensum mysticum pulcherrime illi quadrat.

Cant. IV, 7.

Triplex vita spiritualis quæ sit.

Est enim triplex quædam vita spiritualis, puta activa per gratiam informata, contemplativa Deo conjuncta, beata et fruitiva in gloria sempiterna. Prima ex his bona est, sed altera melior, postrema optima. Ipsa autem activa vita colitur et exercetur operibus et officiis charitatis ac misericordiæ tum corporalibus, tum spiritualibus, quæ proximis præstantur propter Deum : itidem quæ actionibus virtutum, et cæteris honestis ac meritoriis studiis et laboribus, quorum tamen finis Deus sit. Ita nimirum vitam illi activam agunt, qui infirmis, miseris, egenis inserviunt et gratificantur causa Dei, qui vitiorum mortificationi et bonis operibus studiose incumbunt ob amorem Dei, certi, non inanes futuros labores suos, quos recta intentione peregerint, quando Dominus Jesus etiam calicem aquæ frigidæ sui contemplatione cuipiam indigo porrigenti mercedem pollicetur. Hujus activæ vitæ, ut auctor est divus Augustinus, et sanctus Gregorius, typum gessit Martha, de qua tria quædam referuntur in hodiernæ solemnitatis Evangelio, quæ eadem perfectissime in Matre Domini reperiuntur.

Activa vita in quibus sita sit.

Primum est quod Martha exceperit Jesum in domum suam. Ait enim Evangelista : *Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, etc.* Ita cum Dominus Jesus intraret in hunc mundum, excepit illum in domum pudici ac intemerati uteri sui Virgo beata, novemque mensibus hospitem tantum in eadem domo regia apud se retinuit ac enutrivit. Quæso, considerate hic, dilectissimi, quantæ sanctitatis quantæ puritatis, quantæ dignitatis sit hæc reverenda et benedicta Virgo, intra cujus casta et integra viscera Deus Dei Filius, rex magnus et immensus tanto temporis spatio voluit commorari. Quanquam majorem sane admirationem habet inæstimabilis benignitas ejusdem Dei ac Domini nostri, quod non solum in illam purissimam sacrati uteri domum intravit, sed etiam quotidie quoties illum in sacramento accipimus ad nos miseros et multis heu ! vitiorum sordibus inquinatos et squalidos ingredi non dedignatur, oblitus propemodum majestatis suæ ob nimietatem suæ erga nos ineffabilis benevolentiæ et amoris. Et quidem totus ad nos ingreditur verus Deus et homo, non jam passibilis et mortalis, qualis fuit in utero Virginis, sed omnino impassibilis et immortalis : nec semel

Luc. X, 38.

B. V. Maria uti exceperit Christum in domum suam.

Bonitas Dei erga nos quanta.

Christum uti quivis recipiat in domum suam.

tantum sed sæpissime ad nos venit. Ubi profecto, si quis in nobis sit sensus, merito nostram plorare debemus ingratitudinem, quod tantam Domini nostri erga nos charitatem non attendimus, non digne ponderamus : quodque Deum et Dominum, qui creavit, qui redemit, qui pascit nos, et post mortem juxta merita nostra judicabit nos, sæpe tam indigne, tam irreverenter, tam impura conscientia accipimus.

Alterum, quod de sancta Martha legitur, est quod satagebat circa frequens ministerium. Fecit idem multo præclarius Mater Dei. Ipsa namque toto vitæ spatio Filio suo officiosissima deservivit, ut omittam quam fuerit sedula erga proximos. In Filii nativitate functa est obstetricis officio, natum puerulum pannis ipsa involvit, involutum collocavit in præsepio, lactavit vagientem, lacrymas extersit magno pietatis affectu, portavit in Ægyptum, suis laboribus victum et sibi et illi paravit, denique quoad supervixit Filius, quidquid potuit ut ancilla domino, ut mater filio, ut sponsa sponso præstitit. Erit fortasse quispiam, qui se doleat non posse itidem servire Filio Dei. Verum non est, cur in quemquam male habeat. Qui vult potest etiamnum servire illi, potest illi quælibet pietatis obsequia exhibere. Ipse enim ait : Quodcumque uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. O verbum breve, sed non negligenter pensitandum ! Atque utinam nostris bene esset affixum cordibus : certe non tam impatientes essemus, non tam inviti fratribus et proximis nostris serviremus et condoleremus. Et quid, oro, possit esse toleratu difficile aut molestum, si cogitemus quidquid proximis facimus, id perinde accipere Dominum, ac æque remunerari, ac sibi ipsi factum sit ? Quod qui sæpius mente pertractant, non solum non gravate, sed etiam hilariter et cum magna devotione serviunt proximo, contemplantes in homine personam Christi, ac sibi plane persuadentes, quod non homini, sed Christo serviant. Hujus exemplum habemus in illa religiosa et admirabili vidua sancta Elisabeth regina Hungariæ : quæ cum leprosos lavaret, et lectum illis sterneret, dicebat ancillis suis : O quam bene nobiscum agitur, quod ita Christum tractare nobis licet !

S. Elisab.

B. Virgo quam officiose Filio inservierit.

Christus ut sibi factum putet quidquid proximis fit.

Matth. xxv, 40.

Tertium quod de Martha commemorat Evangelium est, quod fuit sollicita et turbata erga plurima. Et quis possit vel cogitatione consequi, quantum turbata fuerit Virgo Mater in illa tam ignominiosa et acerba Filii sui passione, quando eum audivit a Juda proditum, a militibus captum et ligatum, ab omnibus discipulis in manibus furentium hostium derelictum ? Quando vidit eum judici exhibitum, flagellis atrocissime cæsum, spinis coronatum, ad mortem damnatum, gravi crucis pondere onustum, ad crucem clavis affixum, denique tribus horis summo cum dolore in cruce pendentem et animam exhalantem ? O quam libenter omnia pro illo perpessa fuisset, quam cupide vel cum ipso crucifigi se passa fuisset ! Non tamen fuit ullo modo vitiose turbata, sed acerrimi doloris confixa aculeis, qui animæ illius intimas fodiebant medullas, et longe atrocius diris eam cruciabant vulneribus, quam ullo unquam martyres torserit sæva crudelitas et immanis sævitia crudelium tyrannorum. Atque hac in parte etiam nos illi utcumque conformare debemus, dolendo et quasi conturbando nosipsos, quod post tanta tamque multifaria divinitus percepta beneficia adhuc tam ingrati sumus Deo, quod pene continue in multis illum offendimus. Itemque affligere et velut conturbare nos debemus operibus pœnitentiæ, ex quibus caro crucietur, atque etiam Dominicæ passionis commemoratione, et fraternæ necessitatis commiseratione ac condolentia. Et hæc quidem de activa vita dicta sint satis.

Turbata quomodo fuerit B. Maria in Filii sui passione.

Turbari quomodo quisque debeat ob sua peccata.

Porro, contemplativa vita cor exigit purum, quietum, tranquillum, et in quo vitiorum ac perturbationum tumultus consopiti sint. Hanc vitam etiam vos colitis, dilectissimi, quando verbum Dei attentis

Vita contemplativa quid exigat a nobis.

cordis et corporis auribus auditis vel legitis, quando admiranda Dei opera pie consideratis, quod tam potenter cuncta fecerit ex nihilo, tam sapienter cuncta moderetur et regat, et tam benigne conservet : quando etiam Domini passionem gratis mentibus revolvitis, aut cœli gaudia, vel cruciatus inferorum, vel propria peccata cogitatis : itemque dum pro virtutibus et pro gratia Deum oratis. Hanc vitam beata Maria Magdalena designavit, de qua similiter tria habet Evangelium : quæ longe sublimius executa est Domina nostra semper Virgo Maria.

Vita contemplativa quænam tria a nobis requirat.

Primum, quod de Magdalena legitur, est quod sederit secus pedes Domini, et audierit verbum illius. O quis capere possit, quoties Virgo Mater Filii sui sermones dulcissimos attentissimis auribus hauserit ? Ab infantia usque ad tricesimum annum semper illum præsentem habuit domi suæ, nec dubium quin multa et maxima ab illo fidei sacramenta didicerit, nulli unquam alteri tam dilucide patefacta. Nec tamen solum audiebat verbum Dei incarnatum carnis ore sua dicta exprimentem, sed etiam verbum increatum ac inspiratum intus in spiritu, ipsam mirabiliter instruentem ac edocentem, non voce carnis, sed spiritus aspiratione secreta et interna. Et hac quidem ratione nunquam discedebat ab auscultatione verbi Dei, utpote pro nimia animi puritate et serenitate, semper parata et apta suscipere lucis supernæ micantes radios, ac instinctus Spiritus Sancti, quibus erudiebatur, ungebatur ac illustrabatur ultra quam cogitari queat.

B. V. Maria uti audierit verba Filii sui.

Alterum, quod de beata Maria Magdalena refertur, est quod sororem reliquerit solam ministrare. Exigit enim hoc vita contemplativa, ut qui illius dulcedinem perfecte velit experiri, animum ab omnibus curis et sollicitudinibus abstrahat, atque affectum a rebus temporariis avellat (quanto enim plus amantur temporalia, ut ait divus Gregorius, tanto minus diligitur Deus), corque suum figat in amore Dei. Id præclare admodum fecit Virgo beatissima : quæ semper quidem ab externis curis et sollicitudinibus sese abduxit, atque ea ex causa etiam paupertatem amplexa est : maxime vero post Domini ascensionem id egit, quando nec Filium habuit, nec maritum, nec agrum, nec parentes, et cætera, quæ illius animum occupare, aut a Deo avocare potuissent, sed vixit in ædibus sancti Joannis, cui eam Dominus a cruce commendarat, et alebatur eleemosynis piorum : sicque continue operam dabat vitæ contemplativæ studiis, in quibus erat exercitatissima atque excellentissima. Interdum vero creditur pii amoris incitata affectu visitasse loca conversationis et passionis Filii sui : sed sæpius sola in suis manens penetralibus, replebatur eximiis et incomprehensibilibus Dei consolationibus, adeo ut nunquam corde a Deo abstracta sit.

Vita contemplativa ut requirat abstractionem mentis a curis.

Tertium denique, quod beatæ Mariæ Magdalenæ tribuitur, est quod optimam partem elegerit : ideo quidem optimam, quia non auferetur ab ea. Activa vita simul cum homine moriente desinit (non enim erit ulla in cœlis miseria, cui misericordiam oporteat impendi). Vita autem contemplativa, cujus studia sunt mente ferri in Deum, Deum diligere, Deum laudare, Deum contemplari ac Deo frui, hic inchoatur, et in cœlis perficitur. Hic vero quid de Matre Dei dicturi sumus ? Quis hac in parte illi possit comparari, utpote quæ etiam Deum per essentiam viderit in hac vita, excellentius multo quam alius aliquis ? Nemo sit tam rusticus, ut id velit Scripturæ auctoritate probari. Non enim omnia scripta sunt. Quod Moysi, quod Paulo contigit, non multo magis tantæ Virgini contigisse putabimus ? Negare posset Deus Matri, et Matri tam singulari, quod servis præstitit ? Itaque ipsa præ omnibus perfectissime partem optimam elegit, et vehementissimis ac ardentissimis inflammata desideriis, tota jam erat a mundo absoluta, et tota in Deum recepta. O vere præclaram et omni venera-

tionis ac amoris studio prosequendam Virginem, quæ adhuc in terris posita non terrenam, sed plus quam Angelicam ducebat vitam, nunquam vel tenuissimæ culpæ sentiens maculam, sed semper tota immaculata et pulchra tota, æterni solis radiis semper exposita, semper perfusa, semper illustrata, ut illi facillimum fuerit per mentis excessum etiam rapi in Deum, et in dilecto suavissima mentis obdormitione quiescere.

Verum, ut quandoque ab omnibus præsentis vitæ miseriis absolveretur, et ad beatam ac continuam perveniret fruitionem, quam supra diximus tertiam esse vitam spiritalem, Filius Dei misisse illi creditur Angelum Gabrielem, qui ipsi obitum ejus significaret. Collecti sunt autem Apostoli omnes, ut illi morienti insignis ille chorus adesset, et Matrem Domini ex hoc mundo emigrantem mundi judices et Ecclesiæ principes honorifice prosequerentur. Ubi autem hora illa advenit, qua spiritum exhalaret, totus illi festivus occurrisse creditur Dominus Jesus amantissimus Filius ejus, cujus amore incomparabiliter ardebat, stipatus omnium beatorum Angelorum, et animarum beatarum frequentia, qui omnes et singuli ita, ut æquum erat, summo cum honore et reverentia, animam illam sanctissimam in Filii amplexus evolantem excipiebant, et usque ad thronum gloriæ cum hymnis et canticis ineffabilibus deducebant. Cujus figura quædam legitur in Regum volumine, ubi David scribitur cum omni Israele lusisse coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, et citharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis, atque adduxisse arcam Dei in civitatem David cum gaudio, et in jubilo, et in clangore buccinæ, habuisseque secum choros septem : atque ita denique introduxisse arcam Domini et posuisse eam in loco suo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David. Quæ omnia pulcherrime quadrant ad præsentis diei solemnitatem, qua assumpta est Virgo beata, quæ tanquam vera arca manna cœli, panem scilicet verum, qui de cœlo descendit, in suo utero continuit, et hodierna die usque ad Filii dexteram elevata est. Voluit enim Filius Dei juxta se habere excellentissimam creaturam, id est, Matrem suam : sicut etiam doctores quidam aiunt singulis angelicis spiritibus singulos homines in cœlos sociandos esse.

Ad obitum Matris Dei quæ evenerint.

II. *Reg.* VI, 22.

B. V. Maria uti sit arca Dei.

Porro eamdem benedictam Virginem et Matrem coronavit hodie Deus in reginam cœli, et dominam mundi, atque creaturarum omnium imperatricem, specialiter vero in Matrem misericordiæ pro miseris peccatoribus pœnitere volentibus. Ut enim teste divo Bernardo, Deus Pater posuit Filium suum mediatorem inter se et mundum, quem etiam ideo voluit humanam sumere naturam, ut homines confidentius ad ipsum accederent : ita Dominus Jesus Matrem suam voluit esse mediam inter se et homines, quæ cor haberet misericordissimum erga peccatores pœnitere volentes, et ad ipsam confugientes, cui thesauros gratiæ et misericordiæ suæ commisit, ita ut nihil velit impartiri hominibus, ut ait divus Bernardus, nisi per manus Matris benedictæ. Divisit enim cum ea regnum suum, et partibus justitiæ sibi servatis, illi misericordiæ ditionem tradidit, justitiam quidem per sese faciens, misericordiam per Matrem. Itaque, dilectissimi, confugiamus ad Matrem gratiæ et misericordiæ, ut nobis gratiam et misericordiam conciliet. Id enim est officium illius. Certe libenter exaudiet nos, quia piissima est, et diligit homines, pro quibus novit Filium suum fudisse pretiosum sanguinem suum, cui est honor in secula seculorum, Amen.

Mater Dei ut sit mediatrix nostra.

IN FESTO
SANCTI BERNARDI ABBATIS

Require per omnia sicut in Festo sancti Antonii.

IN FESTO
SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI

Epistolam cum sua Paraphrasi quære in Festo S. Thomæ Apostoli, Evangelium cum sua Exegesi, et Sermonem quære in Festo S. Mathiæ Apostoli.

IN FESTO
SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI

Epistolam cum sua Paraphrasi, et Evangelii Exegesi, quære in Festo S. Nicolai.

SERMO IN EODEM FESTO

QUÆ AD BONUM ET FIDELEM SERVUM CHRISTI PERTINEANT : ET CUR SANCTI SE PERMISERINT HONORARI, QUUM ADHUC IN TERRIS AGERENT.

EUGE, *serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui.* Matthæi XXV, 21.

De beatissimo, fratres charissimi, Ecclesiæ Doctore Augustino isthæc verba commode intelliguntur, qui pro admirabili sanctitate sua, in egressu animæ suæ ex hoc mundo, a Domino et laudari meruit et præmio coronari : non qualicumque sed immenso et æterno. Utrumque sane gloriosum : commendari ab eo, cujus unius probata laus est, et vera semper et sancta ac beata, ac unice expetenda. Hominum laus plerumque fallax, incerta, adulatoria, quæ neminem efficiat meliorem, sed sæpius multo deteriorem. Porro Dei laus solida est ac vera. Itaque ut Jeremias et Apostolus monent, qui gloriari vult, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum

Laus cujusnam sola solida sit. *Jerem.* IX, 24. - II. *Cor.* X, 31.

commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Ab illo, inquam, commendari gloriosum, ab illo coronari felicissimum est. Et quia omnes aspiramus ad coronam et præmium et cupimus semper esse in Domini gloria, necesse et primum insit in nobis bonitas et fidelitas. Siquidem in themate nostro primo loco hæ virtutes commemorantur : deinde licebit certo sperare coronam. Ita beatissimus Augustinus strenuam navavit operam ad ultimum usque spiritum, ut posset se Domino bonum et fidelem servum exhibere, certus, nisi id ipse præstaret, non se perventurum ad gloriam et gaudium Domini sui.

Coronam præmiumque quænam præcedere debent.

Forsitan ex me scire desideratis, quænam pertineant eo, ut quis sit servus bonus et fidelis. Dicam equidem vobis, ut jam audistis, ad servum divinitus remunerandum spectat, ut sit bonus et fidelis. Bonus ergo servus is est, qui obediens, qui prudens, sive studiosus aut fervens, qui denique simplex est. Simplicitatem intelligi volo columbinam, quæ absque dolo conformat se ad voluntatem Domini, non asininam ruditatem. Primo igitur bonus servus obediens sit oportet. Nam si non sit obediens, nec servi quidem nomen meretur. Quomodo enim mandata Domini sui, propter quæ exequenda servus dicitur, perficiet sine obedientia? Frustra nimirum de servi nomine gloriatur, qui non servit, id est, qui non obtemperat. Non est servus Christi, qui non facit voluntatem Christi. Est tamen servus ; sed cujus tandem? peccati scilicet. Nam *qui facit peccatum servus est peccati ;* ergo et diaboli. O, malum dominum habet. Nos ergo Christi servi sumus, si voluntati ejus morem gerimus. Voluntatem ejus omnes novimus, tot concionibus instructi, tot exhortationibus eruditi, tot sanctorum exemplis imbuti, ut cætera taceam, ex quibus ejus nobis voluntas innotescit. Breviter quidem Apostolus : *Voluntas,* inquit, *Dei hæc est, sanctificatio vestra.* Ideo toties habet lex Moysi *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* Obedientiam sancti Augustini (libenter enim nobis exempla sanctorum proponimus, ut illos velitis imitari) probat ejus vigilantia in mandatis Dei. Sibi fuit austerus, aliis misericors, in vigiliis multis, in abstinentiis, in precibus et contemplationibus ac divinis lectionibus assiduis, et cæteris carnis castigationibus, quibus corpus suum maceravit, ut illud subigeret spiritui, ne quid in ipso maneret, quod Deo non obediret. Nihil terrenum amavit, sed omnia sua largissime distribuit pro Christi amore. Unde etiam de illo canit Ecclesia, quod testamentum non fecerit, quia pauper Christi unde faceret non habuerit. O dives paupertas, quæ tanto in Deo fuit locupletior, quanto minus habuit facultatum temporalium.

Bonus servus quisnam dicatur.

Servum bonum quænam constituant.

Joann. VIII, 34.

I. *Thess.* v, 3.

Exod. XII, 31.

Augustini vita et mores cujusmodi.

Secundo, ad bonum servum pertinet, ut sit prudens, ut noverit avertere incommoda, et consulere rebus domini sui : ut etiam studiose se gerat, ne quid sui officii prætermittat, nec aliquid pereat de rebus domini sui. Hac in parte quam se strenuum præbuerit sanctissimus Doctor Augustinus, si dicere velim, superfluus et importunus videbor. Nam vel sola scripta ejus id abunde declarant. O quantum ille operæ ac studii adhibuit animabus lucrandis ! Quantum illi adversus hæreticos animarum peremptores certamen fuit, adeo ut dicerent impune posse occidi Augustinum. Erat enim acerrimus illorum persecutor. Tertio, etiam hoc exigit servi boni officium, ut sit simplex, id est, non tam verba, quam mentem et voluntatem domini sui respiciat et exequatur, sitque simpliciter obediens, non fallax, non subdolus, sed sine discussione, sine murmure. Ita et sanctus Augustinus nullis fraudibus, nullis tentationibus diaboli, nullis vexationibus hominum, præcipue hæreticorum, quos infestissimos pertulit, a sectanda Christi voluntate potuit revocari vel abstrahi. Non secundum exteriorem litteræ corticem, sed perfecte Domini præcepta executus est : nec contentus fuit sola ex-

Servum bonum ut constituat vera prudentia.

Augustini zelus quantus fuerit adversus hæreticos et pro animarum salute.

Simplicitas ut constituat bonum servum.

terna exhibitione, id est, verbo et lingua amare, sed opere et veritate, non eos tantum a quibus amabatur, sed etiam quibus erat contemptui, ut sic perfectius morem gereret Christo jubenti, quo pro malis bona reddamus. Et hæc quidem de iis, quæ ad bonum exiguntur servum, dixisse satis sit.

Fidelitas vera quomodo probetur.

Dicendum etiam paucis est, ut quis debeat esse fidelis. Plane servus esse bonus non potest, quantumvis servet mandata domini sui, nisi sit etiam fidelis. Est autem fidelis, qui in eo quod facit, non seipsum spectat, id est, non commodum, non voluntatem, non pacem, non quietem, non honorem suum, sed domini sui. Id nos omnino curare decet, adeo ut nemo ex bona obedientia sua, nemo ex quibuslibet Dei donis, nemo ex virtutibus animo intumescat, aut in seipso acquiescat placens sibi : sed cuncta Deo adscribat, et in Deum refundat, illi non sibi honorem optet impendi. Porro, si quis propter quædam Dei dona, vel virtutes aut cætera ejusmodi sibiipsi placet, non est fidelis Deo : quandoquidem quæ Dei sunt, sibi tribuit. Quomodo, inquis ? Quia gloriatur in alienis, nempe in illis quæ Dei sunt, tanquam in propriis. At si quis apud me deponat pecuniam brevi repetiturus, qua tandem ratione possim in aliena pecunia gloriari, cum certus sim esse alienam, et paulo post repetendam, etiam cum periculo meo, si non bona fide servavero ? Ita nimirum si quis ob Dei dona complacet sibi, aut aliquo se in pretio habet, fallitur et est Domino infidelis, quæ illius sunt sibi vindicans. Nisi enim sibi ea usurparet, non inde placeret sibi. Quod si etiam ab aliis propterea commendari aut reputari velit, jam deterius fur est, quia quod Dei est, id est, gloriam soli Deo debitam furatur, atque inde laudari cupit. Solent quidem homines eos, quos bonos esse judicant, honore afficere ac venerari. Jam si placet eis honor impensus, aut illum ambiunt, desinunt esse boni, quia sunt Deo infideles : siquidem in eo sese quærunt et spectant, quod non pertinet ad ipsos. Ergo fugiendi sunt honores, et si quid habemus unde possimus laudari, occultandum est ne perdamus. Sin vero nobis occultantibus, et in occulto esse appetentibus absque nostra opera propalamur, honor oblatus humiliter contemnendus est, id est, non trahendus ad cor, sed in Deum referendus. Ita sancti magnis sæpe honoribus honorati imo onerati sunt, quia non placuit eis, et tamen ob aliorum ædificationem sustinuerunt, et in Deum retulerunt ejusmodi honores.

Fur mystice uti quis fiat.

Bona quæ E bentu sint o tanda

Sunt autem duæ causæ, quare sancti se honorari tolerarunt, licet quandoque maximi eis honores haberentur. Prima est, quod quantum ad ipsos attinebat, se inde non solum non extolli, sed etiam cruciari sentirent : simul etiam intelligerent non suam honorari personam, sed gratiam Dei in ipsis : atque ita honores exhibitos non usurpabant, sed corde ad Deum referebant, ipsi interim propriis in oculis viles permanentes. Non decuisset autem Deum privari honore suo, nec pios fraudari devotione sua ac merito, quod sibi pararunt sanctos venerando. Itaque pure propter Deum passi sunt sancti etiamnum mortales sibi honorem haberi. Celeberrimum erat nomen divi Augustini, tum ob eximiam vitæ sanctitatem, tum ob incomparabilem eruditionem, et miris vehebatur præconiis, atque multis affectus honoribus. Verum inter omnia hæc semper humillimus perstitit. Admisit tamen propter Deum non propter se, ut pii ob suam devotionem, quam sicut ad Dei hominem habebant, et qua Christum in ipso venerabantur, a Deo remunerarentur. Propter honorem et amorem Dei didicit et honorari et contemni : utrobique idem perseverans, nec honoribus elatus, nec fractus contumeliis. Ubi autem honor ille nihil honoris Deo attulisset, non admisisset utique. Si sui contemptus cessisset ad honorem Dei, contemni maluisset. O quoties ille fugit loca et hominum aspectus, ubi se metuebat honore affectum iri !

Hono cur se miseri sancti dam.

Augus humili quanta erit.

Pra honore sibi ex bitum referre beant.

Altera causa, cur sancti se sinant ho-

norari, est hæc, quod præsertim si aliis præsint, major illis inde accedat auctoritas libentiusque audiantur, sicque majorem faciant fructum sui reverentia quam contemptu : idque nihilominus totum propter Deum. Sed his obiter dictis, ad id unde nonnihil deflexeimus redeamus. Jam ante audistis, fidelem esse servum, qui seipsum non spectet. Potest autem secundo fidelis servus dici, qui nihil negligit quantumlibet parvum, quin aliquod inde studeat lucrum elicere domini sui. Quod certe vel eo ipso perspicue potest adverti in sanctis, quod etiam levia errata, quæ alii pro nihilo ducunt, haud secus plangant, quam nos gravia peccata. Qua in re quam fidelis fuerit beatissimus pater Augustinus, si cui nosse libet, legat ejus Confessionum libros, et quantopere etiam minimas accusarit culpas, inde intelliget : nec id fecit anili superstitione, ut forte insani et deliri quidam calumniari possint, sed nimia animi puritate, et ingenti erga Deum amore ac fidelitate.

Augustini puritas conscientiæ quanta fuerit.

Verum, ut ex jam dictis etiam aliquid ad nostri majorem ædificationem trahamus, danda nobis opera est, dilectissimi, ut si sacratissimum Dei pontificem Augustinum ad Domini gaudia sequi cupimus, etiam nos per bonitatis et fidelitatis itinera gradiamur. Curandum nobis summopere est, sicut et sanctis hæc præcipua semper cura fuit, ut boni simus, atque in hoc ipso Deo fideles simus, id est, non nostrum commodum, non nostram laudem aut honorem, sed illius gloriam ac beneplacitum spectemus. Si homines sanctissimi et maximis clari virtutibus ac virtutum signis honorem sibi deferri noluerunt, nec unquam honorem ambire ausi sunt, qua fronte nos multis obnoxii vitiis, quibus non honor sed ignominia debetur, honorem aucupari audebimus? Non ergo in tantum Deo simus infideles, ut illi uni debitum honorem nobis vindicemus : sed quidquid boni gerimus, quidquid vel ad superanda et extirpanda vitia, aut virtutes obtinendas operæ impendimus, totum referamus ad honorem Dei. Simus, inquam, fideles Deo ac Domino nostro, ut nullis ex benefactis nostris animo efferamur, tanquam aliquid simus, sed Dei gratiam agnoscamus, Dei benignitatem exosculemur : quia ex illius bonitate in nos proficiscitur, quidquid boni habemus. Boni non erimus, nisi peccata fugiendo, et recte agendo.

Honores quanto sunt studio fugiendi contemnendique.

Boni quomodo fieri possimus.

Nec tamen id sufficit, nisi in his quoque recto animo feramur in Deum, ut nec ob metum supplicii declinemus a malo (quod est servorum proprium), nec ob mercedis et lucri privati desiderium faciamus bonum, (quod ad mercenarios pertinet), sed utrumque pure agamus ob honorem et amorem Dei : quod est peculiare filiis bonis, quibus longe dulcius est erga parentes fidem et charitatem declarare, quam aut propria vitare commoda, aut lucra captare cum parentum injuria. O beatos illos qui quandoque a Domino audire merebuntur : *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Audierunt hoc sancti omnes, qui nos præcesserunt, quorum nobis exempla tanquam viva quædam virtutum simulacra proposita sunt, ut ubicumque nos deficere senserimus, ab illis tanquam a quibusdam medicinæ officinis accommodata nostræ infirmitati pharmaca et remedia petamus. Transierunt illi per aquam et ignem, et quandoque experti sunt eadem, quæ nos modo experimur. Sed Domino eos confortante, superarunt omnia. Et nos igitur in illorum res gestas oculos intendamus, ut illorum exemplis animati, nusquam succumbamus, aut certe si labi contingat, illico resurgamus. Pulcherrime hac de re scribit Basilius ille vere Magnus : Quemadmodum, inquit, pictores, quum imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta ejus transferre conantur magno studio ad suum opificium : ita qui sese meditatur omnibus numeris virtutis absolutum reddere, veluti simulacra quædam spirantia et actuosa, sanctorum vitas respicere oportet,

Matth. XXV, 21.

Basilius.

Acta sanctorum quomodo imitari debeamus.

probaque opera illorum sua imitando facere. Hæc ille. Quod nos, dilectissimi, ita demum exacte præstabimus, si libenter ac studiose vel ipsi legemus, vel ex aliis discemus facta sanctorum, atque non minori studio illorum ambiemus suffragia, ut suis precibus nobis concilient gratiam Dei, qua freti, possimus fortiter illorum vestigiis ingredi, et eo tandem pervenire, quo ipsi felicissime pertingere meruerunt gratia et benignitate Servatoris nostri, cui cum Patre et Spiritu Sancto est omnis honor et gloria in secula seculorum, Amen.

IN FESTO

DECOLLATIONIS

SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ

Epistolam cum sua Paraphrasi quære in Festo sanctorum Fabiani et Sebastiani martyrum.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, MARCI VI.

CRUDELISSIMUM facinus hodierna die commemorat Ecclesia, quo in gratiam vilissimæ meretriculæ neci datus est homo sanctissimus, quo nemo fuit major inter natos mulierum, qui ob maximam ad Christum Dei Filium propinquitatem, vox Verbi appellatur, qui sic vixit in terris, ut vita illius omnibus etiam quantumvis justis exemplo sit : quem denique ipse Dei Filius tantis extulit encomiis, ut nullum similiter laudasse probetur. Et tamen hic talis et tantus ob fœdissimum adulteræ amorem, et saltatricis puellæ iniquam petitionem capite truncatus est, ut qui nascendo, prædicando, baptizando Christi præcursorem egerat, ageret etiam moriendo. Videamus ipsam rei gestæ historiam, quam post Matthæum plena fide descripsit Marcus Evangelista in hunc modum :

Misit Herodes, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Joannes Herodi : Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

Herodes iste quis fuerit.

Herodes iste non est idem, qui infantes occidit nato Salvatore, sed hujus filius, nihilo patre sceleratior, cujus impia facinora et immanem crudelitatem maluit imitari, quam prophetæ et plus quam prophetæ æquissimam et amantissimam objurgationem recipere. Vicerat enim eum amor impurus flagitiosæ adulteræ, et dum noluit tartareum æstuantis ignem libidinis exstinguere, accidit illi quod in Psalmo de impiis dicitur : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Non enim potuit lucem veritatis, id est, quid æquum et bonum esset, justo perpendere judicio, obrutus igni vel potius fumo cœnosæ voluptatis, atque ad apprehendendam justitiam, et profligandam iniquitatem tanto factus est infirmior ac impotentior, quanto se magis passus est inexplicabilibus insanientis spurcæque delectationis nexibus irretiri. Quo vos exemplo instructi, dilectissimi, fugite carnis desideria nefanda, ne dum illa vultis explere, in alia atrociora corruatis facinora, atque Herodis instar ad id usque insaniæ devolvamini, ut non solum non feratis recte monentes et ad justitiæ viam revocare vos volentes, sed etiam persequamini. Videtis hunc miserum He-

Ps. LVII, 9.

Desideria carnis quanto studio fugienda.

rodem libidine superatum rapuisse uxorem fratris sui, eamque uxoris, imo adulteræ loco retinuisse. Quod cum vir Dei sanctissimus Christi baptista Joannes justitiæ zelo incitatus reprehenderet, usque adeo id eum ægre tulisse, ut eum in carcerem conjecerit. Et reprehensione, unde corrigi debuerat, factus est deterior, et ab adulterii scelere ad homicidium præceps ruit, addens crimina criminibus : ita ut fieri plerumque solet, dum non expiantur statim congrua pœnitentia quæ perperam admissa sunt, ut ad pejora fiat progressio. Quod autem tam iniquam ob causam, nempe ut posset manere liberior in adulterio, et suæ Herodiadi satisfaceret, virum sanctissimum homo impurissimus in carcerem misit, sicut auget plurimum Herodis impietatem, ita beatissimum Joannem multo reddit splendidiorem.

Simul autem utilissimum hic nobis datur exemplum fraternæ correptionis, quam etiam Christus a nobis exigit, dicens : Si peccaverit in te, id est, te sciente, ut exponit sanctus Augustinus, frater tuus, corripe illum, etc. Et hæc fraterna correptio est unum ex septem spiritalibus misericordiæ operibus, majorisque apud Deum meriti, quia est potior actus charitatis, quam vel vulnus corpori inflictum curare, vel inopi ac egeno præbere alimoniam, siquidem hæc ad corpus pertinent, illa ad animam, quæ longe præstat corpori. Nec quisquam est ab hujus exhibitione correptionis, quatenus per simplicem fit admonitionem, non etiam per debitam castigationem sive punitionem, exceptus : quanquam hodie, proh dolor! plures sunt ad malum incentores, quam male agentium objurgatores. Insignis quidam Theologus affirmare non dubitat totum pene mundum perire potissimum ob duorum violationem præceptorum : quorum alterum est de vitanda luxuria, alterum de corripiendis proximis. Attamen debet in corripiendo haberi ratio loci et temporis, curandum ne correptio ipsa vel indiscreta, vel ridicula, vel malitiosa sit, sed discreta, seria ac benigna. Invenias plerosque tam in objurgando importunos ac incautos, ut dum unum volunt curare vulnus, decem pejora infligant. Præcipue autem ad superiores correptio atque etiam correctio subditorum pertinet, quæ si negligatur, omnis disciplinæ vigor languescit, et vitia magis ac magis increscunt, fiuntque superiores toties rei homicidii apud Deum, quoties per debitæ castigationis negligentiam pereunt animæ ipsorum curæ commissæ.

Matth. XVIII, 15.

Correptio fraterna quanti sit meriti.

Quorumnam ob præceptorum omissionem totus pene mundus intereat.

Correptio fraterna quomodo fieri debeat, et per quos.

Sunt vero tria quædam, quæ nos merito debeant ad aliorum reprehendenda errata incitare. Primum est, crebra Scripturæ Sacræ adhortatio. Secundum, multiplex quæ inde sequitur utilitas, maxime si sint homines bonæ indolis. Tertium, mala innumera quæ evenire certum est, dum vitia non reprehenduntur. Porro ipsa objurgatio, quæ fit per superiores, primo quidem discreta erit, et cum diligenti perscrutatione culpæ quam quis est reprehensurus conjuncta. Secundo, ordinata, ut peccatum occultum occulte, publicum manifeste corripiatur. Tertio, ex amore proficiscetur. Quarto, cum compassione conjuncta erit. Quinto, adjunctam habebit benevolentiam. Sexto, mansuetudinem, patientiam et modestiam comites tenebit. Si quis hac de re plura velit nosse, legat scripta Doctorum. Certe baptista Domini maluit vitam suam mortis discrimini objicere, quam non objurgare sævissimi licet tyranni sacrilegam temeritatem, qua proprii fratris non est veritus uxorem apud se detinere, in summam Dei et fratris injuriam, ac plurimorum scandalum. Itaque dicebat illi fidenter : Non licet tibi neque divino neque naturali jure habere uxorem fratris tui vi illi ablatam. Sed hac reprehensione Herodis pariter ac Herodiadis insaniam provocat. Sequitur enim :

Herodias autem insidiabatur illi, et volebat occidere eum, nec poterat. Herodes autem metuebat Joannem, sciens eum virum justum et san-

ctum, et custodiebat eum: et audito eo multa faciebat, et libenter audiebat eum.

Execrabilis femina significans se incestis delectari nuptiis, sanctum Joannem e medio per insidias tollere nitebatur, verita ne illius verbis forte correctus Herodes ipsam repudiaret. Sed non poterat ante tempus a Deo definitum. Quis enim possit cuiquam nocere Deum timenti, et divini munitione auxilii protecto? Matthæus scribit: Herodem quoque voluisse occidere sanctum Joannem, sed timuisse populum. Jam corde homicidium moliebatur, nihil timens Deum, sed reipsa perficere non audet, timens populum. O vere hypocritam, quem a scelere non Dei sed hominum timor retraxit! Quod ergo hic dicit Marcus metuisse eum Joannem, etc. fortassis simulate gessit, ut solent qui se hominibus venditant, nec Dei omnia cernentis faciem verentur. Vel forsitan istiusmodi erat erga Joannem antequam ad illicitas nuptias aspirasset. Quid enim ille ob hominem unum intermitteret, aut quid hominem quamlibet sanctum formidaret, qui tam scelerato sese adulterio obstrinxerat, nisi quod eo solo nomine metuit Joannem, quod timeret populum optime de Joanne sentientem, si quid illi nocuisset? Verum utcumque se res habeat, sive ex animo, sive simulate Joannem timuerit, tamen vicit amor adulteræ. Unde:

Matth. XIV, 5.

Herodes iste quantus fuerit hypocrita.

Quum dies opportunus accidisset Herodi natalis sui, cœnam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilææ.

Dies opportunus idcirco forsitan dicitur, quod tum commodissime sibi visus est prophetæ necem animo diu conceptam et concupitam perficere posse. Ideoque vocat principes, et tribunos, et primos Galilææ, iisque audientibus jurat puellæ filiæ Herodiadis, sciens eam petituram prophetæ internecionem, volensque testes habere principes Galilææ se non odii causa, sed ob jusjurandum prophetam occidisse, sicque per illos facile populo excusatum purgatumque sese redderet. Celebrat ergo natalem suum, ut luxuriosum profanumque convivium etiam sanctissimi viri crudeli homicidio redderet sceleratius, nec tamen apud homines incurreret suspicionem aut notam criminis, sed ex religione fecisse videretur quidquid egisset. Sed numquid homo versipellis Deum fefellit? O quam misera et infelix illa consolatio est, hominibus sese purgatum efficere, et conscientia criminis intus uri et excruciari!

Principes et primos Galilææ et Herodis invitaret ad convivium.

Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete a me quod vis, et dabo tibi. Et juravit illi: quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.

Saltat filia matris viperæ, non temere sane, nec vulgari pretio, sed pro capite viri sanctissimi, ut nefaria saltandi petulantia impium reportaret et crudele præmium, et quod neque Herodis sæva tyrannis, nec Herodiadis multijuges insidiæ obtinere poterant, puella impurissima lasciva saltatione impetraret. O quis unquam verbis ullis consequi possit, quot mala proficiscantur ex hac pessima choreas ducendi consuetudine, quæ tamen apud christianos ita penitus inveteravit ac inolevit, ut quasi pro lege habeatur! Nec satis est miseris ac deploratis hominibus simpliciter choreas duxisse, sed omnigena adhibent libidinis irritamenta, quibus sauciantur animi miserorum, et mortiferis conficiuntur vulneribus. Tot libidinosi contactus, tot perniciosa oscula, tot tantaque etiam mortifera junguntur choreis discrimina, quasi non satis superque ex sese proclives sint homines ad peccandum, nisi etiam de industria provocentur. Hac de re terribilia multa scribunt viri sancti, ad quæ nos lectorem remittimus. Utinam Christus Jesus id nostris in cordibus efficiat, ut postpositis hujusmodi diaboli pom-

Choreæ quam sint hoc tempore communes et impuræ ac obscenæ.

pis et ludibriis, quæ christianæ gravitati conveniant potius sectemur. Christus manibus et pedibus cruci suffixus est, et nos delectat choreas ducere? Si Christi membra sumus, caput nostrum imitemur. Cogitemus nos hic exules agere, nec ob aliud aliquid hic esse, nisi ut lacrymis et pœnitentia continua Deum peccatis nostris offensum nobis conciliemus. Pudeat nos similes esse filiæ Herodiadis, quæ saltando hominis excellentissimi mortem obtinuit. Tantum infelix illa efficere potuit saltandi turpitudine, ut rex illi promitteret se daturum ei quidquid postulasset, idque etiam adhibito jurejurando. Non tamen id casu rex ille impius fecit, sed jam ante cum sua adultera ita rem composuerat, ut filia saltaret, et a rege provocata peteret caput Baptistæ. Nec soli regi placuit, sed et aliis simul recumbentibus. Siquidem habitu ornata meretricio, ut et nunc feminæ virique solent, et saltando petulanter sese gerens, facile omnes in sui admirationem et amorem rapuit, quare effectum est, ut ipsi hospites sive convivæ necis prophetæ rei essent, quando regi eam imperanti etsi fortassis non animis, tamen silendo et non reprehendendo consenserunt. O caveant tandem christiani animarum suarum discrimina, vitent luxuriosa convivia, vitent chorearum periculosam petulantiam, et cum Christo semper victuri in cœlis, temporaria despiciant oblectamenta. Videamus nunc quid filia Herodiadis pro saltationis præmio petierit.

Adversus chorizandi libidinem remedium stabile.

Jurasse Herodem ex industria.

Convivia luxuriosa quanto studio cavenda.

Quæ quum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistæ. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit, dicens: Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.

Quare exit consultura matrem, nisi quia jam ante sic inter se convenerant, ut et rex promitteret, et filia a matre prophetæ mortem sitiente consilium quæreret, atque ita vir sanctissimus neci quidem daretur, non tamen videretur alia quam religionis causa, ut ante dixi, occisus? Alioqui poterat filia, non consulta genitrice, petere quidpiam a rege: sed consulit ante matrem tanquam ab illa præmonita, et matris impiæ voluntate perspecta, festinabunda tanquam et ipsa jam reprehensionum sancti viri pertæsa, et ejus interitum avide cupiens redit ad regem, protinusque sibi caput sancti Joannis in disco afferri jubet. O dignum saltationis præmium! Vel nunc tandem discant christiani odire saltandi libidinem, quæ tulit e medio virum quo, teste Christo, in natis mulierum nemo major fuit.

Et contristatus est rex.

Contristatus est simulate, non ex animo. Si enim matris aut patris necem postulasset filia Herodiadis, utique non assensisset.

Propter jusjurandum, et propter simul discumbentes noluit eam contristare.

Opportune hoc loco de jurandi temeritate nonnihil dicendum venit. Juravit Herodes, sed temere, et tamen jurisjurandi religione velut obstrictum se simulans coram hominibus, crudele facinus perpetrat. Et nunc usque adeo frequens est jurandi usus apud homines, ut pene nihil absque juramentis proferatur. Si quis eos reprehendat, dicunt licitum id esse, eo quod verum dicant. Et tamen etiam in rebus falsis sæpe juramentum adhibent. Quod si etiam verum dicant, non tamen propterea fas est absque justa causa juramento dicta firmare. Christus ipse dicit: *Sit sermo vester: Est, est, non, non: quod his amplius est, a malo est.* Attendant hæc quos jurare delectat. O terque quaterque execrandam hominum improbitatem, qui tam sunt ad impie jurandum proclives, ut ad singula prope verba, Christi mortem et vulnera non sine gravi blasphemia commemorent, tantoque sibi magis placeant, quanto per hæc aliis ejusdem impietatis studiosis sese

magis conformarint. Et quis nesciat hac jurandi assiduitate et licentia eo devolvi homines, ut sæpissime etiam ad mendacia confirmanda juramentis utantur? Qui si sibi vim quamdam afferrent, discerentque simplici vel affirmatione vel negatione esse contenti, procul semper abessent a falsa juratione. Non enim propterea majorem suis dictis fidem conciliant, quod facile jurant: imo hoc ipso omnem sibi fidem detrahunt, maxime si vel semel sint falsum jurasse deprehensi. Nihil quidem esset optandum magis, quam frequentissimam Christi et passionis ac vulnerum ejus mentionem haberi apud christianos: sed ea nonnisi jurando et blasphemando commemorare, ut jam faciunt passim miseri et omni lacrymarum fonte plangendi homunciones, id vero tam immane ac execrandum est scelus, ut extremo jure sit supplicio vindicandum. Et tamen qui hodie jurare impie non audet, ludibrio apud amentes habetur. Sed nihil consultius, quantumvis id ægre capiant membra et mancipia diaboli, quam omnem omnino vitare jurandi speciem, nisi quando id fortassis justitia aut recta ratio exigit, esseque contentum simplici vel affirmatione vel negatione. Ita consulit etiam magnus ille Basilius, scribens in hæc verba: Non facta est res? negatio sequatur: facta est? consensu firmetur. Citra illam verborum implicationem ad aliud respiciens, ipsam per se veritatem studeto exprimere simplici ac nuda usus assensione. Qui vero sic affirmanti minime crediderit, ipse viderit: damnum sentiet incredulitatis. Turpe enim et omnino stultum, sese ut fide indignum accusare, et ad juramenti securitatem confugere. Multa sunt apud sanctos Patres adversus jurandi perniciosam et improbam consuetudinem, quæ hic commemorare longum foret. Breviter, qui suæ saluti consultum cupiet, abstineat a juramentis, ne reus sit violati præcepti illius: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* In quod utique peccatur, non solum falso, sed etiam frivole jurando. Exstant apud divum Chrysostomum perplures Homiliæ, ubi satis terribiliter compescit homines a jurandi vitio. Sed durum est, inquis, vincere malam consuetudinem. Imo vero durum est et longe durissimum uri mala conscientia, et deinde æternis vexari suppliciis. Verum his de juramento vitando dictis, ad Evangelium redeamus.

Execrabilis Herodes, ut sub occasione pietatis impius fieret, propter jusjurandum, et propter simul recumbentes, noluit puellam constristare. O hominem nefarium, qui ne puellam contristet, imo ut suæ et matris et puellæ libidini satisfaciat, crudelissimum perpetrare homicidium non veretur! Quanto satius fuisset audire recta monentem virum Dei, et potius sacrilegam Herodiadem, impuramque filiam illius contristare, quam illis consentiendo, seipsum perdere, et Deum offendere? Multos hodieque habet Herodes imitatores sui, qui malint Deo displicere quam hominibus. Sed veniet illa dies, quando se optabunt omnibus displicuisse hominibus, ut vel soli Deo placerent.

Imitatores quos hodie plures habeat iste impius Herodes.

Sed misso confestim spiculatore, præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere, et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ. Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento.

O impietas, o crudelitas, o audax facinus, o immane sacrilegium, justus decollatur, fit caput ejus lubricæ saltationis pretium, in disco affertur, convivis apponitur, grande quidem ferculum, sed visu horrendum! Pulcherrime hac de re scribit *Chrysost.* Chrysostomus in hunc modum: Hodie nobis Joannis virtus, Herodis feritas quum refertur, concussa sunt viscera, corda tremuerunt, caligavit visus, hebuit intellectus, aufugit auditus. Aut quid constat in sensibus humanis, quando perdit virtutum magnitudinem criminum magnitudo?

Adversus impiam jurandi assuetudinem remedium.

Basilius.

Juratio-em divino præcepto rohibi-m.

xod. xx,

Joannis Baptistæ encomium excellens.

Joannes schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina. Joannes major homine, par Angelis, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi, præcursor judicis, Christi metator, Domini testis, totius medius Trinitatis. Et hic tantus datur incestui, traditur adulteræ, addicitur saltatrici. Hæc Chrysostomus. Ita nimirum evenit amicis Dei, ut persecutiones patiantur ab impiis, quo tanto sint Deo chariores atque conjunctiores in cœlis, quanto illi perferendis malis fuerint similiores in terris. Sed quid sibi vult, quod confestim misit spiculatorem Herodes, nisi quod hoc ipso rursus subindicat lætari se reperta tandem occasione, qua posset virum sanctum exstinguere? Nec moras nectit: simulata paululum tristitia, mox carnificem mittit, ut secto capite, habeat in sua potestate linguam illam vere igneam, cujus ferventissimis reprehensionibus tanquam flammis quibusdam ustum se noverat. O quanto rectius prospexissent sibi, tum ipse, tum adultera illa et filia nefaria, si ad viri sanctissimi amicas et justas admonitiones sese collegissent, suam perspexissent turpitudinem, Dei horrenda judicia timuissent, timendo avertissent, et cujus sententiam se norant effugere non posse, maluissent sibi conciliare misericordiam, et mitissimum potius experiri ac indulgentissimum patrem, quam exactissimum et severissimum judicem. Sed delectabat eos iniquitas, cujus amore factum est, ut odio illis esset veritas, innocentia, justitia, integritas. Et quia noluerunt ex se profligare tantum iniquum amorem, fœdamque delectationem, usque adeo in eis excrevit earum quas diximus virtutum odium, ut propter eas in beatissimi patriarchæ Joannis necem conspirarint: quam etsi summa cum voluptate tandem compleverint, tamen nihil illi sancto nocuere viro: at sibi-ipsis tanta compararunt eaque nunquam finienda supplicia, ut ea mens humana capere non possit. Datum est autem caput sanctissimum primum puellæ, ut haberet quod petierat saltationis pretium: illa porro dedit illud matri, ut et ipsa optato insidiarum suarum fine se potitam lætaretur. Denique a discipulis corpus sepulturæ datum est, in extremo die summa cum gloria resurrecturum, et Herodi ac Herodiadi filiæque saltatrici acriter insultaturum. Stabunt enim justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores illorum. *Sap.*

SERMO IN EODEM FESTO

UT SEMPER ECCLESIA PERSECUTIONIBUS CREVERIT, ET DE AMORE PRIVATO, AC DE SIGNIS QUIBUSDAM AMORIS FERVENTIS, TAM CARNALIS QUAM DIVINI.

NISI *granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Joannis XII, 24.

Sicut ex morte Christi, fratres charissimi, innumera extitit turba credentium, ita ejusdem Domini Jesu virtute et beneficio factum est, ut mors pretiosa martyrum et sanctorum ejus in magnos creverit cumulos fidelium. Non enim exstingui potuit religio christiana unquam persecutione tyrannorum, et injusta nece innocentium, sed magnis semper est aucta incrementis. Exemplum habemus in beatissimo Domini baptista Joanne, cujus sacro martyrio hic dies consecratus est, quem Herodes rex impius pro pietate peremptum optavit pe-

Martyrium S. Joannis fructus quantus sit secutus.

nitus ex hominum memoria delere. Sed non solum ille non periit, sed multa hominum millia illius accensa exemplo pro justitia et veritate mortem libenter exceperunt. Ita nimirum quanto illum tyrannus conatus est majori afficere ignominia, tanto eum reddidit illustriorem. Quis hodie non veneratur Domini baptistam Joannem, qui tamen probe sit christianus ? Ubique apud Catholicos celebris ejus memoria agitur, et beatum eum prædicant omnes generationes, virtutumque ejus bonus odor totam implet Ecclesiam.

Non sibi soli vixit, nec sibi soli mortuus est. Quam multos putamus peccatis onustos traxit ad agendam pœnitentiam ejus rigida et aspera vita? Quam multos ad toleranda adversa animavit illius mors immerita? Et nos hodie unde devotionis hujus erga Deum et gratiarum actionis occasionem sumimus, nisi quia sanctum Joannem pro justitia, id est, pro Christi amore occisum recolimus? Non amavit ille animam suam, id est, portionem sensitivam, quæ voluptatibus dedita est et aspera fugit, sed plane odivit, nolens illius carnalibus acquiescere appetitionibus. Atque ita odiendo, imo vere et religiose amando, in vitam æternam custodivit eam. Nec se solum servavit, sed suo exemplo plurimos ad tuendam justitiam inflammavit. Amant multi seipsos amore illo, qui hominem facit civem Babylonicæ civitatis, sed eo ipso crudelissime sese odiunt. Signum autem amoris hujus est, cum quis ea, quæ ad Deum vel proximum pertinent, negligit. Dici non potest, quanta hic amor producat mala. Itaque proprie non est dicendus amor, sed odium sui, quia vehementissime nocet homini, excæcans animi obtutus, mortem æternam ipsi concilians, et sæpe etiam auferens ea quæ temporaliter amat. Si enim sectetur voluptates, destruit corpus suum, amittit sanitatem, abrumpit vitam, dilapidat facultates suas, perdit famam, et seipsum dæmonibus cruciandum tradit. Non sic se amavit Domini venerandus baptista, sed seipso contempto, amavit Dominum Deum suum, illius malens voluntati inhærere, quam seipsum perdite diligere. Ergo sancte et religiose se amavit, amore divino, casto, immobili, fervenți, ignito, de quo jam nonnihil dicturi sumus, ut qui illo præditus est, studeat magis ac magis illum in se augere: qui vero illius expers est, cupiat illo fortiter inflammari. Dicemus autem de quinque signis illius, ex quibus possit quis colligere utrum eum adeptus sit, vel illo careat : simul etiam de amore carnali et insano agemus.

Amor perditus quis, quique ipsius sint fructus.

Primum ergo amoris vehementis signum est, quod facit hominem sui oblivisci, seseque minime curare. Cujus ratio est, quia omnis illius cogitatio, totumque desiderium versatur circa illum quem diligit. Quapropter dici solet animam amantem illic potius esse ubi amet, quam ubi animet. De ejusmodi hominibus usitato sermone dicimus : Ille non est secum : vel, extra sese. Patet hoc evidenter in insanis mundi amatoribus, qui forte alicujus mulierculæ amore capti sint, ut sese ab hominum consortio, a negotiis, ab occupationibus et rebus gerendis abstrahant, nihilque illis curæ sit, nisi hoc tantum, ut possint adesse illi, quam tam perdite amant. Denique ubi hic amor increverit, ut quadam sui oblivione capiantur, nec alicujus pensi habeant quidnam patiantur, quid de ipsis dicatur, si sint aliis contemptui, si dignitatis, existimationis, famæ, honestatis jacturam faciant, quandoquidem corde toto apud amicam suam detinentur : qua ut frui possint, admittunt sæpius multa indigna, stulta, ridicula, puerilia, imo vero etiam præ mentis cæcitate gravia et immania peccata. Nota est illa Sardanapali impurissimi regis historia, quem amoris insania eo usque adduxit, ut non erubuerit, teste Justino, inter scortorum greges nere, et mulierum habitu feminas omnes lascivia anteire. Sed et ipsum Salomonem regem alioqui sapientissimum, præ nimio mulierum amore novimus usque ad idola adoranda devolutum.

Amor vehemens quis, quæque ipsius opera.

Amor carnalis quis.

Paradigma amoris insani.

Ita ergo etiam Dei amor, ubi perfectus est, facit hominem oblivisci sui : quia rapit eum extra se, facitque totum in Deo animo absorberi. Ejusmodi homo non multum de se cogitat, negligitque quid de ipso cogitent alii : non est sollicitus erga res externas, sive eas quæ nihil ad ipsum pertinent : siquidem corde collecto est, et introrsus verso, atque erga Deum occupato. Et quia in spiritu ambulat, nescit carnis prudentiam. Fit inde nimirum, ut id genus homines interni et in Dei amore absorpti, ubi externa quædam tractanda sunt et temporalia, sive aliqua dicenda, aut conversandum cum hominibus seculi prudentibus, plerumque velut pueri sint et inepti, atque moribus, quibus alii magnam adhibent operam excolendis, incompositi et inciviles quodammodo ac immodesti appareant, aut quosdam præ se ferant gestus insolitos ac insuetos. Quod tamen totum non accidit ex vitio, sed illa animi abstractione, qua a mundanis et externis sese abjungunt, atque ad Deum recipiunt. Ex qua etiam non tam curant, ut manus componant, quam ut cordi invigilent, ut id semper purum servent, et sursum erectum ad Deum. Quanquam idem etiam nonnunquam illis usuvenit ex animi candore, bonitate, simplicitate ac innocentia, qua ipsi alios non observant curiose, nec de ullo male cogitant, non adversum alios commoventur : atque ita etiam alios omnes putant esse sui similes candidos ac benevolos. Ut plurimum etiam ita evenit, ut qualem se quisque sentit, tales putet esse et cæteros. Unde sicut qui improbus est et fraudulentus, aut ejusmodi vitiis et passionibus impugnatur vel subjacet, ille plerumque est meticulosus et suspiciosus erga alios, quod et ipsi tales sint : sic e diverso qui simplex, innocens et fraudis expers est, de omnibus bene sentit, et omnibus bene confidit.

Amori vero proprium quid sit.

Amor verus quales sui possessores efficiat.

Simplicitati veræ proprium quidnam sit.

Quando igitur illi, de quibus nobis sermo est, extra seipsos in Deum amore abstrahuntur, fiunt sui ac morum suorum naturalium, quibus tamen non sit adjunctum peccatum, immemores ac incuriosi : siquidem non observant seipsos, et faciunt interdum mira quædam amore eos impellente, quem reprimere aut celare nequeunt, sed per signa quædam foras prorumpit, quibus alii divini amoris imperiti vel expertes immerito offenduntur vel scandalizantur ac temere eos judicant et contemnunt, stultos eos aut deliros, vel insanos et phantasticos aut hypocritas appellantes : sicque fit ut istiusmodi corrupti homines licet se valde bonos et bene moratos putent, admodum Deo invisi et execrabiles reddantur, eo quod nec ipsi Dei amore præditi sint, et alios eo præditos despiciant ac persequantur, atque ex consequenti etiam proximi charitatem non habeant, quem contemnunt. Qua re certe graviter peccant. Si enim nec malos licet despicere, tametsi vitia eorum odisse debemus, quanto minus boni spernendi sunt? Illi vero gravissime Deum offendunt, qui non ex errore, sed malitia et invidentia alios persequuntur, eisque detrahunt, quos tamen bonos esse et vitam inculpatam ducere non sunt nescii, ac nihilominus stimulante invidia illis derogant et obloquuntur, eo quod ipsi tales non sint, aut illis sint impares vel inhonorati. Sed de his satis dictum sit.

Amici Dei quinam persequantur ac offendant.

Alterum amoris igniti signum est, quod non potest satiari qui illo ardet, loquendo et audiendo de eo quem diligit : quia *ex abundantia cordis os loquitur*. Qui ergo libenter de Deo miscent colloquia, quosque juvat audire de illo, hoc ipso significant se amare Deum. Contra qui cum tædio et impatientia percipiunt si quid de Deo dicatur : alacres autem et attenti sunt ad percipienda vana, scurrilia, perniciosa, hi nimirum satis declarant se aut parum aut nihil amare Deum. Quo tamen morbo, proh dolor ! pene omnes laboramus. Futilia ultro citroque fundere et haurire verba, colloqui de supervacaneis mundi rumoribus, de aliorum vitiis sermonem protrahere, et id genus alia ac etiam pejora linguæ errata admittere jucundum nobis

Amor insatiabilis quid sit. *Matth.* XII 34.

Amori Dei signum infallibile quodnam sit.

Amori seculi signa quænam sint.

est, adeo ut præ ejusmodi confabulationibus sæpe etiam cibum, potum, somnum atque etiam propriam salutem et res serias negligamus, neque interim alicujus pensi habeamus, quod tamen nos magnopere curare oporteret, multis sæpe et gravibus tum nostras tum alienas nos animas vulneribus conficere, neque gravissimam temporis pretiosissimi, quo nobis magna possemus bona lucrari, jacturam animadvertamus, aut si animadvertimus, tamen perinde nos id moveat, ac si nihil inde ad nos incommodi redeat.

Quod revera signum est evidens divini amoris vix tenuem nostris in pectoribus hærere scintillam. Ubi est thesaurus tuus, o christiane, ibi est et cor tuum : et ubi cor tuum, ibi est et os tuum ; hoc est, quod tibi magis cordi est, quodque impensius diligis, de eo studiosius cogitas, et crebrius verba facis. Unde est apud divum Joannem Chrysostomum : Hic amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere non possint, sed prodant eum ac aperiant necessariis amicis. Namque ejus flammas intra pectus suum cohibere nequeunt. Itaque frequenter eum proferunt, ut ipsa narrandi assiduitate quoddam immensi amoris sui solatium capiant ac refrigerium. Hunc amorem igneum accepere Apostoli in Pentecoste in linguis igneis, cujus ardore incitati totum peragrarunt orbem, et linguis igneis, id est, amore ardentibus prædicarunt Evangelium Christi. Hic idem amor fecit sanctos martyres etiam in tormentis confiteri Christum, et ab invocatione ac prædicatione nominis ejus ad mortem usque minime cessare : sicut de quibusdam memoriæ proditum est præcisis linguis nihilominus eos Domini virtute, cujus amore flagrabant, Christum prædicasse. Denique eodem amore inflammati Ecclesiæ præclari Doctores Paulus, Augustinus, Hieronymus atque perplures alii scriptis suis Christum prædicarunt, et ad bene beateque transigendam vitam nos copiosissime instruxerunt. Non poterat sonus linguæ eorum ubique terrarum audiri. Eam ob rem libris præstiterunt, quod voce non potuissent. Et jam mundus totus scriptis eorum plenus est, et plus quam mille annis eruditus. Et licet suo ævo etiam oris officium non neglexerint, longe tamen uberiorem fecere fructum scribendo quam dicendo : quandoquidem latius patent ac propagata sunt eorum scripta, quam voces.

Matth. v, 21.

Chrysost. Mos amantium quis.

Amoris Dei fructus qui sint.

Libros habere dnam ctos imput.

Tertium amoris signum est, quod amor in amantis pectore flagrantissimum excitat desiderium ut possit adesse dilecto. Quod si non liceat illi perpetim adesse et cum illo permanere saltem ut possit illi colloqui, aut certe vel aspicere. Quod si nec id detur, cogit eum per loca discurrere, atque eorum sive locorum, sive hominum præsentia et consuetudine delectari, quibus novit dilectum esse usum familiariter. At vero si nihil horum concedatur, si quod habet dilecti munusculum aut monumentum, sæpius id contemplatur, atque illius aspectu interim fovet et recreat amorem suum. Potest id probari etiam exemplis quotidianis amicorum ejusdem sexus, inter quos socialis et vehemens fervet charitas. Evidentius autem colligi licet ex amore carnali inter duos disparis sexus sese mutuo amantes, qui pro sui amoris temperanda insania, si non liceat aspectu aut colloquio mutuo perfrui, munuscula vicissim data et accepta contemplantur, osculantur, et interim præ amore puerili ac stolido etiam lacrymas fundunt. Porro evidentissime id constat, non tamen nisi perfectis, ex amore divino, quo qui multum fervent, mirum est quantopere cupiant dissolvi, et esse cum Christo, illum facie ad faciem videre, illo perfrui, cum illo manere semper. Quod cum non possint nisi moriantur, etiam mors ipsa illis optatissima est, sicut scriptum est : Sancti mortem habent in desiderio, et vitam in patientia. Exemplum hujus habemus in Apostolo Paulo, cujus si vultis nosse desiderium, verba audiatis. Ait enim de seipso : Cupio dissolvi, et esse cum Christo ; et : *Infelix ego homo, quis me li-*

Amor unitivus quis.

Gregor.

Philipp. I, 23.

Rom. VII, 24.

berabit de corpore mortis hujus? Habemus itidem exemplum in David rege sanctissimo, cujus ista sunt verba: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Si cui placet, legat totum illum Psalmum et videbit ferventissimo amore velut ebriam animam.

Ps. XLI, 2.

Quid vero dicemus de Baptista Joanne? qui ut fuit omnium sanctissimus, ita haud dubie totus mirum in modum aspiravit ad conspiciendum præsentem Dei vultum. Inde est quod etiam martyres, quidam usque adeo mori fuere parati pro Deo et justitia, ut ipsi etiam ultro se prodiderint. Denique sancti omnes ejusmodi fervent Dei desiderio idque dum compleatur, interim sese consolantur alloquendo eum precibus continuis, audiendo eum loquentem sibi in Scripturis, commemorando dona et beneficia illius, ac potissimum sæpius accedendo ad sacram communionem, in qua summum et excellentissimum nobis præstatur monumentum amoris divini, ubi habent eum quem diligunt revera præsentem, licet non eo modo omnes sentiant ac fruantur, sicuti est. Atque hinc potest colligi, eum in quo mundi appetitiones exstinctæ sunt, et cœlestia fervent desideria, cui mors in votis est, eo nomine ut possit esse cum Christo, quique nulla ex re majorem capit consolationem, quam ex venerabili sacramento, certo posse confidere vero se Dei amore præditum esse. Quibus tamen quisquis se carere sentit, explorare debet causas quamobrem careat, iisque cognitis, corrigere sese, et Dei gratiam implorare.

Amorem Dei verum augeri per sacram communionem.

Quartum signum amoris hujus est, quod amans cupit modis omnibus eum quem amat honorare, extollere, prædicatione et laudibus efferre, aliis amabilem efficere ac commodare: ejus injuria et contemptu dolet acerrime, atque ejus honore summe lætatur. Hoc signum indiscriminatim est in illis qui honeste et qui turpiter amant. Siquidem neutri æquanimiter ferre possunt, ut aliquid dicatur mali de eo quem diligunt, tantum abest, ut aliquid illi mali fiat. Atqui longe præclarius in illis id cernere licet, qui Deum perfecte amant, quorum est hoc summum desiderium, eoque nocte ac die conantur, ut Deus cognoscatur, laudetur, ametur, honoretur ab omnibus, ejus voluntas fiat, ejus præcepta serventur. Nec hoc labore fatigantur: et si videant ab aliis itidem Deum amari et honorari, maxime exhilarantur: si vero contemni eum animadvertant, dolent acerrime. Posset id multis sanctorum exemplis confirmari, quos admodum cruciavit contemptus Dei, et præcipue exhilaravit cultus et honor Dei, quem unice charum habebant. O quam longe absunt a sincero Dei amore, qui consilio vel auxilio suo perdunt animas, quas Christus redemit sanguine suo, illiciendo eas ad peccata, quibus offenditur Deus: aut qui deliberata ratione, sive propriis sive alienis delectantur peccatis, qui jactitant sese de malis suis. Sed eos missos faciamus.

Amor ut amatum honore afficiat cupiat.

Quintum signum est, quod is qui perfecte amat, cupit et sese et omnia sua impertiri illi, quem diligit: est illi una cum eo voluntas: non eum vult contristare vel offendere: facitque et patitur quidquid potest, ne illum offendat. Id vero maxime proprium est amori divino, quo quisquis fervet, donat sese et omnia sua Deo ac divino honori et voluntati, adeo ut mori malit, quod est etiam ad salutem necessarium, quam peccatum aliquod mortiferum, quo gravissime Deus offenditur, perpetrare. Quanquam perfectus amor non solum mortiferum vitat peccatum, sed omne etiam Dei beneplacitum studet exequi. Ita nimirum baptista Domini Joannes libentissime vitam contempsit temporalem ob amorem Christi, malens tyranni jussa contemnere quam Dei. Cujus exemplo nos, charissimi, instruimur, nihil nobis Dei voluntate antiquius esse debere. Hominibus placuisse parum prodest: sæpe vero et nocet plurimum. Deum autem offendisse non potest non obesse graviter. Itaque

Ann
commu
cativus
quis di
tur.

cum omnibus Dei amicis moriamur vitiis et perturbationibus nostris, atque privato et vitioso calcato amore, studeamus in nobis augere Christi ferventem amorem, qui quanto in nobis fuerit ferventior, tanto erimus in cœlis beatiores et Christo conjunctiores, eodem ipso præstante, cui est cum Patre et Spiritu Sancto omnis honor et gloria in secula seculorum, Amen.

IN SOLEMNITATE

NATIVITATIS B. V. MARIÆ

Epistolam et Evangelium cum Paraphrasi et Exegesi quære in Festo Conceptionis ejusdem.

SERMO PRIMUS IN EADEM SOLEMNITATE

QUO JURE BEATA VIRGO MARIA DOMUS DEI DICATUR ET SIT.

SAPIENTIA ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Proverbiorum IX, 1.

Sap. VII, 21. Cum omnium sit artifex sapientia, fratres mei, omnem habens virtutem, per quam omnia etiam constent, unum tamen operum ejus cæteris est præstantius. Unum erexit ædificium, quo non modo se, id est, sapientiam, verum etiam virtutem ac benignitatem suam nobis, et id quidem excellentissime monstravit. Siquidem ædificavit sibi domum non utcumque pulchram, non mediocriter nobilem, sed nobilitate excellenter insignem, excellentia mirabilem, dignitate singularem. Multas sane construxerat ante domos, nec ulli creaturarum non providerat habitaculum, Angelis dans cœlum (et hæc est domus gloriæ), dæmonibus et hominibus condemnatis infernum (et hæc est domus justitiæ), bestiis vero pro patria assignavit mundum, quarum tamen, cuivis proprium segregans habitandi locum, piscibus dedit æquor, volucribus aera, cæteris fere omnibus terram. Et hanc bestiarum patriam homini lapso interim dedit pro pœnitentia agenda in carcerem, qui in exilio modo versatur, aliquando transferendus ad alteram domum, videlicet aut Angelorum, aut dæmonum, utram meruerit, cunctis igitur ad hospitia locatis, hoc unum superfuit, ut sibi quoque, quemadmodum cæteris, pararet domum, quæ cunctis præfulgeret ædificiis quanto ipse, qui debet inhabitare, omnibus esset præstantior. Hæc autem domus, quam sibi ab æterno Sapientia increata Dei Filius providit, et subinde amicis suis sanctis prophetis extruendam prædixit, nunc tandem omni splendore, omni decore consummatam, contuendam cunctis exhibuit, purissima est Virgo Maria : quæ non ob hoc solum digna est dici domus Dei, quia ejus mentem lux divina inhabitare nunquam desiit, iterum dico non propterea solum est domus Dei, quod cum cæteræ animæ omnes in habitacula Dei creatæ vacillaverint, peccandoque inquinatæ sint, ipsa sola singularissime electa, et præservata quietissimum, mundissimum ac imperturbabile, atque id juge Deo præbuerit cordis hospitium (quippe quæ firmissime extructa septem Spiritus Sancti donis, non aliter quam septem columnis fundata, nec labi poterat nec inquinari). Verum etiam et ob hoc maxime, quia in corpore ejus, hoc est, in utero thalami virginalis corporaliter novem mensibus Deus ipse moratus, de carne ejus

Domus diversæ a Deo constructæ.

Quo j… Maria … mus Dei … dicatur … sit.

tegimen sibi carneum, quo divinitatis velaret naturam, supertexit. Hinc non injuria venit tam præclaræ Virgini, ut arca Dei, domus Dei, tabernaculum Dei, templum Dei, thalamus Dei, sacrarium, aula atque civitas Dei, et dicatur et sit. Quo etiam nihil mirandum, si suum Deus ipse habitaculum, si suam domum, si suum thalamum extruxerit magnificentius, ornaverit splendidius, exaltaverit gloriosius, quandoquidem Angelis cœlum tam immenso lumine coruscum, et mortalibus tot varietatibus venustatum donaverit mundum. Prædixerat autem jam olim in persona David, quanta foret eamdem gloria illustraturus, quando sub typo materialis templi de Maria loquens : domus, inquit, quam ædificari volo, talis esse debet, ut in cunctis regionibus nominetur.

Cæterum, quælibet domus censenda est præstare gloria majori, quanto nobilitate, munditia, pulchritudine, ornatu, dignitate, utilitate magis enituerit. Porro, nobilis tum dicitur domus, cum materia nobili pretiosaque extructa fuerit : munda, si absque sorde : pulchra si decenti figura, ordineque venustetur : ornata, si decori schemative, quod primus indidit artifex, splendor cultusve alius accedat, utpote aurata seu depicta. Digna vero dicitur, quanto dominum in se habuerit præstantiorem. Utilis tandem dicitur domus, si loco congruo, si quæstuoso fuerit sita, et si multis prosit. His omnibus præeminere noscitur domus hæc, quam decet sanctitudo, domus quam fundavit et dedicavit sibi Altissimus. Est enim nobilissima, quippe ad cujus ædificationem nihil, quod apud Hebræos olim redoleret nobilitatem, non confluxerit. Tria sunt, e quibus fit omnis femina nobilior. Ex genere, sponso et prole. Si Mariæ genus quæritur et origo, de parentibus est nobilissimis, videlicet sacerdotali, regio, prophetico, et patriarchali stemmate descendens. At si a sponso nobilitatem quæsieris (nam et inde, ut dixi, mulieres illustrantur), Maria sponsum habet longe nobilissimum, a quo fecundata est, Spiritum Sanctum. Porro si a prole, quia arbor ex fructu quoque probatur nobilior, Filium habet non solum cœli terræque regem, sed quo major esse non potest, Deum. Est etiam mundissima, profecto omni carens labe, tanta nitens puritate, qua sub Deo major nequeat intelligi. Pulcherrima est autem omni venustate pollens, elegantissima, dulcis et omnium oculis gratiosa. Ornata præterea gratiarum et virtutum omnium donis, adeo ut nihil sit decoris, nihil candoris, quod non vel excellentissime fulgeat in ea. Porro dignitatem ejus quis explicare, imo quis intellectu comprehendere potest ? Quandoquidem, qui creavit eam, requievit in tabernaculo ejus. Natus est ex ea, qui fundavit eam Altissimus. Itaque hanc domum sapientia ædificavit sibi.

At numquid et soli sibi ? Cuperem et ego familiaris esse domus tam speciosæ, tam amœnæ, tam dulcis, tam amabilis, tam denique decoræ. Quidni cuperem ? Nempe si definiente Philosopho domus dicitur, quia defendit a caumatibus et pluviis, juxta hoc Maria domus est defendens non a caumatibus, hoc est, ab internarum tentationum, ab ignitis diaboli jaculis, et pluviis, id est, a tribulationum quæ ab extra nobis superveniunt inundatione, a procellosis, videlicet hujus vitæ fluctibus, quis jam non præsidium in ea domo sibi exoptet donari, nisi qui propriæ nescius miseriæ, propriæ imbecillitatis, calamitatisque ignarus, sua damna non sentit, opem non petit, dignus plane qui pereat ? Est igitur Maria domus Dei, et est nostra. Ædificavit plane sibi eam soli, in qua habitaret, ædificavit vero et nobis, ut nos repararet, tueretur, salvaret. Siquidem propterea factum est nobile hoc ædificium, ut quod de priori opificio Dei erat deformatum, hujus adminiculo reformaretur. Angelorum namque creatus numerus permultis cadentibus fuerat minutus : et homine primo lapso, tota natura infecta jacebat et infirmata. At ædificata est Maria, cujus fructu Angelorum ruina repleretur, humana natura

Munditia.

Pulchritudo.

Ornatus.

Dignitas.

Utilitas.

Domus quid sit.

B. V. Mariam non solum esse domum Dei, sed etiam nostram.

Domum gloriosam efficientia ex quæ sint, utque fuerint in Maria.

Nobilitas B. V. Mariæ quanta.

Tria feminam nobilitantia quæ sint.

renovaretur, quæ cum Dei foret Mater, Angelorum esset etiam Regina, dæmonum hostis et deprædatrix, mundi Domina, lapsorum sublevatrix, desperantium fiducia, mœrentium consolatrix, omnium denique in hoc mari magno inter quascumque tentationum procellas placidissimus naufragantium sinus, et cunctorum quantalibet tribulatione, angustia pressi fuerint, ad se currentium domus refugii hospitiumque misericordiæ.

Domus refugii hospitiumque misericordiæ ut sit Maria.

Ad hanc domum confugiens nemo non salvatur : quicumque enim ad ipsam se receperit, protectionem inveniet aut requiem. Quis enim unquam auditus est adversitate, tentatione aut fortuna quantumvis contraria jactatus, cui ad hanc domum misericordiæ, cui ad xenodochium pietatis, cui ad Mariam confugienti præclusus sit aditus, non adhibita consolatio, negatum subsidium ? Quis adeo miser, cui invocanti se opem non tulerit Maria ? Quis adeo ærumnosus, quem ad se respicientem non levarit Maria ? Aut quæ tandem domus locusve alius, quo egeni, exules, impugnati, afflicti, desolati confugiant liberius, recipiantur clementius, requiescant securius, potentius tueantur, dulcius foveantur ? Nusquam profecto alibi minus diffidendum, nusquam majori spe innitendum, quam Mariæ. Quandoquidem nemo ad eam clamans non exauditur, nemo accedens repellitur, nemo in ipsa sperans decipitur. Cæterum, ut nullo in loco tibi salutis opem defuturam agnoscas, si inter undarum tentationum tempestates periclitaris, Maria est tibi arca diluvii. Si vero in terra, hoc est, in tranquillo constitutus, et prioris vitæ peccatorum tibi conscius memor fueris, quia vir sanguinum es, atque ideo Dei justitiam malorum vindicem contendis effugere, Maria ubi te salves tibi data est civitas refugii. Adde præterea, quod sicut extra arcam Noe tempore diluvii natantibus nulla erat spes vivendi relicta, ita extra hanc domum, ita extra hujus Virginis protectionem, quotquot in sinum miserationis ejus non recipiuntur, in aquis diluvii, id est, tentationum fluctibus perire necesse est. At vero civitatem refugii ipsam idcirco dixerim, quod non modo illis (ut olim sub Moyse figurabatur), qui nolentes sanguinem fuderunt, verum etiam voluntariis homicidiis, hoc est, ultro peccantibus (quandoquidem *misericordia Domini plena est terra*), facta sit propugnaculum vitæ, custos salutis et tutissimum, quo a facie iræ Dei fugiatur immunitatis asylum. Quamobrem haud prorsus absurde tribuitur ei, quod canimus ex Propheta : *Urbs fortitudinis nostræ Sion, salvator, ponetur in ea murus, et antemurale.* Hæc autem omnia beatissimæ Mariæ tribuimus, quia et Filius ejus vult eam ab eadem Matre, et per suam Matrem habere, non ut jam evacuatus sit Christus, sed quæ ipse dat, ab ipso exspectamus, accipimusque per suam, ut sic loquar, eleemosynariam, cui hæc misericordiæ commisit officia, vult nos eadem recipere.

Arca diluvii cur vocetur B. V. Maria.

Cur c[illegible] tur civ[illegible] refugii [illegible]

Ps. xx[illegible] 5.

Is. xxv[illegible]

Cur h[illegible] omnia [illegible] buantur [illegible] V. Mar[illegible]

Liquet postremo ex his omnibus, quam conveniat Mariam domum dici, quando nec ultima conditio domus, quam huc usque distuli investigandam, ei defuerit. Dixeram namque ad gloriosam pertinere domum inter alias conditiones, esse utilem multis, aut quæstuoso loco sitam. Vere omnibus utilissima est Maria, nedum multis, loco etiam est maxime congruo sita inter Deum et hominem media, advocata nostra, quæ iram Dei avertat a nobis, gratiam Dei adducat nobis : promptuarium denique frumenti, cellarium vini et olei, et apotheca omnis medicinalis unguenti. Domus, in quam recondidit nobis Deus gratiarum dona, consolationum unguenta, aromata virtutum, cunctorumque pariter morborum medicamina : ut quidquid nobis defuerit, quidquid necessarium extiterit, inde hauriamus, adeo ut etiam in hac vita cum Psalmista Christo vere de hac domo dicamus : Implebimur bonis domus tuæ. At quid dixerim : implebimur, cum significantius scriptum sit : Replebimur, hoc est, non semel tantum, sed ite-

Ps. LXI[illegible] 5.

rum atque iterum, ut in peccando exinanimur, ita pœnitendo gratiarum donis per Mariam replebimur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

SERMO SECUNDUS IN EADEM SOLEMNITATE

QUANTIS PRÆCONIIS EXTOLLENDA SIT BEATISSIMA DEI GENITRIX VIRGO MARIA : QUIBUSQUE MAGNO GAUDIO FUERIT ILLIUS PURISSIMA SANCTISSIMAQUE NATIVITAS.

NOVA lux oriri visa est, gaudium, honor atque tripudium apud omnes populos. Esther VIII, 16.

Non est facultatis humanæ, dilectissimi fratres, quamdiu in hoc mortali corpore vivitur, plene pertingere posse ad laudem gloriosæ Virginis Matris Dei, quæ omnium hominum et voces excellit, et superat intellectum. Quis enim mortalium, nisi divino illustratus oraculo, de unica Dei et Hominis Genitrice quidquam modicum vel grande præsumat edere? Imo quis non timeat hanc pollutis labiis nominare, quam Pater misericordiarum, et ante secula Deus perpetuam destinavit in Virginem, dignissimam Filius præelegit in Matrem, Spiritus Sanctus novæ gratiæ præparavit in domicilium? Quibus laudibus servitus hominum efferret Reginam Angelorum? Quæ præconia dilatet mortalis angustia, vel officia subministret, cui cœlestia parent et famulantur obsequia? Et quamvis nec digne, nec sufficienter laudare possimus admirandam Dei Genitricem, sanctissimam Virginem, non tamen omnino est abstinendum a laudibus, præsertim cum scriptum sit : *Sacrificium* (inquit Dominus) *laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Si ergo laus Dei est iter ad visionem Dei, in qua consistit æterna felicitas, imo si laus Dei est exercitium beatorum in patria, secundum illud : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te, sequitur quod laus Dei est quædam figura, vel prægustatio, vel initium æternæ felicitatis in via. Quomodo autem implere possumus, quod nobis præcipitur : *Laudate Dominum secundum multitudinem magnitudinis ejus,* si non, quod nobis facilius est, laudaverimus eum in sanctis ejus, et maxime in Matre ejus? Et quamvis scriptum sit, quod non sit speciosa laus in ore peccatoris, hoc est, quod illorum laus non sit accepta, quorum vita Deo est contraria, tamen qui seipsos peccatores agnoscunt et dolent, qui seipsos humiliant et deprimunt, Deum vero in se, vel in sanctis suis exaltant, honorant et prædicant, hoc ipso veniam merentur et gratiam. Et ideo, charissimi, invocemus beatissimam Virginem de qua jam loqui, et quam laudare cupimus, ut gratiam nobis impetret a Deo, nobis loquendi, vobis audiendi ea quæ spectant ad Dei gloriam et suum honorem, dicentes : Nova lux oriri visa est, etc.

Mariam Dei Matrem neminem posse digne laudare.

Ps. XLIX, 23.

Laudare Deum quam sit actus nobilissimus. *Ps.* CL, 2.

Eccli. XV, 9.

Charissimi fratres, hæc verba habentur in libro Esther secundum litteralem sensum de Judæis, qui erant in regno Assueri regis Mædorum et Persarum, super quos data fuerat sententia, ut omnes certo die interficerentur. Sed regina Esther intercedente apud regem et impetrante Judæis salutem, sententia mortis in eos lata revocata est, et in magnos honores et gratiam regis Judæi recepti sunt. Quapropter ipsis secundum verba prædicta : Nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium apud omnes populos : quia quodammodo a morte ad vitam revocati sunt. Hoc breviter sit dictum de litterali sensu,

quam qui scire plenius voluerit, legat totum librum Esther. Mystice autem non inconvenienter applicantur ortui beatissimæ Virginis, cujus figuram Esther regina tenuit : quæ scilicet Virgo Maria impetravit, et impetrat nobis quotidie vitam gratiæ, qua etiam mediante abolita est sententia æternæ mortis, promulgata in omnes filios Adam propter peccatum primorum parentum nostrorum, ita ut per nativitatem ejus, quæ foret nostræ salutis procuratrix, merito quasi nova nobis lux oriri visa sit : quapropter gaudium, honor et tripudium apud omnes populos. In istis autem verbis duo nobis insinuantur : primum, est nascentis Virginis sanctitas, dum dicitur : Nova lux oriri visa est : secundum, nativitatis jucunditas ubi subjungitur : gaudium et honor atque tripudium.

Esther quomodo signet beatam Mariam Dei Matrem.

Primo innuitur nobis sanctitas, sive puritas Virginis Mariæ per hoc, quod comparatur luci, licet enim omnes qui sunt in gratia Dei, lucis nomine appellentur (sicut Dominus dicit : *Vos estis lux mundi* ; et in libro Proverbiorum : *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem*), tamen beata Maria excellentiori modo lucis nomine demonstratur : quæ sua claritate omnes præcellit, ita ut etiam ipsi non inconvenienter adscribatur illud libri Sapientiæ : *Candor est lucis æternæ et speculum sine macula*. Splendor enim dicitur quantum ad puritatem mentis, et speculum sine macula, quantum ad honestatem carnis. Tanta enim erat honestas illius luminosi speculi, ut non solum in se immaculatum foret, sed etiam ab omnibus inspicientibus expelleret omnes motus inhonestos, ita ut nemo unquam intuentium pulchritudinem honestissimam et decentissimam Virginis Mariæ, potuerit scandalizari ad inique vel turpe aliquid cogitandum vel concupiscendum, sed radius virginalis castitatis ejus et excellentissimæ sanctitatis, omnium intuentium corda casta efficiebat. Unde et Joseph beatissimus quanto plus et familiarius cum ea loquebatur et conversabatur, tanto castior efficiebatur. Et pie credendum est hoc non solum de castitate, sed de omni etiam virtute, ita ut etiam nemo erga eam illicitos motus habuerit intuens eam, scilicet displicentiæ, invidiæ, iræ etc.

Matth. v, 14.

Prov. iv. 18.

Luci ut comparetur Virgo Maria.

Sap. vii. 26.

Honestas B. V. Mariæ quanta fuerit.

Motu tiorum B. V. ria in frenav

Recte autem comparatur luci multiplici ex causa : primo quia sicut lux in substantia sua puritatem habet, ita beata Virgo omnimodam puritatem habuit semper : et id quidem excellentissime, quia in utero matris suæ fuit ab omni macula et ruga præservata peccati, in primo scilicet instanti suæ conceptionis. Et non solum fuit, sicut Bernardus dicit, ante sancta quam nata, sed præ omnibus aliis sanctis sancta, præter et citra Christum, præ omnibus aliis gratia præventa, et sic sancta, quod nunquam peccare potuit mortaliter aut venialiter, quia ita confirmata est, ut non possit ruere in aliquod peccatum. Legitur de Jeremia et de sancto Joanne Baptista, quod fuerint sanctificati in utero materno, sed longe major fuit sanctitas beatæ Mariæ. Nam sanctus Joannes et Jeremias fuerunt ita sanctificati, quia fuerunt purgati a culpa originali : acceperunt quoque gratiam Dei tam efficacem, quod confirmati in hac gratia, non potuerunt peccare mortaliter. Beata autem Maria sic fuit sancta, non quod purgata fuerit a culpa, quia non habuit culpam, sed sancta fuit, hoc est, majori inundatione perfusa divinæ gratiæ, et adeo confirmata, quod nec mortaliter nec venialiter potuit unquam peccare. Unde dicit sanctus Bernardus : Puto quod gratia copiosior sanctitatis in ipsam descendit, quia non solum ipsius ortum sed omnem ejus sanctificavit vitam, ut deinceps esset immunis ab omni peccato, quod nulli inter natos mulierum creditur datum. Nam de omnibus nobis legitur : *Septies in die cadit justus*. De ea vero in Canticis scribitur : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*. Et sanctus Hieronymus : Quidquid in Maria gestum est, totum sanctitas et puritas est. Et Anselmus : Decuit ut Maria tanta puritate niteret, qua sub

Luci compa tur B. Maria.

Bernar

Pro xxiv. 1

Cant. iv

Hieron

Anselm

Deo nequit major intelligi. Et Bernardus: Tanta ejus mentis et corporis fuit puritas, ut ei non audeat se comparare angelica dignitas. Et propterea non solum dicitur lux, sed etiam nova lux, quia nec priorem visa est habere similem in puris creaturis, nec sequentem. Idcirco Salomon in spiritu eam prævidens, admiratus est ejus puritatem et claritatem dicens : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?*

Secundo beata Maria convenienter comparatur luci : quia sicut lux omnibus se communicat, et mox ut oritur ubique se diffundit per totum orbem, sic beatissima Virgo plena gratiarum et misericordiarum omnibus beneficia sua impartitur, et se ad subveniendum eis exhibet semper paratam. Unde in libro Sapientiæ de ea dicitur : *Præoccupat eos qui se concupiscunt, ut se prior illis ostendat.* Et in Ecclesiastico, ipsa clamat : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini, etc.* Unde ad beatam hanc Virginem dicit divus Bernardus : Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis te invocatam in necessitatibus suis sensit sibi defuisse. Non est autem mirum beatam Virginem totam affluere et effluere misericordia et pietate : quia ipsa Virgo beatissima summe communicavit proprietatem divinæ misericordiæ præ omnibus aliis creaturis, eo quod est Deo proxima præ omnibus, et conjunctissima. Unde sicut propter peccatores Deus homo factus est, ita propter eosdem beata Maria Mater Dei facta est. Ergo sicut, teste Psalmista : *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus :* et sicut canitur in Collecta, Deo proprium est misereri semper et parcere : sic beatæ Virginis proprium est officium quod sit regina misericordiæ et pietatis mater, in qua Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, fons pietatis infinitæ requievit, et ipsi Virgini Mariæ divinæ bonitatis pietatem communicavit. Unde Bernardus de hac in sermone quodam ait : Quid mirum si pietatem exhibent viscera Mariæ? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi servabit odorem? Quantum ergo viscera illius Virginis virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit ipsa pietas? Et iterum idem Bernardus : O maxime pia, o multum admirabilis Maria : tu nec nominari potes, quin statim accendas, nec cogitari, quin statim recrees affectus diligentium te. Et quid dicit antiquus doctor Origenes? Scio, inquit, quod si beata Virgo pulsata fuerit, necessitati nunquam deerit, misericors enim est, et plena gratia. Et ideo continere se non poterit, quin misereatur invocanti. Quare? Quia Dominus noster Jesus Christus in cruce moriens, et testamentum condens, nos omnes beatæ Virgini legavit in filios, et ipsi mandavit, ut esset mater et adjutrix nostra, quando dixit ei de Joanne, et non solum de Joanne sed de omnibus nobis christianis sub persona Joannis figuratis : *Mulier, ecce filius tuus,* scilicet quem custodias, dirigas, juves, etc. Et Joanni ac cuilibet nostrum : Ecce mater, inquit Christus, tua, quam venereris, diligas, cui obedias, ad quam confugias, cui necessitatem tuam exponas, et a qua auxilium postules, exspectes et accipias. De hoc admodum consolatorie loquitur sanctus Bernardus, dicens : O verbum omni acceptione dignum! Si enim Maria est mater nostra, ergo Jesus est frater noster, ergo et Pater ejus cœlestis est Pater noster. Ergo regnum ejus est hæreditas nostra : quia filii, ergo et hæredes.

Sed ad propositum revertamur de Maria. Ipsa communicat omnibus suam pietatem, nulli denegat miserationem, nulli invocanti se non præstat auxilium, præsertim cum omnia habeat, quæ necessaria sunt ad mediatricem vel exoratricem, quia potest juvare nos, scit quomodo juvare nos debeat, et vult nos juvare. De his iterum sanctus Bernardus : Non deest, inquit,

Bernard.

Origenes.

Joann. XIX, 26.

Bernard.

B. V. Maria uti omnibus communicet pietatis officia.

Bernard.

Mariæ potestas, quia Mater est omnipotentiæ : nec impetrandi industria, quia Mater est sapientiæ : nec voluntas, quia Mater est misericordiæ. Ergo cum ipsa scit, potest et vult, et non solum vult, sed etiam desiderat nos juvare, nobis benefacere : cur ergo timemus, vel negligimus accedere ad thronum gratiæ ejus, cum

August. sanctus Augustinus etiam dicat : Scio me non posse, nisi sponte velim, scilicet, per propriam negligentiam, perire, præ pietate Mariæ, cum ipsa sit humillima, benevolentissima, compatientissima, liberalissima, gratiosissima et promptissima, quæ neminem spernit, quæ omnes suscipit?

Bernard. Unde sanctus Bernardus : Revolve diligentius historiæ evangelicæ seriem, et si quid increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam eam habeas, et accedere verearis. Considera diligenter, et si vere plena omnia pietatis et gratiæ, plena mansuetudinis et misericordiæ, quæ ad Mariam pertinent inveneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione

B. V. Maria uti omnibus omnia facta sit. providit. Denique omnia omnibus facta est, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angeli lætitiam : denique Trinitas gloriam, Filii persona carnis substantiam, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. Si Paulus pro omnibus gerit sollicitudinem, sicut mater pro filiis, dicens :

Galat. IV, 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis ;* et alibi scribit

Philipp. I, 7. Philippensibus, quomodo eos habeat in

II. *Cor.* XI, 29. corde suo ; et ad Corinthios ait : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Quomodo Maria, quæ quodammodo tota versa est in misericordiam, non omnium miserebitur? Ideo

Anselmus. exclamat sanctus Anselmus dicens : Felix Maria : tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, nec deseris quousque Deus per te placatus, ipsum gratiæ suæ reformarit. Et iterum : O dulcissima et beatissima Virgo Maria, sicut omnis peccator a te aversus et a te despectus necesse est ut intereat, ita omnis peccator ad te conversus et a te respectus, impossibile est ut pereat. O quam multa essent exempla dicenda, quot peccatores erepti sint et quotidie eripiantur per Mariam de faucibus inferni! Et revera jam mundus diu interisset propter peccata hominum, nisi eum Maria precibus sustentaret. Unde Fulgentius : Diu, inquit, cœlum et terra ruissent, si non Maria precibus sustentasset.

Tertio, sicut lux omnia clarificat sua pulchritudine, eo quod lux, dicente Ambrosio, efficiat ut cuncta visibilia appareant pulchra et laude digna : ita beata Virgo Maria sua illustratione facit opera nostra conspectui Dei grata. Unde consultissimum est, opera nostra Deo offerre per manus Mariæ, si ea volumus esse accepta, quia etsi vilia et exigua in se sunt, tamen propter offerentis dignitatem, scilicet Mariæ, accepta erunt. Plurimum etiam prodest opera nostra ejus meritis et operibus sanctis unire, ut a Deo recipiantur. Sicut enim aqua modica oblata regi, non recipitur nec potatur a rege, sed infusa et mixta vino fit quasi vinum, et sic bene potatur : ita opera nostra sunt aqua, merita beatæ Virginis vinum, quibus si conjungantur, magnam habent gratiam apud Deum.

Quarto, sicut mediante luce cernimus, per quam viam incedere debeamus, et discernimus bonum a malo : sic mediante Virgine benedicta cognoscimus, quo itinere ad æternam vitam pergamus. Unde etiam ex interpretatione nominis ejus, dicitur stella maris, vel illuminatrix. Ipsius etenim sanctissima vita est nobis stella, secundum quam dirigimur vel instruimur in hac vita : sicut nautæ dirigunt se, vel regunt et cognoscunt viam, secundum stellam maris. Item vita ejus est regula beatæ vitæ, et via lucida ad æternam felicitatem.

Quinto, quia sicut lux est delectabilis ad videndum, et lætum hominem reddit, juxta illud Ecclesiastici : *Dulce est lumen, et delectabile oculis videre solem :* ita videre, imo etiam cogitare beatam Virginem est dulce et jucundum. O quam dulce, o quam delectabile, o quam desiderabile fuit sancto Joseph, sancto Joanni, et cæteris, qui familiariter vixere cum Maria, videre eam, in qua nulla macula, in cujus moribus nulla inhonestas, in cujus conversatione nihil reprehensibile, sed gratiosa omnia, jucunda omnia, omnia sancta, omnia miranda, omnia munda, et ipsa dulcissima et pulcherrima fuit ! O quam felices, qui meruerunt cum ea adhuc vivente in terris conversari, ejus pulchritudinem contemplari, ipsius vitam imitari, ejus colloquiis recreari, ejus moribus informari ! Hoc sciebat sanctus Dionysius, qui multum institit apud divum Paulum, ut liceret ipsi pergere Jerosolymam, et apud divum Joannem, ut admitteretur videre beatam Mariam, dum per quamdam fenestellam quasi occulte eam vidisset in oratione positam, et splendoribus divinis rutilantem, obstupescens dixit ad Joannem : o quam felix es tu qui paradisum habes in terris ! Quam igitur jucundum, quam delectabile est eam videre modo gloriosam in cœlis ?

Eccl. XI,

. Dionycupido lendi B. Mari- unde.

Et hactenus quidem dictum sit satis de Virginis hujus sanctitate. Quod vero ad nativitatis ejus jucunditatem attinet, pro ea facit auctoritas irrefragabilis Ecclesiæ, quæ canit hodie : Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiat universo mundo. Ex te, enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam. Ubi notandum venit, quod nativitas Mariæ gaudium attulit : primo beatæ Trinitati, quia per totum mundum glorificatur sancta Trinitas in Maria, ut testatur eximius beatæ Virginis amator Bernardus, dicens : Gaudet Deus Pater, quia hodie nata est sponsa ab æterno prædilecta, gaudet Filius, quia ei nata est mater, in qua humanam assumendo naturam, deliciæ sunt sibi esse cum filiis hominum. Denique gaudet Spiritus Sanctus, quia sibi nascitur habitaculum et templum gloriæ acceptissimum, per quod innumeras animas hominum lucrabitur maxime desperatorum, obstinatorum, et eorum qui alias nullo genere conversionis possunt attrahi ad bonum.

Prov. VIII, 31.

ativitas V. Maqui- nam intumgaudii ilerit.

rnard.

Secundo, hoc festum vel nativitas gaudio est ipsi Virgini Mariæ, quia nata est in maxima et suprema benedictione inter omnes puras creaturas. Nam maledictio primorum parentum non attigit eam : quandoquidem quando ipsa nascebatur, non erat homo in toto mundo, qui esset sine peccato. Ipsa sola præventa in benedictionibus Domini, pura, lucida, gratia omni et virtute plena, immunis fuit ab omni peccato. Ipsa erat quasi stella splendida et matutina in medio nebulæ, hoc est, aliorum hominum obscurorum. Unde Augustinus : Cum de peccatis, inquit, agitur, nullam de Matre Domini propter reverentiam Domini, volo fieri quæstionem. Hoc ipsa infantula sciebat, quanta scilicet fecit illi Deus : quia habebat usum rationis etiam in utero existens.

Eccli. L, 6.

August.

Tertio, gaudium fuit patriarchis et sanctis patribus in lymbo, quia nata est quæ fieret Mater Dei, regina cœli, domina Angelorum, advocata peccatorum, imperatrix omnium quæ in cœlo et in terra sunt, proxima post Deum, suprema super omnes, per quam vel qua mediante ipsi liberandi essent de captivitate inferni. Pie etenim credi potest, nativitatem Virginis Mariæ, quæ erat filia eorum, illis fuisse revelatam pro consolatione eorum : sicut ejus nativitas ipsius parentibus Joachim et Annæ fuit prænuntiata in terris.

B. V. Maria uti patriarchis attulerit gaudium cæterisque sanctis.

Nativitas B. V. Mariæ uti patribus in lymbo fuerit revelata.

Quarto, fuit jucunda Angelis : quia nata erat per quam angelicæ ruinæ restaurarentur. Posteaquam diabolus cum multis sibi adhærentibus de cœlo ejectus fuit, multæ sedes vacabant, quæ hominibus sanctis ad cœlum assumendis replendæ erant : sed jam quinque millia annorum

Nativitas B. V. Mariæ ut fuerit angelis gaudio.

transierant et necdum aliquis ascenderat, donec illa Virgo nata esset, quæ pareret eum, qui cœlum aperiret, et viam faceret. Item usque ad illud tempus Angeli habuerunt regem Deum, qui est ab æterno, sed non habuerunt reginam : hodie nata est eis regina et domina : quæ res magnum eis attulit gaudium et celebritatem.

Nativitas B. V. Mariæ ut ejus parentes gaudio magno perfuderit.

Quinto, fuit gaudium magnum ejus parentibus, quia cernebant adimpletum, quod eis erat per Angelum prænuntiatum et promissum. Gaudebant, quia de opprobrio sterilitatis erant liberati : gaudebant, quia poterant accedere ad templum, et sua munera cum aliis offerre : gaudebant, quod tam mirabili dono essent ditati. Non est majus donum et charius quam proles, quam parentes diligunt plus quam seipsos. Sed quantopere gaudendum fuit de tali prole ? O sancti Joachim et Anna, gaudete, gaudete, inquam, et nolite cessare a gaudio : quia in semine vestro benedicentur omnes gentes : in semine vestro salvabuntur et quæ in terris, et quæ in inferno sunt. Non sit vobis curæ, quia nata est filia potius quam filius. Nam hæc filia melior erit vobis et gloriosior, quam centum filii. Ipsa erit mater omnium salvandorum, et multitudo filiorum ejus spiritualium vincet numerum stellarum cœli.

Sexto, nativitas ejus gaudio est omnibus hominibus. Multi inveniuntur homines, qui nullam devotionem, nullum affectum habeant ad Deum, et adeo sint obcæcati in peccatis, ut si possibile esset, vellent non esse Deum, ne peccata eorum puniret, sicque haberent peccandi licentiam et impunitatem. O quot talium sunt ! Verum, vix aliquis invenitur adeo durus (nisi totus versus sit in diabolum), vel adeo impius, qui nollet natam fuisse et jam esse piissimam Virginem Mariam. Vix invenitur tantus peccator, quin aliquo pio sit affectu et favore præditus erga matrem misericordiæ. Merito ergo omnes gaudere debent, quia orta est cæcis et qui in tenebris sunt lux, infirmis medicina, ignorantibus doctrina, aberrantibus via, peccatoribus venia, desperatis confidentia, desolatis lætitia, Angelis regina, exulibus patria, reis advocata, afflictis et miseris consolatio, et subsidium omnibus salvandis janua cœli, et totius mundi domina. Quæ utinam suis meritis et precibus efficacissimis nos suo commendet Filio, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per secula, Amen.

IN SOLEMNITATE

EXALTATIONIS S. CRUCIS

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

FRATRES, confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille. Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis. Utinam et abscindantur, qui vos conturbant. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt : sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Ad Gal. V et VI.*

QUIDAM pseudoapostoli Galatis persuaserant, non posse eos salvos fieri, nisi juxta legem Moysi circumciderentur. Quæ res non mediocriter illis obfuit. Itaque Apostolus præter Sancti Spiritus mirabilem gratiam, etiam magno usus est studio ad revocandos illos ab errore, in quem per impios quosdam seducti erant. Ait ergo : Fratres, equidem ita de vobis mihi polliceor, nisi me fallunt omnia, planeque confido in Domino, qui facile poterit veritatis notitiam vobis restituere, quod nihil aliud sapietis, neque sentietis, præterquam quod a me vobis annuntiatum est. Qui autem conturbat vos novitate doctrinæ, atque in aliud ab his quæ didicistis ex me, traducere vos conatur, portabit judicium divinæ ultionis, temporarium quidem, si resipuerit, æternum vero, si obstinato animo in errore perstiterit, qualis qualis demum sit ille. Obiter hic notandum, Ecclesiam novis dogmatibus, id est, hæresibus perturbari. Talium namque fabricatores pleni sunt spiritu tartarico, qui cum sit ab uno summo Deo totus aversus, nonnisi perturbationes et scandala excitare potest. Deus autem non est dissensionis, sed pacis auctor. Fugiamus ergo eos, qui Ecclesiæ pacem et unitatem lacerant, certi eos non duci Spiritu Christi, qui non dissipare venit, sed congregare in unum filios Dei, qui dispersi erant. Qui cum rogaretur a quodam, ut diceret fratri illius, divideret cum ipso hæreditatem, noluit, sed ait : Quis me constituit judicem super vos, tanquam diceret : Ego colligere veni, et tu me ad divisionem hortaris?

Ecclesia ır per no- ıs hære- ıs turbe- ır.

Luc. XII, 14.

Ego autem, ait consequenter Apostolus, si circumcisionem patribus usque ad tempus certis ex causis traditam, etiamnum velut necessariam ad obtinendam vitam æternam prædico, ut falsi quidam vobis persuadent, cur me adeo Judæi ipsi persequuntur? Quibus si in hoc consentire vellem, ut legis observantiam affirmare ne-

cessariam, pax summa mihi cum illis foret. Sed quia legalem circumcisionem aio supervacaneam, ubique me persequuntur, et ipsum quoque sanguinem meum sitiunt. Siquidem circumcisionem et legalia vim justificandi habere prædicarem, jam crucis scandalum nullum esset. Judæi enim hoc solo nomine offenduntur in prædicatione crucis Christi, quod dicamus per Christi mortem nobis esse salutem reparatam, cum illi per legem se salvos fore putent. Offenduntur autem sive scandalum patiuntur non nostro, sed suo vitio, quando potius remedium ex nostra prædicatione capere deberent. Itaque vitanda non sunt scandala, quæ aliena malitia, non ipsius rei merito suscipiuntur : quanquam propter pusillos caute agendum est, ne scandali materia eis præbeatur. Offendebantur Judæi prædicatione crucis Christi, et nihilominus ubique per Apostolos Christus annuntiabatur. Sic etiam quamvis improbi benefactis nostris deteriores fiant, non propterea debemus minus benefacere.

Scandala quænam minime sint vitanda.

Utinam autem, qui sua hæresi vos conturbant, ab Ecclesia penitus abscindantur, datique Satanæ, discant non blasphemare. Sermo namque eorum ut cancer serpit. Unde nisi abscindantur et ejiciantur ex Ecclesia, multos suis pestiferis poterunt sermonibus corrumpere : ut merito nihil magis optandum sit, quam ut a corpore Ecclesiæ ceu putrida membra rescindantur. Quicumque enim ex carnali circumcisione gloriam aucupantur apud homines, tanquam idcirco justi sint, quod legis quasdam cæremonias observent (quæ tamen post adventum Messiæ in lege promissi antiquatæ sunt et abolitæ), ii nimirum cogunt vos circumcidi juxta legis præscriptum : nec in hoc legis observantiam sincere spectant, sed id tantum, ne crucis Christi persecutionem patiantur. Non enim ipsi circumcisionis studiosi legem Dei custodiunt, sed ut ex vobis tanquam sua arte in ipsorum ritus traductis gloriam habeant, ad circumcisionem capiendam vos adhortantur. Homines scilicet stultissimi et impudentissimi, qui cum Deum et ejus legem in multis aliis contemnant, solam circumcisionem tam serio et obstinato animo buccis crepitantibus vobis ingerunt, non quo cupiant observari legem Dei, quam neglectui habent, sed ut in vestra carne glorientur. Nec advertunt, quam vilis et angusta sit gloria, quam non in Domino, sed in carne aucupantur. Si autem divinæ legis zelo ducerentur, primum quidem etiam in cæteris eam observarent, deinde non ita pertinaces essent in sua defendenda sententia, cum sciant ex ipsa lege quandoque legem abolendam esse, quantum ad externos illos ritus attinet. Sed glorientur illi quidem in carne vestra. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi,* cujus pretioso sanguine et morte redempti sumus ab æterna damnatione, qui passus est pro nobis, relinquens exemplum nobis, ut et nos discamus crucem amplecti, non mundi gloriam et voluptates sectari. Per quem mihi mundus, id est, gloria, opes et deliciæ præsentis vitæ in crucem et nauseam versæ sunt, sicut et ego mundo, id est, mundo deditis hominibus, et quæ illi venantur, crucifixus sum, nihil eorum appetens, sed tanquam venenum exitiale fugiens, quæ illi toto cordis amore complectuntur in sui perniciem sempiternam.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, JOANNIS XII.

CELEBRAMUS hodie, dilectissimi, illam sanctæ Crucis exaltationem, quæ temporibus Heraclii Imperatoris facta est, quando is Chosroam regem Persarum bello superatum interemit, et grandem Dominicæ Crucis partem, quam Constantini Augusti mater diva Helena quondam apud Jerosolymorum oppidum honorifice reposuerat; sed impius Chosroas, cujus jam meminimus, ut inde abstulerat, secumque in Persidem abduxerat, rursus ex Perside reduxit in locum pristinum, idque maximo cum honore et veneratione, exultantibus christianorum populis, quod Deus omnipotens ipsis de feris gentibus concessisset victoriam, suæque Ecclesiæ tam salutiferi ac vitalis ligni beneficium reddidisset. Si quis plura hinc nosse cupit, legat Chronographos : nos summatim tantum rem perstringere voluimus. Itaque in horum memoriam sancta Ecclesia catholica, cujus et institutor et moderator est Spiritus Sanctus, in hanc usque diem annis singulis pia cum devotione et alacri studio hujus jam dictæ Exaltationis sanctæ Crucis festum observat : simul gratias agens Deo pro humani generis liberatione, quæ in hac præclara cruce confecta est, et ad memoriam revocans illos tam diros cruciatus, tam sæva, tam acerba tormenta, tam ineffabiles angustias, et corporis ac animi dolores, quos olim in eadem cruce propter nos miseros, propter nos, inquam, et propter peccata nostra, benignissima voluntate, non ulla vel utilitate vel necessitate sua Dei Filius perpessus est : miseratus scilicet pro sua erga nos indulgentissima pietate vicem nostram, qui protoparentis nostri illa tam voluntaria transgressione in tantam Dei Patris iram incideramus, ut nulla omnino consequendæ veniæ spes reliqua nobis esse posset, nisi idem ipse Dei Filius humanam in se naturam reciperet, et peccata nostra sua morte aboleret. Gratias illius tam profusæ, tam inæstimabili, tam nec sperandæ quidem benignitati, qua sic nedum potuit, sed etiam voluit, et quidem propensissimo ac ardentissimo desiderio nostræ succurrere necessitati, nostris mederi vulneribus, nostrosque sanare dolores. Merito igitur sancta Ecclesia non ingrata tantis beneficiis Dei sui, præcipua cum veneratione sanctæ Crucis festa colit, quandoquidem per eam tot nobis bona provenere. Sed jam ad Evangelii hodierni explanationem accedamus, in quo primum id est advertendum, justis ex causis ipsum hac die recitari, quando in eo Dominicæ passionis fit mentio, quæ in cruce consummata est. Ait ergo Dominus :

S. Crucis festa cur celebret Ecclesia.

cclesiæ itholicæ stitutor rector sit Spius Sanus.

> Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.

Quæ verba cum cæteris Evangelii hujus Dominus Jesus suæ passioni proximus locutus est, ipso videlicet Palmarum die. Scitis, dilectissimi, quantam in totum ferme humanum genus sibi tyrannidem ac dominatum usurparat diabolus usque ad adventum Salvatoris. Nam ut de illis vitiis hic taceamus, quæ ante diluvium in tantum invaluerant, ut pœniteret benignissimum Deum creasse hominem, eo scilicet quod se cerneret frustrari voto suo (quod non erat aliud, nisi ut homines sobrie, et juste ac pie vivendo digni fierent æterna cum ipso beatitudine perfrui), totumque ab ea humanum genus, paucis exceptis deleret, ex veterum discimus historiis, quemadmodum post diluvium, Cham filius Noe

a patre propter impium illud facinus, quod divinæ quoque litteræ commemorant, abdicatus et maledictus in Arabiam se contulit : ubi tum primum cœpit nefandus idolorum ac dæmonum cultus, quæ ex illius ipsius progenie toto terrarum orbe diffusa, maxima ubique augmenta est adepta, paucissimis Abrahæ posteris exceptis, qui unum verum colebant Deum. Itaque quamdiu hoc pacto malus spiritus ab humano genere tanquam Deus adorabatur, jure mundi princeps dictus est. Verum quando Salvator noster ea causa humanam induerat naturam, ut diaboli a nobis potestatem excluderet, judicium mundi tum fieri cœpit, quando ipse mundo est prædicare exorsus, quando sedentibus in regione umbræ mortis, vasti scilicet et miserabilis exilii hujus, lux orta est Evangelicæ prædicationis, quæ a Domino profecta, per Apostolos ac discipulos illius in omnes terræ partes divulgata ac propagata est. Tum enim quædam inter electos et reprobos facta est discretio (de quo discretionis judicio Dominus hic loquitur, cum alioqui multiplex scripta divina judicium commemorent), dum alii misericorditer ad æternam beatitudinem sunt electi, neque ad agnoscendam tantum, sed etiam amandam et sectandam veritatem sunt vocati, alii, non Dei proposito ac voluntate, quum ipse non sit acceptor personarum, sed libentissime quibuscumque modo capaces sint, gratiam suam impertiatur, verum ob sua demerita et obstinatam in malo voluntatem, juste sunt repudiati. Ubi est sane, quod merito christianus omnis plurimum formidare debeat, ne scilicet peccandi assiduitate, ac divinæ patientiæ et longanimitatis contemptione justam et pavendam erga se Dei iram provocet, atque ita divinæ gratiæ, sine qua revera nihil sumus, ope destitutus, in omnem prolabatur impietatem : id quod nostra ætate multis, proh dolor ! evenisse cernimus, quamvis alioqui seculi judicio sapientibus et doctis viris, qui a Deo propter elationem ac tumorem animi sui, cæteraque vitia sua abjecti et despecti in tam crassos et horrendos sunt devoluti errores, ut cunctis probe rem inspicientibus stupori sint et terrori. Sed, quemadmodum Apostolus verissime ait, subversi sunt ac penitus eversi, ut vel omnino non videant stultissimos errores suos, quos tamen etiam idiotæ multi luce clarius deprehendunt, vel intoleranda quadam ducti pertinacia, quæ sola hæreticum facit, etiam aperta mendacia sua nonnisi in suam perniciem mordicus tueri malint, quam sanctæ Catholicæ Ecclesiæ judicio humiliter se subjicere. Sequitur :

Idolorum cultus quando et ubi ortum cœpit.

Princeps hujus mundi cur dictus sit diabolus.

Is. IX, 2.

Judicium mundi quodnam intelligatur.

Cur Deus hoc seculo sinat tot homines cadere in tam crassos errores.

Et princeps hujus mundi ejicietur foras.

Jam diximus cur diabolus hujus mundi princeps dictus sit, eo scilicet, quod pene totus orbis relicto Dei veri cultu, sicut a Cham filio Noe et ejus posteris didicerat, ad colenda simulacra sese contulerit. Alioqui absurdum est credere mundi hujus visibilis, qui μακροκόσμος dicitur, principem esse diabolum. Solus enim is optimo jure totius mundi, et rerum omnium tum visibilium, tum invisibilium dominium ac principatum sibi vindicat, qui cuncta fecit omnipotenti virtute sua ex nihilo, nullius ad hoc utens vel opera, vel consilio: siquidem nec alicujus indigens erat, utpote qui per se sibi abunde sufficeret, possetque præstare quidquid vellet, voluntatem ipsius ubique pari facultate comitante. Manichæi quidem stultissimi visibilia quæque diabolum creasse affirmarunt : sed eorum jampridem damnata et explosa sententia est. Potest autem et alia ratione diabolus mundi hujus princeps dici : ut per mundum homines accipiantur mundo huic et peccatis dediti, quos Apostolus tenebras vocat, eorumque rectores dæmones, ita dicens : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, atque iis ipsis verbis sese explicans, quid per mundum intelligi velit, nempe tenebras has, id est, homines peccatorum den-

sissimis tenebris miserabiliter involutos. Ejectus est autem princeps mundi foras, quando ab eorum cordibus exclusus est, qui Christi fidem non frigidis ac torpentibus animis, sed alacri et devota mente susceperunt, non contenti credere tantum, quæ Christus ipse, ac deinde Apostoli et discipuli ejus docuerunt : nisi etiam ea religioso animi studio imitari et exequi adniterentur. Non enim est vera fides, quæ vita et moribus ab illis, quæ credit, plane discordat : nec satis est credere ea, quæ ad christianam religionem pertinent, nisi etiam factis probemus ea nos amare : quanquam Lutherus et ejus sectatores aliud tradant : sed illi cum eo spiritu, cujus instinctu sua dogmata miseræ ac simplici plebeculæ obtrudunt, etiam præmium consequentur. Nobis autem curandum est, dilectissimi, ne nostris in pectoribus regnet princeps mundi hujus. Non regnabit autem, si non dominetur nobis omnis injustitia, si non regnet peccatum in nobis. Esto interim acriter nos diversis licet vitiis impugnet, non tamen regnum sibi vindicare poterit, quamdiu nos illi consensum negabimus. Quisquis autem superbiæ, avaritiæ, iræ, invidiæ, acediæ, gulæ, luxuriæ jaculis sic enervatur, ut iis vitiis, aut eorum alicui penitus succumbat, in eo dubium non est, quin princeps mundi hujus dominatum occupet : cui tum danda opera est, ut a tam crudelis tyranni servitute liberetur : id quod fit per pœnitentiæ sacramentum, ad quod confugere debent, quotquot per mortiferi peccati consensum sub diaboli potestatem reciderunt. Quod quo fit celerius, eo semper et melius. Peccatum enim gravi quodam pondere deprimit animum, et nisi cito per pœnitentiam aboleatur, mox ad alia pertrahit vitia : in quibus si quis pravam sibi faciat consuetudinem, is ita tenaciter principis mundi hujus nexibus obligatur, ut postea vix aut ægre eum a se possit ejicere. Mirum autem fortassis cuiquam videatur, quod Dominus ait : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras ; quasi non sit etiam ante ejectus foras ex sanctis illis, qui Christi mortem præcesserunt. Sed quod tum in paucis actum fuit, post Domini passionem in innumeris gentium nationibus completum est, destructis ubique terrarum orbe dæmonum simulacris, et veri Dei cultu recepto. Sequitur jam :

Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.

Hæc de mortis suæ genere prædixit Dominus, quemadmodum Evangelista mox exponit, dicens : Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. Levatus est enim in crucem, et hoc exaltationem appellat, quum potius fuerit humiliatio, sicut et alibi dicit de seipso in Psalmo : *Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus*. Erat hoc genus supplicii olim et turpissimum et acerbissimum, quo tamen pius humani generis Redemptor se affici voluit, ut quemadmodum per ligni vetiti usum primorum parentum nostrorum culpa perpetrata fuerat : ita et per ligni supplicium expiaretur. Poterat autem faciliori mortis genere nos redimere : sed non sufficiebat immensæ erga nos charitati illius, ut pro nobis immeritam mortem exciperet, nisi et ignominiosissimam simul et acerbissimam perferret. Noverat quam saxea sint ad amandum Deum mortalia pectora. Itaque tanta, tam indigna, tam immania voluit tormenta perpeti, et tam atroci morte consumi, ut vel ferrea et plus quam adamantina possint corda emolliri. Simul etiam ut fortissimum sanctis martyribus, qui pro ejus nomine gravissimis erant pœnis afficiendi, constantis perseverantiæ in seipso præberet exemplum : atque etiam ut Patri cœlesti pro nobis abundantissime satisfaceret, ut non esset jam ullus iræ paternæ locus reliquus. Libenter autem contempsit probra, ignominiam et confusionem, quæ in cruce pendens a prætereuntibus pertulit, ut nos a dæmonum ludibriis et æterna confusione liberaret. Imo nunquam aliquis quantumvis avarus, magno reperto thesauro, usque adeo læta-

Exaltationem sui quid Christus hoc loco intelligat.

Crucis supplicium cur Christus elegerit.

tus est, quantum Dominus Jesus secundum spiritum in ipsa sua cruce ob nostri cum Deo reconciliationem lætabatur. Sic ergo exaltatus a terra, et in crucem levatus traxit ad se omnia : non Judæos tantum, sed etiam gentiles dæmonum servos. Sua enim tam acerba crucis morte non solum pro peccatis satisfecit, sed etiam omnem Patris iram vertit in misericordiam, adeo ut non posset se ultra cohibere, quin innumerabilium ubique terrarum orbe gentium corda suæ veritatis illustraret lumine, et spiritu charitatis suæ fortiter ad se attraheret. Traxit enim etiam in ipso Filio Pater, traxit et Spiritus Sanctus. Siquidem beatissimæ Trinitatis opera sunt indivisa. Traxit ergo Christus omnia ad sese tanquam ad originem suam, unde profluxerant. Usque ad id temporis totum ferme hominum genus miserabiliter a Deo aversum, his infirmis, caducis ac infimis rebus amore et affectu inhæserat, idque adeo, ut jam non solum Deus non timeretur, sed nec agnosceretur quidem a multo maxima hominum parte.

Christus quomodo omnia traxerit crucifixus.

Verum, Dominus Jesus misertus animarum a suo principio tam misere aberrantium, et pro summo bono vilissima et vanissima mundi hujus oblectamenta amplectentium, retraxit omnia ad se (sicut ipse per Oseæ promiserat) in funiculis hominum, in vinculis charitatis. Ex quibus, funiculi hominum ad ipsius humanitatem, vincula charitatis ad divinitatem pertinent. Ipse enim est principium nostrum, ex quo creati profluximus, et in quod redire nos omnino necesse est, nisi funditus perire velimus. Funiculi sane fortissimi sunt, quæcumque propter nos egit et pertulit in carne maxime tamen illud extremum crucis supplicium. Vincula autem charitatis omnino firmissima, sunt ejus erga nos æterna benevolentia, fides, amor, quæ eum ad tanta, tam indigna propter nos patienda impulerunt. His ad suam originem retractum est humanum genus. Unde per Jeremiam ipse Dominus dicit : *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.* Quod quidem post Christi mortem manifestissime impletum est. Tum enim per Apostolos et alios Christi discipulos toti mundo annuntiatus est Christus, et quæ is causa salutis nostræ et fecisset et pertulisset. Quibus cognitis tanta amoris flamma in multorum cordibus subito exarsit, operante scilicet virtute et efficacia sanguinis Christi, ut eam nulla neque persecutionum, neque suppliciorum, neque ipsius denique terribilissimæ mortis flumina potuerint exstinguere vel obruere. Ita namque funiculis hominum et vinculis charitatis Christus Jesus nedum fortium virorum, sed etiam tenerrimarum virginum, honestarum matronarum, ac impuberum puerorum sibi corda devinxerat, ut ad atrocissimas tyrannorum carnificinas haud secus, quam ad optatissimas delicias convolarent. Ita verum est, quod Dominus ait : Quum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Traxit enim ad se infantes et viros, pueros et senes, adolescentes et juvenes, virgines et matronas, nuptas et viduas, pauperes et divites, fortes ac infirmos, fatuos et sapientes : idque nexibus ardentissimæ charitatis. Pro qua illius tam ineffabili in nos misericordia, maxime quod gentiles dæmonum cultores hostesque suos tam benigne ad se trahere voluit, magnas illi semper gratias agere debemus, quotquot ex gentibus ad ejus fidem et cognitionem perducti sumus. Nisi enim mundum et gentium populos suo lumine sic illustrasset, quid nos hodie nisi perditi essemus?

Os. xi, 4.

Funiculis qualibus nos ad se traxerit Christus.

Jer. xxxi. 3.

Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum. Et quomodo tu dicis : Oportet exaltari Filium hominis? Et quis est iste Filius hominis?

Multis locis Sacra Scriptura Christum perenniter regnaturum commemorat. Quæ quia Judæos non latebant, sciscitantur ex Domino, cur dicat Filium hominis exaltari, id est, crucifigi oportere. Sic enim ipsi il-

lam exaltationem intelligebant: quod eis difficile non erat, quandoquidem jam omnino deliberaverant Christum crucifigere: sicut ex ipsorum persona in Sapientiæ libro dicitur: *Morte turpissima condemnemus eum.* Et apud Jeremiam: *Mittamus lignum in panem ejus.* Quod igitur jam apud se statuerant, facile animadvertere potuerunt, licet Dominus id obscurius proferret.

Sap. II, ...
...er. XI, ...

Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.

Sciebat Dominus, qui est lumen verum, illuminans omnem hominem, se brevi neci tradendum, idcirco jam Judæis hoc ipsum, quamvis tecte, prædicit, hortans eos ut dum lucem, id est, ipsum Christum haberent, ambularent in lumine, scilicet gratiæ et doctrinæ illius, ut tenebris errorum et ignorantiæ, quibus jam tot annis Judæi omnes misere obvoluti sunt, minime comprehenderentur. Hoc idem non cessat omnipotens Deus in cordibus christianorum ipsi nimis male servientium perpetuo clamare, tametsi plerique id non sentiunt, ut tamen dum tempus est gratiæ, dum adhuc præsens agitur vita, ad Deum verum lumen sese convertant, ament illum a quo tantopere se amatos noverunt, sint grati illi, a quo tot beneficiis affecti sunt, ne justo Dei judicio tenebris hæresum ac pravarum opinionum implicentur. Solet enim omnipotens et justus Deus cum graviter iratus est, hoc tanquam severissimo et metuendissimo vindictæ genere hominum christianorum castigare et ulcisci flagitia, ut eos sinat labi in errores et hæreses, ut sic mente excæcati dicant bonum malum, et malum bonum: quo nihil potest terribilius cogitari. Qui enim sic affecti sunt, illi vix aut nunquam possunt curari. Nota est sententia Salomonis: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* In iis enim verissime impletur illud, quod per Prophetam Dominus dicit: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Habemus hac ætate nostra exempla multa satis: sed quæ plangenda magis sint, quam commemoranda. Caveamus, dilectissimi, tam gravem iram Dei. Ambulemus dum lucem habemus, ut non tenebræ nos comprehendant. Vivamus ita ut decet christianos: timeamus Deum, nec nimium nobis de illius misericordia blandiamur. Peccata nostra hactenus admissa plangamus, justam iram præpotentis Dei modis omnibus avertere conemur, ne penitus nos deserat, et sub Turcorum aut aliorum paganorum potestatem redigi nos permittat. Hoc enim in quibusdam non vulgaris auctoritatis revelationibus jam olim terribiliter comminatus est. Neque putemus fieri non posse, ut isthæc nobis eveniant. Videamus Græciam, imo Asiam totam, pluresque alias amplissimas regiones, quibus nunc dominantur impii Mahometistæ. Numquid illis aut sanctiores aut fortiores sumus? Minime vero. Relicti sunt illi propter peccata sua, et quia libenter amplexabantur hæreses. Et nos ergo, qui iisdem tenemur vitiis obnoxii, etiam eamdem Dei iram exspectare habemus. Sed ad reliqua Evangelii dicta explananda pergamus.

Quam severissimo judicio permittat Deus quosdam cadere in hæreses ac errores, ut eorum omnis enormia peccata.

...cli. VII, ...

Psalm. LXXX, 13.

Ut redigantur christiani sub Turcorum jugum propter peccata eorum.

Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.

Nimirum qui ambulat in tenebris ignorantiæ et culpæ, nescit quo vadat. Si enim sciret quorsum tendat, utique rectius sibi consuleret. Pergit enim ad tenebras gehennæ, quæ præcedentes tenebras consequuntur. Concordant cum hac Domini sententia ea verba Salomonis, quibus ait: Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant. Ergo in tenebris ambulare, hoc est, vitiis deditum esse. Peccata enim tenebras in animam adducunt, sicut scriptum est: Excæcavit eos malitia eorum. Pessimos revera effectus peccatum habet. Occidit animam, excæcat animum, et sexcenta alia mala infert animæ. Et quæ causa est, ut non magis vitetur peccatum, cujus

Prov. IV, 19.

Sap. II, 21.

tam exitiales sunt effectus? Ipsum scilicet peccatum. Per peccatum enim quædam vasta caligo offunditur oculis hominis interioris, ut pericula peccati aut non videat, aut non ita ut oportet, videat. Inde est quod multi interim monentur vitam suam rectius instituere, cavere tam horrendos inferorum cruciatus, ignem sulphureum, fœtores intolerabiles, aspectus dæmonum omni cruciatu externo molestiores, et id genus innumera alia, quæ certissime manent impios omnes in tartara relegandos : et tamen non modo nihil curant, sed irrident etiam, et nescio quibus scommatibus ejuscemodi dicta excipiunt. Qui si cæci non essent, et plus quam cimmeriis tenebris immersi, timerent sane, et suæ saluti consulerent. Sed quia in tenebris ambulant, nesciunt quo vadunt. Credunt quidem justum esse Deum, et impios pro suis maleficiis puniri apud inferos, sed hæc velut in somno aspiciunt : itaque nihilipendunt. Postea vero ubi merguntur in tartara, tum demum experiuntur, quam malum sit in ignorantiæ et peccatorum tenebris degere. Talibus hominibus plenus est mundus. Rident, saltant, cachinnantur, comessationibus et potationibus vacant, serena et tranquilla atque secura eis sunt omnia, et ut divus Job ait : *Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super illos. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum et cytharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt,* ubi nullus est ordo, sed horror et luctus et ululatus sempiternus, fletus oculorum et stridor dentium. Quæ si jam serio prævidere vellent, melius sibi prospicerent, attenderent illa dicta Moysi, imo Spiritus Sancti per Moysen paterne peccatores omnes adhortantis *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent.* Videamus nunc reliqua.

Cæcitas hominum hujus seculi quanta sit.

Job XXI, 9.

Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.

Hoc est, dum Christum habetis, credite in Christum, ut filii et membra Christi sitis. Christus enim est lux mundi, in quem tamen Judæi nulla ratione credere voluerunt. Sed quomodo credemus in Christum? Credemus scilicet eum esse verum et vivum Deum, itemque hominem verum, et qui tantopere omne execretur peccatum, ut maluerit in seipso, hoc est, in natura humana a se assumpta, peccatum Adæ tam dire ulcisci, quam illud impunitum relinquere. Non enim alia nobis potuisset ratione succurri. Atque ex hujus consideratione firmissime nobiscum statuemus, nullum unquam præsertim mortiferum in ipsum peccatum admittere, ne tam graviter eum offendamus : maximeque omne peccatum horrebimus, utpote illi tam vehementer invisum. Hoc enim ad veram et christianam fidem pertinet, ut vitemus omnia, quibus offenditur Deus, et faciamus quæ ipse exigit a nobis. Noli mihi dicere : Non possum, quia infirmus sum. Audi Apostolum : *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Si habes veram fidem, confidas Deo, quod piis conatibus tuis nunquam deerit. Tantum conare, et quoddam indicas bellum pravis corruptisque moribus tuis : simul divinum implora auxilium, et senties omnia esse possibilia credenti. In Deo meo, ait Propheta, transgrediar murum.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

UT TENEBRAS PECCATORUM FUGERE, ET IN DIVINÆ GRATIÆ LUMINE AMBULARE DEBEAMUS : ITEM DE PECCATI NOCUMENTIS, ET DE GRATIÆ EFFECTIBUS, DENIQUE DE LAUDIBUS SANCTÆ CRUCIS.

AMBULATE dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. Joannis XII, 35.

Hæc tota ratio fuit, dilectissimi, Domino nostro Jesu Christo humanam suscipiendi naturam, ut a peccati morte nos liberaret, et ut a peccatis ad virtutes verbis et exemplis suis nos revocaret. Hoc tota vitæ nostræ summa est, hac una ex causa vitam istam temporalem ducimus, hoc denique fine creati sumus a Deo et in hunc terrarum orbem delegati, ut vitemus peccata, et justitiam virtutesque colamus. Sed quid ista nosse juvat, nisi et re ipsa præstentur a nobis? Nosti voluntatem Dei : fac illam, et vives. Si non facis, impius es et ingratus. Ambulate, ait Dominus, dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant. Dicit hoc unicuilibet homini christiano salutaribus undis sacri baptismatis expiato, qui simul atque baptizatus est, accipit Spiritum Sanctum et lumen divinæ gratiæ, quo fretus possit vitiorum tenebras evadere. Hortatur ergo eum, ut ambulet in via mandatorum Dei dum lucem habet, ne si extra hanc aberret viam, luce privetur, et peccati tenebras incurrat.

roles uti rentes as probe stituant.

Videant hic parentes, quemadmodum suas proles a teneris annis probe et pie instituant, ut eos doceant vivere juxta voluntatem Dei, non hujus mundi gravissimos mores : doceant eos totos se ab ipsis incunabulis ad pietatem componere, prava consortia et mundi hujus inquinamenta devitare, innocentiam in baptismo recuperatam toto vitæ tempore illæsam et inviolatam custodire. Hoc est enim ambulare in luce, et peccati nescire tenebras. O felices illas animas, quæ innocentiæ vestem semper incontaminatam servant, et fidem Domino in baptismo præstitam nunquam violant! Quod cur hodie tam raro et vix unquam præstetur, non minima causa est, negligentia et immodica indulgentia parentum, dum non curant proles suas convenienter Dominicis præceptis educare, imo etiam sæpe eis laxant habenas ad quævis perpetranda mala : quorum erit certe gravissima et justissima damnatio, quandoquidem peccata omnia filiorum et filiarum in ipsos redundabunt. Sed et aliis omnibus dicit Dominus, ut ambulent dum lucem habent, id est, habere possunt divinæ gratiæ, ne sempiternis tenebris involvantur, ad quas certum est deduci eos omnes, qui in peccati tenebris moriuntur.

Peccati effectus et monstra qualia.

Caveamus igitur, dilectissimi, tenebras mentis, id est, peccatum quo animus excæcatur, ne ruamus in foveam mortis æternæ, quo nunquam potest ullum lumen penetrare, sed est chaos teterrimum et obscurissimum, densissimis semper nebulis involutum. Et ut libentius caveamus peccatum, cogitemus, certumque habeamus nihil illud aliud esse, quam gravissimum Dei contemptum, vilipensionem immensæ bonitatis, divinæ majestatis injuriam infinitam, divinæ jussionis incuriam, divinæ sanctitatis offensionem, omnipotentis Creatoris repudiationem, mentis incomprehensibilem stoliditatem et amentiam, gratiæ et virtutum omnium exterminium, summi boni privationem, æternæ felicitatis jacturam, intellectus obscurationem, perversionem voluntatis, venenum diaboli, viscum tartareum, damnationis

æternæ aditum, causam omnis miseriæ, peccatoris mortem et exitium, germen dæmonum, ostium abyssi, hominum insipientiam, rete ac laqueum tentatorum, æmulationem malignorum spirituum, horrorem et detestationem Angelorum, horrendam caliginem, maximam turpitudinem, fœtorem intolerabilem, summam et extremam vilitatem, ferocissimam belluam, immitissimam feram, damnum inæstimabile, gravissimum nocumentum, et malum omnium longe maximum. Tolle peccatum e mundo, et nihil usquam erit quod quemquam male habeat. Tolle peccatum e mundo, et omnes felices ac beati erimus.

Peccatorum nocumenta decem quæ sint.

Commemorabo hic decem peccati nocumenta, eo duntaxat, ut majorem capiamus peccandi nauseam et horrorem. Possent quidem innumera afferri damna peccati, sed, ut dixi, decem duntaxat hic enumerabo. Primum est, quod hominem privat summo bono, id est, Deo Optimo Maximo, in quo uno tota consistit salus et beatitudo mentis creatæ, qui solus potest totum illius explere desiderium. Si ergo sæpe minimarum jactura rerum ita nos excruciat, ut ipsa quoque vita et lux nobis fastidio sit, cur tam parum contristat nos mortiferi cujuscumque peccati perpetratio? Contigit quandoque sanctum quemdam virum transire ædes cujusdam feminæ amarissime plorantis. Unde pietate motus, cogitabat adire illam, et consolari. Cumque ingressus domum, interrogasset quid haberet, didicissetque eam ob acum amissam ita plangere, statim abiit, indignum judicans, ut eam pro tam vili re consolaretur. Si illa mulier sic flevit ob tantillæ rei dispendium, quæ est ita amentia, ut nos summi boni jactura tam nihil affligat? Hoccine est divinam vereri, amare, honorare majestatem, plus dolere, si quid temporarium contingat amittere, quam si illius gratiam peccatum admittendo perdamus? Secundum est, quod hominem reddit Deo summe invisum et contemptibilem. Abominatio est enim Deo impius et impietas ejus. *Odisti,* ait Prophe-

I. Privat summo bono.

II. Facit Deo odibilem. *Sap.* XIV, 19.

ta, *omnes qui operantur iniquitatem.* Quid autem æque potest esse horrendum, quam odiri et despici ab omnipotente Deo, ex quo tanquam e fonte emanat, quidquid est gratiæ et amabilitatis in creaturis, qui est summa et infinita pulchritudo, sanctitas, dignitas, majestas: cui soli placuisse etiamsi creaturis omnibus displiceas, abunde magna felicitas est: cui uni displicuisse, etiamsi omnibus placeas, extrema miseria est? Quid est enim, quod possit animum aliquo vero afficere gaudio, quando Deum habet inimicum, et a se alienum? Tertium est, quod subjicit hominem diabolicæ tyrannidi ac servituti, facitque propriæ iniquitatis mancipium. Quo quid potest homini accidere indignius? O homo factus ad imaginem Dei, redemptus Christi sanguine, cur in tantum tete abjicis, ut non pudeat te esse servum dæmonum, quibus nihil vilius mundus habet? *Beatus,* ait Sapiens quidam, *qui non servivit indignis se:* et tu qua ratione beatus esse queas, qui vilissimis dæmonibus tete subjicis? Certe nisi plane in furiam versus esses, non usque adeo te hostium tuorum potestati traderes.

Ps.

III. Facit boli s vum.

Eccli. II.

Quartum est, quod omni gratia, virtute et merito spoliat hominem, redditque eum Deo et sanctis Angelis tanquam cadaver putridum summe abominabilem. Sicut enim corpus mortuum gravissime olet: ita anima vita gratiæ destituta, pessime fœtet Deo. Et tamen videas hodie miserrimos homunciones ut placeant hominibus varios corpori suo adhibere odores: cum interim summe fœteant coram Deo, nec curent tamen. O stulti et insani, cur non potius animas vestras virtutum impletis odoribus, ut possitis placere illi, qui vos vere felices et beatos solus potest efficere? Quintum est, quod sempiternam aufert homini beatitudinem: quæ tamen revera tam ingens, multiplex et infinita est, ut si nonnisi una posset obtineri die, merito illius causa omnes vitæ hujus voluptates despici, et adversa omnia æquanimiter ferri deberent. O cæcas hominum mentes, o pectora cæca!

IV. Sp omni tia et tute a merito

V. Bea tudine æterna vat.

VI. Animum eorsum rahit.

Sextum est, quod ceu pondus gravissimum hominem deorsum premit, nec sinit sursum animum attollere, facitque tardum ac debilem et difficilem ad exequendas virtutum actiones, promptum autem et propensum ad appetenda et magnifacienda vilia isthæc et infima terræ bona: ita ut recte possit porcus dici, qui nunquam oculos sursum erigit, sed semper prono vultu in luto et sordibus volutatur. Unde Propheta: *Homo*, inquit, *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Quomodo fit, quod plerisque adeo desipiunt divina ac spiritalia, adeo sapiunt vana et terrena? Utique non aliam ob causam, nisi quod animus vitiorum humoribus corruptus, non habet sensum integrum, aut verum judicium. Septimum est, quod suo pondere mox ad alia trahit vitia, nisi cito per pœnitentiam aboleatur. Hoc videmus quotidie in miseris et obcæcatis hominibus, qui ubi semel vitiis sese dediderunt, in tam profundas merguntur immanium peccatorum voragines, ut vix spes sit eos unquam posse redire ad vitam. Quos licet millies horteris ut resipiscant, nihil nisi aera verberas: imo rident admonentem, et infelices putant quotquot ipsis similes non sunt. Octavum est, quod animum reddit omni saxo duriorem, pravaque consuetudine in tantum obligat et afficit, ut divinæ gratiæ vix possit capax fieri, maxime ubi versum est in longam consuetudinem. Tales enim difficile corriguntur, de quibus Jeremias ait: *Induraverunt facies suas supra petram et noluerunt reverti.* Nonum est, quod peccantem reddit tartaro assimilem. Ut enim tartarus est habitatio dæmonum, et chaos totius miseriæ, ac abyssus tenebrarum: ita peccator est cubile dæmonum, subjectum iniquitatum, barathrum vitiorum, estque in eo sicut in inferno ignis avaritiæ, fœtor luxuriæ, tenebræ ignorantiæ, vermis conscientiæ, sitis concupiscentiæ, dæmones per effectum, etc. Decimum est, quod æternæ facit damnationi obnoxium. Quæso, si quis vel una die nudo corpore in ardenti fornace jacere deberet, quid non ageret ille, ut talem pœnam posset evadere? Cur ergo tam parum cavetur peccatum quod nos mittit in stagnum sulphure et pice tartarea semper arsurum? Quod si isthæc omnia peccati nocumenta nihil nos movent, certum est jam tenebris peccati nos esse involutos: sed tamen dum adhuc dies gratiæ agitur, licet inde emergere. Itaque abjiciamus eas actutum, dilectissimi, et in lumine virtutum et gratiæ ambulemus. Atque ut gratia et virtute magis afficiamur, illius itidem decem effectus succinctim recensebo.

's. XLVIII, 3.

Divina et piritualia ur multis deo desiiant.

VII. rahit suo ondere ad lia vitia peccata.

Gratiæ divinæ effectus decem qui sint.

Primus est, quod a peccato originis in baptismo nos eripit. Non enim purgamur ab illo peccato, nisi per virtutis infusionem. Secundus est, quod animum firmat, stabilit et corroborat in bonis. Unde Apostolus: *Optimum est gratia stabiliri cor.* Tertius est, quod munit hominem adversus quævis vitia, quasvis tentationes carnis, mundi et dæmonum, pravorumque hominum impia exempla, pestiferas suasiones, et quælibet offendicula. Quartus est, quod animam pulcherrime vestit et ornat, ut possit esse grata et amabilis Deo sponso cœlesti, qui sese animæ conjungere non vult, quamdiu vitiorum sordibus est polluta, et virtutis inops. Quintus est, quod despondet animam Christo, quatenus convenit vitæ præsenti ac fidei. Sextus est, quod efficit hominem Dei filium adoptivum, eique super omnia adhærentem. Septimus est, quod facit hominem Dei templum, thronum ac habitaculum, in quo delectat commorari Spiritum Sanctum, qui odit sordes, nec potest habitare in corpore subdito peccatis. Octavus est, quod reddit hominem paradiso terrestri consimilem, utpote sanctis cogitationibus floridum, piis meditationibus virentem, sanctis desideriis amœnum, bonis actibus fecundum, et optimæ existimationis ac integræ famæ odore gratissimo fragrantem. Nonus est, quod etiam cœlesti paradiso eum facit similem, utpote Deum per fidem, et sapientiæ donum ac mysticam theologiam, quan-

Hebr. XIII, 9.

VIII. Animum ixo durioem reddit.

er. V, 3.

IX. Dæmonius assilat.

X. amnatio- æternæ cit obnoum.

Sap. I, 4.

tum fas est in hac vita, sincere contemplantem, perpetuo laudantem, in prosperis et adversis in illo se oblectantem, atque prompta devotionis alacritate hilariter ei obsequentem, ac denique omnes amantem, cum omnibus et erga omnes pectoris pacem et fraternam concordiam inviolabiliter retinentem. Decimus est, quod homines perducit ad cœlestis patriæ felicissimam hæreditatem et Christi Jesu consortium, faciens ex eis hæredes Dei Christique cohæredes. Quis jam non libenter velit virtutis et gratiæ amplecti lumen, et vitare peccati tenebras, cognitis tot vitiorum incommodis et nocumentis, itemque tot virtutis et gratiæ præclaris effectibus ?

De S Cruce festum celebrandi ratio.

Sed quia Exaltationis sanctæ Crucis festum agimus, etiam de illa aliquid nobis dicendum est. Quidni enim sanctæ Crucis festa celebremus, in qua propter nos immolatus est Christus, per quam abolita sunt delicta nostra, Dei ira mutata est in clementiam, cum Deo reconciliati sumus, patefactus est paradisus tot annorum millibus clausus, et igneo gladio vallatus, antiqua nobis patria reddita, paterna civitas demonstrata, domus pristina est restituta ? Crux altare novum, in quo novum illud sacrificium, nempe Christus Filius Dei oblatus est : imo et ipse sese obtulit : siquidem et sacrificium et sacerdos fuit : sacrificium secundum carnem, sacerdos secundum spiritum sanctitatis. Crux est signum illud Filii hominis, quod in judicii die apparebit, et quando sol et luna et stellæ omnes non dabunt lumen, Judicis adventu et claritate obscuratæ. Crux miro splendebit lumine, ut confundantur impii qui Dominum crucifixerunt, et pro ipsis crucifixo ingrati fuere : gaudeantque pii per crucem evecti ad gloriam. Crux Christi est triumphale vexillum omnium æternæ beatitudinis gloria sublimandorum, nedum hominum, sed etiam Angelorum. Namque per crucis Christi, ceu mediatoris, meritum non solum homines, sed etiam angeli creduntur obtinere gloriam æternæ vitæ, quam certe nulla creatura suis meritis absque condigno mediatore adipisci potuisset. Unde quod Angelorum pars magna stetit, nec consensit Angelis desertoribus, potissimum merito crucis Christi tribuendum est, per quod confirmati sunt, ne cum apostatis illis deficerent ab obedientia, quam debebant suo et omnium Conditori. Siquidem in Apocalypsi, ubi describitur pugna Michaelis et Angelorum ejus cum dracone et asseclis illius, evidenter expressum legimus : *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni :* quod nullus dubitat ad meritum passionis Christi referendum, quæ in cruce consummata est. Itaque pie credimus, sicut homines a suis culpis per Christi merita sunt liberati, ita et Angelos per eadem a ruina esse præservatos. Siquidem et Angelis necessarius erat mediator, qui eis a Deo gratiam mereretur. Quod quidem excellentissima charitate fecit Dominus Jesus, in cruce triumphans de adversariis suis, fuso pro omnibus sanguine suo, cujus meritis etiam Angeli servati sunt. Unde etiam ipsi cruce Christi tanquam vexillo et communi trophæo utuntur. Crux Christi est commune meritum, et communis thesaurus Angelorum et hominum electorum. Unde etiam Apostolus ait : *In Christo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Quamobrem nedum homines sancti, sed et Angeli gloriantur in cruce Domini nostri Jesu Christi multo felicius et securius, quam in propriis meritis. Siquidem in ipsa cruce benignissimus Salvator omnes thesauros divinæ sapientiæ et meritorum angelicæ humanæque naturæ communicandos collocavit.

Laudes S. Crucis quænam sint.

Præterea crux Christi est commune gaudium Angelorum et hominum, per quam ceu firmissimum ac inseparabile glutinum creaturæ rationales, angelici scilicet et homines, copulantur, ut ex utrisque construatur et impleatur superna Jerusalem, cujus est participatio in idipsum, ubi gaudent omnes gaudio inenarrabili et

S. C merit quosd angel confir tos.

Apoc 11.

Coloss 19, 20

Glori non m homin verum angelo cruce.

Crux sit ga dium mune minum angelo rum.

Ps. 3.

honorato, per crucis Christi meritum potissime conciliato. Nam alioqui neque angelica neque humana merita ex æquo respondere possunt præmio felicitatis æternæ, quod Deus est, quandoquidem illa finita sunt, Deus autem infinitus est, nisi fulciantur merito Jesu Christi crucifixi : quod quidem sicut rationem meriti obtinet juxta assumptam humanitatem et crucem, ita est etiam omnino infinitum ob conjunctam divinitatem. Non enim Christus homo solus est, sed Deus et homo. Atque hoc ipso ex æqua justitiæ lance infinito præmio respondet meritum infinitum : et infinito merito redditur præmium infinitum. Itaque hoc crucis Christi merito freti, cœlestes illi spiritus confirmati sunt in gloria, ita ut nunquam possint inde excidere. Nec movere quemquam debet, quod id longe ante Christum crucifixum contigerit. Nam et hominibus illis, qui Christi adventum præcesserunt profuit idem Christi meritum, non minus quam qui post nati sunt. Ita et angelicis spiritibus : qui deinde promptissima benevolentia ob voluntatem Dei servierunt hominibus, ut et ipsi salvi fiant, sicque crucis Christi merito utrique in commune gaudeant, et felicissima unione nectantur. Cujus quidem figuram habuisse videtur crux ipsa Domini Jesu, ex duobus lignis compacta : altero recto, altero transverso : quorum illud naturam angelicam ob ejus stabilem ac immotam rectitudinem, istud vero naturam humanam ob ejus miseram eversionem significat. Ipsa autem ligna mutuo sibi junguntur in medio, hac nimirum significatione, per Christum crucifixum utrosque et Angelos et homines adunandos, angelica ruina per homines instaurata, et hominis peccato prorsus abolito et expiato.

Meritum Christi ibus an- ipsius carna- nem ofuerit.

Figuræ ucis risti rsterium od.

Rabanus Maurus, Moguntinensis olim Episcopus, de laudibus sanctæ crucis opus confecit mirificum versu et prosa, ubi revera divino usus ingenio multa scribit in laudem crucis : ex quibus pauca hic referemus. O crux sacra, inquit, quæ concedis fidelibus ante Christi tribunal bonorum operum fructus percipere. O crux sacra, quæ diruptis inferni claustris plebem sanctorum eripueras, et in cœlo collocaveras. Salve, crux veneranda Dei, quæ sapientia, lumen et doctrix es orbis terrarum : quæ vera lux, et amica virtus, et clara philosophia apud cœlicolas terrigenasque indesinenter viges : etiam apud exercitus Angelorum, qui in claritate lucis æternæ manent : et apud homines, quibus salus et pulchra renovatio post diutinam infirmitatem, et antiquam peccatorum vetustatem extitisti. Te totus orbis beatificat. Te cœlorum agmina collaudant. Per te in nomine Jesu, qui cuncta mundi sceptra simul et regum curvat imperia, omne genu sive voluntate, sive vi flectitur, cœlestium videlicet, terrestrium et infernorum. At Michael dux et princeps plebis Dei, te confessione memorat cuncta cœlorum sidera virtute regere et potestate tegere, eo quod ara Dei sis, in qua immolatus est Agnus, qui abstulit peccata mundi : quo clypeo benevolentiæ ipse sedulo exultat : qua confessionis framea fidens, bellum init contra draconem horridum, antiquumque serpentem et de hoste triumphans ovat cum sanctorum agminum millibus, hoc sibi præmii loco petens, ut tuam laudem perpetuo ante tribunal decantet Domini. O inclita crux Domini, aulæ Christi pretiosum fundamentum : tu es pulchrior florifera specie omnium germinum : tu excelsior cedris Libani : tu pretiosior albo lapide Pario. Hæc ille vir doctus et pius.

Rabanus laude Crucis rificum rum quo enio fecit.

Joannes Chrysostomus de laude S. Crucis quid senserit.

Chrysostomus quoque pulcherrimis sanctam crucem evehit encomiis, quæ ob gratiam pii lectoris huc adscribere non pigebit : Crux, ait, spes christianorum. Crux resurrectio mortuorum. Crux cæcorum dux. Crux desperatorum via. Crux claudorum baculus. Crux consolatio pauperum. Crux refrenatio divitum. Crux destructio superborum. Crux male viventium pœna. Crux adversus dæmones triumphus. Crux devictio diaboli. Crux adolescentum pædagogus. Crux sustentatio inopum.

Crux spes desperatorum. Crux navigantium gubernator. Crux periclitantium portus. Crux obsessorum murus. Crux pater orphanorum. Crux defensor viduarum. Crux justorum consiliarius. Crux tribulatorum requies. Crux parvulorum custos. Crux virorum caput. Crux senum finis. Crux lumen in tenebris sedentium. Crux regum magnificentia. Crux scutum perpetuum. Crux insensatorum sapientia. Crux libertas servorum. Crux Imperatorum philosophia. Crux lex impiorum. Crux prophetarum præconatio. Crux annuntiatio Apostolorum. Crux martyrum gloriatio. Crux monachorum abstinentia. Crux virginum castitas. Crux gaudium sacerdotum. Crux Ecclesiæ fundamentum. Crux orbis terræ cautela. Crux templorum destructio. Crux idolorum repulsio. Crux scandalum Judæorum. Crux perditio impiorum. Crux invalidorum virtus. Crux ægrotantium medicus. Crux emundatio leprosorum. Crux paralyticorum requies. Crux esurientium panis. Crux sitientium fons. Crux nudorum protectio. Hæc ille.

D. Thomas a Kempis de S. Crucis mysterio.

De hac denique sancta Cruce religiosus quidam et venerabilis pater ita scriptum reliquit : Nobilissimæ et felicissimæ arboris sanctæ Crucis radix est humilitas et paupertas : cortex, labor et pœnitentia : rami, misericordia et justitia : folia, veritas et doctrina : flores, vera honestas et pudicitia : odor, sobrietas et abstinentia : pulchritudo, castitas et obedientia : splendor, fides recta et spes firma : fortitudo, magnanimitas et patientia : longitudo, longanimitas et perseverantia : latitudo, benignitas et concordia : altitudo, charitas et sapientia : dulcedo, amor et lætitia : fructus, salus et vita æterna. Hæc est arbor fecundissima, super omnes arbores paradisi benedicta. Hæc animam devotam piæ compassionis affectu sæpe compungit, sæpe lacrymare facit, cum imaginem crucifixi aspicit : sæpe cor amantis convulnerat, cum Christum pro se vulneratum pensat. Beatus homo et fidelis servus ille, qui sacra Jesu vulnera, et crucem in corde suo jugiter portat, et quidquid occurrit adversi, de manibus Dei accipit et pie sustinet, ut crucifixo pro se Domino suo vel in modico conformis fiat. Quisquis in cruce Christi gloriatur, et omnia propter Christum contemnit, hic interim a Christo in præsenti consolabitur, et in futuro cœlestibus bonis replebitur, ac sine fine cum Christo et sanctis omnibus felicissime gaudebit. Quæ nobis præstare dignetur Christus Jesus pro nobis in cruce passus et mortuus, cui est omnis honor et gloria in secula seculorum, Amen.

IN FESTO

SANCTI MATTHÆI

APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

FRATRES, unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit : Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. (Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit supra omnes cœlos, ut adimpleret omnia.) Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas : alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi : donec occurramus omnes in unitatem fidei. et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Ad Ephes. IV.*

IN hac Epistola, quæ commodissime legitur in festo sancti Matthæi Apostoli et Evangelistæ, ut ipsa verborum facies indicat, Paulus Apostolus illam Domini parabolam interpretatur, qua dicit hominem quemdam peregre profectum, vocasse servos suos, et distribuisse illis bona sua : et uni quidem talenta quinque, alii duo, alii unum tradidisse, id est, aliis atque aliis alia et alia plura et pauciora dedisse gratiæ munera, non pro sua vel largitate vel parcitate, ut ait divus Hieronymus, sed pro accipientium viribus. Ait ergo Apostolus : Unicuique nostrum data est gratia talis ac tanta, qualem et quantam placuit Deo dare nobis : qui utique dat omnibus affluenter et non improperat. Nec est cur quisquam alteri plura ac potiora adepto invideat: quandoquidem Deus est qui dona sua prout vult impartitur. Quidni enim liceat illi facere quod vult? Dedit novissimis in vinea laborantibus eumdem denarium quem et primis. Et cum quidam inde murmuraret, audivit: Amice, non facio tibi injuriam. An non licet mihi facere quod volo? Quid enim ego aliud velle possum, nisi quod optimum sit? Non tamen ita nobis sua largitur dona, ut nos velit otiosos agere. Nam et servus ille, qui talentum acceptum duplicare, et pii ac liberalis domini sui beneficentiæ cooperari noluit, non solum talento privatus, sed etiam in tenebras æternas demersus est : ne quis de misericordia Dei securus ac interim pigritiæ et negligentiæ deditus, negligat aut contemnat servare præcepta Dei.

Matth. XX, 13.

Quod autem data sit nobis gratia juxta mensuram donationis Christi, probat Psalmographus, ubi ait: Ascendens Christus in altum, quadragesimo post resurrectionem die, captivam duxit captivitatem sanctorum patrum, quos ex inferorum

Ps. LXVII, 19.

carceribus divina potentia et auctoritate extraxit, deditque dona hominibus sacro Pentecostes die, quando in centum quinquaginta homines effudit Spiritus Sancti largissimam gratiam, ac deinde etiam in alios christianæ religionis professores. Neque desinet sua largiri dona fidelibus usque ad extremum diem. Quod autem dicitur ascendisse in cœlum, id utique vult intelligi, prius eum descendisse e summo cœlo in has orbis terræ partes, quæ ratione mundi infimæ sunt, quia in centro mundi collocatæ, vel in ipsum inferni lymbum, unde patrum captivitatem victor potens et gloriosus eduxit, diripiens vasa fortis armati, id est, diaboli, qui ea diu tyrannica dominatione detinuerat. Porro, qui descendit minoratus paulominus ab Angelis forma servi assumpta, atque usque ad inferos accedere dignatus est, ipse est et qui ascendit ultra omnium altitudines potestatum, ultra cœlos et creaturas omnes usque ad consessum Dei Patris, postquam illius completa voluntate, mortem et diabolum devicit, suosque e captivitate redemit. Sicut enim a summo cœlo fuit egressio ejus, ita et usque ad summum ejus occursio illius, nimisque exaltatus est super omnes deos, ut adimpleret omnia quæ de ipso in lege, Psalmis et prophetis scripta et prophetata erant : vel, adimpleret omnia, id est, electos omnes donis gratiæ et gloriæ consummaret.

Hebr. II, 7.

Ps. XCVI, 9.

Et ipse dedit atque constituit quosdam quidem Apostolos, quales fuere duodecim illi, quos ipse primo elegit, deinde etiam Matthias, Paulus, et quidam alii, quos Scriptura eo nomine appellat, ex quibus duodecim vocantur in Apocalypsi fundamenta duodecim Ecclesiæ. Quosdam autem dedit prophetas, qui Sancto Spiritu afflati, ac cœlesti revelatione instructi, Scripturarum mysteria alios edocerent ac illuminarent : quosdam item Evangelistas, qui Evangelium et Christi nomen ac præconia ubique annuntiarent. Denique alios pastores simul et doctores, qui aliis præfecti, curam illorum habeant, et pascant eos salutari divinæ Scripturæ pabulo, ac vitæ alimonia, ne si populo desit crebra et efficax verbi Dei prædicatio, ignorantiam divinæ legis et voluntatis contrahant, aut ad perpetranda mala fiant procliviores et effrenatiores : sicque vitia subditorum in Prælatorum caput redundent. Namque per Ezechielem minatur Dominus se requisiturum sanguinem subditorum de manu pastorum negligentium. Voluit autem Dominus ejusmodi varias esse in Ecclesia functiones et ordines ad consummationem, instaurationem ac ædificationem sanctorum, id est, fidelium, qui etiam ab Apostolo Petro vocantur gens sancta, ut meminerint se sanctos et immaculatos esse debere. Voluit, inquam, Dominus illos quos diximus ceu ministros fideles ædificando, exornando et complendo corpori Christi, hoc est, Ecclesiæ esse deditos et intentos, donec omnes, quantum ad fidei et agnitionis Domini nostri Jesu Christi unitatem attinet, occurramus et evadamus in virum perfectum, et eam mensuram ætatis, quæ nos plane reddat adultos in Christo, sive mensuram ætatis plenitudinis Christi, ita ut absolutam et integram Christi fidem et cognitionem obtineamus, simusque in fide christiana viri, non parvuli fluctuantes : sed abunde in ea instructi. Potest et sic exponi : Donec occurramus omnes in extremo judicio, venturo judici, in ea ætatis plenitudine, qua Christus Dominus pro nobis occisus est.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, MATTHÆI IX.

DOMINUS noster Jesus Christus, fratres charissimi, qui omnes servare, et a peccatis ad veniam vocare venerat, neminem a sua gratia exclusit. Omnibus sese obtulit, imo et ingessit, sæpe nullam sibiipsi dans requiem, sed ultro citroque cursitans, ut datum sibi a Patre negotium, nempe animas salvandi exequeretur. Quid enim ageret aliud fons pietatis, nisi ut longe lateque ad omnes ipsius indigos manaret, sanaret ægros omnes, et neminem pateretur suæ misericordiæ et benignitatis manere expertem? Vere piissimus medicus Dominus Jesus, qui e cœlis allatam gratiæ suæ medicinam omnibus indiscriminatim adhibere paratus fuit, sed a multis receptus non est. Sicut sol iste visibilis lumen suum cunctis æque exhibet, nulli invidet, et tamen ubi clausæ sunt fenestræ sive aditus, per quos lumen illius intromitti oporteret, nihil efficit: ita et Dominus Jesus, sol justitiæ, radios suæ lucis et misericordiæ omnibus communicavit quidem, sed multis cordium suorum ostia obserantibus, non potuit illos suæ gratiæ participes reddere. Maxime vero ab illis exclusus semper fuit et pertinaciter repulsus, qui se justos quidem haberi volebant, atque tales ipsi se existimabant, et tamen justitiæ omnis prorsus vacui et expertes erant, cæterosque præ se aspernabantur, cum essent ipsi Deo et sanctis omnibus invisi et execrabiles. Tales erant Scribæ et Pharisæi, quibus Dei Filium obstinata animi malitia et exitiali invidentia repellentibus, ad publicanos et peccatores se transtulit, ut superbis et tumidis peccatoribus repudiatis, humiles et pœnitentes peccatores ad gratiam admitterentur. Ita ergo et in hujus diei Evangelio post curationem paralytici, relictis Scribis calumniatoribus, legitur ad publicani conversionem sese transtulisse, quod nunc paucis explicabimus.

edicum
ristum
, cur
per re-
erint.

Cum transiret Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine.

Primum hic apparet et omnibus sese spectandam atque imitandam proponit sancti Apostoli Matthæi modestia et humilitas, qui cum tacito nomine suo rem gestam indicare potuisset, sese etiam nominatim exprimere voluit, scilicet ut peccatores quoslibet ad sperandam veniam, vitamque in melius commutandam provocaret. Sedit autem in telonio, avaris intentus lucris, ut de mercatorum sudoribus suas cumularet opes, et a prætereuntibus vi extorqueret unde suas augeret facultates. Fuit namque publicanus. Publicani autem apud veteres dicebantur, qui vectigalia et alios populi Romani reditus exigendos, certo constituto pretio, redimebant.

Matthæus Apostolus cur nomen suum hic expresserit.

Publicani quinam dicebantur olim.

Ulpianus publicanos esse dicit, qui publico furantur. Et omnes qui aliquid a fisco conducunt, recte vocantur publicani. Qui licet apud majores et numero amplissimi, et dignitate potentissimi fuerint, tamen non erat laudanda illorum avaritia, qua grassabantur in alios, et inique comparatis rebus suas opes exaggerabant. Unde etiam Zachæus princeps publicanorum, postquam in Dominum credidit, dimidium substantiæ suæ dedit pauperibus, et in quadruplum restituit, si quid quem defraudasset. Raro enim culpa vacant ejusmodi telonia, ubi non servatur æquitas, sed lucris inhiatur. Vidit autem Dominus Jesus Matthæum publicanum seden-

tem in telonio, oculis misericordiæ, qua cor illius intus permovit, illustravit ac emollivit, ut prius intrinsecus illuminatus, vocem foris vocantis melius perciperet, et promptius sequeretur. Nihil enim prodest externa quævis exhortatio, nisi intus operetur gratia Spiritus Sancti. Vidit, inquit, hominem sedentem in telonio Matthæum nomine. Exprimit nomen suum, ut quotquot ista legunt vel audiunt, dum certo discunt ex publicano ad Apostolatus fastigium esse traductum, non despondeant animum, quamlibet magnis sint vitiis obligati, sed spe bona, meliorique cogitatione concepta, studeant mala sua corrigere, et ad misericordem Dominum, semper indulgere paratum, toto corde reverti.

Et ait illi : Sequere me.

Sequere me, affectu cordis, officio corporis, et effectu operis. Hactenus contempta voluntate mea, fecisti tuam, sprevisti leges meas, obsecutus es avaritiæ tuæ, et qui sola debueras appetere cœlestia semperque mansura, animum tuum Dei capacem, nec ullis omnino caducis rebus, nisi solo Deo explebilem, ad conquirendas et corradendas terrenas opes adjunxisti, non quidem illius implens desiderium, aut sitim exstinguens, sed irritans potius ac lacessens, jam nunc me Deum ac Dominum tuum sequere. Hucusque dulce tibi fuit lucris inhiare terrenis, immensos thesauros compilare et congerere, ac nunc me sequere, ut et tibi et aliis bona lucreris æterna. Sufficiat hactenus thesaurizasse in terris, ubi fures effodiunt, et tinea demolitur : deinceps thesaurum tibi compara in cœlis, ubi nulla est neque furum neque tineæ formido. Sequere me. Quid hic ad tui perniciem, et aliorum injuriam resides ? Num semper victurus es, ut divitias augere non cesses, animæ tuæ prorsus immemor ? Ecce ego propter te dives quum essem, pauper factus sum. Tu ergo me sequere, et ut possis bonis ditari cœlestibus, mihi amicam amplectere paupertatem. Habeant terrena terræ filii et bonis præsentibus deditи, quæ tamen velint nolint brevi amittent, et ad æternam devolventur egestatem, tu me sequere, servus dominum, filius patrem, discipulus præceptorem, creatura creatorem, captivus redemptorem, ovis pastorem.

Matth. VI, 19.

Et surgens secutus est eum.

Uno verbo vocatus, mox sequitur, nihil hæsitans, nihil trepidans, nihil cunctatus. Imo relinquit omnes hujus vitæ spes, et tanquam illico periturus sit, si moras nectat ullas, mox relictis omnibus, invitantis vocem Salvatoris, prompta obedientia et alacri devotione, prosequitur. Spernit divitias perituras, parentum, amicorum et cognatorum omnium obliviscitur, omnia pro detrimentis, imo stercoribus habet, ut Christum posset lucrifacere. Nec solum terrena abjecit lucra, quæ poterat sperare in posterum, sed pericula etiam contempsit, quæ ipsi totique ipsius familiæ a civitatis magistratibus imminebant, quod redemptorum a se vectigalium rationes discedens non confectas reliquisset : eo ipso scilicet nos instruens, ut qui Christum sequi ex animo concupiscit, de nulla omnino hujus vitæ re quidquam curet amplius, nec ipsorum etiam parentum aut consanguineorum affectu, vel humano terrore retineatur, quominus divinæ obtemperet voluntati, aut Christum vocantem sequi differat, vel de his quæ fieri animæ utilitas suadeat, quidquam intermittat, certus nimirum obediendum esse Deo potius quam hominibus, vel propriis affectionibus. Propterea etiam Dominus quemdam discipulum suum volentem primo sepelire patrem suum, quod tamen ipsa pietas et naturæ lex exigere videbatur, non permisit, sed ait : *Sine mortuos sepelire mortuos suos :* usque adeo et in illo et in omnibus, qui Christi velint esse sectatores, affectus omnes etiam erga maxime propinquos volens esse exstinctos, aut certe negligi ac mortificari. Quod si affectiones ejusmodi in consanguineos et cognatos pessum premendæ sunt propter Christum, ut animus totus

sese liberius possit transferre in Deum, quanto magis vitandæ sunt et conculcandæ affectiones mundanæ, quæ pietatis propositum impedire, et animum irretire queant? Docentur ergo, ut dixi, in promptissima et perfecta sancti Matthæi rerum omnium, etiam cognatorum renuntiatione, nihil tam nobis charum esse debere, quod non libenter Christi amore abjiciamus, si nobis impedimento sit ad obtinendam christianæ pietatis perfectionem. Ea de causa omnes illi primitivæ Ecclesiæ fideles, quidquid habebant in commune conferebant, nihil inde accipientes aliud, quam unde vitam quotidie sustentarent. Quod si cui durum videtur relinquere omnia, noverit ille se quidem ad id præcepto non obligatum, sed tamen rerum possessarum amorem ita moderetur oportet, ut Christi amor in suo pectore semper primatum sibi vindicet, ac deinde rebus suis non ad luxum, sed necessitatem utatur, sed quæ superfluunt, libenter indigentibus communicet. Felicior autem sanctus Matthæus, qui simul omnia reliquit, uni Christo adhærens, in quo multo felicius, securius, abundantius omnia possidebat. Quod deinde etiam innumeri præstiterunt.

Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Jesu et discipulis ejus.

Relicturus omnia sanctus Matthæus, convivium prius instruit, ut amicis valefaciat, et Dominum ac discipulos ejus benigne tractet. Nec infructuosa fuit illius conversio, quando multi mox advolarunt publicani et peccatores socii illius, cupientes et ipsi audire ex Salvatore verba salutis, quibus ad meliora provocarentur. Ita sæpe unius correctio, multis fit causa salutis, dum odore famæ illius attracti, incipiunt damnare seipsos, vitam suam male actam horrere et reprehendere, dolere se tam miseros esse, non amare nec inquirere, quod illum jam emendatum quærere et amare conspiciunt, atque ita denique etiam melioris vitæ propositum concipere, et ad Christum toto corde reverti. Paravit autem Matthæus Christo convivium, ut a quo cœlestis gratiæ erat beneficia consecutus, illi de terrenis facultatibus nonnihil rependeret. Idque convivium magnum fuisse Lucas testatur, fortassis non tam epularum varietate et ferculorum pompa, quam animi devotione et interna exultatione, qua tanti lætabatur hospitis præsentia, quem jam non frigido pectore, sed ferventi amore, complectebatur. Tertio Regum volumine, etiam Elisæus Eliam secuturus prius sociis suis convivium fecisse legitur quam ab eis discederet. De publicanis, qui huic Matthæi convivio interfuere, sanctus Hieronymus sic habet: Quia viderunt publicanum a peccatis conversum et pœnitentiæ invenisse locum, ob id etiam ipsi non desperabant : sed veluti pœnitentes , veniebant et discumbebant cum Jesu et discipulis ejus, forte invitati a Matthæo ut haberet socios in pœnitentia, quos habuit socios in culpa. Porro Dominus Jesus salutem omnium sitiens, quodlibet genus remedii ut ait Chrysostomus, exhibebat, et non solum disputando et præstando sanitatum remedia, vel arguendo æmulos, sed etiam comedendo nonnullos errantium dirigebat : inde nos instruens quod quodlibet opus et tempus potest nobis utilitatem afferre. Sic nec publicanorum participationem vitavit propter utilitatem sequentem, more boni medici qui nisi saniem tangeret, a morbo non liberaret. Hæc ille. Sed Pharisæi falso justi, et revera impii, quia justitiam foris mentiebantur, intus malitia et avaritia pleni, videntes Dominum manducare cum peccatoribus , indigne ferebant, sicut textus subjungit :

Convivium Matthæus quale Christo exhibuerit.

III. *Reg.* XIX, 21.

Cur Christus cum publicanis et peccatoribus comederit et biberit.

Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?

Zelum quidem legis habere se simulabant (nam revera non habebant, cum legem ipsi non servarent, sed minimis qui-

busdam contenti, potiora legis contemnerent), verum dum se juste adversus Dominum tanquam legis transgressorem moveri putarent, ipsi deterius peccabant, temere Dominum legis judicantes, et proximos despicientes. Quasi vero ipsi peccatores non essent, ita cæteros contemptim appellabant peccatores, qui tamen jam in melius commutati desierant esse peccatores. O pharisaicam superbiam, quæ dum sana sibi et munda videtur, aliosque elato despicit supercilio, nunquam suorum meretur veniam peccatorum! Vera justitia compassionem habet, falsa dedignationem. Miseros istos invidia excæcaverat, qua semper et ubique facta Salvatoris calumniabantur: et unde alii remedia salutis accipiebant, inde isti profundius vulnerabantur. Ita hodieque invidi semper aliorum bonis deteriores fiunt, et optima quæque pessime interpretantur. Pulchre hic Beda: Pharisæi, inquit, fastu inani et invidia excæcati, erant gemino involuti errore, dum magistrum veritatis calumniati sunt. Nam et seipsos bonos esse credebant, qui turgida superbia inflati, procul recesserant a via veritatis et justitiæ: deinde et illos pro injustis accusabant, qui ad meliora conversi, non parum accesserunt ad justitiæ semitam. Hic ergo error iste fuit, quando nec sua nec aliorum pectora cognoscebant. Hæc ille. Quod autem non ipsum Dominum reprehendunt in faciem, sed apud discipulos accusant, imitantur morem obtrectatorum, qui semper occulte detrahunt, sæpe in faciem adulantur. Aut certe timent se confundendos publice ab ipso Domino, sicut sæpius experti erant: unde ad discipulos se conferunt, ut invisum eis aut certe suspectum reddant Dominum tanquam legis prævaricatorem.

Zelus Pharisæorum adversus Christum quantus.

Invidis quidnam semper peculiare sit.

Beda.

Detractoribus quid fere semper proprium sit.

At Jesus ait ad illos: Non opus est valentibus medico, sed male habentibus.

Vide mansuetudinem et modestiam Christi. Poterat eos jure reprehendere, qui omnis virtutis vacui, alios tamen aspernari non verentur: sed ne miseros magis exulceraret, blande eis respondit, et quasi justitiam eis tribuit, quos non erat nesciu a justitia plurimum abesse. Valentes au tem eos vocat, non quod essent, sed qui ipsi tales se habebant: quasi diceret: Vo me semper repellitis, tanquam qui mea opera non indigeatis: isti autem se mise ros et infirmos agnoscunt, cupiuntque ac cipere medicinam. Itaque ad illos me acce dere decet, qui ad hoc missus sum a Patre ut oves perditas requiram. Si vos just estis, non dolere debetis, sed gaudere plurimum, quod peccatores redeunt ad justitiam, et peccatis relictis cupiunt etiam justi effici. Vos sani estis scilicet. Ergo liceat per vos tamen etiam ægris salutem consequi. Non vacat hæc Domini responsio tacita objurgatione, qua illis superbiam eorum objicit, ut propria convicti conscientia erubescant se justos velle videri, qui se sciant justos non esse.

Euntes autem discite, quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium.

Judæi nimium sibi placebant in externis sacrificiis suis, et cæteros despiciebant: neque tamen curabant exequi voluntatem Dei. Deus autem ab illis sacrificia illa requirebat quidem, sed magis illi placebat interior animi cultus, qui in veris virtutibus consistit, maxime in sincera erga Deum et proximum charitate, quæ docet proximos non despicere, sed si miseri sint, misereri et compati: si justi, congratulari. Cum igitur Pharisæi peccatores despicerent, jussit eos Dominus ire et probe intelligere sententiam Oseæ prophetæ, qua Dominus ait, se misericordiam potius velle et condolentiam erga proximos, quam sacrificia externa absque charitate. Nihil enim Deo absque charitate gratum esse potest. Unde frustra Pharisæi de suis sacrificiis sibi blandiebantur, quando interim charitatem negligebant. Si autem charitate prædíti fuissent, neque Dominum reprehendissent miseros sanare cupientem, neque proximos despexissent, sed a medi-

crificia æorum modo ristus æsti- rit.

co visitari lætati essent. Charitas enim aliorum miseriis dolet, gaudet salute et prosperitate. Non ergo debemus cogitare Dominum Judæorum sacrificia damnasse, quæ illis lege præcepta erant, sed monere eos voluisse, ut charitatem potissimum et misericordiam charitatis filiam sectarentur, sine quibus non possint placere Deo quævis externa sacrificia, quasi diceret : Vos placetis vobis in vestris sacrificiis et alios contemnitis. Sed qui præcepit vobis ut sacrificia offeratis, idem et præcepit ut proximos diligatis, prohibuit ne quemquam contemnatis. Et sacrificia quidem offerri desinent : neque enim ea semper exiget Deus : charitas autem et misericordia semper erunt observandæ. Eæ enim maxime placent Deo, sine quibus ipsa quoque sacrificia fœtent illi. Cur ergo vos potiora negligitis, et minora tanti facitis, ut propter ea alios vobis meliores spernere non vereamini ? Si legis vim mentemque teneretis, non tam essetis stolidi. Euntes ergo, melius discite quid sit, quod hactenus cæco corde in Osea legistis : Misericordiam volo et non sacrificium, quale vos hactenus facere consuevistis.

Non enim veni vocare justos, sed peccatores.

s. x, 8. d. v, 7.

Si justus est Dominus et justitias dilexit, si odit omnes qui operantur iniquitatem, quare hic dicit : Non veni vocare justos, sed peccatores ? Verum de illis justis loquitur, qui cum vitiis pleni sint, tamen intolerabili animi superbia, vel deploranda cæcitate justi sibi videntur : itemque de illis peccatoribus, qui se peccatores ex animo agnoscunt, nec tamen in sordibus vitiorum cum porcis volutari appetunt, sed præterita peccata admisisse se dolent, ac deinceps omnino statuunt resipiscere, et juxta Dei voluntatem exigere omnes dies vitæ suæ : recogitantque cum Ezechia sancto rege omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, et student prævenire faciem Domini in confessione, utt anto securius occurrant venturo judici, quanto se in hac vita studiosius ab admissis peccatis expurgarint. Tales peccatores venit vocare Dominus Jesus potius quam falso justos, qui sibi justitiam vindicant sine cultu et operibus justitiæ : qui justitiam ore præ se ferunt, vita et moribus fugiunt : qui cum sint ad omne opus bonum reprobi, tamen omnia sua tuta arbitrantur, et præ se cæteros aspernantur, sicut superbus ille Pharisæus, qui publicanum despicere non verebatur, quem Deus non despiciebat, utpote corde contritum, et ad Deum toto corde conversum. Usurpatores justitiæ, ait Ambrosius, non vocantur ad gratiam. Nam si gratia ex pœnitentia, utique qui fastidit pœnitentiam, abdicat gratiam. Maxima autem ex his Domini verbis præstatur consolatio et fiducia miseris peccatoribus sese emendare cupientibus, dum se ait non propter justos sed peccatores venisse in hunc mundum. Sic et Paulus ait : Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Ne quis tamen propterea velit manere in peccatis, sanctus Gregorius Nyssenus sic locum hunc interpretatur, quasi dixerit Dominus : Adeo peccatores non abominor, quod eorum tantum gratia veni, non ut maneant peccatores, sed ut convertantur et boni fiant. Hæc ille. Denique non est dubium, quin charior sit Deo peccator humilis, qui suæ infirmitatis conscius, pœnitentiam agendo divinæ gratiæ se submittit et subjicit, quam justus superbus, qui de sua justitia sese efferens, alios condemnat. Unde merito reprehenduntur Pharisæi, qui sacrificia faciebant ut justi apparerent coram populo, nec exercebant opera misericordiæ, in quibus probatur vera justitia.

Is. xxxviii, 15.

Peccatores quosnam Christus vocare ad se venerit.

Luc. xviii, 11-13.

I. *Tim.* i, 19.

Gregor. Nyssenus.

Justitia vera per quæ probetur.

SERMO IN EODEM FESTO

DE APOSTOLORUM DIGNITATE ET EXCELLENTIA, ET IN QUIBUS EOS IMITARI DEBEAMUS.

IMITATORES mei estote, sicut et ego Christi. I. ad Corinthios IV, 16.

His verbis Paulus Apostolus bis eadem in Epistola hortatur Corinthios, ut ipsum imitentur, nihil veritus ne arrogantiæ tribueretur, quod se ceu perfectionis exemplar aliis proponeret imitandum, sed optime sibi conscius, quantis quamque præclaris esset divinæ gratiæ affectus donis, ut merito eum Corinthii imitandum suscipere deberent. Quamobrem alibi quoque de se, cæterisque Apostolis confidenter scribit: *Nos ipsi primitias spiritus habentes,* id est, præcipua spiritus charismata. Voluit enim Dominus Jesus sanctos Apostolos omnium credentium duces et magistros, et sicut propheta ait, populorum principes constituere. Itaque decebat eos largioribus Sancti Spiritus donis imbui, præstantioribus ornari prærogativis, omni sanctitate et sapientia, omnimoda perfectione, virtute et gratia, et singulari divinarum proprietatum participatione donari : denique tanta divinorum charismatum plenitudine inundari, ut inde toti mundo communicare possent et influere. Ipsi nimirum duodecim illa sunt præcipua Ecclesiæ fundamenta in Apocalypsi descripta, quæ sustinent totius Ecclesiæ ædificium : possuntque etiam Angeli illi duodecim dici, qui ibidem in portis duodecim fuisse describuntur. Siquidem sacerdotio fungentes, et Evangelicis clavibus utentes, Angeli officium exercent : imo et angelici principes jure vocantur, utpote qui gradum supremum tenent in Ecclesia et sancta illa civitate, sicut Apostolus ait : Primo quidem in Ecclesia dedit fieri Apostolos. Ipsi etiam constituti sunt judices duodecim tribuum a summo principe.

Rom. VIII, 23.

Ps. XLIV, 17.

Perfectio Apostolorum quanta fuerit post Spiritus Sancti receptionem.

Apoc. XXI, 14.

Fundamenta Ecclesiæ ut sint Apostoli.

Ephes. IV, 11.

Præterea ipsi sunt primarii illi et peculiares fructus duodecim ligni vitæ, quos ipsa arbor vitæ produxit in cibum et pastores totius familiæ suæ, quorum saluberrimis institutionibus et doctrina vivifica totum Ecclesiæ corpus pascitur, ac vegetatur. *Non* enim *in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei,* loquentis per sanctos Apostolos tanquam organa purissima. Atque his fructibus mirum in modum delectatur Ecclesiæ sponsus Christus Jesus, delectatur et Pater omnipotens, tanquam in propagine dilectissimi Filii sui. Porro sub istis fructibus duodecim continentur omnes alii, sicut super iisdem fundamentis cætera omnia ædificata sunt. Et ut isthæc duodecim fundamenta unico illi et præcipuo, quod est Christus Jesus, innituntur fundamento, sic etiam omnes illi fructus, id est, electi omnes ab unica illa arbore vitæ, eodem scilicet Domino nostro Jesu Christo, proficiscuntur: unde mirifice ad invicem congratulantur, considerantes se a tam præclara et eximia arbore processisse. Ad hæc, ut jam partim dixi, ipsi Apostoli principes sunt populorum, præfecti duodenis tribubus, in quibus totum concluditur genus humanum, qui gladio spiritus duodecim mundi partes sive totum terrarum orbem debellarunt, victoresque triumphum reportarunt. Unde merito jam coronantur cum ipso Imperatore, collocatique sunt tanquam ejus assessores supra præcipuas duodecim gloriæ sedes, ut præsideant et judicent duodecim tribus Israel, atque adeo exaltati sunt super omnes tribus terræ, habentque gladios ancipites in manibus ad faciendam vindictam de hostibus tartareis, quos divina freti virtute superarunt, et ab hominum

Matth. 4.

Fru… Eccle… ut sin… Apost…

Princ… ut sin… Aposto…

Ps. CX… 6.

cordibus salutari prædicatione excluserunt. Denique adeo in gratia confirmati creduntur illo die, quando e cœlis Sanctum accepere Spiritum, ut deinceps nunquam possent ex gratia excidere. Recte igitur omnes illi et singuli nobis dicere queant, quod Paulus Corinthiis *Imitatores mei estote sicut et ego Christi.*

Occurrunt autem in beatissimis Apostolis tria specialiter imitanda, nempe, perfectus mundi contemptus, perfecta sui mortificatio et ardentissimus erga Deum et proximos amor. Cum enim a Domino vocarentur, sine mora relictis omnibus illum sequebantur, tanquam vinculis quibusdam attracti, a quibus se excutere non possent. Nihil erant solliciti de crastino, non timebant, ne si pauperem hominem sequerentur, simul cum illo paupertatis incommoda sustinerent, nec sibi longa vitæ spatia et jucundos dies pollicebantur, si manerent in mundo, et facultatibus suis fruerentur : sed tanquam onera quædam et mortis laqueos omnia mundi hujus bona abjiciebant, felices se putantes, si pauperem Christum pauperes sequerentur. Quod revera magna admiratione non vacat, potuisse eos tam facile adduci, ut in hominis ignoti disciplinam sese traderent, eumque verum Dei Filium non ambigerent, cum tamen multa in eo cernerent tanta majestate indigna, et communibus eum mortalium miseriis et calamitatibus subditum viderent, passimque eum ab omnibus irrideri, despici et male tractari in dies experirentur. Sed occulta divinæ potentiæ virtus in eorum animis operabatur, ut et vocantem intrepidi sequerentur, et agnoscerent Deum latentem in homine, nec fraudem ullam suspicarentur, cum nihil in Christo nisi sincerissimam simplicitatem, veritatem, justitiam, modestiam, rectitudinem conspicerent. Non enim fucare se noverat candida simplicitas, veritas fallere nesciebat, justitia nihil iniquum, nihil modestia indecens, nihil rectitudo summa pravum admittere poterat. Itaque sancti Apostoli a Christo vocati, statim toto corde mundum relinquebant, divina gratia omnem in eis mundi amorem exstinguente, atque inter nos cordis eorum reserante obtutus, ut viderent, quam nihil sint quæ mundus admiratur, quam vana sint et caduca, quibus mundus deditus est, quam perniciosa et periculosa, quæ mundus toto animo amplectitur, quam denique horrenda et fugienda, quibus mundus tanquam summis bonis inhæret.

Mundus quanto studio contemnendus.

In hoc ergo, dilectissimi, nos sanctissimos patres et duces nostros sectari debemus, ut contemnamus mundum et omnes vanitates illius. *Si quis diligit mundum,* ait Joannes Evangelista, *non est charitas Patris in illo. Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Homo natus de muliere, brevi vivit tempore, ut meminerit se peregrinum esse et exulem in hoc mundo, et repletur multis miseriis, ut vexatio det intellectum auditui, ne oblitus sui, male sese dedat bonis præsentibus, quibus utendum est, non fruendum, quæ Dominus Deus nobis adminiculo esse voluit, non impedimento, ut nos celerius provehant ad Deum non ab eo abducant. Sicut enim vehiculis utimur ad conficiendum citius iter, non ob capessendam voluptatem, sic et commoda et bona vitæ hujus eatenus sumenda sunt, quatenus nos celerius promovent apud Deum. Quidquid autem a Deo nos distinet ac abstrahit, quantumcumque charum sit, abjiciendum est, ne quidquam Christi amori præponatur. Nam ille animam suam propter nos neci tradidit, ut et nos illius causa parati simus etiam charissima quæque deserere.

I. *Joann.* II, 15.

Hebr. XIII, 14.

Job XIV, 1.

Is. XXVIII, 19.

Bonis temporalibus quatenus utendum sit.

Ut autem facilius mundum contemnamus, quinque nobis diligenter pensanda sunt, quæ etiam mundi sapientes et philosophi tractarunt quidem, sed satis explicare non potuerunt, utpote naturalis duntaxat luminis exigua illis prælucente scintilla, qua se ad supernaturalia cognoscenda extendere non potuerunt. Sunt autem hæc quinque : qui simus : unde venerimus : ubi habitemus : quo tendamus : per quam

Quinque quænam considerandi in mundi contemptione.

viam tendamus. Primo quidem qui simus, Philosophi nunquam satis explanarunt. Peripatetici hominem vocant animal rationale productum ab homine et a sole. Academici addunt illi quiddam divinum, quod Plotinus intellectum vocat. Sed Dominus noster Jesus Christus vera Patris sapientia, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ reconditi, qui perdit sapientiam sapientum, cujus doctrina omnis verissima est, non opinionibus ambigua, is, inquam, plane nos docuit esse filios Dei, adhibens prophetæ sui testimonium, dicentis: *Ego dixi, dii estis, et Filii Excelsi omnes.* Imo non solum id docuit, sed quia a tanta dignitate fraude diabolica misere cecideramus, nec ullum ipsius in nobis manserat vestigium peccato nos penitus a Deo disjungente et alienos efficiente, ut jam omnes filii iræ diceremur, etiam benignissima miseratione potestatem nobis dedit filios Dei fieri, mortificata carne et sanguine, quibus obsequendo, ab illa dignitate dejecti eramus. Docuit etiam, ut per veram voluntatis consensionem et suavem concordiam cum ipso, filii Dei efficiamur, ubi ait: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Quæ pax non est ea quam mundus optat et amicis suis pollicetur, ut sublato prædonum, latronum et hostium metu, suas quisque facultates secure possideat, et fruatur bonis lucis hujus: sed illa, quæ nobis semper esse debet cum Deo, quæ in omnimoda cum illius voluntate consonantia et concordia consistit, ut nihil appetamus unquam, nihil agamus, nisi quod illi gratum sit, proculcatis penitus vitiis et concupiscentiis, debellatis hostibus, et pacatis ac sedatis affectibus. Multa etiam alia idem ipse nos docuit, Philosophis incognita, ut quod erimus sicut Angeli in cœlis, et quod anima toto mundo præstantior sit, etc.

Homo quomodo definiatur a sapientibus.

Col. II, 3.

Ps. LXXXI, 6.

Quænam Christus nos docuerit.

Pax vera quænam sit, quomodoque obtineatur.

Secundo, cogitandum nobis est, unde venimus. Hinc sane Philosophi velut in tenebris palpitantes et tanquam somniantes locuti sunt, nihil nobis certi relinquentes. Quid enim certi traderent, qui verum Deum nesciebant? Christus autem a Deo nos progenitos apertissime docet, ubi nos jubet sic orare: *Pater noster, qui es in cœlis.* Atque etiam ubi vetat, ne quem alium Patrem agnoscamus, ita dicens: *Nolite vocare vobis patrem super terram: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Si ergo filii Dei sumus, si ex Deo traximus originem, turpe nobis ducamus amare mundum, et in injuriam tanti Patris, vilibus istis rebus amore adhærescere. *Si* enim *filii* Dei *sumus, ergo et hæredes.* Qui ergo cœli hæreditatem certo exspectare possumus, cur terrena appetamus? Regna cœlestia nobis promittuntur, et nos terram potius eligemus? Itaque contemptis mundi bonis, tanquam alienis et indignis, cœlestia ceu hæreditatem nostram inquiramus. Turpe est, si regis filius, regni gloria posthabita, vilia quædam et infima lucra sectetur. Et nobis turpe itidem sit, æternis ac immensis neglectis honoribus, amore mundum prosequi, qui semper fallit amicos suos, ridetque confidentes sibi, nec unquam melius nisi contemptu vincitur.

Homo unde venerit.

Matth. VI, 9.

Ibid. XXIII, 9.

Rom. VIII, 17.

Mundus quomodo melius vincatur.

Tertio attendendum est: ubi habitemus. Utique in carcere, in exilio, in loco peregrinationis, in hospitio, in mansione prorsus hostili, in vicinia inferorum, in medio innumerabilium dæmonum, qui nos odio inexpiabili prosequuntur, et omni momento ipsum animarum nostrarum sanguinem sitiunt. Didymus quidam rex Brachmanarum (qui apud Indos gymnosophistæ et philosophi fuere), homo gentilis: Non sumus, ait, hujus mundi incolæ, sed advenæ. Ipse Dominus Jesus multis locis Evangelii perspicue tradit mundum hunc, in quo peregrinamur, nostrum esse acerrimum inimicum. Quamobrem etiam ipse omnia mundi prospera et commoda fugit et contempsit, et semper inops, exul et peregrinus vixit in terris. Ipsius est enim vox illa in Psalmo: *Advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei.* Deinde ex Sacris Litteris discimus infernum esse in terræ visceribus, neque nos longe ab illo absumus: quod solum si bene pensetur, potest ingentem

Homo ubinam habitet.

Didymus rex Brachmanarum.

Ps. XXXVIII, 13.

Infernus ubinam sit.

mundi horrorem nobis incutere, quandoquidem ita vicini et propinqui sumus teterrimo illo carceri, ubi cruciantur hostes Dei, ubi sempiternum est tenebrarum chaos, ubi nihil nisi extrema calamitas et miseria et omne malorum genus grassatur. Nec desunt loca, quibus se manifeste prodit ignis tartareus, aliaque inferorum tormenta. Quis igitur nisi totus amens amare velit hunc mundum, ubi tam propinqui habitamus dæmonum et damnatorum hominum carnificinæ, ubi juste in omne ævum pro suis sceleribus punientur? Quis item mundum amare velit, qui nonnisi hospitium est plenum latronum et furum insidiis, omni nos gratia atque ipso Deo et vita æterna spoliare studio irremisso ac infatigabili nitentium? Quis non illum viatorem stultissimum judicet, qui oblitus patriæ, in hospitio procul a patria cum summo vitæ discrimine hærere malit, ubi tamen certus sit crudelissimis et innumeris se cinctum hostibus, nec ullum fidum habere amicum, cui tuto possit fidere? Est ergo cautissime cavendum, ne expoliemur, dilapidemur, vulneremur ac funditus pereamus. Id vero nunquam rectius cavebimus, quam si mundum istum ut carcerem, ut exilium, ut hospitium plane insidiosum, ut locum pestiferum et hostilem ex animo despiciamus.

Amatores mundi quantis sint expositi periculis.

Homo quonam tendat.

Quarto, considerandum est, quo tendamus. Quod philosophi quidam, utpote a nostris mutuati aliqua ex parte attigerunt, sed tamen more suo. Christus autem evidentissime docet ad regna cœlorum nos vocatos esse, eoque tendere debere: ubi nimirum erit manifesta visio totius adorandæ Trinitatis, fruitio omnium bonorum, et status omnium bonorum aggregatione perfectus, qui est status veræ beatitudinis: ubi denique erit vita æterna, cujus dulcedinem quisquis perfecte cognoverit, ut ait sanctus Gregorius, ea quæ in terris amaverat, libenter cuncta derelinquit. In comparatione ejus vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit. Inardescit in cœlestibus animus: nihil in terrenis libet: deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei placebat specie. Et sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit. Ergo ut facilius in nauseam vertantur bona labentia, caduca, fragilia, vana, incerta, ea semper animo versentur, quæ nobis reposita sunt in cœlis, quo tendit omnis qui Deum vere amat.

Vitæ beatæ quanta sint gaudia.

Homo per quam viam ambulet.

Quinto denique pensitandum est, per quam viam tendamus: quæ est utique Dominus noster Jesus Christus, qui se viam nobis fecit et baculum, cui innixi pergamus ad Patrem, nedum sustentans nos, sed etiam ducens, attrahens et portans. Sub cujus persona dicit Augustinus: Cum esses inimicus, Patri meo reconciliavi te: cum errares inter montes et sylvas, quæsivi te: inter lapides et ligna quæ adorabas, inveni te: humeris meis portavi te usque ad Patrem, cui te reddidi. Idem ipse omnia peccatorum nostrorum pondera in se recepit, ut expeditius tendamus, et minori negotio perveniamus. Docuit etiam nos quomodo renovari debeamus, ne si in teterrima illa effigie, quam peccando contraximus, purissimis illis supernorum civium agminibus nos conjungere et ingerere velimus, summa severitate rejiciamur, multo magis quam ille e nuptiis ejectus scribitur, qui non habuit vestem nuptialem. Potissimum autem docuit nos Christus viam nostram fixus in cruce. In qua si eum attente et sedulo contemplemur, fieri vix poterit, quin summum mundi hujus contemptum, odium et horrorem contrahamus. Quid enim illa ejus in cruce nuditas, quid immanissimi dolores, quid acerbissima mors aliud docuit, nisi ut nihil hujus mundi appetamus, ut mundo crucifixi simus, et illum nobis crucifixum habeamus, ut denique perfecte moriamur omnibus, quæ hic mundus habet et offert stultis et insanis amicis suis?

Viam cur se nobis præbuerit Christus.

August.

In Cruce pendens uti Christus nos mundi contemptum docuerit.

Alterum quod in sanctis Apostolis imitandum diximus, est perfecta sui mortificatio. Quæ quam fuerit excellens in illis patribus, vel inde satis colligi licet, quod

Mortificatio quanta fuerit in S. Apostolis.

Act. v, 41. in Actis Apostolicis leguntur ivisse gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contumelias pati. Non enim potest in contumeliis et suppliciis ac doloribus pie et religiose gloriari, nisi in quo omnis privatus amor funditus exstinctus sit. Amoris autem privati perfecta exstirpatio, perfecta sui mortificatio est. Ubi enim nullus hæret privatus amor, ibi perfecta est charitas erga Deum. Ubi autem perfecta est charitas, ibi non potest peccatum habere locum. Ubi vero nullum est vitium, ibi nihil mortificandum superest. Quamobrem sancti Apostoli tanto erant in sui mortificatione perfectiores, quanto minus amoris proprii in illis inerat. Quod autem pestiferi amoris illius vestigium in illis reliquum esse poterat, quibus vivere Christus erat et mori lucrum? quibus vita erat in patientia, et mors in desiderio? Multa hic adhuc dicenda forent, sed cavemus prolixitatem.

Mortificatio perfecta in quo consistat.

Tertium in Apostolis imitandum, est ardentissimus erga Deum et proximos amor. Quem tum perfecte sunt adepti, quando Spiritus Sanctus in eos descendit, qui eos totos igne sui amoris incendit, et mirabiliter inflammavit, ut nihil possent cogitare aut desiderare aliud, quam honorem Dei et salutem animarum. Et ut longius Dei nomen et fidem propagare pluresque Deo animas lucrari possent, per totum intrepidis animis peragrarunt orbem, ubique annuntiantes verum Deum, et simulacrorum detegentes superstitionem et vanitatem: nec quisquam ferme ex illis, nisi violenta morte interiit, quam quidem ob amorem Dei summo cum desiderio excipiebant. Quanta autem erga seipsos egerint, causa amoris Dei, ut Christo crucifixo sese conformarent, jejunando, orando, vigilando, laborando nocte ac die, corpus diversis laboribus et afflictionibus fatigando et atterendo, et innumera alia exercendo pietatis opera et studia, nemo possit vel cogitando assequi.

Amor Apostolorum erga Deum et proximos quantus fuerit.

Nunc igitur, charissimi, sanctissimos patres et duces nostros imitemur, sicut et illi Christum Dominum perfectissime sunt imitati. Contemnamus mundum, nosipsos mortificemus, et Deum ac proximos toto corde diligamus. Discamus cum sanctis Apostolis pro Christo mala perpeti, pro dulcibus amplecti amara, honores spernere, contemptu gaudere, noxiis abstinere delectationibus, occasiones peccandi fugere, dissolutos vitare mores, pro peccatis propriis et alienis ingemiscere, pro afflictis et tentatis orare, pro illis qui nobis benefecerunt gratias agere, pro inimicis ut convertantur deprecari, congaudere bonis, condolere miseris, indigentibus opitulari, alta non appetere, sectari humilia, simplicia amplecti, superflua rejicere, paucis contenti esse, virtutibus navare operam, adversus vitia quotidianum inire certamen, carnem domare jejuniis moderatis, spiritum oratione et lectione pia roborare, humanas laudes respuere, solitudinem expetere, silentio delectari, vacare Deo, suspirare ad cœlestia, terrena omnia medullitus vilipendere, nihil præter Deum nobis consolatorium arbitrari. Denique Deum super omnia, et proximos omnes in Deo et propter Deum amare. Hæc est enim summa quædam et compendium totius doctrinæ christianæ, in qua nos una cum Apostolis Christum imitari debemus, qui suis exemplis ne trepidemus nos animavit, suis institutionibus ne erremus edocuit, suæ gratiæ auxilio ne deficiamus munire paratus est, et ut fortiter perseveremus, seipsum nobis præmii loco polliceridi gnatus est: cui sit honor et gloria in secula seculorum. Amen.

In sanctorum celebritate quidnam discere debeamus.

Compendium doctrinæ christianæ quodnam sit.

IN SOLEMNITATE

SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI

ET OMNIUM SANCTORUM ANGELORUM

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

IN diebus illis : Significavit Deus quæ oportet fieri cito, loquens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit. Beatus qui legit, et qui audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt : tempus enim prope est Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia : Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, et a Jesu Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ : qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. *Apoc. I.*

APTE quidem in festo beatissimorum spirituum angelicorum lectio ista pronuntiatur, ubi inter cætera gratia et pax optatur Ecclesiæ a septem spiritibus, utique angelicis. Quid enim aliud possint precari nobis Angeli pacis, nisi pacem ? non quam mundus præstat, sed gratia Dei, quæ sola vere pacatos, tranquillos et securos nos efficit. Ergo Ecclesia libenter hac lectione utitur, ut dum fideles erga se supernorum spirituum benevolentiam agnoscunt, ad eorum amorem et piam venerationem, debitamque gratitudinem accendantur, cupiantque illis charitatis vicem rependere, a quibus se tantopere sentiant amari. Sed nunc lectio ipsa tractanda est more nostro. Cum esset Joannes Apostolus et Evangelista (qui consensu sanctissimorum et doctissimorum Patrum, Irenæi, Hieronymi, Justini, Tertulliani, Origenis et latinorum prope omnium, Apocalypsim descripsit, non ut recentiores quidam somniant, alius quispiam) in Pathmos insulam relegatus, significavit illi per revelationem sive imaginariam visionem Deus, qui revelat mysteria, quæ oportet fieri cito, omnem videlicet Ecclesiæ statum ad ipsum usque extremum diem. Non enim quisquam unquam tam perfecte ac dilucide cuncta Ecclesiæ eventa, ut Apostolus et Evangelista Joannes descripsit. Atque ad hæc significanda usus est Angeli ministerio, forte illius qui custos eidem Apostolo erat assignatus, vel alicujus ex Archangelorum ordine per quem misit et aperuit Deus cuncta hujus Apocalypsis mysteria servo suo et Apostolo ac discipulo Joanni Evangelistæ. Ut enim Dionysius Areopagita testis est, revelationes propheticæ fiunt ministerio Angelorum.

Apocalypsim quis vere scripserit.

Angelorum quisnam S. Joanni Apocalypsim revelarit.

Martyrium S. Joannis Evangelistæ.

Illi, inquam, Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei missus Romæ in ferventis olei dolium, a quo tam exivit illæsus, quam erat ab omni corporis pollutione immunis. Malebat enim vitæ subire discrimen, quam negare Christum verbum Dei, cui testimonium reddidit, pro illius amore contemnendo quidquid posset mundus inferre supplicii, et libera voce scriptisque clarissimis eum omnibus prædicando. Non enim putabat sibi quidquam esse formidandum, quominus Christum Dei Filium libere omnibus annuntiaret. Noverat eo se in Christi Apostolum adscitum, ut ipsum cunctis verbo et scriptis prædicaret. Unde etiam fidelissime suo functus officio testimonium perhibuit verbo Dei, et testis fuit Jesu Christi sincerus et integer, patefaciens quibus poterat modis quæcumque vidit, id est, res gestas omnes Domini Salvatoris, quarum notitia erat fidelibus utilis ac necessaria. Idque certe non vulgari constantia eum fecisse constat, quandoquidem in Actis Apostolicis inter præcipuos ipse numeratur, et sancto Petro Apostolorum principi aliquoties comes et socius peculiaris adjungitur.

Quamobrem beatus ille merito censendus est, tum præsenti conscientiæ pace et securitate, tum futuræ gloriæ certa exspectatione, qui legit pia devotione et credula animi pietate, et qui audit alios recitantes, aut e suggestu annuntiantes et explanantes verba prophetiæ hujus : nec tamen sola lectione vel auscultatione contentus est, tanquam sufficiat ad salutem nosse voluntatem Dei, sed etiam servat reipsa et opere, quæ in ea scripta sunt. Servare namque et exequi voluntatem Dei, id potissimum exquiritur a nobis. Legas omnia divinorum scriptorum volumina, fidem accommodes promptissimam et certissimam omnibus inibi contentis : nisi tamen etiam obedientem et morigerum te exhibeas erga ea quæ vel facere, vel cavere jubent, quid quæso tibi proderunt ? Beatus ille, qui legit, audit et servat verbum Dei : miser autem et infelix qui cum sciat voluntatem Dei, aut merito scire deberet et posset, tamen contentus inani fide, putat opera a se non exigi, sed fidem solam sufficere ad salutem. Verum beatus qui et novit et servat verba prophetiæ hujus, bona in ea scripta adimplendo, et mala devitando : quia tempus prope est, quo justus et æquissimus judex reddet præmia singulis pro cujusque meritis, et non auditores legis sed factores in justorum consortium assumet. Tempus, inquam, prope est, quo intelligent omnes pariter, quam bonum fuerit servire Deo, quam malum et amarum reliquisse Dominum Deum, nec timorem illius fuisse apud nos.

Voluntatem Dei opere exequi ut a nobis requiratur.

Jer. II, 19.

Joannes Apostolus et Evangelista septem Ecclesiis Asianis, adeoque cunctis toto terrarum orbe constitutis Ecclesiis, ita ut a Deo jussus est, hanc scripsit prophetiam : optatque ut vobis qui Deo credidistis, et in ejus membra transistis per fidem et charitatem, quæ ubique in omnibus annuntiantur Ecclesiis, gratia per quam sitis accepti Deo, et pax cordis et temporis sit, ab eo qui est Deus unus atque idem, semper immutabilis, immotus, indeficiens ac invariabilis, et qui erat ante omne ævum, et qui futurus est in ævum sempiternum, venturusque ut reddat mercedem justis et iniquis pro meritis singulorum : et a septem spiritibus, hoc est, septem summis Angelorum principibus : vel tota sanctorum Angelorum frequentia et universitate, qui septenario numero tanquam universa complectente comprehenduntur, et sunt in conspectu throni ejus, in præsentia divinæ majestatis, in superna Jerusalem, ubi semper intuentur faciem ejus, et officiosissime obsequuntur et famulantur Viventi in secula seculorum, a quo se intelligunt habere omnem felicitatem suam, jureque illi debere se totos et quidquid possint. Optat autem sanctus Joannes, ut gratia et pax nobis sit a Deo tanquam datore et auctore, ab Angelis autem tanquam piis intercessoribus, qui nobis Dei gratiam et pacem concilient. Offerunt enim sancti Angeli preces nostras Deo, suasque illis

Angelos offerre preces hominum.

jungunt, sicque optata nobis divinæ gratiæ munera referunt.

Sed et pax et gratia vobis sit, inquit, a Jesu Christo, qui quatenus Deus est, cum Patre et Spiritu Sancto totius gratiæ fons et largitor est : quatenus vero homo, suis excellentissimis meritis gratiam nobis et pacem temporariam ac sempiternam tanquam præcipuus et singularis mediator obtinuit, si tamen nos cooperari velimus. Idem autem ipse testis est fidelis, quia veritas infallibilis secundum divinitatem, et quia ob veritatis testimonium mortem carnis durissimam sustinuit secundum humanitatem : et primogenitus mortuorum, eo quod primus a morte surrexerit in æternum victurus : et princeps regum terræ, id est, electorum omnium, qui vitiis universis et animo suo dominantur, qui soli jure reges vocantur, regnaturi semper cum principe suo et Imperatore Jesu Christo, qui dilexit nos amore prorsus gratuito, immenso, æterno, et lavit nos a peccatis nostris non quocumque modo, sed in sanguine suo, quo ipso suum erga nos amorem evidentissime declaravit, fundens pro nobis sacrosanctum sanguinem suum, et quidquid nos merito luere debueramus, in se recipiens atque eluens dirissimis et atrocissimis cruciatibus, ipsi ab humano genere, quod crearat, quod redimere venerat, irrogatis.

Reges quinam soli jure vocentur.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, MATTHÆI XVIII.

IN Evangelio hodierno commemorantur discipuli Dominum interrogasse, quisnam potioris dignitatis et gloriæ futurus esset in cœlis : moti videlicet inde, quod pro Petro idem pretium quod pro Domino Salvatore solutum viderant, et eumdem cum Joanne et Jacobo filiis Zebedæi majori Christi familiaritate uti non ignorarent. Sed quid sibi vult isthæc percontatio? Nondum in eorum pectore Satan penitus contritus erat : adhuc pestiferum superbiæ et ambitionis semen intus delitescebat,quod nisi gratia Spiritus Sancti, et Domini Jesu admonitione et castigatione paulatim elisum fuisset, poterant sane toti Ecclesiæ non parvo fuisse scandalo, quod ipsi inter se de dignitate contenderent, quos Dominus primos et præcipuos in Ecclesia sua esse voluisset. Sed permisit pius et sapiens Dominus in discipulorum suorum cordibus quædam hærere vitia, ut ea non in illis tantum opportuno tempore, sed etiam in nobis omnibus curaret, dumque quid in tam electis et charis discipulis ipse reprehenderit disceremus, magis solliciti simus cavere ejusmodi. Sic dum illos patitur aliquamdiu certis non carere vitiis, nos adversum illa præmunitos optat, ut illorum imperfectio nobis ad perfectiora sectanda calcar adhibeat. Simul etiam ut agnoscamus, quanta sit humanæ naturæ infectio, corruptio, imbecillitas, quando nec illi vitiis satis dominari poterant, qui perpetua Filii Dei consuetudine, præsentia, familiaritate potiebantur. Quam autem conveniat hoc Evangelium solemnitati sanctorum Angelorum, facile intelligi potest, tum quod hic scandala pusillorum adeo condemnantur, utpote nedum Deo, sed etiam sanctis Angelis hominum custodibus summe invisa, tum quod expressa sit beatitudinis Angelorum commemoratio. At nunc Evangelium explicare tentemus.

Quid reprehensibile cur Christus in Apostolis hærere permiserit.

Evangelium præsens quam apte quadret huic solemnitati.

Accesserunt ad Jesum discipuli, dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum ?

Quæstio hæc supervacanea est et curiosa, id explorare cupiens, quod scire nihil attineat. Quid ad te, o homo, quis major sit in regno cœlorum? Quærebant hoc Apostoli etiamnum infirmi et imperfecti adhuc carnales et tepidi, necdum spirituales, et divino amore pleni. Alioqui si in eorum pectore flamma divini amoris fortiter arsisset, non potuissent ad supervacanea investiganda animum adjecisse: quandoquidem amor Dei non sinit hominem aliud vel cogitare, vel inquirere, vel desiderare quam Deum. Philosophi quidam atque perplures etiam hodieque christiani sapientes vel potius deliri tempora et ingenia sua in rebus inanissimis detriverunt et deterunt, quarum cognitio plus ad veram salutem officiat, quam conferat. Sed quare hoc? Quia intus vacui sunt et inanes, divinique amoris expertes. Eoque etiam ipsi vani redduntur, curiosi et scioli, et cum nihil aut parum habeant veræ eruditionis et sapientiæ, tamen audent vel e sublimi in sanctissimos Patres ferre sententiam et cum nec seipsos norint, alios omnes contemnere, lacerare, rejicere. Qui si neglectis rebus frivolis ac superfluis, ad salutaria et utilia inquirenda, discenda, perscrutanda, sectanda, docenda sese conferrent, atque ante omnia Dei amorem totius vitæ nostræ scopum consequi, atque in eo magis ac magis crescere et augeri contenderent, rejectis ac posthabitis omnibus, quæ illum impedirent aut minuerent, jam sane et sibi et aliis fructus magnos afferre possent. Sed curiositas imponit multis, a qua nec Apostoli fuere immunes, quando scire voluerunt, quisnam major esset in regno cœlorum: quod tamen etiam ex superbia et ambitione quadam quæsiisse videntur: quæ quidem pestis altas in natura humana radices egit, insita et instillata ei a fallacioso illo serpente, qui ut protoparentes nostros a divinæ legis obedientia abduceret, promisit eis Dei similitudinem in cognitione boni ac mali: ad quam tum illi temere aspirarunt. Sed et illis et nobis omnibus evenit, quod in Psalmo quodam miserabiliter dicitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Et quotquot ex illa depravata radice trahimus originem, ad elationem et ambitionem, atque adeo quævis vitia male propensi sumus. Quid vero respondit Dominus Apostolis curiose percontantibus?

In hujus seculi curiosos sciosque Evangelicos.

Ps. XLVIII 13.

Curiositas quibus quantum imponat.

Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis: nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

Apostoli summam cœli dignitatem expetunt, et usque ad infimæ ætatis abjectionem ac humilitatem reducuntur. Advocans enim Dominus parvulum quemdam qui etiamnum totus ætate parvulus ac innocentiæ puritate præditus esset ob susceptam circumcisionem, qua olim apud Judæos infantes mundabantur ab originis macula, sicut apud nos baptismo, statuit eum in medio eorum, ut exemplo, quod in moralibus plurimum valet, eorum fastum reprimeret, atque ad virtutem provocaret, dixitque eis: Amen dico vobis: nisi ab hac mentis vanitate et perniciosa principatus obtinendi contentione conversi fueritis ad humilitatem, modestiam, simplicitatem et innocentiam parvulorum, non solum non eritis magni in regno cœlorum, sed nec intrare in illud permittemini. Habet æta sinfantium multa, quæ etiam viros imitari deceat: ut quod non irascuntur, non intumescunt animo, non se ultra æquales efferunt, non invident majoribus, non contemnunt inferiores, non in hominibus fortunam venerantur, naturam despiciunt, non sunt libidini dediti, non student avaritiæ, non sunt ambitiosi, denique et multis aliis carent malis, et bonis præditi sunt. Quæ nisi vos per gratiam et industriam adipisci studueritis, sicut illi ea ex natura habent, non admittemini in regnum cœlorum. Nolo autem

Infantium proprietates quænam sint.

I. Cor. XIV, 20.

vos sensibus effici parvulos, sed malitia, ut insit quidem in vobis serpentis prudentia, sed adsit etiam simplicitas columbæ. Quid hic dicturi sunt, qui impudentissime aspirant ad honores et dignitates, qui alios cupiunt opibus, potentia, dignitate excellere et anteire, qui christianos se dici et haberi volunt, et a christiana simplicitate, modestia, innocentia tam longe absunt? O vos superbiæ filii, qui in sublime cristas erigitis, huc aures cordis et corporis advertite, quid æterna sapientia præcipiat auscultate: Nisi, inquit, conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Vultis grandes esse? prius estote parvuli. Quod si neglecto Dei consilio et præcepto, absque humilitatis suffragio in altum contendere non cessaveritis, quanto altius ascendisse vos putabitis, tanto profundius corruetis. Lucifer usque ad Dei æqualitatem sese erigere non quidem potuit, sed voluit tamen: et mox infra omnes dæmones in infimum tartari lacum detrusus est.

Superbi et ambitiosi quam lectionem sibi necessariam discere debeant.

Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum.

Non dicit simpliciter: Quicumque humiliaverit se (est enim qui se nequiter humiliat et interiora ejus plena sunt dolo), sed qui se humiliaverit sicut parvulus iste, id est, sincere, ex animo, absque simulatione, absque mendacio, ut quod foris ostendit et præ se fert coram hominibus, ex ipso cordis fundo proficiscatur: non aliud adhibeat foris, aliud intus tegat: id enim duplicitatis est vitium, cujus expers est infantia simplicitatis amica: hic major est in regno cœlorum, tanto quidem major in cœlis, quanto humilior in terris. Facessat ergo omnis superbia et arrogantia, quæ Christi humilitatem respuens, semper tollitur in sublime, et nedum æquales, sed etiam superiores plerumque contemnit. De qua memorabili sententia dicit Chrysostomus: Nihil certe arrogantia atque superbia pejus, quæ mentis quoque vires natura hominibus concessas, ita dejiciat, ut amentes ex prudentia ac animo stolidos efficere videatur. Nam quemadmodum si quis cum statura cubitus sit, instar montium, imo etiam altiorem se putet, ac ideo seipsum quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum insaniæ suæ quæramus. Sic cum inflatum videris hominem, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique opinetur si cæteris hominibus conferatur, nullum jam aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tanto quippe ridiculosior est his qui natura insaniunt, quanto ipse sponte hunc sibi morbum injecit. Sanctus Basilius Magnus in regulis brevioribus, quæstione mota, quomodo regnum Dei accipiemus ut parvulus, respondit: Si ad doctrinam Domini tales nos præbuerimus, qualis est parvus in percipiendis disciplinis, qui non contradicit, neque se disputans adversus magistros defendit, sed tradita sibi præcepta cum fide atque obedientia suscipit. Quod est maxime contra hæreticos, qui sui capitis adinventiones et somnia præferunt totius Ecclesiæ judicio, in malum suum et perniciem simplicium ac miserorum.

Ecclí. XIX, 23.

Humiliandi se modus verus quis.

Basilius.

Superbis quidnam semper fere peculiare sit.

Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.

Quisquis fidelem quempiam hujus parvuli innocentiam, humilitatem ac simplicitatem imitantem suscipit causa amoris mei, et quodlibet in eum confert beneficium, sua vel liberalitate illius levans inopiam, vel consilio et doctrina instruens ignorantiam, vel humanitatis ac hospitalitatis studio eum peregrinum tecto suscipit, aut quovis alio prosequitur charitatis officio, non ille hominem suscipit, sed meipsum, qui non aliter accipio quidquid in quemlibet etiam ultimorum membrorum

Christus quomodo in suis membris vere recipiatur.

meorum collatum fuerit, quam si mihi præstetur. Ecce erga nos charitatem Dei, qui in nobis vel beneficio vel injuria affici dignatur, ut jam merito summe cavendum sit, ne cuiquam licet extremo Christi membro noceamus, maximeque danda opera, ut omnibus, præsertim abjectis, egenis et miseris opitulemur. Nec est sane cur id ægre faciamus, quando totum Christo præstatur. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, hoc est, qui vel verbo, vel facto, vel alio quovis modo alicui tali pusillo, simplici ac humili in me credenti, et forsitan adhuc infirmo et imperfecto (nam tales facilius scandalum patiuntur) causam ruinæ præbuerit, atque in errorem et peccatum atque animæ exitium pertraxerit, non veritus perdere animam, pro qua ego sanguinem meum fudi, expedit ei, præstat, satius est, ut mola asinaria suspendatur in collo ejus, et demergatur in profundum maris, hoc est, ut quantumvis duro afficiatur supplicii temporalis genere, quo spiritus salvus fiat. Potius enim quævis ferenda est pœna temporaria, quam anima cujusquam a Deo abstrahatur. Quamobrem recte movetur sancta Ecclesia catholica, quæ hæreticos obstinatos, qui infinitis animabus scandalo sunt, jubet vivos concremari. Quod sane et ipsis expedit, et aliis : ipsis quidem, ne plures perdendo gravioribus se sceleribus et tormentis reddant obnoxios : aliis autem, ne per illos seducantur. Sic morbidum pecus separatur ab ovili, ne cæteras oves morbi contagione inficiat. Ita et expedit scandalorum fabricatores tolli e medio, ne pusillos suis exemplis aut dogmatibus in damnationem pertrahant. Ex qua Domini sententia luce meridiana clarius fit, quantopere infirmorum scandala vitanda sint : et tamen tot hodie mundus scandalis plenus est, ut virtus sit flagitiis esse deditum, et si quis paulo rectius vivere velit propter timorem Dei, omnibus mox irrisui et contemptui sit : multoque jam studiosius alii alios in vitia, et per consequens in supplicia mortis æternæ non illicere tantum, sed etiam protrudere conentur, quam olim sancti patres proximos ad Deum et virtutes inducere laborarint. Quod quidem satius est lacrymis et suspiriis, quam scriptis aut verbis prosequi.

Scandalum pusillorum quanto studio præcavendum.

Hæreticos obstinatos quam consulto et merito exterminat Ecclesia.

Vivere probe instituens uti hodie omnibus fere sit ludibrio.

Væ mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala. Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

Piissimus animarum Salvator prævidens seculi malitiam, væ, ait, mundo a scandalis : necesse est enim ut veniant scandala. Tanquam dicat : Stultorum infinitus est et semper erit numerus, qui non poterunt aliud quam stultitiam et scandala meditari atque proferre. Quamobrem pessime cum mundo, id est, hominibus mundi amicis et Deum non timentibus, agi necesse erit. Tales enim cum sint aversi a Deo, fieri non poterit quin facile assentiantur et decipiantur impiorum hominum erroribus et offendiculis. Et id melius quotidiana experientia quam ex libris discimus. Extitit unus apostata et excucullatus monachus, divina humanaque omnia miscere cœpit, fixit et refixit leges, in omnes cujusvis ordinis homines spurcissimo ore debacchatus est, nihil nisi carnis desideriis plausibilia docuit, pro sola nuda fide licet sterili, pietatem omnem, studium omne virtutis ac probitatis penitus damnavit et rejicienda tradidit. Denique tanta tamque horrenda et inaudita scribere, dicere, agere non est veritus, ut non possit sine horrore referri : et tamen tot sibi adscivit discipulos ac sectatores, ut nullus unquam sanctorum tot videatur convertisse ad Christum, quot iste brevi tempore a Christo abduxit. Quare hoc? Quia mundus plenus erat infirmis et pusillis, quibus molestum erat servire Deo, carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, per arctam viam et angustam portam ingredi. Quibus ubi spes proposita est, et divinæ Scripturæ sententiis perperam expositis, fallaciter ac insidiose persuasum est solam

Eccli. I, 15.

Martini Lutheri vita, mo… res, fru… ctusque quos sua … impietate … effecit.

fidem sufficere, opera bona supervacanea, imo et noxia esse, atque id genus alia multa prorsus a divinis Litteris abhorrentia, manibus et pedibus in eam sententiam mox iverunt, et scandala animarum suarum, quæ summopere vitare, execrari, detestari debuerant, obviis ulnis, amplexi sunt. Sed væ illis ab hujusmodi scandalis, et quidem væ sempiternum, nisi resipuerint. Atque etiam væ homini illi, per quem scandala ista venerunt. Sed et aliis quibuscumque scandalorum architectis væ. Si enim apud homines mortis sententia plectuntur, qui vestem aut aliquid aliud rei alienæ furantur, quam illi habebunt sustinere pœnam, qui scandalis suis animas, rem longe pretiosissimam, Deo creatori eripiunt? Merito pœnas dabunt æternas, qui animas semper victuras perdunt. O si hæc bene attenderent homines! Quam multa hodie scandala præbentur, et tamen vix quisquam animadvertit, aut alicujus pensi habet. Ornant se mulieres, ornant se viri petulanter nimis, et multi utriusque sexus ex eorum aspectu graviter vulnerantur. Scandalo ergo sunt proximis suis. Et væ illis, ait Dominus, per quos scandalum venit. Dicunt autem : Nos non id volumus nostro ornatu et vestium petulantia, ut alii offendantur. Quid dicitis miseri? Venenum aliis porrigitis, et non vultis ut inde lædantur? Audite, obsecro, quid Chrysostomus dicat : Si vir aut mulier se ornaverit, et vultus spectantium in se provocaverit, etsi nullum indè eveniat damnum, judicium tamen feret in æternum, quia venenum obtulit, etsi non fuit qui biberet. Hæc ille. Augustinus quoque terribilem fert sententiam in eos, qui alios scandalizant, ita inquiens : Magis peccant qui animas ad peccandum inflammant et Deo subtrahunt, quam qui carnem Christi crucifixerunt. Et sanctus Isidorus : Deteriores sunt, inquit, qui sive doctrinis sive exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Væ ergo homini illi per quem scandalum venit. Sed quia duplex est scandalum, alterum quod dicitur activum, alterum passivum, posteaquam hactenus de priori egit Dominus, nunc ad alterum vertit orationem, quod ipsi ab aliis, sive a nobis ipsis patimur.

Scandala præstantes animabus infirmis, quam gravissimis se pœnis involvant.

Chrysost.

August.

Isidorus.

Scandalum bifariam accipi.

Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem et claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te. Bonum tibi est, unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

Si manus tua scandalizat te, ut ad usus illicitos eam adhibere delectet, ut aut tangere velis quod non deceat, aut operari quod illicitum sit, sicut per manus multa fiunt gravia et horrenda peccata : aut item pes tuus scandalizat te, ut ire velis ad perpetranda adulteria, scortationes, homicidia, comessationes, compotationes, aut alia quævis scelera, abscinde sive manum, sive pedem, et projice abs te, id est, mortifica ejusmodi prava desideria, improbas voluntates et tentationes diabolicas, ne præbeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed utaris illis ad ea duntaxat, quorum gratia tibi data sunt a Deo. Melius est enim, ut interim, licet cum aliquo sensualitatis dolore, careas voluptatibus et oblectamentis illicitis, quam pro momentanea delectatione, et membrorum abusu mittaris in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, ut velis pulchras inspicere mulieres, licet te vulnerari sentias, aut quidvis aliud sola ductus curiositate vel cupiditate conspicere, quod tamen sine animæ detrimento non possis, erue eum, et projice abs te, hoc est, averte eum, ne videat vanitatem, et imitare sanctum Job dicentem : *Fœdus pepigi cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Oculi enim nisi se vere custodiantur, gravissima

Manibus et pedibus uti multifariam graviterque peccetur.

Rom. VI, 13.

Oculus scandalizans quomodo sit eruendus.

Job XXXI, 1.

Oculus male custoditus quanta mala animæ inferat.

in animam damna invehunt, quum sint animæ fenestræ, per quas mors ipsa ingreditur. Oculus meus, ait Jeremias propheta in persona hominis oculos suos non custodientis, deprædatus est animam meam. Itaque hac manuum et pedum truncatione, et oculorum rejectione Dominus Jesus omnes carnales affectus rescidit, ut neminem tam charum aut propinquum, aut utilem vel necessarium habeamus, quin eum fugere et abjicere, dum nos abstrahit a Deo, nitamur. Novit unusquisque credentium, ait sanctus Hieronymus, quid sibi noceat, vel in quo sollicitetur animus, ac sæpe tentetur. Melius est vitam solitariam ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam perdere. Melius est solum salvum fieri, quam perire cum pluribus. Et Cassiodorus : Justitia, inquit, non patrem, non matrem novit, personam non accipit, solum Deum considerat et attendit. Rumpe ergo omnem affectum carnalem, et separa eum a te, si major et potentior es : si minor separare ab eo, et in quantum potes devita societatem ejus quem castigare nequis. Nihil enim tam nocivum quam perniciosa societas. Denique hic ipsis verbis sapientissime nobis consulit Deus, monens ut fugiamus peccandi occasiones et pericula. Quæ nisi evitentur, vix aut nullo pacto peccatum evitari potest, præsertim ubi quis se proclivem sentit in vitia, et infirmum ad resistendum. Discamus igitur Christi amore contemnere et mortificare affectus inordinatos erga quascumque res creatas : si pater, si mater, si soror, aut frater, aut quivis alius quantumvis propinquus et charus : si res quælibet creata nobis scandalo est, et illicit ad peccatum, ac abstrahit a Deo, fugiatur et abjiciatur propter Deum. Habet Dominus Deus unde centuplo plura et potiora nobis restituat.

Thren. III, 51.

Hieron.

Vitæ solitariæ laus ex S. Hieronymo.

Cassiod.

Societas perniciosa quam sit animæ nociva.

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis : quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

Solet Deus plerumque abjecta et contemptibilia hujus mundi eligere, et qui mundi amicis despicabiles videantur. Ita ergo Christus, qui animas potius intuetur quam externa bona, ut sunt honores, divitiæ et similia, præcipit hic hominibus, ne quemlibet pusillum in ipsum credentem contemnant ob simplicitatem ac humilitatem illius. Nam, etsi humano judicio tales negligendi censeantur, tamen Deus non eos negligit, imo tanti facit, ut etiam beatissimos ac illustrissimos illos cœli cives, angelicos spiritus eorum custodiæ assignarit, qui nihilominus perpetuo vultum Dei contemplantur, in quo beatitudinis summa consistit. Ubi duo nobis traduntur : Neminem scilicet esse contemnendum, etiamsi pauper et pusillus sit, et Angelos semper videre faciem Patris, qui tamen iidem nobis custodiendis assignati sint. Si ergo contemptibilis quisquam videatur, quod abjectus, simplex et pusillus sit, saltem hoc a contemptu illius nos revocet, quod semper illi adest custos ejus Angelus sanctus, præclarus et gloriosus spiritus, qui certe pro suo in hominem ipsius curæ traditum amore, illius contemptum æquanimiter ferre non potest. Denique, ex hoc loco colligimus immensum erga nos Dei amorem, qui voluerit nobis servire angelicos spiritus, quorum tamen natura sublimior est : nec ambigendum est, quin singuli homines, mali æque ac boni, habeant singulos Angelos vitæ suæ custodes. Et ut divus Hieronymus ait : Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.

I. *Cor.* 28.

Contemnendum fore neminem.

Ex Angelorum custodia considerandam Dei erga nos charitatem.

Hieron.

SERMO PRIMUS IN EADEM SOLEMNITATE

DE ANGELIS, QUID ET QUALES SINT : DE EORUM HIERARCHIIS ET ORDINIBUS, DE MINISTERIO EORUM ERGA NOS : ET QUO PACTO NOBIS IMITANDI ET HONORANDI SINT.

ANGELI eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Matthæi XVIII, 10.

Dulcissima plane et jucundissima nunc agitur solemnitas nempe sancti Michaelis Archangeli, et omnium spirituum angelicorum, in qua nos illorum felicitati et beatitudini totis animæ visceribus congratulari debemus, et pro maximis in eos collatis beneficiis divinæ majestati uberes gratias agere : ipsos denique speciatim invocare, ac pietatis et devotionis officiis studiosissime venerari, quo illorum protecti et adjuti patrocinio, securius adversus inimicas dæmonum acies et mala omnia nos a Deo retrahentia dimicemus. Ideo namque ex Sancti Spiritus instinctu convenientissime ab Ecclesia dies iste illorum honori decretus est, ut eorum suffragia et patrocinia precibus, desideriis, lacrymis, suspiriis atque aliis religiosæ venerationis studiis ambiamus. Quo tamen etiam ultro invitamur, nisi plane cæci, stupidi et ingrati sumus, quando certum habemus cum illis nos quandoque in cœlesti patria perenniter victuros, atque interim dum hic sumus multis et magnis eorum nos frui beneficiis, atque ab innumeris animæ et corporis malis per eos præservari. Neque latere nos potest individuos eos totius hujus peregrinationis nostræ, qua ab illorum dulcissima societate exulamus, esse comites, qui nos in rebus dubiis confirment, in adversis erigant, in prosperis moderentur, in tentationibus tueantur, in periculis protegant, et ad virtutum profectus capiendos maxima nobis conferant adjumenta. Cum igitur tot tantaque, imo et multo plura ab illis consequamur bona, non possumus non illos vicissim amare, venerari, colere, nisi totius humanitatis prorsus expertes sumus. De quibus ut paulo diligentius aliquid agamus, primo quid vel quales sint videndum est : deinde quot Hierarchiæ et ordines, quæque singulorum functiones et actiones : tertio de ministerio quod nobis impendunt : quarto in quibus sint a nobis imitandi, et quo pacto colendi et venerandi.

Angeli sancti quanta sint devotione venerandi.

Festum Angelorum cur institutum sit.

Beneficia quænam angelico famulatu homines consequantur.

Primo igitur definiuntur Angeli a Damasceno, quod sint substantiæ intellectuales, semper mobiles, arbitrio liberæ, incorporeæ, Deo ministrantes, immortalitatem suscipientes secundum gratiam, non naturam. Et Isidorus : Angeli, inquit, sunt substantiæ spirituales, natura mortales conditi, sed contemplatione immortales facti, animo impassibiles, mente rationales, felicitate securi, futurorum præscii, jussi mundum regunt, missi corpora aerea assumunt, in cœlestibus commorantur. Quos ipsos divus Bernardus, libro quinto de Consideratione, dicit esse spiritus potentes, gloriosos, beatos, distinctos in personas, dispositos in dignitates : ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, corpore æthereos, immortalitate perpetuo impassibiles non creatos, sed factos, id est, gratia, non natura, mente puros, affectu benignos, religione pios, castimonia integros, unanimitate individuos, pace securos, a Deo conditos, divinis laudibus et obsequiis deditos. Hæc ille.

Damascen.

Angelus quomodo definiatur, quidve sit angelicus spiritus.

Isidorus.

Bernard.

Ex quibus multa possunt elici, quæ nos ad sanctorum Angelorum amorem vehementer inflamment. Est etiam in eis magna divinæ essentiæ similitudo, et abso-

Similitudo Dei quanta in Angelis reluceat.

lute loquendo, major quam in hominibus. Unde divus Dionysius non solum ad imaginem Dei eos conditos esse dicit, sed etiam Dei imaginem, et Scriptura Sacra signaculum similitudinis eos appellat. Itemque vocantur specula splendidissima, copiosissime illustrata, in tantum, ut si cui contingeret videre Angelum, idem ipse videret Deum in illo clarissime relucentem. Totum enim se Deus illis infudit, utpote divinitatis capacissimis, tamen juxta mensuram suam. At nihilominus sunt rationes quædam, ob quas perfectior est in homine Dei imago, quam in Angelo. Deinde maxima in eis inest puritas et inviolata innocentia, quæ nulla unquam cujusvis vel tenuissimi delicti macula est aspersa, ita ut a divo Dionysio vocentur specula pura et incontaminata. Non enim consenserunt apostatis illis et desertoribus Angelis, qui non contenti naturali dignitate, divinos sibi voluerunt usurpare honores, et superbia ac importunitate rapere, quod humilitate et obedientia mereri debuissent. Sed sui Conditoris perspecta voluntate, illi firmissime ac promptissime inhæserunt, et quidquid se noverant ab illo adeptos, totum in illum refuderunt, neque ulla ex parte committere voluerunt, ut ab illo vel minimum discordarent. Qua in re multum certe hominibus antecellunt, ut quorum est natura peccati contagione corrupta. Poterant quidem sancti Angeli cum cæteris repugnare Deo, sed liberi arbitrii facultatem divinæ gratiæ applicuerunt, ejusque ope et adjutorio freti, in bono perstiterunt.

Dionysius martyr.

Ezec. XXVIII, 12.

Imago Dei ut perfectior sit in homine quam in Angelo.

Stabilitas Angelorum.

Præterea, ingenti sunt robore ac fortitudine præditi. Patet hoc ex Regum Libris, ubi unus Angelus dicitur interfecisse nocte una centum octoginta quinque hominum millia. Nam suo quodam impetu feruntur, idque tanto majori vi et efficacia, quanto minus corporis implicantur impedimentis, et quanto sunt a corpore remotiores. Ad hæc ineffabili pollent pulchritudine, adeo ut nihil sit in his rebus inferioribus, quod eis possit comparari. Quid autem mirum si Deus tam speciosos et elegantes voluit habere ministros cum sit ipse fons pulchritudinis, Deus immensæ majestatis, quem non decent nisi absoluti decoris servitia? Itaque etsi mirabilis est pulchritudo et splendor solis et lunæ, tamen nihil habet ad angelicam elegantiam et claritatem. Unde sancto Anselmo doctissimo et sanctissimo pontifice auctore, si Angelus unus staret in cœlo stellato, et essent tot soles, quot stellæ, tamen illius unius Angeli claritas soles omnes haud secus obscuraret, quam solis splendor stellarum lumen, multisque modis etiam solis pulchritudinem longe amplius vinceret, quam solis decor terræ pulchritudinem superat. Et hæc quidem ita se habent etiam de infimo Angelo. Quæ ergo mens concipere, quæ ratio investigare possit summi Angeli decorem et elegantiam? Ut enim sanctus Bernardus ait, qui in naturalibus præcellunt Angeli, iidem etiam præcellunt in gratia et gloria. Vere amabiles et omni terrena pulchritudine incomparabiliter amabiliores cœlestes illos et absolutæ venustatis spiritus, qui si bene et attente considerentur, possint mentem contemplantis etiam in extasin rapere sui decoris incomprehensibili magnitudine, et splendoris inexstinguibili claritate. Si ergo, o vilis homuncio, amas res viles temporarias, cur non ita potius vivis, ut possis ad horum pertingere consortium, quos Deus tanta ornavit pulchritudine, tanto illustravit lumine, ut deforme sit et obscurum, quidquid totus hic sublunaris habet orbis?

Fortitudo Angelorum.

IV. *Reg.* XIX, 35.

Pulchritudo Angelorum.

Anselmus

Bernard

Est insuper aliud in eis quod dignitatem et felicitatem eorum vehementer exaggerat, ut quod in bono sunt confirmati, ita ut nulla unquam ratione possint a Deo excidere. Nos quidem miseri instabiles sumus et fluctuamus, et quandoque ubi omnia nobis tuta arbitramur, repente in cœnum corruimus, atque vix ægre ad resurgendum convalescimus. Quod hodie placet, cras displicet: et ut hodie sumus ad bona agenda agiles et strenui, ita sequenti die ad omnia quæ virtutis sunt torpemus

Confirmatio Angelorum.

ac languescimus. Atqui Angeli sancti ubi semel tota mente in Deum se converterunt, mox in gratia confirmati, simulque tria sunt præmia consecuti : nempe tranquillitatem, in Patre per Christum reconciliatorem : veritatem in Filio per Christum doctorem : suavitatem in Spiritu Sancto, per Christum amatorem. Accedit huc, quod in ordine creaturarum supremum obtinent locum, et in omni naturali perfectione, sapientia, virtute mirabiliter excellunt, donis item gratiæ et gloriæ longe excellentius præfulgent : ex quibus summa eorum colligitur amabilitas, quam certe tanto constat in re qualibet esse majorem, quanto major illi inest bonitas : quæ non potest non maxima esse in sanctis Angelis, tam multimodis naturæ, gratiæ et gloriæ donis tam excellenter ornatis, qui, sicut diximus, nullam unquam cujusvis peccati labeculam contraxere, qui ab initio suæ creationis in summa puritate et innocentia atque perfectione perstiterunt, qui mox ut confirmati sunt, Deum gloriæ, fontem omnis boni, felicitatis abyssum, beatitudinis summam perspicue ac dilucide sunt contemplati, ardentissime dilexerunt, tota omnium virium suarum facultate deditissimis mentibus honorarunt, qui eidem regi seculorum immortali, invisibili in omnibus semper promptissime morem gerunt, eum studiosissime laudant, et ingenti cum humilitate suspiciunt et admirantur, clamantes, et dicentes absque ulla intermissione : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.* Et hæc quidem de primo, puta, quid vel quales sint Angeli sancti, dictum sit satis.

Tranquillitas et veritas et suavitas angelorum quanta.

Dona gratiæ et gloriæ angelis collata.

Perfectio angelorum quanta.

Apoc. v, 13.

Quot autem sint illorum Hierarchiæ, quot ordines, quæque singulorum functiones et officia, atque etiam quæ actiones eorum, jam considerandum venit. Hierarchias tres esse constat : infimam scilicet, mediam et supremam, atque singulæ Hierarchiæ tribus constant ordinibus. Ordines itaque sunt novem, primus Angelorum, secundus Archangelorum, tertius Principatuum, quartus Potestatum, quintus Virtutum, sextus Dominationum, septimus Thronorum, octavus Cherubim, nonus Seraphim. Ita distinguuntur a sancto Dionysio martyre et Episcopo, qui fuit Pauli Apostoli discipulus. Sed sanctus Gregorius, eumque secutus Bernardus paulo aliter distinguunt. Sed parum refert. Non enim contenderunt inter se sancti Patres isti; sed suam quisque sententiam protulerunt, parati semper cedere melius sentientibus. Angelorum autem officium est, ut minora hominibus nuntient, eosque purgent, illustrent et perficiant, eis assistant in tentationibus, quæ non parum multæ occurrunt in hac vita, quamvis multi ob mentis excæcationem tentationes non sentiant, eo quod sponte sua vitiis dediti sint : eos item ad virtutes agendas excitent, eos deducant per lubricum hujus periculosi exilii iter. Siquidem divino ipsi amore incomparabiliter ardent, et cœlesti pleni sunt lumine, atque Dei et Domini sui gaudiis perfecte perfruuntur, ad quæ ex voluntate Dei nos perducere debent, ut ex nobis instauretur ruina desertorum spirituum, et cœlestis Jerusalem muri illorum lapsu diruti ex nobis reædificentur.

Hierarchiæ angelorum tres quæ sint.

Ordines qui et quot sint angelorum.

Angelorum officium quod.

Archangelorum officium quod.

Archangeli summa, id est quæ naturam excedunt, ut sunt fidei mysteria, atque id genus alia arcana nuntiare solent : itemque quæ ad utilitatem reipublicæ pertinent. Et quamvis sint superioribus agminibus inferiores, tamen quarumdam proprietatum illorum participes sunt, et Angelis inferioribus præsunt, reducuntque inferiores ad superiora : itemque dominis, regibus, pontificibus, et quibuscumque regentibus præsident, atque sacris intersunt. Principatus ita dicuntur, quod subditis spiritibus præsint, et eos ad divinum explendum ministerium disponant. Ad quos, ut vult divus Dionysius, id pertinet, ut regni alicujus aut gentis universale regimen ad Dei similitudinem reducant : estque eorum officium, promo-

Principatuum officium quod.

vere homines, ut non privati commodi, aut lucri vel utilitatis causa, sed ob Dei amorem et honorem justitiam exequantur. Curant etiam publica, gentes, principes, magistratus, provincias, et regna : et vim quamdam prælatis influunt, quam ipsi a terribili sede majestatis divinæ hauriunt : quo fit ut subditi jugum quoddam præsidentis, a quo facile se absolvere nequeunt, sentiant, imo timeant ac revereantur in eis vim divinitus per principatus illis inditam et communicatam. Cum enim alioqui principes perinde ut subditi, homines sint, ejusdemque naturæ et mortalis conditionis, neutiquam illos timerent subditi, nisi terror divinus per principatuum ministeria eos eveheret, ac cæteros incusso timore ad præstandam obedientiam et reverentiam compelleret. Unde pessime illi agunt, qui prælatos et superiores suos despiciunt : quandoquidem totum id redundat in injuriam summi regis et principis. Sed quia nimium deformis est omnis præsidentia, nisi illis præditi sint qui aliis præsunt, quæ merito eos dignos efficiant ad alios gubernandos, hoc est, veris virtutibus, qui est pulcherrimus principum decor et ornatus : careantque vitiis, et terrenis voluptatibus ac oblectamentis minime dediti sint, quod eos omnibus reddit venerabiles. Virtutum ministerio et favore tum illis, tum aliis hominibus additur animi constantia et mentis quidam robustus vigor, ac virilis severitudo contra vitia et effeminantes voluptates.

Subditi cur suos prælatos timeant.

Principum et prælatorum decor et ornatus verus quis sit.

Quartum vero locum obtinent Potestates : quarum nobis præsidium cum primis necessarium est, ut adversum potestates aereas, malitiæ et invidiæ plenas, prævaleamus. Potestates arcent ea quæ ordinem divinæ distributionis aliquo modo perturbare videntur. Divus Gregorius de his spiritibus loquens : Potestates, ait, vocantur hi Angeli, qui hoc potentius in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint : quorum potestate refrenantur, ne corda hominum comprimere aut obumbrare valeant. Item Bernardus : Illi, inquit, spiritus, qui Potestates nominantur, dum crucifixi nostri divinam potentiam ubique attingentes, eam magnificare delectantur, hinc ad disturbandas dæmonum hominumque vires, pro his qui hæreditatem capiunt salutis, potestatem accipiunt. Divus Dionysius eosdem spiritus divinarum Dominationum et virtutum donis fulgere dicit, quibus possint rebelles virtutes et potestates coercere.

Potestatum officium quod.

Gregor.

Bernard.

Virtutum officium est docere Prælatos, ut facile et constanter quæ sui sunt muneris exequantur, et onera spiritualia æquanimiter ferant. Fiunt etiam miracula per hos spiritus, virtutemque mira faciendi hominibus influunt. Novem quædam illis tribuuntur. Primum est, quod virilem habeant constantiam : secundum, quod omne opus cœleste et deiforme exerceant : tertium, quod ne infirmentur semper a supremo fonte hauriant : quartum, quod Deum præ oculis in exemplar habeant : quintum, quod perseverent in incepto opere : sextum, quod in supremum Hierarcham tendentes, omnimodam similitudinem et imaginem ejus sibi comparent : septimum, quod, ut id possint, in ipsum Deum toto affectu totisque viribus conversi sint : octavum, quod tanquam vasa sanctissima omnibus charismatibus repleta, inferioribus sibi creditis virtutem et fortitudinem communicent : nonum, quod omni diligentia eos, quibus favent, studeant deiformes efficere. Cur autem ordo iste specialiter Virtutum dicatur, cum nullus beatissimorum spirituum ordo otio torpeat, sed omnes summi Dei voluntatem exequantur, quod utique sine virtute fieri non potest, unde recte omnes virtutes possint appellari : hujus ea ratio est, quod sicut cæteri spiritus a dono quo maxime vigent accipiunt denominationem, sic et isti a dono præcipuo virtutes appellantur.

Virtut officium quod.

Virtute cur quidam angeli præ cæteris dicantur.

Sextus ordo est Dominationum, qui in media Hierarchia, summum obtinent gradum, et velut architecti, quid inferiores agere debeant spiritus, ex divinæ volun-

Dominationum officium quod sit

tatis præscripto decernunt, eosque ad totius dominii fontem et principem reducere, et tum seipsos, tum illos eidem conformare nituntur. Et licet eis dominentur ac præsideant, abest tamen ab illis omnis fastus, et tyrannica dominandi libido. Ad illos referri habent, ut quidam volunt, tanquam ad dominos, operationes Virtutum, tutamina Potestatum, regimina Principatuum, revelationes Archangelorum, curæ et providentiæ Angelorum. Dominationes sua nobis virtute assistunt, ne mundanis affectibus præpediamur, sed iis omnibus dominemur, corpusque redigamus in servitutem, ut discat parere spiritui. Multas habent isti spiritus proprietates, quas enarrare longum foret : tamen obiter referre libet extra ordinem, quo pacto eis conformari debeamus. Primo, danda nobis opera est, ut semper appetamus cœlestia. Deinde ut nulli simus vitiorum tyrannicæ et indignæ servituti subjecti. Tertio, ut liberum habeamus dominium in nosipsos, contemnendo ac conculcando omnia a Deo nos abducentia. Quarto, ut affectu et mente simus liberi ab omni vili subjectione. Quinto ut nihil in nobis admittamus, quo Deo dissimiles efficiamur. Sexto, ut ex sancta quadam animi generositate nulli serviamus, nisi summo principi. Septimo, ut eidem semper adhæreamus, ipsi plene conformati. Octavo, ut quoad possumus, omnes ad ipsam summam pulchritudinem et deiformitatem conducamus. Nono, ut in ipsum Deum tota mentis acie et operibus intendamus. Decimo ut ipsi non solum conformes, sed iidem et unum cum ipso effecti, semper illius pulchritudine perfruamur.

Dominationum proprietates quænam sint.

Dominationibus quomodo nos conformemur.

Throni sunt sedes Dei, tranquillissimæ et serenissimæ mentes, in quibus Deus sua decernit judicia. Hi spiritus usque ad celsissimam Dei contemplationem subriguntur, atque in sedente in ipsis Deo firmantur et quiescunt, eumdemque Deum etiam aliis advehunt, et influunt dona sibi ab illo collata : suntque Dei, et influxus illius capacissimi. Per Thronos disponimur, ut templum Dei effecti, suscipiamus ipsum Deum, tanquam in hospitia sibi gratissima commigrantem. Cum his Thronis alii omnes Angelorum ordines conjunguntur ad judicia Dei complenda. Concurrit enim Seraphicus amor, veritatis et justitiæ zelus. Intervenit etiam Cherubica scientia, quæ in distributiva justitia gradus disponat, et in judicativa retributiones et flagella pro meritis et flagitiis decernat. Adsunt Dominationes, ut liberum ab affectu et passione proferatur judicium. Virtutes assistunt judicibus, ut sint viriles atque constantes in judiciis proferendis. Præsto sunt Potestates, ut judicium prolatum exequantur, coercentes omnem tyrannidem, et eos qui abutuntur viribus suæ potestatis. Conveniunt Principatus, Angeli et Archangeli, ut approbent et faveant judicio, et distributioni delatæ a judice. Thronos autem alii ordines ad sua explenda officia non adsciscunt.

Throno-rum officium quodnam sit.

Angelorum ordines uti cum Thronis conjungantur.

Cherubim beatissimi spiritus sunt, eminenti prædíti scientia, quibus Deus thesauros sapientiæ, et scientiæ splendores copiosissime impartivit, adeo ut ipsi aliis inferioribus largiter communicare queant. Horum officium est promovere homines ad Dei cognitionem. Seraphim denique ut sunt Deo propinquissimi, ita omnes inferiores spiritus felicitate, perfectione, dignitate excellunt : quorum munus est alios divini amoris inflammare ardore, in Deum dirigere, et formam diligendi tribuere. De quibus beatus Gregorius scribit in hæc verba : Seraphim vocantur illa agmina, quæ ex singulari propinquitate Conditoris sui incomparabili ardent amore. Quæ quia ita Deo conjuncta sunt, ut inter hæc et Deum nulli alii spiritus intersint, tanto magis ardent, quanto hunc vicinius vident. Quorum profecto flamma, amor est : quia quo subtilius claritatem divinitatis ejus aspiciunt, eo validius in ejus amore flammescunt.

Cherubim quis ordo, quodque eorum officium.

Seraphim ordo quis quodque eorum officium.

Gregor.

Possent adhuc alia multa de Hierarchiis et ordinibus Angelorum dici, sed nimium forsitan onerosi essemus. Quanta autem

Numerositas angelorum ut sit incomprehensibilis.

in his ordinibus sit Angelorum multitudo, nemo adhuc unquam definire ausus est. Innumerabilem et incomprehensibilem esse certum est. Cum enim sit immensa cœli empyrei magnitudo, immensam quoque civium ejus multitudinem esse convenit. Quod etiam pertinet ad gloriam Conditoris, qui quum sit rex et princeps infinitæ dignitatis, infinitam debet habere frequentiam et copiam sibi ministrantium.

Numerus angelorum secundum quosdam quantus.

Sunt qui scribunt tot esse angelicos spiritus, ut etiamsi omnes homines, qui fuerunt, sunt et erunt, impræsentiarum viverent, singulis possent decem Angeli custodes assignari. Atque ex dictis divi Dionysii martyris colligunt sancti viri incomparabili multitudine sanctos Angelos excedere inferiorum rerum numerum. O quæ erit felicitas tot tamque præclaris posse jungi spiritibus, et cum eis semper jucundissimam et felicissimam vitam vivere, omnis mali nesciam, bonis omnibus affluentem!

Angelorum ministerium erga homines cujusmodi.

His ita dictis de Angelorum Hierarchiis et ordinibus, dicamus pauca de ministerio illorum erga nos. De quo id certissimum est, humanissime, benignissime, promptissime ac studiosissime eos semper adesse nobis, nos tueri ac protegere, nos præmonere ac dirigere, nobis congratulari proficientibus, condolere deficientibus, nec secus nos fovere ac adjuvare semper et ubique, quam quævis indulgentissima mater possit infantem ex se genitum. Amant enim nos, qui vident nos amari a Deo, et propter Deum quidquid possunt libenter præstant nobis : adeoque illius amore se totos nobis cupiunt impendere. Et quamvis sæpe nos irreverenter, indigne ac inique geramus in illorum præsentia, tamen ferunt nos, et instigant ad meliora, cupiuntque nos semper magis ac magis proficere, et summam in cœlis gloriam obtinere. O quis vel cogitare sufficiat, a quot malis per illos eruamur, quot bona consequamur! Sed væ ingratitudini nostræ, qui pro tot tantisque illorum in nos meritis non solum grati non sumus, sed etiam gravissima eos sæpe injuria et contemptu afficimus. Qua de re dici plura possent, sed restat adhuc, ut in quibus eos imitari, et quo pacto colere ac venerari debeamus, explicemus. Ubi sane innumera sese offerunt, in quibus imitandi sint. Quot enim in illis virtutes insunt, tot nobis imitanda veniunt. Sed si omnia imitari non possumus, saltem imitemur mutuam ac fidelissimam charitatem erga se invicem, summam et promptissimam obedientiam erga Deum, officiosissimum famulatum erga nos miseros, ut et nos mutuo fideliter, pure, caste, sincere nos diligamus in Deo, et propter Deum, semperque et in omnibus divinæ voluntati obtemperemus, et sanctis illis ac beatis spiritibus quidquid possumus amoris et piæ venerationis impendamus. Neque sane prætermittendum est, quin ad minus Angelo custodi nostro singuli quotidie aliquod servitium exhibeamus, quo et illi grati simus, et ejus patrocinium atque adjutorium imploremus. Nisi enim id agamus, certe iniqui, impudentes et execrabiles sumus, qui fidelissimæ illius erga nos charitati et benevolentiæ immemores ac ingrati esse non veremur. Honorandus etiam et speciali amoris affectu nobis complectendus est sanctus Michael Archangelus, cujus etiam hodie specialis memoria agitur, qui est princeps Ecclesiæ, signifer cœli præclarus, ac illustris paradisi præpositus, qui contra Dei hostes terribiliter intonat : Quis ut Deus? qui Deum timentes fidelissime adjuvat, in morte animas suscipit, pluraque alia nobis præstat beneficia, gratia et misericordia Dei ac Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Ange
quibus
nam i
tandi

Ange
cuique
mini de
putatus
uti hono
randus
veneran
dus.

Michael
archange
præconi-
um, quo-
modoque
sit a nob
ejus im-
ploran-
dum suf-
fragium.

SERMO SECUNDUS IN EADEM SOLEMNITATE

BENEFICIA DECEM BONORUM ANGELORUM AD HOMINES QUÆ : MALORUM ITEM ANGELORUM ERGA HOMINES QUANTA CRUDELITAS, QUO MODOQUE PER BONOS ANGELOS IIDEM REFRENENTUR.

ANGELIS suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Psalmo XC, 11.

Dies iste, charissimi, jure optimo sanctis Angelis dedicatus est. Decet namque nos multis nominibus honorare eos. Ipsi enim licet sint illustrissimi principes, tamen custodiunt nos et ministrant nobis, multaque nobis præstant beneficia, quæ quamvis omnia commemorare non possimus, nihilominus de quibusdam hac vice dicemus, ut iis cognitis ardentius illos ametis, et propensiori studio veneremini. Primo igitur odium et malignitatem, ac nocendi libidinem erga nos malorum spirituum refrenant, nosque tuentur. Quod sane nobis cum primis necessarium est : quandoquidem dæmones inexpiabili nos odio prosequuntur, eorumque ingens est subtilitas, calliditas et fortitudo. De viribus diaboli nostis quid apud divum Job scriptum sit : *Non est potestas super terram quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Sed licet possit plurimum, non potest tamen ea ipsa potentia sua uti vel in minimo, nisi quatenus permiserit Deus. Unde etiam datus est nobis a Deo Angelus bonus : qui custodiat nos, atque dæmonis arceat malitiam, alioqui haud dubie in ipso matris utero nos exstingueret, nec ad horam vivere pateretur. Maxime tamen in eos potestatem multam habet, qui sunt mortiferis subditi peccatis, eo quod a Christo et gratia ejus sejuncti sint, nec sint membra ejus, sed velut membra a corpore præcisa. Tales omnes diaboli mancipia sunt, et jure posset eos cum corpore et anima rapere in abyssum, quandoquidem a Christo alieni sunt. Quod autem, Deus id minime permittit, facit pro immensa bonitate sua, qua illorum exspectat pœnitentiam : quanquam interdum quosdam a diabolo præfocari sinat. Unde etiam, ut ait sanctus Augustinus, nihil est terribilius quam quempiam in eo statu vel ad horam audere vivere in quo nolit mori. Siquidem immensa dæmonum turba illi imminet, qui accepta divinitus potestate, momento celerius animam ejus e corpore evulsam demergunt in tartara. Tum vero non licet pœnitere amplius, sed talis judicatur, qualis excessit e corpore. Timeant ergo quotquot in mortiferis degunt peccatis, ne justo Dei judicio veniant in manus tam crudelium inimicorum.

Angeli ut dæmonum malignitatem refrenent nocendi.

Job XLI, 24.

Dæmones in quosnam maxime suum furorem diffundant.

August.

Secundo assistunt nobis sancti Angeli in tentationibus. Cum enim impugnamur ab hostibus et vitiis, adsunt nobis, docentque nos uti resistere debeamus. Optima quoque nobis suggerunt consilia, quid sequi debeamus. Cumque nostram accommodamus voluntatem, nobiscum adversus hostes pugnant. Sive enim apud nos sit Angelus sanctus, sive in cœlis, nunquam desinit nos intueri, ut circa nos agatur : atque ubi nos aliquod habere opus perspicit, in momento ad nos advolat. Tanta namque est Angeli agilitas, ut ubicumque esse velit, illico possit adesse. Sed dicat forte aliquis : Unde sciam, utrum me Angelus meus doceat, quando eum nec visu, nec auribus percipio? Atqui facile illum audires, si bene adverteres. Aliter Angeli, aliter homines loquuntur. Homines in aurem, Angelus in cor loquitur. Locutionem illius equidem bonum instinctum intelligo. Interdum enim ex aere corpus sibi assumunt, non tamen quemadmodum corpus

Angelos in tentationibus constitutis adesse.

Locutio angelorum cujusmodi sit.

humanum animæ jungitur, atque in ea forma etiam ad aures verba edunt : sicut beatissimæ Dei Genitrici et plerisque aliis contigisse novimus. Alias intus in corde hominis loquuntur. Verbi gratia : malus spiritus ita suggerit homini : En fame cruciaris dum jejunas et tamen cum tibi adsit cibi copia, posses famem pellere. Ede igitur. Mox Angelus bonus sic ait : Si jejunium violaveris, eris transgressor præcepti Ecclesiæ. Diabolus dicit : Solus es, nemo te videt. Bonus Angelus ait : Etsi homines non vident, tamen videt Deus, qui culpa offenditur et reddet singulis pro meritis cujusque. Nec debes vitare peccata propter homines tantum, sed propter Deum. Mox rursus cacodæmon inspirat : Facile confiteberis postea. Bonus spiritus suggerit : Quid prodest confiteri sine dolore et pœnitentia ? Addit dæmon : Utique tunc dolebis. Bonus Angelus respondet : Si jam peccare vis, quo pacto potes tunc habere dolendi propositum, nisi forte Deus dederit ? Si ergo postea dolere vis, jam noli facere unde doleas. Ita ferme in singulis peccatis agitur cum homine. Si ergo homo angelicæ inspirationi obtemperans non consentiat peccato, lætatur Angelus, atque e vestigio victoriam illam offert Deo, reportatque illi coronam, qua post mortem ornabitur, vel divinæ gratiæ augmentum, qua fit fortior ad resistendum tentationibus consimilibus : quemadmodum e diverso qui succumbunt, efficiuntur debiliores, et diaboli contra eos vis augetur. Sin autem homo angelicæ voci immorigerus peccet, si quidem peccatum admittat mortiferum, fugit interim Angelus ab eo (non enim potest videre peccati turpitudinem), doletque dæmonem illi prævaluisse ac dominari. Utrum autem ad illum revertatur, in subditis audietis.

Angelus tam bonus quam malus quænam hominibus ingerat.

Tertio, provocant nos sancti Angeli ad agendam veram pœnitentiam. Ut enim jam dixi, si quis spreto Angeli sui consilio peccet, recedit interim Angelus ab eo et redit in cœlum. Quid vero putamus, charissimi, interea Angelus secum cogitet ? Forsitan hæc aut similia sibi dicit : Quid faciam huic nebuloni, qui mea spernit monita, et libentius morem gerit cacodæmoni ? Anne formidabit, ne Deus cuncta aspiciens ex alto mox ipsum puniat, vel sinat obdurari penitus, ne posthac unquam velit resipiscere ? Itaque mox ad illum revertitur, si forte possit illum ad pœnitentiam et confessionem faciendam emollire, antequam ira Dei in eum desæviat. Tum vero quantam adhibeat erga illum sollicitudinem, ut possit eum ad pœnitentiam et confessionem faciendam permovere, nemo facile dixerit. In primis grande suscipit certamen adversus diabolum qui jam animam illius captivam detinet, obduratque cor ejus ne timeat Deum, et os illius claudit, ne confiteatur : atque interim ita intus ei insusurrat : Noli modo confiteri, quia patebis ludibrio, et confessarius tuus despiciet te. Sed contra dicit Angelus bonus : Falsa est ishæc persuasio : quia dedecus est peccare, sed gloriosum est confiteri ac pœnitere : nec te confessarius despiciet, sed potius chariorem habebit, tanquam pœnitentem et emendare se volentem. Rursus ingerit diabolus : Non poteris deinceps tibi a peccato temperare. Itaque consultius est, ut usque ad mortem protrahas, et tunc integram facias confessionem, quam quod toties te confundas. Respondet spiritus bonus : Mortis tempus et conditio incerta est, et si jam confiteri et pœnitere non vis quando potes, ubi aderit extrema necessitas, justo Dei judicio forte non poteris, diabolo te ad desperationem, vel obstinationem, vel mentis cæcitatem pertrahente. Aut si fortassis tunc confiteri voles, confessio illa potius extorta et invita erit, nempe ob gehennæ metum, quam voluntaria et ex vera contritione ac Dei amore proficiscens, atque ita etiam infrugifera erit, id quod multis in extrema hora contingit.

Angelus bonus ut provocet ad pœnitentiam agendam.

Potest autem hoc loco quæri, postea-quam sanctus Angelus multum adhibuit conatum erga ejuscemodi hominem, et is nihilo secius manet obstinatus in malo

adeo ut nolit obedire illius admonitionibus internis, sed peccata alia post alia committat, num Angelus eum penitus derelinquat? Non quidem omnino eum relinquit, sed a multis servat corporis et animæ periculis, quandoquidem ab innumeris eum retrahit peccatis, in quæ corrueret angelica custodia destitutus. Attamen Angelus hominem non vi retrahit a peccato, sed occasiones peccandi removet, impeditque ne possit peccare. Quod quantum nos obliget ad redamandos illos beatissimos spiritus, vosipsi plane cognoscitis. Jam si quis pergat quærere, utrum gravius peccet ob ingratitudinem qui floccipendit Angeli sui monita vel consilia, quam si non haberet Angelum commonentem, certum est eum gravius delinquere; atque si mox subjungat: præstare igitur ut Angelus abscedens tam obstinatum hominem penitus non adhortaretur: non est id utique verum. Nam tametsi ingratitudo hominem majori reddit pœnæ obnoxium, nihilominus eadem ipsa pœna minor et mitior est, quam ea quam esset incursurus, si ab Angelo penitus desereretur. Tum enim proculdubio præceps iret in multa scelera, quæ jam evadit Angeli sui beneficio, quibus majorem sibi conflaret pœnam: quando etiam pro quolibet minimo peccato mortifero pœna debetur æterna. Quamobrem qui cum multis damnatur peccatis exitialibus, non potest quidem diuturniorem perpeti cruciatum, quam qui cum uno solo damnatur: utrobique enim est æqualis infinitas: sed ut justitiæ satisfiat, pro criminum numero et qualitate pœna ipsa æterna intenditur et augetur, quod ad acerbitatem attinet.

Angeli boni ut orent pro sibi commissis hominibus.

Quarto sancti Angeli orant pro nobis, et sunt advocati ac intercessores nostri apud Deum. Cum enim peccator, ut jam dictum est, non vult licet admonitus ab Angelo resipiscere, forsitan Dominus illi quod in Evangelio legitur dixisse de arbore quadam: Succide illam, ut quid etiam terram occupat? Forsitan, inquam, dicit Angelo sancto: Quid est, quod improbus ille non vult tibi morem gerere? Equidem te hoc onere levabo, faciamque ne posthac pro illo cogaris esse sollicitus: et tibi quidem pro labore et charitate tua mercedem augebo: illi vero meritas irrogabo pœnas. Quid, fratres, putamus, ubi hæc Angelus audit, quam supplices offerat Deo preces pro anima illa, quam novit esse in peccatis, et si sic moriatur, certus est eam in tartara relegandam, ut Dominus aliquod ei adhuc pœnitendi spatium concedat? Scitis quid dixerit cultor vineæ domino suo jubenti, ut arborem fici infrugiferam succideret. Dimitte illam, inquit, et hoc anno, domine, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora. Et si quidem fecerit fructum: sin autem in futurum succides eam. O magna benevolentia sanctorum Angelorum erga ingratos homunciones!

Luc. XIII, 7.

Angelis quomodo sit gaudium de peccatorum pœnitentia.

Quinto, dum cernunt Angeli quempiam ex animo pœnitentiam agere, et damnata præteritæ vitæ iniquitate, redire ad colendam justitiam et ad serviendum Creatori, mirum in modum exultant, totamque cœlestium spirituum frequentiam convocantes, grandem excitant solemnitatem in cœlis. *Gaudium est enim Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Sexto, excitant nos angelici spiritus ad agenda bona opera, atque ad ea nobis vires addunt, et benefaciendi ac merendi occasiones nobis comparant, quales sunt, opera obedientiæ, charitatis et pietatis, quæ magna habent merita. Sed cæci quidam non advertentes hujusmodi opera sanctorum Angelorum studio et divina providentia et ordinatione ipsis imponi, ut mereantur veniam peccatorum, gratiamque sibi et gloriam obtineant apud Deum, murmurant et conqueruntur, aiuntque: Cur hæc mihi facienda incumbunt? Cur non ille vel ille hæc facit? Aut etiam subducunt sese, ne ipsis demandentur. Qua re multum offendunt Deum et sanctos Angelos. Enimvero oportebat eos hæc et hujusmodi omnia tanquam ex Domini manibus accipere gratiamque agere, quod ipsis esset oblata occasio merendi.

Luc. XV, 10.

Angeli ut excitent ad bona opera homines.

Angeli ut hominibus inserviant in bonis operibus.

Septimo, inserviunt nobis angelici spiritus, adjuvantque nos in operibus bonis, et multifaria nobis nostrisque corporibus præstant beneficia. Quod potest plurimis Scripturæ locis confirmari, ut etiam visibiles sæpe apparuerint vel opitulati sint sanctis Dei hominibus, quo vel inde intelligeremus etiam invisibiliter eos hoc idem erga nos semper agere. Nostis ex Libro *Judic.* II. Judicum, quomodo Angelus visibiliter objurgarit populum Israel ob peccata in Deum admissa. Nota est etiam illa historia, qua Angelus scribitur Eliæ panem III. *Reg.* XIX, 6. subcinericium et vas aquæ apportasse : itemque illa, quæ Tobiam Angeli ductu salvum et incolumem discessisse a parentibus, atque ad illos rediisse commemorat. *Dan.* XIV, 35. Danielem etiam nemo ignorat prandium ab Habacuc Angeli ministerio accepisse. *Act.* XII, 7. Denique divum Petrum Apostolum ex carcere Angelus liberavit : suntque id genus alia multa in Scripturis exempla. Et nos, charissimi, haud dubio sæpe in magnis versamur corporis et animæ periculis, et subitanea morte periremus, nisi Angelorum sanctorum sollicita et irremissa providentia et benignitate servaremur.

Angeli uti afflictos homines consolentur.

Octavo, consolantur Angeli afflictos. Videmus quidem passim miseros, egenos, debiles, ægrotos, afflictos jacere, qui tamen interdum lætioribus sint animis, quam divites et fortunati : et licet nos ultro crucem amplexi simus, tamen plerique tales plus multo quam nos patiuntur. Unde ergo inter tot miserias, in summa rerum omnium penuria, ita ut quandoque vix nudo vescantur pane, tam bono et forti sunt animo, nisi quod occulte a sanctis Angelis consolationem, et vires suscipiunt ? Nono, sancti Angeli magna cum sollicitudine bona opera et recte facta nostra offerunt et exhibent Deo, et nobis gratiam reportant. Id vero maximo eos gaudio afficit : quia profectu nostro lætantur. Excusant etiam nos apud Deum et loquuntur pro nobis bona. Ita enim agunt, ut solent qui inter amantes nituntur firmam efficere amicitiam et eos matrimonio conjungere : eodem, inquam, modo etiam ipsi excitant nos ad bene agendum, nobisque Dei gratiam et amicitiam conciliant cupiuntque nos Deo per amorem copulare. Decimo, felices illi spiritus animas electorum quæ obtemperaverunt, cum ineffabili gaudio deportant in cœlum. Animas autem nondum bene purgatas, ut pie creditur, in purgatorium deferunt, atque inibi crebro eas visitant et consolantur, nuntiantque illis bona ab aliis pro ipsis facta, pœnasque mitigant, et homines superstites ad orandum pro illis excitant. Porro, ubi aliquis damnandus moritur, discedit ab illo Angelus statque procul, nihil habens quod pro illo loquatur apud Dominum, sed divino eum relinquit judicio, moxque data a Deo sententia, dæmones animam illius infelicem rapiunt in pœnas inexplicabiles et æternas.

Angeli animas ferant cœlum purgat rium.

Hæc autem omnia jam dicta præcipue facit ipse Deus, utitur autem ad ea ministerio Angelorum : quemadmodum magni viri præstant eleemosynam per famulos suos. Cæterum quidquid hujusmodi agunt sancti Angeli, absque ulla fatigatione et labore id agunt, nec quidquam interim a Dei fruitione distinentur aut præpediuntur. Et quamvis illorum gloria sit consummata, nec possit augeri (alioqui defectum paterentur, nec essent perfecte beati), nihilominus pro sua erga nos sollicitudine et cura præmium habent accidentale et gaudium majus in cœlo. Itaque, charissimi, cognitis tantis in nos beatissimorum spirituum beneficiis, simus, obsecro, grati illis, et caveamus illis præsentibus admittere peccata : quia hæc summe eis displicent. Conciliamus nunc nobis illorum amicitiam, ut tempore opportuno prosint nobis, maxime quando animam reddere oportebit, ne si illi tunc nobis non faverint, rapiant nos dæmones secum in stagnum illud sulphureum, ubi fumus tormentorum eorum ascendit in secula seculorum. Quod a nobis avertat Christus Jesus rex et Dominus Angelorum, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in secula benedictus, Amen.

Angeli rum præ mium u crescat quale c scat.

Angeli ut opera bona nostra Deo offerant.

IN FESTO

S. HIERONYMI CONFESSORIS

Omnia require in Festo sancti Antonii Abbatis.

IN FESTO

SS. UNDECIM MILLIUM VIRGINUM, MART., CHRISTIQUE SPONSARUM

Accipe omnia ut in Festo S. Agnetis virginis et martyris.

IN FESTO

S. SEVERINI EPISC. ET CONFESSORIS

Per omnia uti in Festo S. Nicolai Episcopi.

IN FESTO

SS. SIMONIS ET JUDÆ APOSTOLORUM

Epistolam cum sua Paraphrasi quære in Festo S. Thomæ Apostoli.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM FESTI, LUCÆ X.

CELEBRAMUS hodie, charissimi, festum beatissimorum Apostolorum Simonis et Judæ, qui quidem ambo Christo fuere sanguinis affinitate propinqui, nempe illius consobrini, filii Alphæi et Mariæ Cleophæ, sororis intemeratæ Virginis, sed

spiritus ac fidei cognatione, morumque imitatione longe propinquiores. Quos Dominus in Apostolos suos elegit, non carnis affectu permotus, sed liberrima sua voluntate et gratia, qua etiam præstitit eis, ut digni essent tanto honore, et idonei ministri novi Testamenti, per quos multorum cæca pectora ad agnitionem unius veri Dei illuminarentur. Quod quidem ab illis sedulo curatum est, maxime quando post Apostolorum divisionem profecti sunt, alter quidem, nempe Judas, in Mesopotamiam : alter vero, puta Simon, in Ægyptum : ac deinde simul in Persiam venerunt. Sunt qui putent hunc Simonem fratri suo Jacobo suffectum in Episcopum Jerosolymitanum : sed id aliis non placet, affirmantibus eum qui Jacobo successerit Simeonem esse dictum, et sub Trajano peremptum Jerosolymis : hunc vero Simonem Apostolum in Persia martyrio coronatum. Scribit quidam ex recentioribus vir eruditus, neque contemnendæ auctoritatis, se in occultissimis quibusdam monumentis reperisse, hunc sanctissimum Simonem Apostolum frequentasse invocare nomen summæ Dei Matris Mariæ Virginis, atque ejus favore hostes Christi et Ecclesiæ destruxisse : eumdemque ob fervorem in hostes Christi Cananæum, id est, Zelotem merito appellatum. Varia autem recitantur apud Ecclesias diversas Evangelia : quæ quia omnia exponi non possunt, illud explanandum suscipimus, quod quibusdam locis legitur, et est apud Lucam capite decimo in hæc verba.

Judas et Simon Apostoli quibusnam evangelium Christi prædicaverint gentibus.

Nomen Virginis Mariæquis Apostolorum primus invocaverit ac per illud miracula fecerit.

> Designavit Dominus Jesus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus.

Quærat hic forsan aliquis, quid hoc Evangelium pertineat ad Apostolos, quod ipsa verborum series probat de septuaginta duobus discipulis esse conscriptum? Sed quia bini hic referuntur missi discipuli, nihil absurdum est in Apostolorum illorum festo id recitari, qui et ipsi bini verbum Domini prædicarunt. Deinde quæ hic septuaginta discipulis præcepta data leguntur, eadem et ad Apostolos pertinet : et forte tanto magis, quanto major erat Apostolorum quam discipulorum dignitas. Quid vero sibi velit, quod Dominus septuaginta duos elegit discipulos, Beda exponit, dicens ea de causa id esse factum, quod totidem gentibus esset Evangelium prædicandum. Et sicut Apostoli, ut idem ait, Episcoporum, ita septuaginta duo discipuli presbyterorum formam prætulerunt. Misit autem eos binos, ut hoc ipso commendaret præceptum geminæ charitatis, et ut major eorum dictis adhiberetur fides, dum uno ore idem testarentur. Magis enim danda fides est duobus quam uni. Nec misit eos vacuos, sed suæ gratiæ auxilio communitos : neque eos jussit ire, nisi quo ipse esset venturus, ut scilicet venturo Salvatori præpararent viam, et homines ad pœnitentiam adhortando, capaces efficerent supernæ gratiæ, quam suo adventu Dominus Jesus conferebat. Non enim ingreditur Dominus in animam vitiorum sordibus pollutam, et a veritate aversam. Itaque necesse est prius animam compungi dolore pœnitentiæ, et vitiis repudiatis, tanquam tartareis quibusdam et densissimis tenebris, redire ad Deum, qui lux est et veritas, in quo tenebræ non sunt ullæ. Sed id fieri non potest, nisi prius discat aliunde mala sua : atque iis cognitis, in spem cogitationemque meliorem assurgat. Ita necesse est prædicatores mitti, qui indicent obcæcatis voluntatem Dei, doceant quibus sint impliciti vitiis, quibus destituti virtutibus : ut sic malorum suorum ipsos pœniteat, et bonam concipiant voluntatem : qua assumpta non potest se continere Deus, quin adveniat cum gratia sua, et quod humana ex se non potest imbecillitas, suppleat benignitate sua. Hac igitur ex causa misit Dominus Jesus binos discipulos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus, ut per eos ad pœnitentiam emollitis hominum

Evangelium præsens cur hoc festo reciteturin Ecclesiis quibusdam.

pectoribus, ipse promptius posset ingredi, et suæ gratiæ dona conversis et pœnitentibus communicare. Non enim dignus est Dei gratia, quem male actorum non pœnitet, quique pro suis erratis non studet congruam agere pœnitentiam. Neque sane de gratia et adventu Christi in animam suam blandiri sibi jure potest, quisquis non ante sese, agenda pœnitentia ad suscipiendam Dei gratiam Christique adventum, præpararit. Eadem ex causa missus est sanctus Joannes Baptista, ut Domini Jesu prædicationem præveniret, de quo scriptum est : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.* Sed nunc porro, quid missis discipulis Christus dixerit videamus :

Malach. 1, 1.

Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Erant tum temporis multi, qui habiles et apti essent ad suscipiendam gratiam Dei, parati item ad audienda verba vitæ : sed erant sicut oves non habentes pastorem, vagi ac miseri, et densis ignorantiæ ac cæcitatis tenebris involuti, eo quod paucissimos haberent puros ac sinceros divini verbi tractatores, fidelesque et sollicitos animarum suarum pastores. Qui enim in illo populo Judaico tum pastorum et doctorum occupabant locum, plerique omnes avaritiæ, ambitioni, luxuriæ, et aliis vitiis ita erant dediti, ut magis scandalo essent subditis quam exemplo. Propterea etiam Dominus dicebat : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Quæcumque ergo dixerint vobis, facite : secundum opera vero eorum facere nolite. Dicunt enim, et non faciunt.* Ut autem doctor aliis persuadeat abstinere a vitiis, et justitiam colere, qui tamen ipse nihil minus præstet, id sane difficillimum est. Nam cujus vita despicitur, ejus necesse est ut et prædicatio contemnatur. Monuit ergo discipulos Dominus, ut rogarent Dominum messis, Deum scilicet, qui est Dominus universorum, cujus imperio totus subjacet mundus, ut mitteret operarios nempe pastores, doctores, rectores, præfectos ad alios moderandos, instituendos, dirigendos, habiles et idoneos, in messem suam, id est, sanctam Ecclesiam, quæ etiam vinea Domini dicitur. Non est enim in hominum arbitrio vel potestate id situm, ut tales semper aliis præsint, sed potissimum id pendet ex nutu et dispositione Dei, qui regnare facit sæpius hypocritam propter peccata populi, in gravissimam animarum perniciem, et justo judicio qualis est populus, tales ei præstat rectores. Multi enim tam perversi et improbi sunt, ut se a suis Prælatis, vel concionatoribus, aut confessariis non ferant admoneri aut reprehendi, sed ipsa sua vitia ament, animarum medicos respuant ac execrentur. Talibus ergo quandoque evenit quod cupiunt, ut impios habeant vel certe indoctos et prorsus ineptos superiores atque pastores, qui eorum vitiis faveant, et quædam norint prætexere velamina, aut penitus nesciant quomodo alios regere debeant ac instituere. Horrendum malum, et totius christianæ disciplinæ exterminium.

Job XXXIV. 30.

Prælatos malos ob subditorum nequitias a Deo permitti.

Hodie quoque quam vere possit dici : Messis multa, operarii autem pauci ! Mundus plenus est hominibus, sed desunt qui eis verbum veritatis, sicut oportet, annuntient. Esto sint magna ex parte mali, sunt tamen etiam adhuc multi boni, et forsitan ideo potissimum tantus est numerus malorum, quod tam pauci sunt zelosi ac idonei operarii. Interim vero dum non sunt qui in fervore spiritus et zelo charitatis prædicent opportune, importune, itemque arguant, increpent, obsecrent, ut torpentes hominum animos pungendo, mulcendo, terrendo, consolando exstimulent ad timorem et amorem Dei, heu ! pereunt infinitæ animæ, quas unigenitus Filius Dei redemit sanguine suo, pro quarum salute tot annis se afflixit in terris, nec dedit ullam unquam requiem sibi, ut posset eas tanquam maturam et congruam messem ad horreum cœlestis palatii reducere. Sed quibus

Bonorum hominum quam sit hodie numerus parvus.

Legispectorum varitia, mbitio et ixus uantus erit tempore Christi.

Matth. XIII, 2.

Gregor.

tandem lacrymis prosequendum est, quod etiamsi hodie possint haberi saltem aliqui viri graves et Deum timentes, qui sibiipsis non parcant, et cupiant totos se aliorum saluti impendere, nec subtrahant eis monita salutis, tamen populus eos fugit et execratur, nec eorum dicta ferre potest, ita ut jam verissime impleatur, quod prædixit Apostolus : Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt : sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus ; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Obsequium amicos, veritas odium parit. Hac de causa terribili Dei judicio jam multis locis ablati sunt, qui veritatem doceant, et dati sunt populo doctores quales ipsi volunt, scilicet magistri erroris, hæresum fabricatores, qui eis viam faciant latissimam. Sed ubi ad extrema ventum erit, in angustias inexplicabiles se sentient devolutos. Non parva causa est, cur hodie tam pauci sint digni et veraces operarii, quod eos homines audire noluerunt, cum adhuc plures essent. Ablata sunt etiam sacramenta hominibus, sine quibus tamen nihil differunt christiani ab ethnicis, imo nec a pecudibus. Sed quare ablata sunt? Quia cum ea haberent, indigne utebantur. Auferetur a vobis, ait Dominus Deus, regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus illius. Ita, proh dolor ! jam fit. Aufertur nobis, et datur innumeris gentibus in India et aliis quibusdam in locis, hactenus a Deo alienis.

II. *Tim.* IV, 3.

Doctores veritatis cur quibusdam subtrahantur.

Sacramenta cur quibusdam hodie ablata.

Sed utinam vel nunc tandem suo gravissimo damno incitent homines ad rogandum Deum, ut mittat operarios in messem suam. Nihil enim æque deest huic seculo, atque idonei doctores et operarii, qui ferveant amore Dei, et habeant zelum animarum, in quibus charitas efficacior et valentior sit ad persuadendum, eruditionis adjuta suffragio, et eruditione charitas nonnisi ad honorem Dei et salutem proximi utatur : in quibus charitas premat tumorem scientiæ inflantis, et scientia charitati vires addat et efficaciam. Sunt quidem docti multi, sed amore vacui : et quidam licet ament, tamen quia indocti sunt, minorem habent gratiam, quæ dicunt. Rogandus est ergo Deus, ut mittat operarios scientia et charitate juxta instructos, ut per eos major fiat fructus in hominibus misere excæcatis ac induratis a diabolo et fallacia peccati. Sequitur :

Operarii amore ferventes quam sint hodie pauci.

Ite. Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.

Mundus totus in maligno positus erat. Discipuli autem innocentiam et mansuetudinem Christi pro suo modulo imitari studebant. Quando igitur eos humiles et mansuetos ad convertenda superborum et vitiorum monstris obsessorum hominum pectora Dominus misit, agnos nimirum, inter lupos delegavit, ut ex lupis agnos facerent, vincendo in bono malos, et persequentium furorem ac sævitiam mitissima lenitate ferendo. Eodem modo electi omnes mittuntur in hunc mundum ut agni inter lupos, qui sunt dæmones et pravi ac impii homines, inter quos connitendum est piis omnibus, ut neque dæmonum tentationibus, neque malorum hominum vexationibus ob ovina simplicitate, innocentia, mansuetudine, obedientia desciscant, ut sicut ovis est animal simplex absque dolo et duplicitate, innocens sine nocendi libidine, mansuetum ad omnem injuriam, ita ut mortem quoque ipsam tacita ferat, et denique ad omnem pastoris nutum obsequens et morigerum, ita sint et ipsi simplices filii Dei, candidi, sinceri, omnibus bene cupientes : item innocentes, ab omni nocendi voluntate et appetitu remotissimi : ad hæc mites et suaves ad ea omnia, quæ undecumque possint accidere, semper abstinentes a murmure et calcitratione : denique obedientes in omnibus voluntati Dei, Ecclesiæ catholicæ, superioribus suis, et rectæ rationi. Nemo autem putet se ab hujus mundi lupis posse immunem evadere, nisi forte velit non esse ex ovibus Christi. Omnes enim qui volunt pie vivere, et agnum Christum ut oves imitari, persecu-

I. *Jo.* v, 19.

II. *Tim.* 12.

tionem patientur a lupis. Sed si persequuntur lupi, tamen cavendum ne devorent, ut quandoque cum sanctis et beatis omnibus, qui luporum dentes jam evaserunt, possimus et nos gratulabundi psallere: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Lupis hodie rapacissimis mundus plenus est, nempe hæreticis, qui, proh dolor! devorant animas innumeras, quos cavere debent oves Christi, et non audire vocem alienorum, sed veri pastoris sui Jesu Christi et matris suæ Ecclesiæ Catholicæ, omnemque luporum cavere familiaritatem, quoad fieri potest. Nam sermo eorum ut cancer serpit, et lethifera animæ gutturi vulnera infligit, haud secus, quam lupi ovium guttur strangulare solent.

Ps. CXXIII, 6.

Lupis rapacissimis quibusnam hodie mundus plenus sit.

I. Tim. II, 7.

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta: et neminem per viam salutaveritis.

His verbis significat Dominus, quam solliciti debeant esse præcones verbi Dei et quibus cura animarum commissa est, ut nihil in itinere secum ferant aut agant, quod animos eorum ad se rapere, et ab aliorum procuranda salute possit distrahere. Fieri enim vix potest, ut qui pro terrenis rebus, ex affectu et inordinate ac immoderate sollicitus est, animarum salutem fideliter curet. Ideo Dominus voluit discipulos totam spem suam et fiduciam in ipsum collocare, nec de victu parando esse anxios, ne dum curis temporariis distraherentur, minus præstarent proximis. At tamen non ita hæc accipi debent, quasi non liceat prædicatoribus verbi Dei habere vitæ necessaria. Ordinavit enim Dominus iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: sed resecavit Dominus omnem habendi et acquirendi cupiditatem, ut temporalibus pro sustentatione et adminiculo utantur, non autem ibi hæreant, nec propter illa ab animarum lucris impediantur. Quod autem etiam calceorum usu discipulis interdixit, si quis ad litteram imitari velit, errare poterit, si non observet qualitatem locorum et temporum, itemque vires suas. Ergo ad spiritalem hic intelligentiam potius recurrendum est, ut per calceamentorum usum vetitum, prohibita intelligantur opera mortua, id est, peccata, ut qui aliis prædicant, ipsi a vitiis immunes sint. Denique neminem vult salutari per viam. Quod quidem cavendum est prædicatori, si notabile præstet impedimentum officio suo. Cavendum est inquam, ne longa captentur diverticula, ne pro affectu carnali vel sensuali quispiam per viam salutetur. Ibi enim plerumque contingunt compotationes, fabulationes inutiles, et multa alia mala, quæ vitanda sunt animas lucrari volenti ac debenti. Tantus enim debet in illo inesse animarum zelus, ut quævis alia minus necessaria præ illo contemnat.

Curam animarum sollicitam quænam impediant.

I. Cor. IX, 14.

Calceamentorum usus quisnam sit prohibitus.

Salutare per viam quid sit, curve prohibitum.

In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.

Non potest habitare Deus in anima, vitiorum tumultu et passionum impetu exagitata. Voluit ergo per suos prædicatores annuntiare pacem, ut pace suscepta, posset ipse pacatum et tranquillum pectoris domicilium subintrare. *In pace* enim *factus est locus ejus.* Congruum etiam valde fuit per discipulos Christi, utpote mediatoris Dei et hominum, annuntiari pacem hominibus, qui tot annorum millibus vixerant in ira Dei, venumdati sub peccato, et tartareorum spirituum dominio mancipati. Sic ipso Domino recens nato sancti Angeli cantasse leguntur: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hanc pacem habere non possunt mali: *Non est* enim *pax impiis,* dicit Dominus. Ubi autem est bona voluntas, ibi etiam pax est, pax, inquam, pectoris,

Ps. LXXV, 3.

Luc. II, 14.

Is. XLVIII, 22.

quam sequitur pax æternitatis : et pax atque concordia mutua cum proximis. Qui enim in seipso bene constitutus est, et pacem habet cum Deo, quam utique habere non potest, nisi qui sit bona præditus voluntate, paratus obedire Deo suisque Prælatis, is etiam facile pacem servat erga proximos. De qua dicit Apostolus : *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Divus Cyprianus in tractatu de Simplicitate Prælatorum : Si cohæredes, inquit, Christi sumus, in Christi pace maneamus. Si filii Dei sumus, pacifici esse debemus. *Beati,* inquit, *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohærentes. Hæc ille. Ubi ergo domui pax optatur, siquidem ibi sit filius pacis, qui sit divinæ gratiæ capax, requiescet super illum pax salutantis et optantis prædicatoris, ita ut corde compunctus, verbum salutis libenter accipiat, conceptaque bona voluntate, renuntiet vitiis, et in melius vitam commutare instituat. Si vero non fuerit illic filius pacis, revertetur pax ad prædicatorem : quia non carebit præmio suo optantis benevolentia, etiamsi non sit, qui velit verbum salutis admittere. Porro, in eadem domo jubentur manere discipuli, ut non levitate sua mutent hospitia, edantque et bibant quæ apud illos sunt, utanturque carnalibus eorum beneficiis, quibus ipsi spiritalia seminant : quandoquidem dignus est operarius mercede sua. Quidni enim corporis alimenta præbeant homines illis, a quibus ipsi animæ cibum perceperint ? Non tamen id debet spectare præco verbi Dei, ut ab aliis tanquam mercedis loco accipiat vitæ necessaria, sed utatur illis, quo possit aptior esse et robustior ad exequenda ea, quæ sui sunt officii : mercedem autem operis sui exspectet a Deo, qui reddet unicuique juxta laborem suum.

Voluntas Deo subdita ut vera pace gaudeat.

Hebr. XII, 14.

Cyprianus.

Matth. V, 9.

Filiis Dei proprium quid sit.

Præ verbi D quid sp ctare p tissimu debeat.

SERMO IN EODEM FESTO

QUIBUS MODIS SANCTOS APOSTOLOS HONORARE DEBEAMUS : ET DE DIEBUS FESTIS PROBE COLENDIS.

NIMIS honorati sunt amici tui, Deus. Psalmo CXXXVIII, 17.

Frequens est in Ecclesia sanctorum Apostolorum celebritas, ut per quos maxima sumus consecuti beneficia, eis magnos et meritos impendamus honores. Nec timemus, ne ita agendo quidquam divino detrahamus honori : quandoquidem totum ad gloriam cedit capitis, quidquid cæteris membris impenditur : nec injuria afficimus Deum, si eos honoremus, quos ipse inæstimabili affecit honore. Et ut detur forma quædam sanctos Apostolos congrue ac devote honorandi, placet hic duplicem illos venerandi assignare modum, in quo se pie ac sedulo exerceant fideles in illorum solemnitatibus, fructum utique haud pœnitendum inde consecuturi.

Honorando sanctos nihil Deo nos laudis auferre.

Primo igitur laudes gratesque agendæ sunt omnipotenti Deo, quod eos tales tantosque effecit, tot donis naturæ, gratiæ et gloriæ affecit, tanta potentia, tot prærogativis, tanto honore et dignitate extulit : in quibus omnibus plenissimo sinceræ charitatis affectu eis congratulari debemus. Ita fiet ut et nos bonorum illorum simus participes. Hoc enim præstat charitas, ut quantumvis aliquis in seipso pauper et virtutis inops sit, tamen si gratias agat Deo pro muneribus gratiæ aliis collatis, eorum omnium reddatur particeps. Itaque etiamsi nullius mihi boni conscius sim, etiamsi omnibus me sentiam virtutibus destitutum, licet nihil eorum in me conspiciam, quæ in sanctis Apostolis præclare et excellenter emicuerunt, licet etiam

Honora di sanct Dei mod duplex.

Merit sanctoru quomodo nobis ap plicemus

semper longissime sim ab illorum sanctitate, perfectione, dignitate, gloria et honore abfuturus, tamen gratias pro iis agendo Deo, atque in illis ea diligendo et venerando, mihi quodammodo ea vindico. Porro, dum sic Deo gratias agimus pro bonis illis, quæ præstitit sanctis suis, illi mirabiliter placemus, efficimusque ut et nobis benefaciat, et augeat in nobis dona sua : deinde sanctos Dei propemodum debitores reddimus ad orandum Deum pro nobis, et illius nobis gratiam impetrandam. Absit enim ut credamus eos unquam posse oblivisci eorum, quæ nos illis pia devotione impendimus : imo pro vilibus et parvis obsequiis nostris, maxima nobis rependunt. Cum enim jam perfecta sit in eis charitas, summe utique diligunt salutem nostram. Unde si quam habeant occasionem nobis gratificandi vel benefaciendi, faciunt id toto cordis affectu et integerrima fidelitate, longe majora reddentes nobis, et impetrantes a Deo, quam nos unquam illis exhibere possimus. Itaque licet in cœlesti patria maxima erit beatorum differentia, et alii alios multis modis excellent, tamen infimus non solum non invidebit summo, sed etiam per ardentissimam charitatem erga illum, et gratitudinem erga Deum, illius beatitudine in illo fruetur, nec putabit deesse sibi, quod in illo conspexerit. Qui affectus utinam saltem parva ex parte esset in hominibus, mox essent tranquilla omnia. Pauperes non inviderent ditioribus, neque subditi principibus et magistratibus, non populus clero, non inferiores superioribus, sed sua quisque sorte contentus viveret, et quod sibi deesse cerneret, in alio se invenisse gratularetur.

Sanctos curam habere viventium qui eorum honorant perfectionem.

Sanctos minores ex aliorum beatitudine majori gaudere.

Secundo, sanctorum solemnitates studiose ac reverenter nobis celebrandæ sunt : quod quidem fit Missæ sacrificium et Dei verbum devote auscultando, Apostolorum suffragia pie et ferventer implorando, eleemosynas et misericordiæ opera largius in miseros conferendo ad laudem Dei et illorum honorem, piis meditationibus, sanctisque cogitationibus attentius insistendo : denique vitam illorum pro nostræ fragilitatis modulo imitando. In his igitur sese exercebunt fideles, nec detestabili otio aut aliis illicitis studiis illorum dies festos transigent, in summam Dei et ejus sanctorum injuriam, propriamque perniciem et damnationis cumulum. Maxime tamen in illis imitabuntur charitatem, quæ in eis summa effulsit, de qua dicit Augustinus : Qui charitatem habet, quid est quod illi possit obesse? Qui vero non habet, quid est quod possit prodesse? *August.*

Festa sanctorum quomodo et quam studiose reverenterque sint celebranda.

Est autem charitatis triplex quædam stupenda virtus et efficacia, quæ eam summe facit desiderabilem et pretiosam. Prima est, quod universa peccata operit et abscondit a facie Dei. Si habes charitatem, securus pergis ad Christi quamvis æquissimi judicis tribunal, etiamsi solus omnia mundi peccata admiseris. Non enim poterit damnare aut abjicere hac nuptiali veste ornatum, qua teguntur vulnera et deformitates animarum. Secunda est, quod quibuscumque charitas conjuncta est, etiamsi in seipsis indifferentia sint, ea omnia Deo reddit valde accepta : ut sunt, jejunia, vigiliæ, orationes, eleemosynæ, etc. quæ sine charitate, aut parum aut nihil placent Deo. Tertia est, quod etiam mala nostra commutat in bona. Sic diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata quæ fecerunt. Siquidem ex illis postea humiliores fiunt. *Rom.* VIII, 28.

Efficacia charitatis triplex quæ sit.

Sine charitate nil Deo placere.

Et quia hic jam aliqua dicta sunt de Apostolorum aliorumque sanctorum solemnitatibus colendis, forsitan non incongruum fuerit generatim aliqua commemorare de festis diebus religiose transigendis, ne quis ignorantiam possit prætexere : et ut habeant pii exercitia illis diebus accommoda. Non enim temere instituti sunt Dominici ac festi dies, sed pro nostrarum salute animarum, ut qui aliis multo pluribus diebus in multa distracti, et erga res terrenas solliciti et occupati sumus, saltem iis diebus animum colligamus, et Deo nostræque saluti intendamus. Certum est

Dies festi cur instituti sint et colendi.

enim diebus operariis vel communibus, id est, non festis, homines ut plurimum tempus pretiosissimum perdere, aut certe non satis fructuose expendere, miscendo actionibus suis pulveres mundi hujus. Imo vero plurimi tunc perdunt humilitatem, patientiam, castitatem, veritatem, quietem, divinam gratiam, animam quoque suam, itemque paradisum et Deum ipsum peccatis variis, quæ passim absque timore admittunt. Unum ergo ex iis, quæ festis diebus agenda sunt, hoc est, ut sicut cæteris diebus eorum quæ jam diximus, multorumque aliorum bonorum jacturam fecimus, ita festis diebus studeamus amissa recuperare. Unde dies illi cum omni sollicitudine et maturitate transigendi sunt, maximeque tum convenit vacare conscientiæ examinandæ et discutiendæ, ut videat unusquisque in quibus cæteris diebus offenderit Deum, doleatque ex animo de singulis male admissis : deinde proponat in posterum toto corde abstinere, occasiones peccandi fugere, malorum consortia pro viribus evitare, et bonis operibus semper esse intentum.

Festis diebus bona amissa recuperari.

Nec tamen hæc sufficiunt, sed etiam confiteri necesse est peccata admissa. Quod quidem christianis omnibus consultissimum foret frequenter agere. Ita enim semper sereniori viverent conscientia, et minori esset opus labore ad expendendam conscientiam dum confiteri vellent. Deinde maxime danda opera est festis diebus, ut Missa non negligatur, sed ad finem usque reverenter et attente auscultetur : nec non ut precibus assiduis fideles incumbant. Cum enim aliis diebus ob externas occupationes et curas domesticas vix unquam precibus vacent, debent festis diebus magno studio ad orandum se convertere. Atque utinam persuaderi posset miseris, id ut agere vellent. Sentirent sane largissimam Dei benedictionem, et ad resistendum vitiis, atque ad toleranda adversa multo fortiores se experirentur. Sed quia orationis præsidium jam omnes abjiciunt, nullo negotio quævis vitia, vitiorumque incentores dæmones miseris prævalent ac dominantur. Præterea iisdem diebus revocanda ad memoriam sunt beneficia Dei, et pro iis Deo attentissime gratiæ agendæ. Hoc quidem ita est necessarium, ut qui id non facit, vix mihi christiani nomine dignus videatur. Quid enim tam iniquum est, quam cum innumera, idque momentis singulis a Deo accipiamus beneficia, saltem uno aut altero hebdomadæ die non redire in illorum vel generalem memoriam, et Deo largissimo benefactori medullitus gratias agere? Ingratitudinem tantam ab omni christiano Deus avertat. Atque utinam sicut perpetuo Deus nobis benefacere non desinit, ita nos perpetuas illi nocte ac die laudes gratesque agere possemus. Quod etsi non possumus, tamen vel festis diebus, qui aliis minus possunt, debent commemorare secum ad minus præcipua Dei beneficia generalia et specialia, et pro illis gratias agere Deo.

Festis diebus Missæ sacrum quomodo audiendum.

Orationis quomodo sit hodie usus rarus.

Multum nos ad gratitudinem provocat etiam rationis expertium animalium quorumdam miranda gratitudo, ex quibus canes in tantum hoc dono pollere noscuntur, ut quidam etiam interfectis dominis eorum in solitudine a latronibus, ab extinctorum cadaveribus non recessisse legantur, sed ibidem expirasse, atque etiam quosdam duces fuisse eorum, qui recens perpetrati homicidii auctores inquisierunt, atque eos capi et pœnis affici fecisse. Si ergo tantam fidem et gratitudinem canes omni ratione carentes præstant illis, a quibus minima sunt beneficia consecuti, poteritne hominis vocabulo dignus esse, quisquis infinitis, continuis et maximis Dei beneficiis ingratus vivit? Sanctus Basilius Magnus adeo ab hominibus exigit gratiarum actionem erga Deum, ut ab hac velit omnes preces nostras capere initium. Cujus verba una cum formula gratiarum actionis ab illo edita huc non piget recensere. Ait enim in Constitutionibus monasticis capite secundo : Duplex est orandi modus : quorum alter in glorificatione, adhibita animi submissione cernitur : alter

Grat
Deo ut s
agendæ
diebus
stis.

Pecude
suo doce
facto ho
mines in
gratos gra
tiarum
actionem

Orandi
modus du
plex quis
sit.

in petitione, qui quidem priori subjicitur. Cum oras igitur, nolito confestim ad petitionem accedere. Quod si hoc non facis, indicio es ipse de voluntate tua, te scilicet, quod necessitate urgearis, Deo preces adhibere. Quapropter quandocumque instituis orare, conjugem, liberos atque etiam teipsum relinquito et a terra procul abscedito, cœlumque superato, et naturas omnes tam quæ cerni, quam quæ cerni non possunt relinquito, et ab ejus glorificatione exordire, qui omnia condidit : cumque in eo satis fueris commoratus, non mente vaga, neque huc illucve temere deerrante, neque (ut Græcorum mos est) fabulas garriens, sed de sacrosanctis litteris carpens quæ dicas, dic : Gratias tibi ago, Domine, propter incredibilem clementiam, et in ferendis hominum culpis facilitatem tuam, qui peccantem me quotidie patientia tua sustines, et ad resipiscendum omnibus nobis potestatem facis. Propter hoc enim taces, et nos sustines, Domine, ut tibi gratias agamus, qui salutem generis nostri modo terrendo, modo leniter exhortando moderaris : quique per prophetas primo, postremo etiam per adventum Christi tui nos visitaveris. Tu enim finxisti nos, non autem ipsi nos, tu es Deus noster.

Oraturus ut omnia transcendat.

Gratiarum actio S. Basilio familiaris.

Deinde docet quanta humilitate Deo gratias agere eumque glorificare debeamus, ita ut dicamus illi ex animo nos indignos esse, qui coram ipso loquamur, eo quod simus vehementer peccatores : et quamvis in multis offendamus omnes, tamen majorem offensarum partem nec intelligamus quidem, ita ut merito unusquilibet dicere possit et debeat, peccatis peccatores omnes se vincere. Deinde ita subjungit : Postquam ambabus his partibus, nempe gratiarum actionis et humilitatis, satisfeceris, tum demum quod petere debes, petito : non divitias, neque terrenam gloriam, non sanitatem corporis (ipse est enim qui te creavit, ipsi curæ est incolumitas tua, et probe novit cui expediat bene vel male valere), sed quemadmodum justus es, regnum cœlorum pete tantummodo, et necessitatibus corporis tui ipse providebit. Munificentissimus est enim idem et augustissimus rex noster, et indigne fert, quandocumque quis exiguum aliquid a se petit, quandocumque quis nostrum de rebus ipsum minime ipsi convenientibus rogat. Noli igitur illum tibi oratione tua iratum facere : sed ea petito tibi, quæ digna sunt et rege et Deo. Hactenus ille. Cujus dicta nos propterea paulo fusius huc adduximus, ut habeant fideles tum orandi, tum gratias agendi formulam, quo tanto propensius dies festos sanctificent, id est, sanctis operibus et exercitiis transigant.

Petere quænam debeamus Deo.

Præter hæc autem non minori cura agendum est, ut sicut in præcipuis solemnitatibus olim Judæi solebant offerre primitias Deo, ita et christiani festis diebus mystice idem agant, quod illi externo ritu observarunt. Ut enim, aiunt doctores quidam, Judæi in Paschate offerebant primitias novorum granorum, in Pentecoste novorum panum, in Septembri novorum frugum : ita etiam christiani triplices primitias festis diebus debent Deo offerre, puta cogitationes, intentiones et amorem suum. Sunt enim cogitationes principium omnium bonarum actionum : quandoquidem piæ actiones a cogitatione trahunt originem : eæque, id est, cogitationes offerendæ sunt Deo, ut festis diebus sanctis cogitationibus, puta de vita et passione Christi, de virtutibus et meritis sanctorum, de quatuor extremis, de præsentis vitæ brevitate et incerto exitu, de miseriis exilii hujus, atque id genus aliis serio et attente vacemus : tum enim liberius datur otium et major opportunitas, eo quod non sit necesse externis distrahi occupationibus.

Primitias mystice triplices quas debeant offerre christiani diebus festis.

Intentiones etiam primæ et principales sunt in operibus nostris : siquidem ab illis bonæ actiones incipiunt. Non enim potest esse opus bonum, quod bona intentione sit destitutum, magisque Deus in actionibus nostris mentis intentionem, quam operis

Intentionis rectæ quæ bona sint.

rationem attendit. Et istæ igitur offerendæ sunt Deo, ita ut cuncta opera nostra, totamque adeo vitam nostram referamus in Deum. Quod sane non est negligenter agendum. Non enim parum interest, qua intentione cuncta agamus : adeoque si meritum apud Deum consequi velimus, oportet ut cuncta quæ vel cogitamus, vel dicimus, vel agimus, vel omittimus, idcirco cogitemus, dicamus, agamus, omittamus, ut divinæ voluntati obtemperemus, ut sic omnia nostra referantur ad divinæ voluntatis executionem. Atque hac in parte diligenter sese fideles quique exercere debent, ut ad minus festis diebus omnia sua et totam vitam suam, omnesque intentiones suas referant et dirigant in Deum, statuantque firmiter et tota voluntate decernant ac proponant, se in omnibus Deum præcipue pro scopo habere velle. Inde fiet ut omnes cogitationes, actiones, et verba ipsorum Deo magis placeant, et majori præmio digna sint. Qui vero omnia sua temere et dissolute agunt, nec certum sibi præfigunt scopum, illi sine ullo fructu vitam exigunt suam, et tandem vacuos se invenient, nisi resipuerint.

Quidquid agimus id referendum ut sit ad Dei beneplacitum.

Scopus cuique ut sit præfigendus.

Denique amor noster, cum sit primus actus voluntatis, principiumque omnium actionum ex voluntate proficiscentium, sive quæ a voluntate fiunt (siquidem ex amore bono et ordinato opus itidem bonum ac ordinatum procedit, ut e diverso ex malo et inordinato amore malum, inordinatumque opus emergit) jure sane etiam idem ipse amor noster ceu primitiæ quædam Deo festis diebus offerri debet, ita ut Deum amemus super omnia, atque in Deum tendamus, et ascendamus per amorem. Id vero ad sanctificationem festorum dierum magis exigitur, quam duo præcedentia, nempe cogitationum ac intentionum oblatio. Ut enim aiunt sancti quidam, præcipua mens sive intentio præcepti de sanctificando sabbato ea est, ut Deo per amorem adhæreamus, eique præparemus cordis habitaculum. Neque dubium est illum rite sanctificare festum diem sive sabbatum, qui Deum amat super omnia, vitatque cuncta huic charitati contraria et inimica, et divinis vacat laudibus, aliisque piis ac religiosis exercitiis.

Amor noster uti sit Deo ceu primitiæ offerendus.

Sanctificare festos dies quomodo intelligendum.

Sunt et alia multa, quæ huc possint afferri, festis diebus observanda : sed si quis jam dictis sese sedulo occupaverit, satis habebit negotii, neque opus erit, ut ad mundi vanitates, ad ludos, ad crapulam et ebrietatem, ad choreas, et id genus alia dæmonum ludibria sese convertat. Agite ergo, charissimi, digne Deo et sanctis ejus festos exigatis dies, et quas aliis diebus contrahitis vitiorum maculas, istis abstergite et expiate. Propterea enim instituti sunt, ut illis vos reconcilietis Deo, et miseris animabus vestris mature prospiciatis, sanctos quoque vobis apud Christum judicem patronos adsciscatis, ut ubi ad illius severissimum tribunal ventum fuerit, quod vestris non potestis, sanctorum meritis et precibus obtineatis. O felices vos, si dum adhuc licet, hac ratione saluti vestræ consulueritis ! Væ autem illis, qui sacris diebus, non solum præterita peccata non diluunt, sed etiam vehementissime exaggerant, quibus remedia et adminicula salutis vertuntur in exitium. Quod a nobis avertat Deus in secula benedictus, Amen.

Dies festi cur instituti.

IN SOLEMNITATE
OMNIUM SANCTORUM

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM

EGO Joannes vidi Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi : et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia, signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Juda, duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad, duodecim millia signati. Ex tribu Aser, duodecim millia signati. Ex tribu Nephthali, duodecim millia signati. Ex tribu Manasse, duodecim millia signati. Ex tribu Simeon, duodecim millia signati. Ex tribu Levi, duodecim millia signati. Ex tribu Issachar, duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia signati. Ex tribu Joseph, duodecim millia signati. Ex tribu Benjamin, duodecim millia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes : Salus Deo nostro, qui sedet super thronum et Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, et seniorum et quatuor animalium, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes : Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus, et fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen. *Apoc. VII.*

Festum omnium Sanctorum ob quas rationes sub uno celebretur die.

LECTIO ista multis scatet mysteriis : in qua præter alia, expressa fit mentio omnium electorum, et hominum et Angelorum, atque eo nomine congrue sane legitur in Ecclesia hac die, qua ad laudem Dei celebramus generalem Sanctorum omnium memoriam, tum ut negligentias in specialibus festis admissas hac communi celebritate resarciamus, tum ut largiora nobis divinæ benedictionis multiplicatis intercessoribus munera comparemus. Si enim, ut Augustinus ait, fieri non potest multorum adhuc in carne degentium preces non exaudiri, fierine posse putabimus, ut Sanctorum omnium pro nobis factæ preces, quas hodie communi devotione ambimus, non exaudiantur a Deo, cum quo jam unum facti sunt ? Olim Moyses quamvis sanctus, unus tamen homo, sexcentis Judæorum millibus veniam obtinuit : et quidquam negare poterit Deus sanctus et verus innumerabilibus Sanctorum millibus, *August.*

quos amat amore immenso, et plus quam paterno, quibus totum se impendit, totum se fruendum impartitur ? Unde intelligimus, quam nonnisi ex Dei Spiritu factum sit, ut ab Ecclesia singulis annis servetur festum celebre ad honorem omnium Sanctorum Angelorum et hominum, quo humana fragilitas apud Deum adjuvetur illorum meritis et suffragiis, quos constat illi esse longe intimos atque charissimos, quibus nec velit, nec possit quidquam denegare. Quamobrem hac die christiani omnes tota devotione debent incumbere precibus, obsecrare et patronos sibi demereri atque conciliare Sanctos omnes, per eos veniam et gratiam sibi impetrare a Deo, et potissimum felicem mortis horam, et denique quidquid ad bene beateque vivendum necessarium est. Multis enim exemplis probatum est, eos qui pie ac sedulo sanctos venerati sint, raro male obiisse : qui autem illos contempserint, sæpe etiam morte subitanea, aut aliis horrendis malis subito affectos esse.

Festum omnium Sanctorum quanta celebrandum devotione.

Ex veneratione Sanctorum quæ bona proveniant.

At nunc lectionem ipsam succinctim explicemus. Ego Joannes Apostolus et Evangelista, vidi Angelum quemdam ascendentem et in sublime volantem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, signum Filii hominis, nempe sanctam crucem præ se ferentem, unde posset internosci ab Angelis tenebrarum. Cum enim sæpe satanas transfiguret se in Angelum lucis, non veritate, sed simulatione, ne sancti homines visis spiritibus decipiantur, certa quædam signa secum ferunt Angeli sancti, ex quibus dignosci queant. Clamavit autem idem Angelus, stans in loco excelso, voce magna, non tam clamoris vehementia, quam divinæ virtutis auctoritate, quatuor angelis malis, quibus ad exercitationem fidelium datum et permissum est a Deo, qui suis electis omnia facit cooperari et cedere in bonum, nocere ac diversas molestias, cruces et vexationes admovere terræ et mari, id est, fidelibus in Deum credentibus, atque in hoc orbe passim commorantibus. Clamavit autem ita dicens : Nolite divina refrenati virtute, quæ vobis certos dedit limites, quos prætergredi nec debetis nec potestis, nocumentum aliquod inferre terræ et mari, neque arboribus, id est, homines Christi fideles ne divexetis aut impugnetis, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum : non solum in frontibus externis, quod signum indiscriminatim omnes boni ac mali christiani accipiunt, sed etiam internis, in ipsa animæ facie. Non enim satis est fidem habere crucis Christi, sed etiam opera adsint oportet. Christiani omnes credunt quidem in Christum, et hoc ipso habent in fronte corporis signum Dei vivi, sed non erunt immunes a potestate malorum spirituum, nisi fidei signum quod gestant in corpore, etiam inviolabile intus in anima conservent per veram ac sinceram charitatem, quæ benefactis declaretur. Non ergo sufficit habere signum fidei (id enim multi habent qui tamen non numerantur inter electos), sed etiam eorum quæ ad fidem pertinent executio conjungenda est, quam præstat charitas, qua electi a reprobis distinguuntur. Discimus ex hoc loco manifeste, quam nihil possint dæmones contra nos nisi quatenus sinuntur a Deo ad exercitationem fidei et patientiæ nostræ. Quamobrem sæpe rogandus est Deus, ut inimicorum nostrorum malitiam et nocendi libidinem sua virtute restringat, ne qua ex parte nobis damna irrogent. Multi enim dæmonum impugnationes aut molestiores sentiunt, aut iis citius succumbunt, quod sint ad implorandum divinum auxilium pigri et desides. Orantes autem libenter Deus exaudit et adjuvat, servat ac tuetur.

Signum Dei vivi quodnam sit.

Rom. VIII, 28.

Sufficiat quodnam signum fidei.

Quidam cur citius a dæmonibus decipiantur.

Et audivi, inquit Joannes, numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. Lectio ista, ut volunt doctores, ad tempora Antichristi pertinet, quibus certum est multos Judæorum ad prædicationem Enoch et Eliæ convertendos ad Christum, quorum summam indefinitam nu-

Lectio hæcce ad quod tempus respiciat.

merus iste definitus exprimit : quanquam potest etiam de omnibus electis Judæis accipi. Imo sunt qui de tota electorum omnium frequentia hæc interpretentur, sequentes mysticam vocabulorum, quibus singulæ tribus appellantur, significationem. Nam et ipse numerus duodenarius totus sacratus et mysticus est. Quod autem hic in enumerandis tribubus duodecim non servatur ordo generationis ; quod item Dan penitus reticetur, nec id quidem occultis vacat mysteriis. In ipsa quidem ordinis naturalis commutatione monemur ad mysticum recurrere ordinem, quem alii diversi partim fusius, partim strictius edisserunt, ad quos nos lectorem remittimus, ne simus longiores. Porro tribus Dan ea ratione putatur prætermissa, quod inde sit Antichristus nasciturus.

Numerus duodenarius ut sit mysticus et sacratus totus.

Dan familia cur hoc loco omissa sit.

Deinde postquam ex singulis tribubus duodecim millia signatorum commemoravit, subjungit sanctus Apostolus : Post hæc vidi in spiritu turbam magnam, hominibus quidem incomprehensibilem et innumerabilem, Deo tamen et cœlicolis cognitam, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, non ex Judæis tantum. Non enim illis solus datus erat Christus, sed et cæteris nationibus, sicut scriptum est : Is. XLIX, 6. *Dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Vidi, inquam, eos stantes ante thronum Dei, divinæ majestatis ejus contemplationi semper intentos, et ad omnem ejus voluntatem summa cum reverentia paratos atque promptissimos : et in conspectu Agni, qui abstulit peccata mundi, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo : de cujus glorificata humanitate, dici non potest quanta capiant gaudia beati omnes. Erantque amicti stolis albis, ob innocentiam sive servatam sive recuperatam purissimis in sanguine Agni dealbatis vel candefactis : et palmæ in manibus eorum ob plenissimam ex hostibus et mundi voluptatibus reportatam victoriam. Et clamabant voce magna, totis animæ medullis, omni mentis affectu, cunctisque viribus et summa cum devotione et gratitudine : Salus Deo nostro sit et immensa beatitudo, honor et gloria, sedenti super thronum, et omnia pro sua potestate, sapientia et bonitate regenti, et Agno Christo Jesu innocentissimo Filio ejus, cui, quatenus Deus est, idem cum Patre debetur honor : quatenus vero homo est, non prorsus idem, sed tamen longe excellentior, quam toti creaturarum omnium universitati.

Et omnes angelici spiritus stabant in circuitu throni, intentis vultibus in Deum gloriæ, quem avidissime inspiciunt, parati etiam ipsi ad omnem summi Imperatoris nutum : stabant item in circuitu seniorum et quatuor animalium, hominum scilicet in cœlesti patria cum ipsis regnantium, et sanctorum quatuor Evangelistarum, cæterorumque Prælatorum vel Patrum Ecclesiæ, tanquam illorum conservi, atque concives sub uno principe Deo. Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, profundissima humilitate sese submittentes divinæ majestati, eamque ita ut dignum erat summa cum reverentia adorantes, tanquam Deum ac Dominum suum, a quo se noverant consecutos omnem beatitudinem suam et omne bonum suum. Unde et nos discimus, quanta cum humilitate et reverentia Deum cœli, regem gloriæ, Dominum majestatis adorare debeamus, quando cœlestes illi et præclari spiritus intantum sese abjiciunt. Et tamen, proh pudor ! videas multos etiam dum divina peraguntur mysteria in sacris ædibus, rigido stare corpore, et nullam unquam præstare reverentiam divinæ majestati : quosdam etiam, proh nefas ! in injuriam et contemptum summi Dei, sursum deorsum, haud secus quam in foro, ambulare in templo dum sacra celebrantur. Quorum sicut est impudens et execranda impietas, ita erit olim etiam gravissima damnatio.

Adorandus quanta cum reverentia sit Deus.

Impudentia quorumdam in sacratis templis quanta.

Porro, sancti Angeli corruentes in facies suas, adoraverunt Deum, dicentes : Amen, id est, sanctorum hominum sententiam approbantes. Cum enim summe diligant

Deum jure optimo summe diligendum, qui cum nullius indigeret, tamen et Angelos et homines condidit suæ beatitudinis participes, non possunt non approbare, quidquid ad ejus laudem et honorem pertinet. Deinde et ipsi addunt : Benedictio, quia præcipue et superexcellenter est benedictus : et claritas, quia summe pulcher et lucidus : et sapientia, quia essentialiter sapiens : et gratiarum actio, quia bona omnia creaturarum, illius sunt dona, pro quibus merito illi gratiæ semper agendæ sunt : honor, quia summe honorandus : virtus, quia insuperabilis : fortitudo, quia omnipotens et fortis, in secula seculorum sit Deo nostro, Amen.

EXEGESIS EVANGELII

EJUSDEM SOLEMNITATIS, MATTHÆI V.

EVANGELIUM hodiernum, eam quam Christus in monte tradidit, doctrinam partim complectitur, dignam sane, quæ nunquam a cordibus fidelium excidat, quam sibi perpetuo habeant propositam ob oculos, et ad quam totos sese semper et ubique componant atque conforment. Sublimia quidem sunt, et mundi judicio plane contraria, quæ hic Sapientia Dei e loco sublimi sublimiter docet, sed tamen non excedunt humanas vires : nam alioqui superfluum fuisset prædicare hominibus, quod imitari non possent. Omnis hic mundi amor, omnis voluptas, omnis ambitio, cuncta mundi gaudia, et denique quidquid mundus in pretio habet, condemnatur et rejicitur, idque a Dei Filio, cui tradita est omnis potestas a Deo Patre, quique est dux et legifer, doctor ac institutor noster, qui legem veterem non solvere venit, sed implere, et perfectioribus præceptis absolvere et consummare. Priscis illis antiquæ legis cultoribus temporalia promittebantur, utpote adhuc longe positis ab aditu regni cœlorum. Itaque talia eis data sunt præcepta, quæ illorum infirmitati congruerent. Christus autem qui nobis non terram Chanaan, non vineas et oliveta terrena promisit, sed paradisum cœli omnibus bonis rebus affluentem, longe excellentiora nobis jussa dedit, ut præmiis immensis sublimia præcepta utcumque respondeant.

Summa hujus Evangelii quæ sit.

Populo illi carnali permittebantur carnales ex rebus præsentibus consolationes capere, ut inde discerent firmius sperare bona semper mansura, quæ illis tantum sub figuris quibusdam et umbris, et tanquam in somnis proponebantur : nos vero qui per Christi mortem abolito damnationis chirographo, et mortis imperio destructo, æternam vitam, non temporalia promissa expectamus, ad omnium rerum labentium contemptum præceptis et præmiis invitamur. Et ne despondeamus animum, tanquam sufficere non possimus exequendis illis quæ exigimur, consolatur nos Scriptura divina, ut certi simus, qui legem dedit, illum et benedictionem daturum, id est, sua gratia adjuturum infirmitatem nostram, qui utique *sufficientes non sumus cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis :* II C. III, 5. *sed sufficientia nostra ex Deo est,* qui operabitur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate. Tantum adsit bona voluntas, et gratia partes suas abunde exequetur. Videamus nunc ipsa Evangelii verba :

Præceptis antiquæ legis quantum præstent novæ.

Videns Jesus turbas, ascendit in montem. Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.

Matth. IV, 4. Evangelista Matthæus alio loco scribit Domini opinionem ob multas virtutes illius per totam Syriam divulgatam fuisse, plurimosque ad eum ex diversis locis confluxisse. Quos ubi vidit Dominus, fugiens multitudinem, et expetens secretioris loci secessum, ubi præcepta cœlestia sacratius promulgaret, ascendit in montem, ut sicut prisca lex data fuit in monte, ita et nova similiter in monte ederetur. Sed illa per Angeli ministerium, hæc ore ipsius Dei.

Montis ascensu quid Christus significaverit. Ipso autem montis ascensu significavit se sublimia quædam, nec omnibus communia traditurum. Unde etiam turbas inferius reliquit, et solos discipulos secum assumpsit, utpote tanto paratiores aptioresque ad illius suscipiendas institutiones, quanto illi jam erant quotidiana conversandi cum illo consuetudine magis familiares : nec debebant communibus duntaxat præceptis instrui, quos Dominus toti orbi convertendo ac illustrando destinarat.

Et aperiens os suum, docebat eos dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Sublimia Dominus præcepta daturus, a paupertate spiritus sumit initium, quam alii humilitatem, alii facultatum sive rerum temporalium contemptionem interpretantur. Nam utrique convenire potest. Utraque autem ceu fundamentum quoddam est vitæ spiritalis. Quod ad divitiarum sive rerum temporalium abdicationem attinet, beati prædicantur, qui eas abjiciunt propter amorem Dei, ut liberius possint vacare Deo rebusque divinis. Habent enim facultates et bona temporaria suos quosdam nexus et vincula, quibus implicant animos hominum, ut non possint solutis et liberis animis vacare summo bono. Unde Dominus dicit : *Non potestis Deo servire et mammonæ*. Quare ? Quia divitiæ vix absque amore inordinato possidentur : atque hic amor aut minuit, aut penitus exstinguit amorem Dei. Quidquid autem id est quod nos abstrahit ab amore Dei, id jure meritoque contemnendum est. Si enim cum adversa laboramus valetudine, libenter caremus illis quamvis delectabilibus vel escis vel potionibus, quæ morbum augent, aut sanitatem impediunt : quanto magis libenter debemus contemnere, quæ animæ perfectam remorantur sanitatem, et nos a perfectione distinent ?

Matth. VI, 24.

Amor rerum temporalium quantum spiritui impedimenti præstet.

Itaque beatos prædicat Dominus pauperes spiritu, qui prompto et alacri animo, imo et cum voluptate quadam penitus terrena omnia despiciunt et abjiciunt, pauperem Christum et ipsi pauperes sectantes, ut possint sine ulla animi distractione, quam efficit cura et amor rerum temporalium, divinis duntaxat vacare rebus, et animi obtutus absque ulla sollicitudinum terrenarum caligine in Deum defigere.

Pauperes spiritu cur prædicentur beati.

Id enim generatim hic notandum venit, beatitudines hasce quas Dominus hic commemorat, virtutes esse purgati animi, et perfectas atque consummatas, quatenus convenit præsenti vitæ. Atque ea re recte vocantur beati, qui iis præditi sunt : quia jam in se sopita habent vitia, et tranquillam cordis pacem obtinent : quod est initium quoddam et inchoatio futuræ beatitudinis. Porro commendantur hic primo loco illi, qui causa amoris Christi relinquunt omnia, et monasticen profitentur. Dicat aliquis : Nonne melius est retinere facultates suas, et inde gratificari pauperibus, atque alia pietatis exercere opera ? Respondemus illi : Si melius id est, cur Dominus diviti illi adolescenti dixit, ut relinqueret omnia, et se sequeretur ? ac deinde addidit, divites difficile ingressuros in regnum Dei ? Sed et ipse Dominus cur tam pauper vixit in hoc mundo ? Cur omnes credentes in Ecclesiæ exordio reliquerunt omnia ? Melius est ergo et perfectius omnia relinquere. Quare ? Quia res terrenæ amorem cordis sibi vindicare nituntur, punguntque animum et misere lacerant. Itaque nec homo sese Deo perfecte conjungere potest, nec sese Deus homini. Non enim uniri potest homini Deus, donec aliquod intra se medium retinet. Ergo, ut Augustinus ait : Bonum est facultates cum

Beatitudines hæ quales sint virtutes.

Religiosos hic prædicari beatos.

Matth. XIX, 23.

Terrena omnia relinquere, quam sit consultum.

August.

dispensatione pauperibus erogare : melius est pro intentione sequendi Dominum simul donare, et absolutum sollicitudine egere cum Christo. Difficile sane est, et hisce temporibus rarissimum, divitiis non abuti, non inflari, non insolescere. Non enim in hominibus hodie tantus inest amor Dei, ut sciant contemnere divitias : imo vero pene omnes etiam contempto Deo, contempta omni justitia per fas et nefas nituntur undecumque acquirere. Nihil itaque consultius, quam laqueos omnes præscindere, et Christum Dominum pauperem ac nudum imitari. Si cui id non placet, sinat, tantum non impediat alios, qui cupiunt perfectiora sectari, et tutiora amplecti. Tamen certum est, etiam ipsius Domini accedente sententia, beatos esse pauperes spiritu, qui et habita abjiciant, nec quidquam omnino habere appetant, ut possint secure exspectare regnum Dei, quod pauperibus promittitur : nec immerito, quandoquidem qui nihil volunt habere in terris, cœli hæredes sunt.

Divitiis quam impie hodie plurimi abutuntur.

Pauperibus cur regna promittantur cœlorum.

Quod autem ad humilitatem attinet, ad quam quidam pertinere volunt hanc spiritus paupertatem, beati nimirum sunt pauperes spiritu, id est, humiles et timentes Deum in quibus non est tumor animi et mentis inflatio. Atque hac ratione aptissime primo loco hic ponit Dominus humilitatem tanquam stabile quoddam fundamentum adversum superbiam, quæ totius malitiæ fons et origo fuit, quæ creaturas rationales, et Angelos et homines fecit alienos a Deo, inimicos Dei, et pœnis sempiternis reddidit obnoxios. Ad hanc humilitatem sive paupertatem spiritus pertinet, ut ex gratia Spiritus Sancti, sine qua nulla est vera virtus, nosipsos sponte et ex animo etiam inferioribus substernamus ac submittamus juxta Dei beneplacitum, et cum Apostolo omnium servos omniumque peripsema fateamur, atque omnium nos postremos faciamus. Quod qui potest ex corde facere, ille vere beatus est, quia nihil eum unquam contristare, nihil perturbare poterit, utpote solidissimo humilitatis innixum fundamento, quod nec creaturæ omnes possint evertere. Qui autem humilitatis expers est, et inflatus sensu carnis suæ, putans se aliquid esse cum nihil sit, ille ad omnes tam secundæ quam adversæ fortunæ flatus instar arundinis agitatur, et modo exultat intemperantius, modo acerbiori et immoderatiori tristitia absorbetur.

Humilitas quam sit omnibus necessaria.

Humilis vere quomodo dicatur beatus.

Porro, triplex est humilitas : Prima, qua quis propriam agnoscens vilitatem, imperfectionem, culpas et miserias suas, suapte sponte proprio judicio sese despicit, et honores non solum non appetit, sed oblatos etiam corde et voluntate non suscipit, sciens nihil se habere dignum honore, sed plurima, quæ contemptum et abjectionem mereantur. Itaque sic affecto, atque sic de se sentienti, etiam ipsa peccata ejus cooperantur in bonum, quandoquidem ex illis fit humilior, et servatur a superbia, quæ Luciferum demersit in tartarum, eo quod noluit attendere quam nihil esset sine Deo, sed sola attendit dona Dei, atque inde sese impudenter extulit unde debebat ad majorem accendi gratitudinem. Altera humilitas est, qua quis ex sincera suæ vilitatis cognitione non modo ipse se ducit pro nihilo, sed etiam optat ab aliis vilipendi, et qualis est judicio suo, talis et aliorum cupit judicio haberi : nempe pauper, infirmus, omnis virtutis inops, proclivis ad omne malum, nisi tamen forte cedat in scandalum aliorum. Quod non modo in actibus, præsertim externis humilitatis, sed etiam omnium aliarum virtutum cavendum est, atque ea in iis adhibenda moderatio, ne possit urgere in detrimentum aliorum. Tertia humilitas est gratitudinis, qua quis etiam maximis præditus donis fortunæ, naturæ et gratiæ, nihil inde sibi arrogat, sed omnia refert et refundit in Deum, illi cuncta accepta ferens, illi soli laudem tribui cupiens, nec animo extollitur, nec ultra alios effertur : sed inde magis sese abjicit et humiliat foris et intus coram Deo et hominibus. Hæc humilitas ut est præclara admodum, ita et rara est. Denique ejusmodi pauperibus spiritu, quales jam diximus, id est, qui propter

Hur
cogn
nisq

Hum
exhib
nisqu

Humil
gratitu
nisquæ

Deum relinquunt omnia, et seipsos ex animo contemnunt, ac pro infimis ducunt, Christus promittit regnum cœlorum, ubi erit summa omnium bonorum abundantia, et summus honor. Quæ sane congrua est promissio, ut qui abjiciunt temporalia, accipiant æterna : et qui se humiliant in terris, exaltentur in cœlis. Unde Augustinus ait : Appetant ergo superbi regna terrarum, sed humilium est regnum cœlorum. Et Chrysostomus : Sicut cætera, inquit, vitia deponunt ad inferos, maxime tamen superbia : sic omnes virtutes inducunt ad regna cœlorum : maxime humilitas, quia proprium est, ut qui se humiliat, exaltetur.

August.

Chrysost.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Mansuetudo virtus moralis est, quæ iræ impetum refrenat ac moderatur, ne vel per verba, vel facta, vel signa foras erumpat, nec etiam animum perturbet, præsertim notabiliter et ex rationis consensu. Tum vero mansuetudo est altera beatitudinum, quas hic Dominus recenset, quando usque eo excrescit et consummatur, ut animum penitus liberum et tranquillum reddat ab iræ vitiosis perturbationibus sive motibus, ita ut nunquam ira rationem præveniente, et eam quovis modo obliquante afficiatur, nisi omnino convenienter rectæ rationi et divinæ voluntati sive legi. Nec tamen omnem excludit iram : imo vero incitat ad iram illam, quæ rationis judicium sequitur, eique obsecundat : qualis ira necessaria est adversum vitia, ne sæviat impunita nequitia : qualem et in Moyse et Davide manifeste discimus ex Sacris Litteris, qui tamen ambo de singulari mansuetudine commendantur. De qua Chrysostomus dicit : Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec stant judicia, nec crimina compescuntur. Itemque : Patientia irrationalis vitia seminat, negligentiam nutrit, et non solum malos, sed et bonos invitat ad malum. Ad mansuetudinem autem obtinendam aliis major, aliis minor est labor necessarius. Sunt enim quidam naturæ quodam beneficio mites et mansueti, sed nisi copiosa gratia naturam exornet, parvi meriti est ejusmodi mansuetudo. Alii sunt proclives ad iram, ad impatientiam, et aliqua affecti injuria, vix sese cohibere possunt. Qui si divina freti gratia quotidianum indicant bellum huic vitio, et sibi ipsis dominari nitantur, maxima sibi acquirunt merita, et quandoque hujus beatæ virtutis habitum adipiscuntur. Et talibus terræ possessio promittitur, terræ videlicet corporis ipsorum, ex cujus sanguine immoderate calido, aut alias ex prava corporis constitutione ac habitudine sæpe multa eis bella oriuntur : in quibus certandum est acriter, donec Domino præstante victoriam et pacem, sanguis et caro edometur, et in futura vita sine ulla rebellione tranquillissime possideatur. Potest et terra hic promissa intelligi regnum cœlorum, quod est terra viventium, ubi visuri sumus bona Domini.

Mansuetudo quæ sit virtus.

Mititas latenus beatitudo iræ sit.

Ira quæ quam necessaria sit contra vitia.

Num. XII, *Psal.* CXXXI, *Chrysost.*

Mansuetudo duplex quæ

Terram promissam mitibus bifariam intelligendam.

Habemus hic jam duas virtutes, puta humilitatem et mansuetudinem, quas speciatim Dominus in seipso nobis commendavit imitandas, ubi ait : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Et pulchre humilitas hic primo loco ponitur, deinde mansuetudo, quia mitis esse vix potest, qui humilitatis sit expers. Qui autem humilis est, idem ipse et mitis est. Simus ergo mites et mansueti ad omnem injuriam et adversitatem : idque ut melius possimus, contemnamus bona præsentia, ut sunt divitiæ, honores et voluptates. Talium enim amor maximas sæpe iræ præstat occasiones. Qui autem ea contemnit, non dolet dum in iis læditur, atque ita nec irascitur facile, ubi aliquod horum patitur detrimentum. Deinde cogitemus iræ turpitudinem et impatientiæ fœditatem, et quantum eæ nos dehonestent coram Deo et hominibus : sicque accendamur animis ad retinendam mansuetudinem. Ad hæc cogitemus, quam multa soleant incurrere vitia, qui ira superari se sinunt : quæ ne incidamus, amplectamur Christi mansuetudinem. Ad extremum pensemus, quam nihil pro-

Matth. XI, 29.

Mititas quomodo acquiratur.

Ira quænam mala secum afferat.

sit irasci, imo quam dire, tum corpori, tum animæ noceat iræ insania, quæ sanguinem conficit, hominem stulto reddit assimilem, proximos offendit, famam hominis lædit, cor et rationem perturbat, Spiritum Sanctum expellit, et æterna meretur supplicia. Qui autem mitis est, maximam et apud Deum et homines gratiam meretur. Mansuetudo sensim obtinetur orando, certando, Christi passionem pie meditando, sobrietati studendo, crapulam et potum superfluum, unde sæpe pravi nascuntur humores, choleram et bilem augentes, vitando, mortis incertam timendo horam, et Deum præsentem attendendo.

Mansuetudo ut sensim obtineatur.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Tertia beatitudo luctus est, ad quem pertinet libenter ac delectabiliter, et propenso animo a se abdicare terrenas voluptates, et oblectamenta carnis, mundi hujus vana, misera, cæca et perniciosa gaudia respuere, jocos, ludos, inanes confabulationes, rumores seculares, risum dissolutum, morum levitatem propter honorem et amorem Dei fugere, amplecti ea omnia, quæ carnem rationabiliter castigant et macerant, ut est abstinentia cibi et potus superflui, item vigiliæ, asperitas vestium, lecti duritia, aliaque corporalia et spiritalia exercitia, quibus corporis petulantia edomatur, corpusque ipsum in spiritus redigitur servitutem: quando moderate assumuntur pro cujusque viribus et rectæ rationis præscripto. Ad hæc animum maturum et serium atque studiosum assumere erga ea quæ sint utilia et honesta, bona et salutaria, atque in iis secundum Deum delectari, ut sunt verbi gratia, cuncta Dei opera, æterna bona quæ speramus, perfectiones divinæ, laus Dei, salus animarum, atque adeo quævis opera bona, et exercitia virtutum: quæ ut sunt longe præstantiora quibuslibet rebus mundanis et corporalibus, ita etiam multo uberius et suavius præstant homini gaudium et delectationem, ut merito præ illis cuncta vana mundi gaudia respuere debeamus, et delectari in Domino. Præterea ad hunc luctum pertinet, religiosum animi mœrorem suscipere ob peccata propria et aliena, ob contemptum et injuriam summi Dei, quam accipit ex nostris et aliorum iniquitatibus, ob mundi malitiam, hominum cæcitatem, et innumera præsentis vitæ discrimina, quæ incerti sumus an tandem evasuri simus: item ob propriam imperfectionem, virtutum inopiam, proclivitatem in malum, tarditatem ad bonum, atque ob dilationem gloriæ, quod prolongatur incolatus noster, quod peregrinamur a Domino, quod tam longe sumus a patria, quod necdum licet videre faciem Patris nostri qui in cœlis est. Pertinet etiam huc, totis animi visceribus ex piissima compassione lugere Christi Jesu acerbissimos cruciatus, quos pertulit propter nos, maxime quando pependit tribus horis in alto crucis patibulo, totus innumeris et internis et externis confectus doloribus: et cum pessimis quibusque latronibus in illo extremo mortis supplicio omnes compati soleant, tamen Dominus Jesus ab impiissimis Judæis tum maxime irrisus, scommatibus et ludibriis vexatus, blasphemiis et contumeliis afflictus fuit: quod sane lugendi magnam præbet causam. Est etiam luctus hujus, compati tristissimæ Matri ejusdem Salvatoris sub cruce Filio assistenti, et omnia intus in corde patienti summo et incomprehensibili cum dolore, quæcumque Filius in corpore patiebatur. Quæ sane in tantis pœnis, tanta animi angustia et animi afflictione viva durare non potuisset, nisi ultra naturæ vires divina eam potentia conservasset. Si qua ergo in nobis sunt viscera pietatis, compatiamur Filio corpore crucifixo, compatiamur et Matri corde et animo crucifixæ. Sunt et alia multa lugenda in hoc mundo: sed hæc pauca commemorasse sufficiat. Non est autem, quod putet quisquam luctum hunc cum rancoris amaritudine, aut cum acediæ fastidio vel tædio erga bona spiritalia, vel cum diffidentia vel desperatione conjunctam: imo vero nunquam est sine

Luctus quatenus beatitudo quæ requirat.

dulcedine et gaudio Spiritus Sancti. Siquidem magnus amor Dei luctum hunc efficit, atque idem ipse Dei amor non potest non delectatione et gaudio animum afficere. Unde etiam promisit Dominus ita lugentibus consolationem præsentis vitæ et futuræ, non carnalem et vanam, sed spiritalem et divinam, quæ hic inchoetur ex certa spe et exspectatione futuræ beatitudinis, ex interna Sancti Spiritus visitatione et illustratione, ex affluentia deliciarum Dei in anima : et demum perficiatur, ubi eo venerimus, ubi Deus absterget omnem lacrymam ab oculis hic religiose lugentium, nec erit amplius luctus neque ullus dolor, sed consolatio plena et perfecta.

voc. xxi,

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Anima cum sit incorporea, invisibili cibo potuque alitur. Sed non esurit neque sitit justitiam, nisi sana et bene constituta sit, sanumque et integrum habeat stomachum, a vitiorum corruptis humoribus amara contritione, pura et sincera confessione, ac digna satisfactione repurgatum. Nam in quibus tales etiamnum humores resident ac dominantur, illis esca salutaris, nempe justitia, et quidquid Dei est, in fastidio est : venenum autem in desiderio. Pater hoc in filio illo prodigo, qui ad tantam usque animi corruptionem et infectionem devolutus est, ut siliquis porcorum optaret ventrem impleri suum, et nemo illi dabat, tantum scilicet quod ejus posset explere famem. Non enim anima satiatur sordidis carnis voluptatibus, sed corrumpitur ac depravatur, et nisi apponat salutare remedium, nempe pœnitentiam et emendationem sui, mortem æternam sibi adsciscit. Ubi autem toto corde ad Deum convertitur, atque a vitiis sanata, per præcedentes beatitudines jam mundana contemnit, paupertatem et humilitatem amplectitur, mores mansuetudine regit, et delicta deflevit, ac digna satisfactione castigavit, jam tum incipit esurire et sitire justitiam, id est, vel in generali, magno quodam fervere desiderio omnis boni et honesti, omnis virtutis, atque in ipsis virtutibus magis ac magis proficiendi : vel in particulari, maximopere velle et desiderare reddere unicuique quod suum est. Id enim justitia exigit, ut tribuatur unicuique quod illius est. Ergo ad esuriem et sitim justitiæ pertinet, primo, ut Deo, Ecclesiæ et superioribus integram et voluntariam præstemus obedientiam. Secundo, ut superiores subditos suos admonendo, obsecrando, increpando, terrendo, leniendo, castigando, si opus sit, et aliis modis congruis a vitiis revocent, et provocent ac exstimulent ad virtutes : alioqui nisi ita agant, perditio subditorum in caput ipsorum redundabit, ut apud Ezechielem Dominus minatur. Atque istud etiam ad omnem patremfamilias spectat. Unde Augustinus cuidam comiti scribit in hæc verba : De omnium in domo tua tibi subjectorum salute sollicitus ac vigil existas : quia pro omnibus tibi subjectis rationem Domino reddes. Annuntia, præcipe, impera, suade eis ut caveant sibi a superbia, a detractione, ab ebrietate, a fornicatione, a luxuria, ab ira, a perjurio, a cupiditate, quæ est radix omnium malorum. Tertio, huc exigitur, ut in mutuis contractibus, in omni emptione et venditione servetur fides, et æqualitas pretii ac emptæ sive venditæ rei, frausque omnis vitetur. Nam qui fraudem facit, peccat in justitiam, et est obligatus ad restitutionem, si sciens et prudens id agat. Quarto, ut aliena restituantur. Sunt et alia ad justitiam pertinentia, quæ causa brevitatis præterimus. Porro, tum demum vere esurimus et sitimus justitiam, quando jam dicta cum ingenti ac insolito quodam et ferventi desiderio præstamus. Denique justitiam esurire et sitire, est Christum avidissime suspirare, et Eucharistiæ magno flagrare desiderio. Saturabuntur autem esurientes et sitientes justitiam in vita æterna, quando in bonis replebitur desiderium nostrum.

Justitiam esurire et sitire quid sit.

Esuries sitisque justitiæ quænam exigat.

August.

Subditi quomodo sint regendi.

Satietas spiritualis ubi fiet.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Misericors et miserator Dominus cupiens nos ad sui perducere similitudinem, hortatur nos ad misericordiam, idque adeo, ut si nos in proximos simus misericordes, ipse quoque se nobis polliceatur fore misericordem. Ergo si vis facilem, o homo peccator, impetrare misericordiam, sis liberalis et pius in proximos, leva miserorum inopiam benignitate tua, ut Deus ignoscat iniquitati tuæ pro bonitate sua. Si autem avarus et crudelis es, et claudis viscera ab egeno fratre tuo, superest ut talem tu quoque Dominum Deum tuum experiaris. O immensam bonitatem Dei, qui judicii sui sententiam pene in nostro posuit arbitrio, dum misericordiam pollicetur nobis misericordiam in alios declarantibus. Augustinus quodam sermone ait, ea quæ superflua sunt homini ultra rationabilem victum et vestitum, læto ac hilari animo pauperibus eum debere impartiri. Idcirco autem læto et hilari animo, quia parum dat et accipit multum : porrigit nummum, et comparat regnum : tribuit parvam pecuniam, et accipiet vitam æternam : dat temporalia et meretur æterna : porrigit caduca, et recipit sine fine mansura.

Eleemosina quænam præstanda.

Misericordiæ beatitudo quænam requirat.

Ad misericordiam pertinent septem corporalia, et totidem spiritalia misericordiæ opera. Denique tum misericordia beatitudo est, quando ita condolemus aliorum malis et miseriis ut propriis, et pro viribus promptissime eis opitulamur. Misericordia Deo nos simillimos reddit, de quo dicimus : Deus cui proprium est misereri semper et parcere.

Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt.

Cor quibusnam maculatur.

Cor non maculatur nisi vitiis et passionibus : quibus abolitis et mortificatis ac expiatis, cor mundatur, conscientia serenatur, et cordis oculi fiunt apti et idonei ad contemplandum Deum. Cordis munditiam summe in nobis diligit Deus, liben-terque sese conjungit et unit mundo cordi, maximamque ei præstat rerum divinarum cognitionem, et excellentia gratiæ suæ munera. Inde est, quod quandoque simplices quidam et idiotæ per munditiam et innocentiam cordis ad tam sublimem divinorum evehuntur contemplationem, ut eos summi Theologi vix possint capere. Cernimus hoc in præclarissimo illo viro Joanne Rusbrochio, qui ob mirabilem cordis puritatem et simplicitatem, licet alioqui parum doctus esset, tantam Dei divinarumque rerum adeptus est notitiam, ut exercitatissimis Theologis admiranda scripta reliquerit et quantum ex ejus libris colligi licet, nonnunquam ad Dei contemplandam essentiam admissus videtur. Et quid mirum, quando Dominus mundis corde Dei visionem pollicetur : quæ tamen præcipue ad futuram vitam pertinet. Vident autem tales Deum hic per speculum in ænigmate, postea autem facie ad faciem.

Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur.

Pacifici sunt, qui primo quidem pacem servant erga Deum, illi in omnibus morem gerendo, quod idem veram præstat conscientiæ pacem et pectoris tranquillitatem, cupiuntque etiam proximos quosque ad hanc pacem pertingere, eosque ad eam adducere pro viribus nituntur. Deinde etiam cum proximis, quantum in ipsis est, pacem inviolabiliter observant , odiunt scandala, dissensionum et discordiæ occasiones summe vitant, neminem lædere, omnibus prodesse cupiunt, etiam pacis inimicos optant ad pacem reducere, et dissidentes modis omnibus conciliare. Denique et in seipsis pacem custodiunt, id summopere curantes ut portio sensitiva sit in omnibus subdita rationi, et ratio sit subjecta Deo. Tales autem pacis amatores, pacisque studiosi merito vocabuntur filii Dei, qui Deus pacis dicitur, et qui pacem diligit, et nonnisi in pace commoratur.

Beati qui persecutionem patiuntur pro-

pter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Optime loco ultimo ponitur beatitudo eorum, qui propter justitiam persecutionem patiuntur. Ubi enim præcedentibus quis virtutibus præditus est, is maxime solet a dæmonibus et malis hominibus infestari, contumeliis, injuriis, mendaciis affici et dehonestari. Sed non solum nihil inde dolere, imo etiam maxime gaudere debet, quia patitur propter justitiam et propter Christum, cui placere cupit, qui ei reddet immensa cœli gaudia, et mercedem magnam nimis, hoc est seipsum. Ipse est enim merces copiosa, quæ nobis promittitur in cœlis. Itaque, dilectissimi, exerceamus nos in his virtutibus, et contrariis abstineamus vitiis, ut in præsenti gratiam, et in futura vita Dei gloriam adipisci mereamur, Amen.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

QUID NOSTRA EFFICIANT MERITA : ET DE ÆTERNÆ BEATITUDINIS INEFFABILI FELICITATE ET JUCUNDITATE.

GAUDETE et exultate : quia merces vestra copiosa est in cœlis. Matthæi V. 12.

Etsi nihil habeamus, charissimi fratres, quo Deus egeat, nec quidquam illi offerre possimus (nihil enim ex nobis habemus boni) nisi quod ab illo acceperimus, attamen recte facta nostra quamvis exigua, quamvis imperfecta, quæ tamen ipsius gratia sunt bona, ita habet accepta, ac si multum ipsi sint frugifera : talique ea præmio afficit, quasi magna sint et ingentis pretii : sicque provocat nos ad bene agendum : idque ea ex causa, quia amat nos, eo quod sui sumus, cupitque habere occasionem nobis gratificandi, et communicandi summum illud bonum, quod ipse est, nosque participes reddendi beatitudinis suæ, qua æterno beatus est. Id enim ejus poscit justitia, a qua haud unquam temere deflectit, ut æterna beatitudine non perfruatur, nisi qui eam sit emeritus, et qui pro ea obtinenda sudaverit. Merces enim dicitur, eo quod labori vel merito reddatur. Nec tamen possumus æternam beatitudinem nostris mereri viribus : nisi quod piissimus Deus ita decrevit, ut qui ipsius præcepta servarit, vita æterna dignus sit. Atqui sine illo nihil possumus : Itemque ab illo est et velle et perficere et mereri nostrum. Non utique cogit nos, sed excitat ut velimus, adjuvat ut possimus, corroborat ut perficiamus. Et licet ipse una nobiscum faciat totum, quidquid recte gerimus, tamen ita remunerat, ac si de nostro aliquid contulissemus. Certe Dominus Jesus duplici jure sibi vindicat regnum cœlorum : nempe hæreditate, quia est Filius Dei : et passione ac morte sua, qua et sibi et omnibus membris suis illud obtinuit. Membra illius sunt, qui ejus præcepta servant, quæ in hodierno Evangelio sub septem vel octo virtutibus, atque alibi brevius sub duplici charitatis præcepto comprehenduntur. Non sunt autem gravia præcepta illius, ut ait sanctus Joannes, scilicet ubi adest bona voluntas. Itaque qui hæc præcepta servant, membra sunt Christi, jureque percipiunt regnum Dei, non tam meritis suis, quam Christi, qui pro electis suis omnibus satisfecit. Porro caput non vult a membris separari, sed est

Regnum cœlorum uti duplici jure Christus sibi vindicat.

I. *Joann.* v, 3.

unum cum eis corpus : atque ubi caput est, eo et membra sequi necesse est. Hanc mercedem jam adepti sunt sancti omnes, quorum hodie generalem agimus solemnitatem. Et licet nos necdum experti simus, necdum gustaverimus illam æternæ felici-
I. *Cor.* II, 9. tatis retributionem (*non* enim *vidit oculus, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*), saltem interim de ea vel parum aliquid dicamus, quia multum non possumus, cum sit ineffabilis.

Jam ante vobis illa Domini verba reci-
Matth. V, 12. tata sunt, quibus ait: *Gaudete et exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.* Quæ quidem verba tum protulit quando novam, id est, Evangelicam legem, quam sub septem beatitudinibus descripsit, cuncta novi Testamenti præcepta sub septem virtutibus comprehendens, in monte promulgavit. Prius enim mentionem fecerat beatitudinis virtutum quæ cum labore acquiruntur, et persecutionis malorum, quam
II. *Tim.* III, 12. pii omnes ferre habent, ut Apostolus ait ; ideoque pro consolatione mox subjunxit etiam virtutis præmia. Ut enim sanctus Gregorius affirmat, exspectatio præmii minuit vim laboris. Quod nulla habet declaratione opus, utpote quod experientia quotidiana discimus. Quis quæso mercenarius suam nobis locaret operam, absque spe mercedis ? quæ quanto est major, tanto labor censetur levior. Agricolæ et vinitores quantos, quam diuturnos etiam libenter suscipiunt labores, quod se sperent largas messuros segetes, et vini copiam consecuturos ? Sic etiam pius Dominus noverat paucos tanta flagrare charitate, ut ipsi solo ex amore, atque unico duntaxat illi placendi studio serviant : propterea etiam magna voluit præmia polliceri, sed et supplicia minari. O quam multos a vitiis retrahit gehennæ timor et spes beatitudinis !

Verum non satis est ad salutem vel solo timore pœnæ aut sola mercedis contemplatione servire Deo, quia utrumque potest esse absque charitate, sine qua nullus unquam salvus erit. Ergo danda nobis opera est, ut servili timore in filialem mutato, atque mercenariorum affectu in amorem liberalem translato, serviamus Deo animo libenti ac voluntario : ea sola considera-
qu
sol
de
De
tione, quod ipse omni honore et cultu dignissimus est, quod summe bonus, pulcher, amabilis, desiderabilis, et super omnia præcipue verendus est : sicque quidquid agimus, ideo faciamus, ut illi placere, illius assequi gratiam et amicitiam, illum laudare ac honorare possimus. Talis est affectus filiorum, qui non quærit quæ sua sunt, sed quæ patris : idque solum curat, ut nihil admittat unquam, quo pater offendatur aut contristetur : nihil omittat, quod illi placere aut ad illius honorem pertinere noverit. Hac nos charitatis sinceritate, dilectissimi, Domino servire debemus, tanquam filii amantissimo parenti. Ideo quoque nos orare docuit : Pater noster, qui es in cœlis, ut hoc ipso admoneamur non servili sed liberali animo nos ei servire oportere, atque erga ipsum spem et fiduciam gerere, atque ad eum ceu Patrem clementissimum confugere. Hac charitate
Cha
quor
dam
ctor
quan
erit.
sancti Deo servierunt : quæ etiam in nonnullis tanta fuisse legitur, ut si potuisset cedere ad honorem Dei, pro illius amore libenter pœnas inferni sustinuissent : salva tamen charitate Dei perfecta, et voluntatis integra unione cum Deo, qualis est beatorum in patria.

Interim nihilominus, charissimi, nos, qui etiamnum virtutum inopes et fragiles sumus, atque a sanctorum charitate ferventi multum distamus, timore supplicii refrenemus nos a vitiis : nam ejusmodi timor imperfectos retrahit a malo : nec tamen solo hoc timore moveamur, sed præcipue nos moveat timor Dei, ne scilicet offendamus Dominum Deum nostrum, tam bene de nobis meritum, et tam dignum omni honore ac reverentia. Sed et regnum cœlorum et possumus et debemus appete-
Beat
dinem
sidera
quan
debea
re, non tamen propterea potissimum bene agere, sed ut placeamus Deo; quanquam et ideo licet petere beatitudinem, quod ibi

sit perfecta justitia, perfecta charitas, perfectum gaudium in Deo : nec ullus ibi sit defectus, nullum vitium : maxime vero quod illic conspiciemus, obtinebimus, perfruemur illo, quem amamus et appetimus, cujus causa conditi sumus, et vivimus, et facimus quidquid bene agimus, et in quo omnimoda potiemur felicitate.

Hac igitur ratione aspiremus, dilectissimi, ad regnum illud infinitæ beatitudinis, ut scilicet possimus conjungi Deo, Deumque perfecte diligere, hoc est, ut omnes sensus et motus nostri ferantur semper in Deum, quod in hac vita non est possibile, atque in illo perfecte quiescamus. Siquidem hæc amoris natura est, ut velit adesse dilecto. Nimirum, charissimi, mortales omnes ex ipsa quoque natura bonum appetunt, nec quisquam est qui malum velit sub ratione mali : quando malum per se non est concupiscibile. Quod autem homines malum amplectuntur, ideo fit, quod malum quadam boni specie ipsis imponat : idque rationis errore agitur, quæ malum tanquam bonum offert voluntati, quæ ex se nihil vult, nisi quod bonum videatur. Porro summum bonum, quod est verum bonum, et in quo uno tota hominis beatitudo consistit, omnes appetunt : quia ut Augustinus ait, ad appetendam beatitudinem natura compellit, cui summe bonus et immutabiliter beatus Conditor hoc indidit : et ut sanctus Bernardus dicit, non sumus quieti, donec eam simus adepti. Cujus ratio est, quod finis noster sit beatitudo. Quamobrem cum omnia quæ sunt, naturaliter appetant consequi finem suum, cur non multo magis homo rationis particeps id velit? Non autem eo fine conditi sumus, ut semper in hoc exilio vivamus, edentes, bibentes, et bonis hujus mundi perfruentes, sed ut recte agendo ad æternam vitam pertingamus. Atque ea est merces, quam Deus nobis promittit copiosam in cœlis. Hanc consecuti sunt sancti omnes, quibus hic dies sacer est : eamque et nos consequemur, si iisdem, quibus et illi, vestigiis ingressi fuerimus, id est, si humiles, mansueti, misericordes, lugentes, esurientes et sitientes justitiam, mundi corde, pacifici et patientes fuerimus.

Malum inquam ›peti nisi b specie ›ni alicu- s.

Quid vero illic habituri sumus? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, etc. Tanta enim sunt gaudia illius patriæ cœlestis, ut si cuncta et præterita et futura vitæ hujus gaudia in unum conflentur, in illorum comparatione prorsus nihil sint. Ibi enim Deum ipsum videbimus, cujus comparatione cætera nihil sunt. Unde et Aristoteles ait, id quod simpliciter per essentiam bonum est, melius et perfectius esse eo, quod quadam illius participatione bonum est. Sic ignis ex sua natura perfectius calorem habet, quam aqua calida : et sol verius lumen habet, quam stellæ, quæ id a sole mutuantur. Cum ergo Deus solus sit bonus per essentiam, et creaturæ omnes juxta diversos gradus tantum habeant bonitatis, quantum illis Deus communicat, certum est Dominum Deum infinito creaturis omnibus esse præstantiorem, suaviorem, delectabiliorem. Quidquid enim in creaturis est pulchrum, ordinatum, elegans, formosum, delectabile, totum ex Deo promanavit, qui est omnis boni, pulchritudinis, suavitatis fons inexhaustus. Si igitur creaturæ adeo delectant, qualis ille censendus est, qui fecit illas, indiditque illis unde sunt delectabiles? Revera infinite delectabilis est, siquidem et ipse bonum est infinitum.

Gaudia cœlestis patriæ quanta sint.

Unde beatus Augustinus loquens ad Deum : Ex visibilibus his, inquit, tua invisibilia comprehendimus, Domine Deus creator noster. Si enim mihi, Domine, pro hoc corpore ignobili et corruptibili tam magna et innumera beneficia præstas, a cœlo, a terra, a mari, luce et tenebris, calore et umbra, rore et imbre, ventis et pluviis, volucribus et piscibus, bestiis et arboribus, ac multiplici varietate herbarum ac germinum terræ, et cunctarum creaturarum tuarum ministerio nobis successive suo tempore ministrantium, ut alleves fastidium : qualia quæso et quam

August.

magna et innumerabilia, quam dulcia et delectabilia sunt, quæ solis tuis largiturus es amicis? Si tanta præstas solatia in hac die lacrymarum, quanta confers in die nuptiarum? Si tanta delectabilia continet exilium, quanta, quæso, continet patria? O Deus, non vidit oculus absque te, quæ
Ps. xxx, 20. præparasti diligentibus te. Secundum enim magnam multitudinem magnificentiæ tuæ, est et multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti diligentibus te. Magnus enim tu es, Dominus Deus meus et immensus, nec est finis magnitudinis tuæ, non est numerus sapientiæ tuæ, nec est finis seu numerus atque mensura retributionis tuæ. Sed sicut magnus es tu, magna sunt donaria tua: quoniam tu ipse es præmium et donum omnium legitimorum pugnatorum tuorum. Hæc ille.

Quantacumque igitur sint solatia præsentis vitæ, nulla tamen sunt si cum æterna beatitudine conferantur. Quare et sanc-
Gregor. tus Gregorius quadam homilia sic habet: Si consideremus, fratres charissimi, quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ haben-
Bernard. tur in terris. Et sanctus Bernardus: Illud, inquit, solum est verum et summum bonum, quod non de creatura, sed Creatore concipitur. Quod cum acceperis, nemo tollet a te: cui comparata omnis aliunde nata jucunditas, mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne decorum fœdum est, omne postremo quod delectare potest, molestum est. Rursusque
August. Augustinus: Tam ingens, ait, est delectatio illius supernæ gloriæ, quod etiamsi non liceret amplius in ea nisi unius diei hora manere, propter hoc solum innumerabiles anni præsentis vitæ pleni deliciis et omnia affluentia temporalium bonorum, recte meritoque contemnerentur. Tanta est, inquit idem, dulcedo futuræ gloriæ, quod si una gutta in infernum defluerit, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret.

Beatitudinis supernæ immensitatis causa quæ.

Porro, immensa isthæc illius æternæ vitæ beatitudo, ex divinæ essentiæ, in qua sola est perfecta felicitas, visione et fruitione proficiscitur. Ut enim Augustinus ait: Beatitudo est quædam perfecta divinitatis fruitio et perennis divinæ majestatis contemplatio. Frui autem, ut idem Augustinus dicit, est amore inhærere alicui rei propter seipsam. Et ideo Deo solo proprie fruendum est, quia cæteris omnibus, etiam virtutibus, utimur propter Deum. Deo autem non utimur propter aliud, sed fruimur propter seipsum, quia ipse est summum et ultimum bonum. Tanta vero ex hac Dei visione nascitur delectatio, quod sancti vel beati mallent esse in inferno, et conspicere vultum Dei, quam sine hac visione esse in cœlis. Si enim apud inferos essent, nullam possent sentire pœnam præ suavitate divinæ contemplationis: cujus revera tanta est delectatio, ut si quis mortalium omnium afflictiones ab exordio mundi ad finem usque pertulisset, ac deinde vel ad momentum ad divinæ essentiæ conspectum admitteretur, abunde illi pro omnibus esset satisfactum. Tanta est, inquam, in divinæ majestatis perspicua contemplatione et fruitione sita voluptas, quod etiamsi totus mundus esset aureus, et omnivariis plenus deliciis, beati nec ad momentum suos a Deo obtutus deflecterent. Quanquam non necesse habent quidpiam extra Deum conspicere: quando quidquid videre, quidquid nosse, quidquid habere cupiunt, totum habent in Deo. Quidquid enim illic appetitur, illico præsto est. Ut enim Augustinus ait: Felicitas est habere omne quod cupias, nihil habere quod oderis. Et Aristoteles in Ethicis: Felicitas, inquit, est desiderii expletio. Non potest autem fieri, teste Augustino, ut sit homo beatus, nisi sit etiam de suæ felicitatis perpetuitate securus. Non est igitur vera felicitas in hac vita: quia nec diuturna quidem esse potest: nec quisquam est, qui non patiatur aliquid molestum, vel quo carere malit, vel qui non timeat quidpiam ejusmodi sibi posse accidere, quod nolit. Nemo etiam est, qui habeat quidquid velit. Imo semper cupiunt homines quidpiam,

quod nondum sint adepti. Si quærat quis ex homine quamvis fortunato et potente num habeat pro voto omnia, puta tantum honoris et bonæ valetudinis, opum, potentiæ, gloriæ, et similium, quantum velit, respondebit : Minime. Esto, sit simul rex, Imperator, et summus Pontifex, imo toti orbi dominetur : nec sic contentus erit, sed optabit plures esse mundos, aut hunc mundum augeri, sicut de quodam rege legitur. Non est ergo perfecta felicitas in hac vita. Siquidem nihil hic tam grande, tam præclarum, tam bonum invenitur, quod possit totum explere desiderium nostrum.

Satiare nimum ominis uodnam olum post. t.

Si quæras : Quid igitur exsatiabit hominem, atque ita beatum reddet, ut nihil ultro cupiat ? (Si enim aliquid appetat quod habere non possit, pœnam sentiet, nec erit perfecte beatus) utique Dominus Deus totum implebit animi appetitum, utpote qui est summum et infinitum bonum, omne creatum excedens desiderium, adeo ut nihil simus appetituri, quod non confestim consequamur. Nec tamen satietas ipsa pariet fastidium. Ibi sensus omnes replebuntur castissimis ac honestissimis delectationibus non solum pro voto, sed longe ultra quam desiderari queat. Ibi nimirum dulcissimæ resonant melodiæ Angelorum et omnium sanctorum : et in tanta multitudine voces singulorum distincte percipiuntur : imo etiam uniuscujuslibet vox tam erit suavis ac tinnula, tam jucunda ac continua, ut si cuncta musica instrumenta simul adhibeantur et pulsentur, non possint adæquare suavitatem et harmoniam, quam reddet quilibet sanctorum voce sua.

Beatitudo nctorum uam sit erfecta.

Et quamvis sit sanctorum innumera multitudo, tamen unusquisque cognoscit omnes et singulos : ét tantum quilibet gaudet bonis aliorum ut suis. Unde beatus Anselmus : Quilibet, inquit, sanctus videbit clare, in Verbo scilicet, vel proprie totum electorum cœtum, ac singulatim quemlibet Angelum et hominem, neque latebit quemquam qua gente, qua patria, aut ex qua stirpe quisque conditus sit, videbitque omnium et cujuslibet eorum gaudia quilibet, et quidquid Deus singulis dedit et daturus est in æternum. Et quia perfecta in illis inest charitas tam Dei quam proximi, quilibet tantum amat proximum suum, quantum seipsum : atque ita tantum gaudebit bonis proximi sui, quantum propriis. Potest id exemplo declarari. Si quis germanum aut amicum haberet longe charissimum quem perinde ac seipsum diligeret, isque jam huc veniret : quidquid reverentiæ, honoris, amoris, officii ac benevolentiæ illi præstaretur, haud secus gratum haberet, ac si ipsi esset præstitum. Quid igitur erit in cœlis? Revera, charissimi, si omnis charitas et amicitia mortalium omnium hujus vitæ præteritorum et præsentium in unum conflaretur, non esset tanta, quanta est cujuslibet sancti erga alium in patria. Cum ergo sint in cœlis infinitæ sanctorum myriades, et tamen unusquilibet tum omnes, tum singulos cognóscat, perspectamque habeat omnium et singulorum beatitudinem, ac inde haud aliter quam de sua lætetur, quantum putatis ibi gaudii redeat et redundet in unumquemque illius regni civem, in tanta societate, ex solo amore et alienæ felicitatis congratulatione ? maxime quando inter ipsos sanctos tanta est ordinum et præmiorum, quanta fuit ac meritorum, varietas et distinctio, adeo ut quidam affirment non esse illic duos omnino æquales, sed singulos habere quiddam excellentius cæteris. Unde etiam Ecclesia de quolibet sancto vere canit: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.*

Charitas sanctorum quanta sit in cœlo.

Eccli. XLIV. 20.

O quam jucundum esset videre illic multitudinem sanctorum pœnitentium, qui peccata sua hic amare fleverunt, et severa ac rigida pœnitentia castigaverunt, puta, jejuniis, vigiliis, eleemosynis, operibus obedientiæ, misericordiæ et charitatis : quibus jam nihil nocent peccata sua, nec sunt illis pudori aut dedecori, sed gaudent et gratias agunt Deo quod sua misericordia ipsos ex illis eripuerit, nec perire

Felicitas pœnitentium quanta sit in cœlis.

Anselmus.

permiserit. Adeoque etiam honori ipsis sunt male facta eorum, eo quod non perseveraverint in illis, sed ea odio habuerint: cæterique omnes illis quod evaserint congratulantur. Ad hos pertinet quod in ho-
Matth. v, 5. dierno Evangelio dicitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quod jam illis præstitum est. Olim luxerunt et sua et aliena peccata: doluit illis contemptus et injuria Dei. Itaque nunc consolatione æter-
Apoc. xxi, 4. na recreantur. Abstersit enim Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, neque erit ultra luctus vel clamor, sed nec ullus dolor: quoniam priora transierunt.

Virginum in cœlo quanta sit felicitas.

O quantam ibi gaudendi materiam exhibet chorus et societas sanctarum virginum, quæ Virginis Filium Dominum nostrum Jesum Christum imitatæ, pro illius amore terrenas nuptias, omnesque carnis delectationes contempserunt: potiusque varia tormentorum genera, et ipsam adeo mortem perpeti voluerunt, quam vel semel voluptatem imo turpitudinem veneream experiri. Atque eam ob rem pro sponso corruptibili regem immortalem adeptæ sunt, cum quo jam nuptias celebrant nunquam desituras: habentque in signum victoriæ, quam de sua carne reportarunt, singularem coronam aureolam. Unde de eis
Apoc. xiv, 4. dicitur illud Apocalypsis: Hi empti sunt de terra: quia cum mulieribus sive viris non sunt coinquinati: virgines enim permanserunt. Hi sequuntur Agnum, id est, Dominum Jesum quocumque ierit. Et cantabunt canticum, quod nemo alius dicere poterit. His congruit ea hodierni Evangelii sen-
Matth. v, 8. tentia: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ubi notandum est non dici: Beati casto corpore, quia non satis est carnis servasse integritatem, nisi etiam cordis et mentis, id est, affectus et cogitationis munditia servetur.

Confessorum gloria quanta sit in cœlis.

Ingens præterea illic gaudium efficiunt sancti confessores, monachi, Episcopi et doctores, qui cum in terris agerent, non suam sed Domini sui gloriam quæsierunt, atque unanimes vixerunt in humilitate et patientia, in abstinentia, in laboribus et vigiliis, in charitate non ficta. Denique super pauca constituti, fideles se præbuerunt: ideoque introducti sunt in gaudium Domini sui. Hos illa respiciunt verba quibus dicitur: *Beati pacifici, quoniam filii*
Dei vocabuntur. Pacem enim conciliaverunt inter Deum et homines orando, sacras hostias offerendo, concionando, docendo, exempla optima præbendo, peccata castigando. Quamobrem filii Dei vocantur: sicut e diverso, qui dissensiones et discordiam excitant, malo exemplo vel consilio alios depravant, et quod pessimum est, maligne detrahunt, filii sunt diaboli, quia opera illius faciunt. Atqui sicut furtum facienti, et ablatum non restituenti, si facultas adsit, non meretur peccati veniam, quantumlibet confiteatur vel absolvatur: ita etiam et quidem multo minus prodest confessio inique et maligne detrahenti, nisi revocet quod male dixerit. Quod si etiam verum est id quod dixit, sed tamen occultum, peccat graviter id aliis referendo, præsertim si faciat mala intentione, puta ad confundendum illum cui detrahit, vel ex displicentia, aut invidia, sive ut aliis placeat. Quamobrem periculosum est de factis aliorum male loqui, in pejorem partem interpretando: quando unusquisque ita debet tueri famam proximi, ut suam. Qui vero corde malitiam retinent, statuuntque ubi data fuerit occasio, se ulcisci, id est, dicere vel facere quidpiam, quod sit contra proximi charitatem, ii sane non aliter accedunt ad Christi venerabile Sacramentum, quam Judas impiissimus, qui Christi quidem corpus sumpsit, sed jam proditionis virus penitus imis hauserat visceribus. Sed hoc fortasse nonnihil extra propositum.

Quæ tandem putatis, dilectissimi, gloria et beatitudo ac lætitia est in cœlis invictissimorum martyrum, quos non tribulatio, non fames, non gladius, non persecutio, *Rom.* 35. non mors neque vita potuit separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu? Ad quos utique referenda sunt illa præsentis Evangelii verba: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* *Matth.* 6.

Apostolorum gloria in cœlis quanta sit.

Porro gloriosissimus sanctorum Apostolorum senatus, quos Dominus ex simplicibus piscatoribus, suos fecit legatos, et Ecclesiæ principes ac fundamenta, inenarrabili totam cœlestem curiam lætitia afficit. Ii quondam parentes, cognatos et omnes mundi facultates et vanitates contempserunt, ut essent participes paupertatis Christi. Quapropter venturi sunt judices et assessores judicis Christi, judicabuntque duodecim tribus Israel. Illis bene quadrant

Matth. v, ea verba quibus dicitur: *Beati pauperes spiritu,* id est, qui sanctam amant paupertatem: *quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Patriarcharum et Prophetarum beatitudo in cœlis quanta sit.

Adest ibi ad cumulum lætitiæ venerandus Patriarcharum ac Prophetarum cœtus, qui adventum Domini Salvatoris longe ante prædixerunt, et longanimiter sustinuerunt. Quibus Deus revelavit secreta sua, quæ scripto et verbo divulgaverunt: atque ea causa nec vitæ nec laboribus pepercerunt. Quibus [propterea pulchre accommodantur verba illa hodierni Evange-

Matth. v, lii: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Angelorum in cœlis felicitas quanta sit.

Accedit his beatissimorum frequentia Angelorum, qui sanctis, dum adhuc in terris degerent, fide summa semper adstiterunt, eosque protexerunt, bona illis inspirarunt, opem tulerunt, orationes illorum super sanctum altare cœli aureum obtulerunt, et defunctos aut in Abrahæ sinum, aut e vestigio ad beatitudinem deportarunt.

Mariæ reiparæ Virginis gloria quanta.

Jam vero quid de sacratissima et reverendissima Dei Matre semper Virgine Maria dicemus, quantum scilicet augeat supernæ patriæ gaudia videre illam præsentem super omnes Angelorum ordines exaltatam, sacrosanctæ Trinitati proximam, Virginem singularem et Matrem admirabilem, quæ nec primam visa est similem nec habere sequentem? Quam sancta Trinitas sicut dignissimum effecit Christi Jesu habitaculum in terris, ita in cœlis constituit Dominam universorum, post Christi humanitatem creaturis omnibus præstantiorem atque perfectam: fecitque eam matrem misericordiæ, reginam pietatis et clementiæ, imperatricem totius cœlestis curiæ, refugium pœnitentium, solatium miserorum, apothecam divinæ gratiæ, et divinæ misericordiæ scrinium. Nihil enim nos vult habere Deus, ut ait divus Bernardus, quod non transeat per beatæ Mariæ manus.

Humanitas Christi quantum gaudium præstet beatis in cœlo.

Denique adest ibi sacratissima Christi Jesu humanitas, quæ præ omnibus ineffabilem affert lætitiam sanctis et Angelis, cujus passione redempti, cujus sanguine vivificati, cujus exemplis instructi, cujus morte ad vitam reducti sumus. Videtis, dilectissimi, quanta nobis bona in cœlis reposita sunt, quibus jam felicissime absque ulla amittendi formidine perfruuntur sancti omnes, quorum hodie solemnitas agitur. Agedum igitur contemnamus tota animi virtute quidquid nos ab illis bonis impedire potest: eaque summo studio amplectamur, quæ nobis possint esse adminiculo, ut ad illam felicissimam sanctorum omnium sodalitatem pertingamus. Ecce etiam ipsi nos cupidissime exspectant. Negare nihil illis Deus potest, quia charissimos eos habet. Imploremus ergo eorum suffragia: multum enim possunt apud Deum. Pauperes sumus: quæramus ab illis, utpote ditissimis, largas eleemosynas. Credite mihi, nihil nobis negare poterunt, si ipsos pie erimus venerati. Præstet nobis omnipotens Deus, ut quandoque ad illorum consortium pertingere mereamur, gratia et benignitate sua qui est benedictus in secula, Amen.

IN FESTO

SANCTI MARTINI EPISCOPI

Epistolam cum sua Paraphrasi quære in Festo S. Nicolai Episcopi. Item ibidem invenies Evangelii Exegesim.

SERMO IN EODEM FESTO

DE VITANDA CRAPULA ET COMPOTATIONIBUS : ITEM IN QUIBUS S. MARTINUM IMITARI DEBEAMUS.

ECCE sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus. Eccli. XLIV, 17.

Magni et eximii Pontificis divi Martini festum diem nunc celebramus, dilectissimi : utinam congrua devotione, utinam digna animi alacritate, studio et fervore. Proponitur hic nobis homo sanctissimus, cujus vitam imitari et utcumque posse exprimere, magnæ virtutis est. Cujus apud Deum tanta est auctoritas, tanta gratia et potestas, ut quidquid petierit, non possit non impetrare. Quod propterea dixerim, ut propensioribus animis illius solemnitatem celebretis, ejus suffragia ardentius ambiatis, ejus exempla studiosius imitari velitis. Solent quidem passim homines diem istum largioribus epulis et profusioribus gaudiis prævenire, atque in profesti ejus cœna indulgere poculis, et musto recenti exhilarare animum. Sed utinam tam essent prompti ad imitandas beatissimi Patris virtutes, et spiritalibus potius sese recreare gaudiis, divinisque laudibus totum diem transigere, sacras ædes assidue visitare, et salutis suæ curam agere, quam externa illa celebrare convivia, quibus maxima pars ad Dei et sancti Martini injuriam abutuntur, dum adeo sese vino et cibo ingurgitant, ut sequenti die ad divina omnia prorsus inepti sint. Possent quidem tolerari sobria et honesta convivia, sed in illis nihil spectari aliud, quam corporis voluptates, nec ullam aut tenuem Dei sanctorumque ejus habere mentionem, potuque ac cibo superfluo farcire ventrem, id vero pecudum est, non hominum ratione utentium.

In eos qui hoc die et præcedenti large student calicibus exhauriendis.

Ergo, dilectissimi, festa sanctorum ea ratione colamus, ut digni simus quandoque admitti in beatissimam sanctorum societatem. Quod multo melius impetrabimus, corporis spernendo quam expetendo oblectamenta, et sobrietatem, justitiam, pietatem potius quam crapulam, iniquitatem, vanitatem sectando. Sic sancti ipsi dum adhuc essent in terris, præcedentium patrum colebant festos dies : et licet interdum convivia moderata non respuerent, tamen animo cœlestes potius suspirabant epulas, magisque delectabat eos lucris spiritalibus augere animam, quam corpus brevi moriturum escis corruptibilibus implere. Nos contra nunquam fere magis crapulæ et ebrietati totos nos dedimus, quam in sanctorum atque etiam ipsius Christi solemnitatibus, quasi vero ille dignius Christum ejusque sanctos colat et

Fes
sanctor
celebra
scopus
quis fo
debeat.

Quom
seculo
diti ho
nes hoc
festos c
brent d

honoret, qui majores cibi ac potionis copias apparârit, et se totum escis ac potu obruerit. Sed si ne profanis quidem sive communibus diebus unquam licet comessationibus compotationibusque immoderatis tempus pretiosissimum perdere, quam turpe, quam nefarium, quam flagitiosum est dies sacros divino cultui dedicatos talibus studiis transigere? Sed consuetudo est, aiunt. Imo vero consuetudo antiquissima est, ut vel ex divo Basilio Magno probari potest, ut in solemnitatibus sanctorum alii pro aliis orent, una cum pluribus Deum adorent et lacrymas offerant, ab eo peccatorum veniam poscant, de acceptis beneficiis gratias agant, sese mutuis vicissim cohortationibus in vera pietate confirment et ædificent. Crapulæ autem et ebrietati vacare non est consuetudo bonorum hominum, sed Deum ejusque præcepta contemnentium. Non licet autem imitari exempla malorum, nisi cuilibet etiam supplicia illorum perpeti. Negari sane non potest jam mala ista longo usu, imo detestabili et ter execrando abusu inolevisse, ut festis præcipue diebus templa negligantur, ventres epulis immodicis et luxurianti mero distendantur. Sed veniet, veniet ille dies, quando ejusmodi hominum fæx, qui Deum non timent, sed pro Deo colunt putentissimam ventris sui cloacam, rursum acerbissimo cum tormento evoment quæcumque nunc non solum intemperanter, sed etiam tempore sacro, nonnisi divinis accommodando rebus devorant. Clament tunc si poterunt, se hominum morem et consuetudinem observasse. Nimirum mox audient : Quorum vobis libuit imitari morem impium et detestandum, eorum nunc quoque non sit absurdum cruciatus sine fine experiri.

Talis edendi ac bibendi intemperantia etiam hoc mali efficit, ut multi cogantur extremam inopiam tolerare, multi dirissimo famis mucrone conficiantur, multi dum non habent vitæ necessaria, pessimis artibus et studiis animum applicent, atque ad alios expilandos, deprædandos, jugulandos sese transferant. Miramur sæpe tantam esse annonæ caritatem. Sed quid mirum, si multos egestas opprimat, non habentes unde vel panem emant, quando plurimos invenire est, qui uno die plus cibi potusque gulæ suæ modo ingerant, modo rursus evomendo detrahant, quam vitæ hominis sustentandæ in multos dies foret necessarium ? Et talia, ut diximus, libentius et crebrius, atque etiam, quod pejus est, liberius et minori scrupulo fiunt festis diebus. Tum enim datur otium a curis et negotiis secularibus. Itaque quod ad pietatem et devotionem invitare deberet, incitat ad perpetranda mala.

Convivia celebrandi qualis hodie mos servetur.

Videas tum alios domi suæ grandia et luxuriosa apparare convivia, et multis horis continuis assidere mensæ, ad æquales haustus mutuo se provocare, edere et potare usque ad nauseam, ne dicam vomitum, et multa interim perniciosa et turpia, frivola ac falsa effutire verba, pluraque alia perpetrare immania peccata quæ tamen nec ipsi animadvertunt, quia excæcati sunt a diabolo. Alios vero cernas licet in tabernis publicis totos hærere dies, alios exire in agros aut villas propinquas, nonnisi edendi ac potandi causa, et divinam erga se iram provocandi. Alii vero ludis, choreis, spectaculis, lasciviis, pompis et id genus aliis vitiis et vitiorum incentivis toti intendunt, non tamen sine compotationibus et crapula. Interim quis dubitet tanta ab ejusmodi vanis et miseris, imo et stolidis et insanis hominibus non modo superfluo, sed etiam in corporis et animæ perniciem consumi, unde multi possent pauperes longo tempore abunde sustentari? Et tamen queruntur homines non satis crevisse fruges, minus fertilem fuisse autumnum. Et quæ tandem fertilitas sufficere possit tantæ hominum luxuriæ ac intemperantiæ ? Qui si nollent parcius et frugalius vivere ob gratiam pauperum, qui ea de causa fame afflictantur et pereunt, deberent saltem suæ valetudinis habere rationem, quam certum est tali cibi ac potus nimietate gravissime lædi, morbisque

Intemperantia quanta mala homini adducat.

multis et diuturnis fieri obnoxiam. Cum enim natura paucis contenta sit, quidquid superfluum ingesseris, nisi sobrietate aut alia ratione digeratur, necesse est pessimos producat effectus. Quamobrem recte dicitur plures crapula quam gladio perire. Et raro diuturna illorum vita est, qui largioribus epulis et poculis frequenter indulgent.

Crapulosos homines suam abbreviare vitam.

Sed si nec iis terremur incommodis, terreat nos divitis illius epulonis exemplum, quem, ut ait sanctus Basilius, vita in deliciis acta tradidit incendio. Non enim ob crimen injustitiæ, sed ob vitæ mollitiem, et quotidianas comessationes exustus est in camino ardente : ubi jam nec guttam aquæ obtinere potest, qui hic noluit superfluo abstinere potu et cibo. O miserum et vere miserum, qui pro brevissimis et vilissimis gulæ illecebris et oblectamentis jam perpetua cruciatur fame et siti, et innumeris aliis dirissimis afficitur cruciatibus! Qui si ad necessitatem, non ad voluptatem donis Dei sobrie ac moderate fuisset usus, jam cum sanctis omnibus pleno ore potaret e fonte vitæ, et ederet de mensa Domini sui omnigenis referta deliciis, iisque semper novis, ut nunquam desit esca et potus appetitui, fastidium desit saturitati. At hæc attendere jam nolunt stulti et miseri, donec et ipsi in lacum illum tartareum conjiciantur, ubi pro delicatis et opipare præparatis ferculis, dulcique mero fel draconum et venenum aspidum insanabile, flammasque sulphureas et ipsas quoque carnes suas comedent.

Deut. XXXII, 33.

Templa diebus festis esse frequentanda.

Quamobrem, dilectissimi, non jam deinceps sacros dies comessando, potando, jocando, ridendo, ludendo, fabulando transigamus , sed memores divini judicii et mortis nobis semper et ubique insidiantis, confluamus ad templa, preces supplicationesque offeramus ad Deum, imploremus viscera paternæ misericordiæ ejus, rogemus eum ne deserat nos propter iniquitates nostras, ne avertat a nobis faciem suam, sed illuminet vultum suum super nos, illuminet oculos cordis nostri, ne unquam obdormiamus in morte peccati : doceat nos vias suas, et deducat nos in semitis mandatorum suorum. Ipsos quoque sanctos nobis intercessores et precatores adhibeamus, ut quod nostris non possumus, illorum meritis obtineamus.

Atque ut ad hæc et ejusmodi pia studia animis accendamur, non pigeat nos vitas sanctorum perlegere, aut ab aliis audire. Habent enim nescio quos aculeos exempla sanctorum, quibus animi quamvis tepidi sæpe miro modo compunguntur ad amorem Dei, ad odium peccati, ad contemptum mundi, ad melioris vitæ desiderium. Ecce hodie dies solemnis agitur sanctissimi Præsulis Martini, cujus vita tot scatet virtutibus, tot meritorum coruscat prærogativis, tot faculis insignium ardet exemplorum, ut vix quisquam tam duri sit cordis, qui illis auditis aut cognitis non aliquo modo compungatur. Dicamus inde pauca ad vestri ædificationem, ad laudem Dei, ad honorem sancti Pontificis. Primo quidem cum adhuc esset annorum decem, invitis parentibus confugit ad ecclesiam, seque catechumenum fieri postulavit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conversus, cum esset annorum duodecim eremum concupivit : fecissetque votis satis, si ætatis infirmitas non obstitisset. Animus tamen aut circa monasteria, aut circa ecclesiam semper intentus, meditabatur adhuc in ætate puerili, quod postea devotus implevit. Ecce mirabilem in tali ætate fervorem erga Deum, ut etiam invitis parentibus, qui gentiles erant, sed seculari dignitate non infimi, confugeret ad ecclesiam. Quis, quæso, id illa in ætatula non miretur, quis non omni laudum præconio tantam tantilli pueruli constantiam prosequatur? Sed jam Christi gratia in illius pectusculo radiabat, quæ mentem pueri salubriter intus erudiebat, clamans in corde illius vana esse deorum simulacra, nec nisi unum esse Deum. Habent hic pueri, quod summa cum laude imitentur, ut discant a teneris animum applicare Creatori, libenter sacras visitare ædes, pietatem meditari, non pueriles levitates et

ineptias. Ad quæ debent eos hortari et instigare parentes, ne ipsorum negligentia pereant, ne in ætate tenera ad vitia et seculi vanitates sese adjungant, neglectoque Creatore et salute sua, pessima peccandi consuetudine implicentur, quam deinde vix maximo labore possint abjicere.

Postea vero aliquamdiu sacramentis militaribus implicatus divus Martinus, licet nondum sacrum percepisset baptisma, tamen toto illo triennio, quo ante baptismum in armis fuit nolens et coactus, ita vixit, ut vita ejus perfectionis speculum fuisse videatur. Scribit enim de eo Severus Sulpitius in hæc verba : Uno tantum servo comite triennio illo contentus fuit : cui tamen vice versa dominus serviebat, adeo ut plerumque ei et calceamenta ipse detraheret, et ipse detergeret : cibum una caperent, hic sæpius ministraret. Interim ab iis vitiis integer mansit, quibus milites implicari solent. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas : patientia vero atque humilitas ultra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudari non est necesse : qua ita usus est, ut jam illo tempore non miles, sed monachus putaretur. Quibus rebus ita sibi omnes commilitones suos devinxerat, ut eum miro venerarentur affectu. Necdum tamen regeneratus in Christo, agebat quemdam bonis operibus baptismatis candidatum : assistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, alere egentes, vestire nudos. Nihil sibi ex militiæ stipendiis præter quotidianum victum reservabat, jam tum Evangelii non surdus auditor, de crastino non cogitabat.

Severus Sulpitius.

irtutum egritas S. Martini quan-

En, charissimi, quantus hic in sancto Martino adhuc catechumeno, necdum annos octodecim transgresso, virtutum splendor, quanta congeries, perfectio quanta ! Nonne hic paucis comprehensum est verbis, quod usque ad summam ætatem egisse sufficiat ? Quid nos hic dicturi sumus, qui tot annis, imo ab ipsis incunabulis Christi mysteriis initiati sumus, qui sæpissime sacras conciones auscultavimus, qui omnia Christi mandata tenemus ? Quæ in nobis tot virtutum vel tenuis scintilla relucet ? Quis nostrum tam humilis et officiosus, non dico erga servum, sed vel erga majores et superiores suos est ? Cujus nostrum tanta charitas et benevolentia erga proximos ? tanta frugalitas, tanta patientia et modestia ? Opera misericordiæ quæ ille tam liberaliter, tam prodigus coluit, apud nos jam penitus jacent et in ultimas terras relegata sunt, ut nos plane simus surdi Evangelii auditores, qui nullis Domini præceptis, nullis comminationibus eo adduci possimus, ut vel superflua communicemus miseris et egenis, cum beatus Martinus omnia dedisse legatur, nihil sibi servans in crastinum : et hoc, ut dixi, cum adhuc esset catechumenus.

Quid hic necesse est commemorare vitæ illius gesta post baptismum cum jam tot tantaque in eo necdum baptizato didicerimus, ut jure meritoque nosipsos omnemque vitam nostram utpote longissime ab ejus perfectione distantem, contemnere ac vilipendere debeamus, satisque negotii habituri simus, si jam dictas illius virtutes utcumque imitari velimus ? Et tamen quam turpe, quam probrosum nobis est, illum militiæ nexibus implicitum, illum adhuc baptismi expertem, illum adhuc puerum tantis fulsisse virtutibus, cum nos nati et educati in Ecclesia, et plerique etiam matura ætate, non solum virtutibus vacui, sed omni etiam vitiorum spurcitia sæpe obruti simus. Non jam necesse erit, ut in judicio proferat adversum nos Dominus Apostolos, martyres, aliosque excellentis gratiæ sanctos : tantum hunc sanctum Martinum adhuc militem et catechumenum nobis opponat, et illius unius comparatione justissime et gravissime condemnabimur. Verumtamen, dilectissimi, ut nobis prosint exemplа sanctorum, debemus ea imitanda pro viribus suscipere. Hoc ipsum quod novimus divum Martinum adhuc puerum, adhuc a baptismi gratia alienum, et in armis versantem tantum præstare potuisse, nobis animum debet addere, ut confidamus nos quoque idem posse, et

Vitam S. Martini fore cunctis exemplar vitæ correctioris.

Dei gratiam nobis etiam magis affuturam, utpote jam christianis. Agedum, charissimi, non nos pigeat sancti Martini, quamvis necdum salutaribus undis expiati, facta imitari, quia perfectæ virtutis specimen de se præbent. Idcirco hodie solemnem illius memoriam agimus, ut dum præclara illius gesta agnoscimus, cupiamus illius effici utcumque similes, et inolitis vitiis nostris quoddam indicamus bellum, atque in nosipsos sancto quodam odio insurgamus, nitamur nosipsos vincere, et ad eam tum interiorem tum exteriorem hominem nostrum reformare puritatem, in qua conditi sumus a Deo, sed a qua peccando longe prolapsi sumus. Et quia fragiles sumus, et parum ex nobisipsis possumus, idcirco etiam ea de causa tam insignis Pontificis festum nunc colimus, ut eum nobis apud Deum intercessorem obtineamus, et qui propriis iniquitatibus repelli potius meremur, quam quidquam impetrare a Deo, per illum aliquem gratiæ locum apud Deum consequamur.

Sanctos pro vivis apud Deum intercedere.

Sed fortasse libet adhuc plura nosse de vita illius? Dicam ergo adhuc pauca, quia omnibus enarrandis nec totus dies sufficeret. Omissis autem, quæ ante susceptum Turonensem Episcopatum egit, quædam ex illis quæ in Episcopatu gessit commemorabo. Itaque, ut ait jam dictus Severus Sulpitius, post Pontificatus susceptos honores, idem constantissime perseverabat, qui prius. En animum mundana omnia contemnentem, et in solo Deo immobiliter defixum. Eadem in corde ejus perseverabat humilitas, atque ita plenus auctoritatis et gratiæ implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi virtutemque desereret. Nos contra ad omnes mundi prosperos successus, ad omnem fortunæ blandientis auram insolescimus, et efferimur animis, nec ulla in nobis constantia est, nulla gravitas, nulla timoris Dei perseverantia. Sanctum Martinum Episcopatus dignitas nihil penitus a priori vitæ statu dimovit: nos vero verbulum unum vel asperius vel blandius prolatum aut exulcerat nimium, aut plus æquo emollit et dissolvit.

S. Martinus factus Episcopus quid egerit.

Deinde cum frequentes nimium ad divum Martinum visitandum confluerent, construxit cœnobium extra civitatem in loco admodum solitario et aditu angusto: ubi discipulos habuit octoginta, ex quibus multi erant nobiles, qui ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo ibi quidquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset. Plerique camelorum setis vestiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat. Ex his plane animadvertimus, quantus in sancto viro fuerit quietis, silentii et solitudinis amor: quantus horror mundani strepitus, quantus vitæ rigor, quanta sobrietas, quanta abstinentia, quanta vilitas et asperitas omnium ad vitæ usum pertinentium. His nimirum confunditur vanitas, garrulitas, mollities, intemperantia, luxus, superbia, fastus et petulantia nostra. Quid hic commemorem illius plusquam stupendam patientiam, incredibilem orandi assiduitatem, justitiæ tenacitatem, et cæteras virtutes perfectissime in eo relucentes? Omnia illius exempla nos accusant, nos reos faciunt, nos condemnant. Denique, cum moriendum esset, tanta mentis securitate migravit ad Dominum, ut futuræ gloriæ etiam in corpore ejus signa manifesta apparerent. Nam facies ejus ut sol resplenduit. Multa et magna transilivi studio brevitatis, quæ vos aliunde potestis haud pœnitendo fructu discere. His paucis, quæso, charissimi, provocemur ad virtutis studium, ad amorem Dei, ad omnia illa quæ nos Deo gratos efficiant. Credite mihi, si in exstirpandis vitiis colendisque virtutibus operam studiumque ponere conati erimus, et hic jucundam et tranquillam ducemus vitam, et post cum divo Martino et sanctis omnibus cœlestia consequemur bona, quæ nobis promisit Deus se timentibus et diligentibus, cui est omnis honor in secula seculorum, Amen.

IN SOLEMNITATE

PRÆSENTATIONIS B. V. MARIÆ

Epistolam cum sua Paraphrasi, itemque Evangelii Exegesim quære in Solemnitate Conceptionis ejusdem B. Virginis.

SERMO IN EADEM SOLEMNITATE

DE OBLATIONE B. MARIÆ IN TEMPLO, DE IPSIUS MIRANDA NIMIS HUMILITATE : QUÆ SIT VERA HUMILITAS, QUIQUE EA ACQUIRATUR : ITEM QUÆNAM SINT VERI HUMILIS HOMINIS PROPRIETATES.

OFFERENTUR regi virgines post eam; proximæ ejus afferentur tibi. Psalmo XLIV, 15.

Legimus, fratres charissimi, beatissimam Virginem Mariam, cujus hodie est solemnis festaque dies, oblatam a parentibus, seque ipsam Deo obtulisse in templum, haud dubium non aliam ob rem, nisi ut a mundi strepitu, a temporalium turbine segregata, Deo serviret mente devota, casto quoque ac puro corde illum amaret solum, continue eidem adhærens. Vixit autem ibi nullius rei temporalis curam habens aut administrans, utpote pauper spiritu : vixit sub obedientia pontificis, vixitque sub proposito perpetuo servandæ virginitatis, quamdiu ex Deo non aliud juberetur. Hanc vobis, filii charissimi, opto hortorque quantopere possum fieri patronam ac matrem, quam veneratione devota colatis, cui studia vestra honorumque obsequia impendatis, quam post Christum potissime studeatis diligere ac imitari, præcipue et ante omnia ipsius profundissimam humilitatem, de qua ipsa præter omnes alias virtutes, quas in supremo tamen gradu attigit, gloriatur dicens : Respexit humilitatem ancillæ suæ. Cunctis quanquam virtutibus plena erat Maria, de nulla tamen gloriatur, quam ita respexerit Dominus, sicut de humilitate. Hæc est enim virtus ad quam cæteræ confluunt virtutes, qua exornantur et gratæ fiunt tam Deo quam hominibus : qua denique ne exsufflentur aut marcescant, conservantur omnes. Ipsa est vallis illa, ad quam fluenta gratiarum decurrunt. Ipsa est vallium una, quam utpote profundissimam implendam omnium virtutum varietate promittit Baptista Joannes, dicens : *Omnis vallis implebitur*. Placuit haud dubium in beata Maria Deo virginitas, placuit charitas, placuit patientia, cæteræque virtutes, solam tamen humilitatem divinitus respectam Maria confitetur. Hac etenim digna facta est, ut fieret Mater Dei, hac exaltata est adeo ut major esse non possit, nisi ipsamet esset Deus. Siquidem summæ est dignitatis, qua in creatura aliqua non potest inesse præstantior, esse Matrem Dei.

Humilitas ut sit vallis profundissima.

Imitemur igitur, charissimi, Virginis ac Matris Dei humilitatem, et ne in corde nostro superbiæ tumor, aut elatio suboriatur summopere vigilemus. Nihil enim ita

nobis est necessarium (si ad virtutum fastigia anhelamus, imo si vel in modico cupimus proficere), quam fundamentum totius spiritualis ædificii, humilitas. Proinde sciat sine fundamento se ædificare, quisquis non humilis pro virtutibus aliis sudat. Insidiatur religiosæ menti superbia, et licet aperto Marte sæpius repellatur, sub tegmine tamen virtutum palliata, dum mentitur se non esse superbiam, sæpenumero quia admittitur, homini est in ruinam. Facilius deprehenditur superbia illa, quæ ex donis externis nascitur, puta de voce, de veste, de venustate, de divitiis, de nobilitate, et cæteris id genus bonis, propterea quod non liceat gloriari de hujusmodi omnibus. Dona enim sunt quæ non sanctificant, et bonis malisque sunt communia, nec utilitatem animæ possunt afferre majorem quam ut contemnantur. At ea, quæ intus in anima latet superbia, et de internis aut gratiis aut virtutibus nascitur, multo est periculosior, quia secretior atque intimior et ex bonis vere commendabilibus, imo ex ipsa humilitate seu potius humiliatione propria oritur. Facit enim hominem virtuosum (cui virtus non debet non placere) sibiipsi placere, et amorem, qui debet esse virtutis, in proprium mutat. Facit sub specie ædificationis aliis velle placere, ab aliis imitabilem judicari et eo securius decipit, quo zelus ædificandi proximum (si abesset amor proprius) magis esset licitus.

Superbia spiritalis quibus ex donis oriatur.

Superbia occulta quæ mala efficiat.

Superbia effert animum, ut aspernetur, non modo, quod fas est, vitia et defectus, verum etiam eum, qui adhuc vitiis premitur et languet, licet fortasse invitus. Quod tamen haudquaquam faceret, si seipsum agnosceret, hoc est, si vere agnosceret, quod ea, quæ ipse habet (sint licet virtutes et dona), non a se, sed Deo habet. Si, inquam, animo saperet ea bona, nec sua, nec a se esse, quæ videtur habere, quomodo is de alieno superbiret? quomodo gloriam quæ Deo soli debetur, de alienis furtim sibi usurparet? aut quomodo proximum, qui hæc eadem non habet (licet fortasse, quod cogitare unusquisque debet, humilitatem majorem habeat), judicare aut aspernari auderet? Si enim de suo se comparaverit quis proximo, et non de iis quæ quasi accommodato accepit a Deo, quid invenit in se, unde gloriari possit? Cum sit miser et miserabilis, quid in se reperit, de quo non merito sit gemendum et erubescendum? aut quid invenit unde proximo sit melior, cum ipsa elatio, etiamsi in aliis præstaret, faciat eum proximo viliorem? Superbia cupit bene de se sentiri (neque enim hic distinguo inter superbiam et vanam gloriam, cum ita sint affines, ut ubi una, ibi et inveniatur et altera), cupit non vilis haberi. Pari modo sub fuco honorandæ, aut in pretio habendæ virtutis, imponit amor proprius.

Superbia erubescit humiliari, culpam agnoscere aut veniam petere et quasi de vitando scandalo ab hujusmodi abstinendum sibi persuadet. O quam magnum scandalum foret, si te exhiberes humilem si te scires humiliare! Non est hæc laudabilis, sed odienda exterminandaque procul verecundia, qua de sui humiliatione, aut qua de iis, quæ non sunt peccata, quis erubescit. Erubescamus, si peccamus. Non erubescamus si pœnitemus, aut si satisfaciamus. Quam procul ab hac superba verecundia abfuit sanctus David, qui non de peccato, sed de bono opere reprehensus, quod suæ excellentiæ ac status immemor, ante arcam Dei saltasset: Ludam inquit, et vilior fiam plus quam factus sum: et ero humilis in oculis meis. Est igitur humiliatio maxime necessaria ei, qui adipisci cupit humilitatem. Sicut enim curvitatem, si induci debeat virgæ, necesse est ut præcedat curvatio, ita humilitatem oportet præcedat humiliatio. Quisquis igitur cupit esse humilis, non refugiat humiliari. Ideo scriptum est: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Itemque: Humilia spiritum tuum valde. Sicut autem odibilis Deo et hominibus est superbia, ita grata et amabilis humilitas. Humilis namque alios sibi præfert, aliis cedit, de aliis melius quam de seipso ex animo sentit, alios reveretur, alios man-

suete, patienter et benigne tractat. Humilis libenter se subjicit, confidenter credit, alacriter obedit.

Quapropter observandum est, quod sanctus Bernardus admonet, dicens : Altiora aliorum semper attendas, quia in eo constat plenitudo humilitatis. Nam si tibi forsitan aliqua gratia major collata videtur, quam fratri tuo, tamen in multis (si bonus æmulator fueris) judicare te poteris inferiorem. Quid enim si laborare aut jejunare plus illo potes, et ille te patientia superet, humilitate præcedat, superemineat charitate? Quid tota die circa id, quod videris habere, insipienti cogitatione versaris ? Esto magis sollicitus, ut scias quid desit tibi, quia hoc tibi plus expedit. Non ergo magnopere cogites bona quæ habes, nisi forte interdum, ut inde Deo gratias agas, et te noveris debitorem ei, qui dedit, aut gratiam consolationis, dum necesse id fuerit, ne qualibet ex causa tristior fias. De cætero ea bona semper magis attendas, quæ alius habet, non quæ tu, quo hæc cogitatio in humilitate te custodiat, et a descensu tepiditatis elonget, atque accendat desiderio proficiendi. Vide enim quanta mala e diverso cogitatio illa parturiat, qua sedulo versas in animo bonum, quod tibi habere videris et alterum quempiam æstimas non habere. Hinc in superbiam elevaris dum alteri te præponis, hinc proficere negligis, cum te magnum aliquem arbitraris : hinc demum et deficere incipis, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egisse videris. Hæc ille.

rnard.

Itaque potius exempla sanctorum, fratres, ob oculos ponamus, et quantum ab illorum perfectione nostra distet infirmitas, pensemus. Valet nihilominus consideratio excellentiæ divinæ, charitatis ejus item ad nos, qui cum tantus sit, propter nos se humiliavit, tanta passus est, ut ex nihilo et de stercore nos elevaret ad regnum, regnum utique sempiternum. Denique de hac humilitatis præclarissima virtute præclare admodum scribit divus Joannes Rusbrochius, vir extra omnem controversiam in omni virtute et scientia spiritali summus, quod tum divi Dionysii Carthusiani, tum multorum aliorum pietate et eruditione præstantium virorum testimoniis probari potest, qui eum miris, ut par est, vehunt encomiis. Is ergo scribit in hæc verba : Ad perfectam divinamque obtinendam charitatem, quæ (juxta Apostolum) finis est legis, nullam equidem neque compendiosiorem, neque rectiorem, neque tutiorem novi viam, atque veram humilitatem, quam Christus Jesus nos docet, ubi ait : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde ; et invenietis requiem animabus vestris.*

innis
bro-
com-
datio.

Humilitas ut sit via rectissima ad veram charitatem.

Matth. XI, 29.

Humilitas autem præclarum thesaurum, donumque eximium animæ adducit, hunc videlicet, quod cordis dolorem et molestiam atque afflictionem prorsus expellit, et in vera ac stabili hominem pace constituit. Ad quam sane nunquam alias, nisi per humilitatem, pertingi potest. Nec affirmare dubitem, neminem unquam dolorem atque afflictionem ægre pertulisse, nisi qui veræ fuerit expers humilitatis. Siquidem pœna et dolor ex superbia nascuntur. Quod si Lucifer fuisset humilis, nunquam fuisset versus in dæmonem, causa autem cur ceciderit, nonnisi illius superbia fuit. Contra vero beatissima Dei Genitrix et Virgo Maria, quia perfecte humilis erat, nullam unquam vel tenuissimæ culpæ maculam contraxit. Et revera si quis perfecta esset humilitate præditus, nec is ullum unquam peccatum admitteret, et Deus quidquid vellet, in eo citra ullum impedimentum posset exequi. Unde sanctus Augustinus quodam in loco sic ait : Si quis ex me scisciteretur : Quisnam omnium sit optimus, responderem : Humillimus. Et si centies quæreret, nonnisi idem responderem.

Pœnam quamvis et dolorem ex superbia nasci.

August.

Optimus omnium ut sit verus humilis.

Quamobrem nosse profuerit mores ac gestus veri humilis, id est, ut in omnibus sese habeat. Primo quidem a seipso incipiens, propriam indignitatem ac vilitatem, suumque nihilum, id est, quam nihil sit, funditus agnoscit, ut videlicet peccatis suis indignum sese fecerit omni gratia ac

Humilis quomodo sese habere debeat.

beneficiis Dei : cunctisque illis pœnis, pressuris et afflictionibus dignum atque obnoxium, quæ possunt illi a Deo et creaturis omnibus infligi. Indignum plane se fatetur, quem crearet Deus, eidemque pro refectionis ac conservationis beneficiis, gratias agere humiliter non omittit. Quidquid charismatum et bonorum, quidquid gratiæ divinitus adeptus est, nulla ex parte se meruisse confitetur. Itaque et seipsum et omnia Deo omnipotenti ad illius offert honorem, utpote quæ pure ex ejus benignissima misericordia promanarunt. Nec ex aliquo Dei dono vel gratia animo effertur : sive sit scientia, sive sapientia, fortitudo, pulchritudo, divitiæ, aut quidvis aliud, sed se omnibus Dei donis credit indignum : eaque nonnisi ex mera Dei bonitate sibi collata existimat. Constanter igitur affirmarim in istiusmodi homine Deum in cunctis suis donis et actionibus nullum pati impedimentum : atque eam ob rem, ad summam usque perfectionem eum provehere. Quoties enim Deo visum est in illo operari, semper liberum se præbet et expeditum, Deum patiens, Deo morem gerens et obsequens, et velut instrumentum illius gratiæ cooperans. Ad hæc omni loco, quem vel sedendo, vel stando, vel jacendo occupat, semper indignum se fatetur. Nihil enim omnino sibi tribuit, nisi quod ex seipso habet : nempe peccata et multiplices culpas ac defectus suos. Et quamvis multum se abjiciat ac humiliet, tamen nihil aut parum sibi fecisse videtur. Sive ergo comedat, sive bibat, sive quidvis aliud faciat, locum vilissimum in domo, novissimum in mensa, et minimam cibi ac potus portionem capit et amplectitur. Et breviter, in omnibus quæ ipsi necessaria sunt, minimam abjectissimamque portionem sibi optat cedere : quodque vel aliis mansit reliquum, vel ab aliis fastiditur, ipse lætus suscipit, nec ei parum nimis esse videtur : imo vero illo ipso se indignum judicat, et nec meruisse, nec mereri illud a Deo se posse, sentit ex animo. Denique in omnibus absque querimonia et sine dolo vivit. Novit enim de manibus Dei suscipere omnia, sicque de nulla creatura queritur, quantumvis ab aliis indigne aut injuriose tractetur : atque adeo etiamsi pertubarent, expellerent, cæderent, confoderent, etipsa demum morte eum afficerent, nunquam se affectum crederet injuria, nec quidquam cuiquam vel inde vel de qualibet re alia imputaret, atque ita etiam mortem ipsam sine dolore exciperet. Cuncta namque, ut dictum est, de manibus Domini accipit, certus quæcumque illo permittente ipsi evenerint, ea et optima et utilissima sibi esse. Nihil enim cuiquam præstat Deus, nisi quod ei optimum sit : quod ita certum est, sicut Deum vivere. Hæc Rusbrochius.

Impedimentum nullum ut Deus patiatur in humilitate.

Humilis revera qualem se faciat.

Pro hac itaque præclarissima virtute (ut æquum est) obtinenda, extremam nostram impendamus diligentiam, nec quidquam omittamus, quo possimus ad illius pervenire notitiam, si tamen optamus veri dici Christi ministri et imitatores. Nam ipse Christus suos ministros hortatur, dicens : *Qui mihi ministrat, me sequatur,* hoc est, profundissimæ humilitati, et sui ipsius omnimodæ resignationi perpetuam navet operam, uti exemplum dedit nobis, humilians se usque ad mortem, mortem autem crucis, ut hanc nobilissimam suo in corpore sanctificaret virtutem, et per eam suos imitatores in regno sublimaret cœlorum. Quicumque enim se humiliat exaltabitur, instar hujus gloriosissimæ ac intemeratæ semper Virginis Mariæ, quæ per hanc virtutem omnium Dominam in regno dilecti ac benedicti Filii sui exaltata et sublimata est, et perpetuo cum dilecto suo Filio Domino nostro Jesu Christo exultabit gaudio. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit benedictus in omne ævum, Amen. Joann. 26.

IN FESTO

SANCTÆ CATHARINÆ

REGINÆ, VIRG. ET MART. ET SPONSÆ CHRISTI

Paraphrasim in Epistolam et Exegesim in Evangelium require in Festo videlicet sanctæ Barbaræ virginis et martyris.

SERMO IN EODEM FESTO

DE CHARITATE SANCTÆ CATHARINÆ, ET QUIBUS REBUS PERVENIATUR AD AMOREM DEI.

FULCITE me floribus, stipate me malis : quia amore langueo. Canticorum II, 5.

Illustrissimæ virginis martyrium insigne diem hunc, ut nostis, dilectissimi, illustrat : cujus quanta sit in Ecclesia catholica celebritas, quanta meritorum excellentia, quantus honor in cœlis, si enarrare velimus, ante deficiet nos tempus et vires quoque, quam quidquam tanta virgine dignum præstemus. Puto equidem et pie sentio in ignitorum illorum spirituum, quos Scriptura Seraphim appellat, miro hanc virginem sacratissimam fulgere lumine, et incomparabili ardere amore, ac perfectissime jam suo dilecto perfrui, quem mortali etiamdum induta corpore tanto amoris æstu ac desiderio concupivit, ut quamvis carne inter homines degere videretur, spiritu tamen toto versaretur in cœlis, inhians sponso suo. Potestis in Canticis Salomonis agnoscere dictum in
Cant. II, 5. persona illius : *Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo.*

Multos quidem invenias licet qui Deum ament, quosdam etiam licet pauciores, qui præ Dei amore cuncta contemnant. Porro qui Dei amore langueant, paucissimos sane reperire est. Talis amor proprie perfectorum est. Olim dum adhuc gentilismi erroribus virgo Catharina implicita teneretur, frigidum gerebat pectus erga Creatoris sui amorem. Ast ubi cœpit nosse Deum ac Dominum suum, felicissima mutatione repente alia effecta, sic exarsit purissimo et castissimo in Deum charitatis affectu et ardore, ut præ desiderii vehementia plane langueret ac deficeret. Inde mox cœpit omnem alienum execrari amorem, omnem a corde suo rerum visibilium speciem excludere, adeo ut jam lux ipsa et formæ quotidianæ fastidio illi essent. Enimvero sancta quadam et laudabili superbia ex ipso, quo flagrabat Dei amore, concepta, nihil jam amare, nihil vel aspicere volebat, præter unum omnipotentissimum, sapientissimum, opulentissimum, pulcherrimum, suavissimum, optimum Deum sponsum suum. Dicebat quotidie animæ suæ : Quid tibi cum his visibilibus commercii est ? Cur tandem illis te oblectare velis, quæ sunt homini cum brutis

Catharinæ sanctæ amor erga sponsum suum quantus.

communia ? Esto pulchra sint, delectabilia, sensibus plausibilia sint, quæ offert hic mundus sublunaris : ecquid tandem habent simile pulchritudini et amabilitati illius, qui est auctor et opifex omnium ? Si in vestigio, si in umbra, si in nutu quodam et odore tanta vis inest, ut ad sui amorem animos rapiant tanta importunitate, cum tamen multo plus habeant fellis adjunctum quam mellis, quid quæso, de illo sentiendum est, ex quo cuncta tanquam ex suo fonte et origine profluxerunt ? Cujus nimirum ineffabilis efficacia, dignitas immensa, amor suavissimus, convictus jucundissimus, præsentia optatissima, benignitas liberalissima est. Ille totam me habeat, cujus charitate vulnerata sum, qui me sibi ex omni æternitate elegit, cui me semel totam dedidi.

Fateor magna est pulchritudo in formis hisce corporeis, quæ nostris quotidie sensibus objiciuntur, ex aptissima membrorum compositione et mirifico contextu, ipsoque coloris et lucis grato decore : ingens item pulchritudo est in numeris sonoris atque canoris, pulchritudo in illis quæ tangendi, quæ gustandi, quæ olfaciendi sensu percipiuntur. Sed habent ista tamen certos, eosque angustos limites suos. Deus autem meus, unicus sponsus et amator meus, tota spes et gaudium meum, summum et præcipuum bonum meum, pulchritudinem, dignitatem, honestatem, amabilitatem habet infinitam : cujus confixa sum jaculis suaviter ardentibus, et sine dolore vulnerantibus : quem amare fructus summus est, summa nobilitas, suavitas incomprehensibilis : qui ad interioris hominis mei aures jugiter personat : Cum mundo isto præsens, absens ut sis volo : Dies noctesque ames me, me desideres, me somnies, me exspectes, de me cogites, me speres, in me te oblectes, mecum tota sis, meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus. Ita nimirum, dilectissimi, totam sibi vindicarat hanc venerandam et admirabilem virginem Christi flagrantissimus amor, qui non sinebat eam aliud cogitare quam Christum, qui in ea mundum omnem penitus exstinxerat. De quo licet possent multa adhuc auditu jucunda referri, tamen quia plerique adhuc longe ab hac perfectione absumus, omissis interim hisce sublimibus, et quæ vitæ nostræ mensuram excedant, de illis potius loquamur, quæ nos huc tandem perducere queant.

Non omnium est perfecti amoris effectus capere : sed tamen omnium est eo niti, ut quandoque possint perfectum amorem adipisci. Quo sane ut mihi videtur, duo quædam haud mediocriter promovent, eos præsertim, quorum adhuc angusta et tenuis est virtutum supellex, et qui se primum Deo dediderunt, cupiuntque relictis vitiorum tenebris, veræ luci, quæ Christus est, inhærere. Illis ergo vel maxime contulerit primo quidem studere agendæ pœnitentiæ ; deinde divinorum beneficiorum sedula commemoratione ad serenioris cujusdam et tranquillioris conscientiæ lucem aspirare, donec tandem paulatim ad plenam perfectamque perturbationum omnium extirpationem, Deo favente, pertingant, et Christi perfecto amore inflammentur. Et ut noverint ejusmodi quænam sibi proponere debeant, unde salubri dolore compungantur, pauca nos hic recensebimus.

Itaque, qui peccatis deditus fuit, cupitque redire in gratiam cum Deo, quotidie ea quæ subjungimus sibi ob oculos reducet, de singulis ex animo dolens ac ingemiscens. Primum est, amicitia Dei amissa. O quanta hic occurrit materia acerbissime dolendi ! Quid est enim Dei amicitiam perdidisse, nisi seipsum vita privasse ? Vita enim animæ Deus est, cujus qui a se exclusit amicitiam, vitam quoque suam excluserit necesse est. Si autem licuit ethnico illi dicere, solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt, qua a diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius, quid de violata veri Dei amicitia sentiendum est ? Doleat ergo peccator se sua iniquitate Dei amicitiam repulisse.

Secundum est, bonitas Dei contempta. Quid benignius, quid ad benefaciendum, ad ignoscendum, ad gratificandum promptius illa clementissima summi Creatoris natura? Qui sic amat homines, tanquam ipsius salus ex illorum salute pendeat : sic curam gerit omnium et singulorum, quasi ipsi bene esse non possit, si illis male sit. Et tamen tantam ejus bonitatem contemnit peccator vilis et indignus, quando sponte sua consentit in peccatum mortiferum.

Tertium est, vita improba et scelerata. O si quis velit attendere, quantam unoquolibet peccato et sibi pœnam, et Deo injuriam, et creaturis Dei molestiam pariat, habebit certe unde totus solvatur in luctum acerbum et perpetuum. Vita mala tam est invisa Deo, tam perniciosa ipsi homini et aliis, qui ejus exemplis corrumpi possint, tam creaturis omnibus infesta, ut mirum sit non totum simul mundum insurgere in eum, qui vel semel ausus sit mortifero se scelere commaculare.

Quartum est temporis ac virium animæ et corporis perditio. Qui enim peccat, non solum tempus perdit, quo nihil est pretiosius, sed etiam animæ et corporis sui vires miserandum in modum enervat. Mors enim animæ, quæ peccati consensu incurritur, non vacat magnis et multis etiam corporis nocumentis. Imo vero plerique peccando ipsi sibi celeriorem adsciscunt mortem et morbos graves, ut alia multa præteream.

Quintum est, violatio præceptorum Dei et Ecclesiæ ac superiorum. Nisi intolerabilis et execrabilis esset iniquitas divinas prævaricari leges, nunquam clementissimus Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, tam dira constituisset supplicia in eos qui non obtemperant jussis illius. Ipsa igitur iniquitatis immanitas intimo peccatorem dolore conficiat, quod ausus fuit Deum immensæ majestatis, cui omnes creaturæ summam debent obedientiam et reverentiam, sua improbitate offendere. Nec putet minus sibi esse dolendum, si Ecclesiæ et superiorum leges contempsit : quando contemptus ille omnis in Deum redundat.

Sextum est, debilitas repugnandi adversus vitia, itemque pœnitendi ac progrediendi in virtutibus. Potest id merito dolorem ingerere peccatori, quod culpa sua hanc contraxerit vel auxerit infirmitatem. Peccatum enim admodum enervat vires hominis, ut jam ante dictum est, et quo crebrius repetitur, eo fit homo imbecillior. Quod utinam attenderent, qui se dicunt in ætate senili pœnitere velle, cum tamen ea ætas, ob malam consuetudinem vitæ superioris, pene inepta sit ad agendam pœnitentiam.

Peccatum ut enervet vires hominis.

Septimum est, multiplex et magna laborandi, orandi, meditandi, legendi, sacras concionés auscultandi, aliaque pietatis opera exercendi negligentia. Si quis bene perpendat nullum esse tam breve temporis punctum, quo non maxima quis possit apud Deum lucra sibi comparare, nonne ingentem habet mœrendi occasionem, quod non solum tanta neglexerit salutis suæ commoda, sed etiam interim male vivendo plurima sibi detrimenta corporis et animæ attulerit? Totum hoc vitæ nostræ spatium ad agendam pœnitentiam et Dei gratiam conciliandam datum est. Quod qui ad alios accommodat usus, negligitque ea, quibus possit veniam et gratiam consequi, qualia sunt : oratio, meditatio, operum bonorum sedula executio, atque id genus alia multa, miserrimus est, quia stultissimus.

Peccato quænam negligantur.

Octavum est, consuetudo et velut habitus quidem et necessitas peccandi. Hac quisquis laborat mala scilicet consuetudine, is reverá miser et miserabilis est, ac omni lacrymarum fonte plangendus. Doleat ergo acerbe, clamet ad Dominum, beatissimæ semperque Virginis Mariæ et omnium sanctorum suffragia ambiat, alios quoque bonos homines sibi apud Deum precatores adhibeat, et pugnet acriter adversus semetipsum, donec mala consuetudo meliori vivendi ratione et assidui-

Peccator ut consuetudinem malam incurrat.

tate frangatur. Principiis obsta, ait Poeta, sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Revera morbus pene immedicabilis longa et inveterata peccandi consuetudo. At tamen nemo desperet. Christi pietas vincit omnem humanam malitiam et perversitatem.

Peccator ut ingratus sit Deo.

Nonum est, ingratitudo, qua sæpius recidit in peccata remissa. Vulnera repetita ægrius curantur. Magna profecto ingratitudo offendisse Deum, et illius benignitate veniam esse consecutum, et tamen rursus crebro ad eadem perpetranda mala reverti. Lugeat ergo peccator, et injurias optimi et dignissimi Creatoris in seipso ulciscatur, firmetque animi propositum adversus peccati iterationem.

Peccatum ut charitatem exstinguat.

Decimum, charitatis exstinctio cujuslibet peccati lethalis perpetratione. Charitas efficit, ut cætera hominis bona Deo placeant. Ubi autem charitas abest, nihil esse potest gratum Deo, quantumvis grande sit et eximium. Quid igitur animi habere debet is, qui tam præclara se virtute privavit? Perditur enim charitas, quoties consensus præbetur peccato mortifero. Amissa autem charitate, moritur anima, moritur etiam quidquid ab ea unquam bene gestum est, aut geritur. Lugeat ergo peccator, et omni mora postposita, studeat amissam recuperare charitatem dolendo, confitendo, satisfaciendo.

Peccato quam graviter Dei majestas offendatur.

Undecimum est, omni timore rejecto, tam impudenter in divinæ majestatis præsentia multis et gravibus se sceleribus obstrinxisse. Pensitet istud mature ac diligenter, et totus horrore ac mœrore contrahetur, mirabiturque non se jam pridem terræ hiatu absorptum esse, vel dæmonum dentibus discerptum ob tantam omnipotentis Dei contumeliam. Ista, charissimi, mente devota pensiculanda sunt, et ad singula ingemiscendum. Verum, ne quis horum consideratione fiat pusillanimis et proclivis in desperationem, fiduciam quamdam erga infinitam Dei misericordiam concipere debet. Ea autem comparanda est per divinæ misericordiæ sedulam imploratio-

Fiducia erga Dei misericordiam quomodo concipiatur.

nem, vitæ in melius commutationem, orandi assiduitatem, Dominicæ passionis devotam commemorationem, et pro peccatis suis oblationem, pœnitentiæ austeritatem, honorum, voluptatum, vanitatum contemptionem, sanctorum omnium, maxime beatæ semper Virginis Mariæ et quibus speciali quis amore affectus est, invocationem, temporis utilem ac providam deductionem, propriæ voluntatis mortificationem, et divinæ pietatis ac clementiæ contemplationem, quæ non vult mortem peccatoris quantumvis flagitiosi, sed vitam et resipiscentiam.

Atque ubi his aliisque modis nonnihil a vitiis purgatum se quis senserit, deinde liberiori quodam animo conferat se ad commemoranda et revolvenda Dei beneficia, ne si semper suis velit cogitandis peccatis immorari, abjecto maneat et servili quodam animo, qui nihil nisi timere et trepidare, ac Dei severitatem suspectam habere, non pia erga Deum fiducia erigi norit. Hic vero immensus sese sanctarum meditationum campus offert, ubi nullus possit exitus inveniri. Quis enim sufficiat Dei beneficia numerare, quis ea vel intelligere? Omnino hoc pelagus impenetrabile est. Quot ille nobis et quanta naturæ, quanta gratiæ dona contulit? Ex omni æternitate summe dilexit nos : cum non essemus, condidit nos ad imaginem et similitudinem suam, nobiles nimirum, illustres, eximios, regis æterni filios, dominos omnium creaturarum (omnia enim subjecit sub pedibus nostris), et si perstitissemus in obedientia, auxisset in nobis dona sua. Nec tamen etiam perditos deseruit nos, sed seipsum exinaniens, formam servi accepit, ut servi perditi pœnas ipse lueret, ut ingratitudinem erga se nostram in seipso ulcisceretur. Quid hac benignitate admirabilius? O cor saxeum, quod ea non emollitur! Sed quid ego Dei beneficia hic enarrare molior? Vos ea ipsi, charissimi, vobiscum attentis cordibus recolite, et sitis grati Deo. Sit hæc vobis in hoc exilio etiam inter medias temporalium nego-

tiorum turbas occupatio, propria lugere peccata, et Dei beneficia grata mente perpendere. Ita fiet, ut in vobis sensim crescat odium vestri, et amor Dei. Non potest sese odisse, nisi qui sua ex animo peccata oderit : non potest amare Deum, nisi qui acceptis ab illo beneficiis gratum se præbere contendat. Non ita debetis, charissimi, rei familiari vel tuendæ vel augendæ esse dediti, ut non multo majorem animæ vestræ curam geratis. Quidquid erga res terrenas sollicitudinis geritis, momentaneum est, et cum ipsa vita temporaria finem accipit : sed anima immortalis est. Ergo illi potissimum inserviendum est.

Catha- ræ erga nsum m ristum or ntus.

Potest vos, si attendere velitis, multum permovere admirabilis et præclarissimæ virginis Catharinæ exemplum, quæ licet esset regis filia, et incomparabili corporis pulchritudine, animi sapientia, rerum affluentia se præditam non nesciret, tamen hæc omnia contempsit præ amore sponsi sui Christi Jesu. Nolebat animum suum rerum visibilium amore implicare, ut posset perfectius diligere Deum. Quotidie multa illi se ingerebant mundi oblectamenta, quæ vel fortissimos possent virorum animos frangere, tamen mansit immota, tanquam nihil horum ipsa sentiret : non ob aliud sane, nisi quod præsentia tanquam jam præterita despiceret, futura et semper mansura semper ob oculos haberet. Unde fiebat, ut semper animo compuncta, seipsam et mala sua plangeret, atque rursum ex Dei et futurorum contemplatione, cœlestis amoris gratia perfusa, tota in Deum transiret. Nostis quanta egerit cruentus ille carnifex Maxentius, ut eam vel blanditiis falleret, vel cruciatibus superaret. Sed utrobique perseveravit fortiter in Christi amore, nec blandis enervata pollicitationibus, nec terribilibus concussa terroribus. Quod utique totum fecit amor Christi, qui ejus pectus ita sibi vindicarat, ut nulli ad id aditus pateret hostili machinationi. Tanta est vis charitatis, tanta amoris divini efficacia, ut cor illo præditum velut murus quidam impenetrabilis sit adversus omnes quorumlibet hostium insidias et machinationes. Hoc igitur fortiter inflammata beatissima Catharina, aut pœnas corporis omnino non sensit, aut si sensit, Christi contemplatione contempsit. Amor Christi omnem in ea privatum amorem, inordinati timoris parentem, penitus exstinxerat. Quod itaque non poterat jam se amare nisi in Christo, nec timebat quidquam nisi quod eam posset separare a Christo. O vere præclaram virginem, quæ inter micantes illas supernæ Jerusalem stellas mirifico fulget lumine, totamque Ecclesiam gratissimo respergit odore insignium meritorum suorum ! Quam imitari virtutis est, in quam ceu speculum intueri debent, quisquis inter hujus fallacis mundi tentationes velut in procellosissimi maris fluctibus jactatur. Ab ea enim facile didicerit, ut se habere debeat, qua constantia adhærere Christo, mundum contemnere, seipsum vincere, dæmonibus reluctari, et in agnita veritatis via persistere. Quis enim non summo sibi putet probro ac dedecori fore, si se sinat a vitiis superari, quando oculis fidei cernit virginem, regiis ortam natalibus, et omnibus rebus bonis affluentem, tamen nullis neque blanditiis, neque suppliciis adduci potuisse ut vel paululum a justitia deflecteret ?

Sanctorum exempla inspicienda.

Amoris efficaquan-

Tam vero quid non admirationis, quid non laudis, quid non majestatis habet, quod tanta eam Spiritus Domini Jesu sapientia implevit, ut quinquaginta celebres ac doctissimos superarit Philosophos, quibus nemo posset æquiparari ? Hoc utique totum fuit divini muneris : totum id fecit Spiritus Christi, qui in illa virgine loquebatur, et per eam de tot præclaris egregiisque viris triumphabat. O jucundum spectaculum, et castissima voluptate refertum, videre virginem teneram, delicatam, verecundam, mansuetam, humilem, cum tot tantisque viris concertantem, ex illis victoriæ palmam referre : sic omnium confutare rationes, argumenta dissolvere,

Catharina philosophos superat et Christo lucratur.

machinas elidere, denique ora penitus obstruere, ut non possent ultra se cohibere, quin manibus et pedibus in virginis sententiam abirent, atque a virgine superati, Christo nomina sua darent, et qui prius summos professi magistros, perplures docuerant quidquid humano ingenio, arte et industria tradi potest, jam a virgine discerent prima fidei rudimenta, essentque illius velut quidem catechumeni. Benedictus Deus Dei Filius, qui sponsam et martyrem suam tam insigni miraculo, tam eximio honore, tam rara ac inaudita virtute ornavit.

Quid interim, charissimi, putatis in illa cœlestium civium beatissima frequentia gaudii, quid tripudii, quid gratulationis extitit, cum cernerent virginem pudibundam, moribus castam, animo mitissimam, sexu quidem fragilem, sed Christi virtute invictam, ad Christi ovile traducere tot lupos, sed ex lupis in oves mutatos, atque ex ipsius lupi tartarei mediis faucibus extractos? Nec tamen hos solos Christo lucrifecit virgo sapientissima, sed ipsam quoque reginam Maxentii conjugem, et Porphyrium principem militiæ cum aliis multis. Tandem ipsa illos tyranni gladio absumptos simili mortis genere secuta est, et nunc vivit vitam beatam, immortalem, omnibus deliciis abundantem, nullius indigam. Nec solum animæ hæc a Deo præstita sunt bona, sed et corpus illius maximo cum honore a sanctis Angelis in montem Sinai deportatum est. Videtis, charissimi, quam multa exstent in hac virgine plena admirationis, et omni honoris et pietatis studio prosequenda. Confugiamus ergo ad illam, tanquam Deo conjunctissimam atque charissimam, et illius preces precibus et lacrymis ambiamus. Habet enim et id sibi a Deo concessum privilegii, ut quisquis illam sedulo fuerit veneratus, felicem sit obitum impetraturus. Dum adhuc licet, tales nobis, charissimi, in futuro tremendo Dei judicio patronos conciliemus, quorum gratia nobis prosit apud Deum, cui est omnis honor et gloria in secula seculorum, Amen.

INDEX

ELENCHUS

LOCORUM NOTABILIUM

HUJUS VOLUMINIS

A

Abigail quid interpretetur. 458
Abisac serviens David uti Mariam designet 406
abnegare seipsum quidnam sit 172
Abraham et Isaac quo ritu fuerint sacerdotes 40
absentia Christi quid fidelibus profuerit . 31
abstinentia quorumdam philosophorum qualis fuerit. 240
abstinere a delectabilibus quando fiat meritorium 240
Acta sanctorum quomodo imitari debeamus. 507
actus quosnam Christus suos nobis imitabiles proposuit. 93
Adversa hic potius esse appetenda quam prospera 449
adversa quæque quomodo levia et jucunda fiant Dei amicis 109
adversa quanta pro æternis bonis toleranda sint 336
adversarius noster cum quo in via concordare debeamus quis sit 347
adversitates hujus mundi quanta bona secum afferant 107
adversitates uti sint munuscula quædam ac indicia Dei erga suos amicos amoris . 157
Ædificia pretiosa et curiosa divitum quam execranda sint 60
ægritudo corporis quam sit utilis animæ . 448
ægros curare spiritualiter quid sit . . 332
Ægyptus, Æthiopia et Saba quid mystice signent. 171
Afflictiones qua ratione Deus homini permittat 7
afflictionum fructus multiplex quis. . . 109
afflictionum multiplex utilitas quæ . . . 179
Ager mysticus quis sit 15
ager quomodo mystice comparetur. . . 15
agilitatem quantam Christus habuerit. . 299
agnos mitti inter lupos quid sit 576
agnoscenti plus ignosci 438
agricolam uti Patrem cœlestem vocet Christus 303
Albertus Pighius quid de Colloquiis sentiat Erasmi 143
alieni ut vocentur hæretici. 355
Amabilis quantum fuerit Puer Jesus . . 291
amandum minus non esse proximum ob culpam suam 229
amare ac odisse in proximo quæ debeamus 229
amare immodice temporalia unde contingat 205
amare male animam suam quid sit . . 479
amari a Deo quid sit 342
ambitio in quæ mala hominem præcipitet 103
ambitio mala quænam generet 447
ambitio quomodo contingat. 453
amici Dei veri qui sint 226
amicos suos Deum affligere multis flagellis et pressuris 108
amicitia Dei quomodo obtineatur, quomodoque dissolvatur. 225
amicum esse Dei quantæ sit præstantiæ . 225
Aminadab fidelitas et magnanimitas . . 41
amor beati Andreæ erga crucem quantus fuerit 10
amor bonus quomodo obtineatur . . . 282
amor carnalis quis 515
amor Christi quantum in sanctis martyribus fecerit tormentorum contemptum. 154
amor cuncta aspera levia reddit ac sua-

via 6
amor divinus et carnalis quomodo contra se pugnent 10
amor divitiarum quomodo commodius vincatur 192
amor communicativus quis dicatur. . . 518
amor insatiabilis quis sit 516
amor inter beatam Mariam et divum Joseph quam fuerit castissimus. . . . 101
amor noster uti sit Deo ceu primitiæ offerendus. 582
amor parentum et cognatorum quinam vincendus. 192
amor parentum quid mali ingerat. . . 193
amor perditus quis, quique ipsius sint fructus 515
amor privatus quam sit periculosus . . 228
amor rerum temporalium quantum spiritum impediat. 587
amor sancti Petri erga sanctum Joannem quantus fuerit 90
amor sanctorum erga Deum quantus fuerit. 25
amor vehemens quis, quæque ipsius opera 515
amor verus quales sui possessores efficiat. 516
amor unitivus quis 517
amor ut amatum honore affici cupiat . . 518
amore nihil esse validius 342
amorem movisse Deum ad assumendam humanam naturam 258
amorem Dei verum augeri per sacram communionem 518
amorem Dei quinam exstinguat amor temporalium 141
amorem suum immensum quibusnam argumentis Deus ad nos testatus sit . . 259
amorem temporalium rerum exstinguere Dei et proximi charitatem 230
amori proprium quid sit 282, 516
amoris Dei erga nos magnitudinem ex quatuor considerari 343
amoris Dei fructus qui sint 517
amoris insani paradigma 515
amoris proximorum fructus quis . . . 223
amoris seculi quænam sint signa . . . 516
Andreas in quibus fuerit magnus . . . 8
Andreas in quibus nobis sit imitandus . 11
Andreas uti Christum secutus sit imitatione virtutum et passione 6
Angeli cur Christo nato apparuerint . . 70
Angeli in quibusnam imitandi sint . . 568
Angeli quidam cur præ cæteris Virtutes dicantur 566
Angeli quomodo vocentur filii Dei . . . 64
Angeli sancti quanta sint devotione venerandi 563
Angeli ut animas deferant in cœlum vel purgatorium. 572
Angeli ut consolentur homines afflictos . 572
Angeli ut dæmonum malignitatem nocendi refrenent. 569
Angeli ut opera nostra bona Deo offerant. 572
Angeli ut serviant hominibus in bonis operibus 572
angelicæ salutationis præcellentia quanta. 260
Angelorum apparitionem in novo veterique Testamento dissimilem fuisse . . 69
Angelorum circa cunas Christi frequentia et reverentia. 74
Angelorum creatio qualis fuerit. . . . 262
Angelorum custodiam Dei nobis insinuare charitatem 562
Angelorum ministerium erga homines cujusmodi 568
Angelorum quisnam divo Joanni Apocalypsim revelaverit. 555
Angelos Deo offerre preces hominum. . 556
Angelos in tentationibus constitutis adesse. 569
Angelus cuique homini deputatus uti honorandus sit et venerandus. 568
Angelus cur fuerit creatus. 262
Angelus cur missus sit ad Virginem . . 265
Angelus in qua specie ac forma beatæ Mariæ apparuerit. 267
Angelus post lapsum cur non debuerit redimi. 263
Angelus quomodo definiatur, quidve sit angelicus spiritus 563
Angelus tam bonus quam malus quæ hominibus ingerant 570
Angelus ut dictus sit Joannes Baptista. . 200
anima amans quomodo sponso suo obviam procedat. 167
anima beatæ Mariæ quomodo magnificaverit Dominum. 413
anima quomodo moriatur, et quando gratiam perdat. 360
anima rationalis quonam solo satiari possit 316
anima sine gratia ut sit sicut carbo exstinctus 358
anima uti sapienter sit perdenda. . . . 173
anima ut comparetur carboni ignito . . 358
animæ periculosa quantopere relinquenda sint. 142

animarum præstantia et pulchritudo quanta 230
animas proximorum pluris esse faciendas quam corpora nostra. 61
animus hominis quando a Deo sit remotior. 493
animus humanus quam sit in vitia proclivis. 146
Anna mater Mariæ ut omnes cæteras Annas præcellat. 457
Anna quid interpretetur. 457
Anna ut cunctis mulieribus præferatur. 457
Anna ut genuerit reginam cœli. . . . 457
Anna beata quanto laudum præconio sit extollenda. 459
Annæ viduæ et prophetissæ commendatio. 214
Annam beatam tres genuisse Marias. . . 457
anni Christi non defecturi qui sint. . . 65
Aperire confestim Domino redeunti mystice quinam dicantur 234
Apocalypsim quis vere scripserit. . . . 555
Apostoli cur omnibus veteris Testamenti sanctis præferantur. 231
apostoli omnes quomodo nominentur fundamenta Ecclesiæ catholicæ. 396
apostoli omnes ut fuerint sapientes. . . 77
apostoli quænam omnia reliquerint Christum secuti. 139
apostoli quomodo dicantur baptizati Spiritu Sancto. 326
apostoli quomodo judicabunt cum Christo in extremo judicio 139
apostolis ante Spiritus Sancti adventum nonnihil imperfectionis inhæsisse. . . 190
apostolorum amor erga Deum et proximos quantus fuerit. 554
apostolorum Christi præcellentia quanta. 402
apostolorum perfectio quanta fuerit post Spiritus Sancti receptionem. 550
apostolorum quosdam tribus vicibus fuisse a Domino vocatos. 3
apostolorum vestigiis uti omnibus christianis inhærere conveniat. 402
apostolos quos quandoque Christus vocaverit ad sui familiaritatem. 4
apostolus ut sit Joannes Baptista. . . . 386
apparitiones bonorum vel malorum spirituum quomodo internoscendæ. . . . 248
apparuisse Christum primo suæ Matri. . 296
Arbitrium hominis quam sit liberum. . 79
arbitrium liberum hominis uti adhibendum sit Dei gratiæ. 393
arbitrium uti unicuique maneat liberum. 360
arca Dei ut sit beata Maria. 503
arca diluvii cur vocetur beata Maria. . . 522
ardere sed non lucere qui dicantur. . . 383
ardere simul et lucere qui dicantur. . . 383
ardor Joannis Baptistæ triplex quomodo nobis luceat. 384
arrogantia alios docere gestientium quam sit reprehensibilis. 326
Ascendere aliunde in ovile ovium quid. . 353
ascensione sua quænam Christus homini contulerit charismata. 333
ascensione sua quænam Christus suos docuerit. 334
ascensum hominis post Christum in cœlum quænam impediant. 334
ascensum mentis in cœlum quænam promoveant. 334
ascensu montis quid Christus significaverit. 587
Athletarum vanorum studia laboresque quam sint sine fructu. 337
Avari et immisericordes quam sint reprehensibiles. 482
avari quantis laboribus comparent sibi damnationem æternam. 498
avaritia protoparentum quam fuerit enormis. 256
avaritia uti dicatur idolorum servitus. . 483
avaritia ut sit insatiabilis. 452
avaritiæ genus pessimum quodnam sit. . 484
avarus quisnam revera dicatur. . . . 485
ave conversum quid sonet. 268
Augustini vita et mores cujusmodi. . . 505
aureola quando virginitas coronanda. . 16
aureolam deberi martyribus, doctoribus et virginibus. 27
aurum trium Magorum in pauperes fuisse expensum. 203
auctoritas Ecclesiæ quanta sit. 468
auctoritatem quantam Ecclesia habeat in Scriptura Sacra 468
Asilum omnium periculorum, tentationum, timorum et necessitatum nostrarum uti Deum constituamus 35

B

Baptismum Joannis cur Christus susceperit. 388
Baptismus Joannis ad quid valuerit. . . 388
baptismus Joannis Baptistæ ut non fuerit sacramentum. 388
baptismus quæ bona conferat. 47
baptizati quinam fuerint in nomine Chri-

sti. 341
baptizatio mentis quænam dicatur. . . 326
baptizatis uti cœlum aperiatur. . . . 82
Barachias quid interpretetur. 78
Barbara a quo quomodoque fuerit baptizata. 19
Barbara quomodo in pœnis constituta a sponso suo Jesu confortetur ac sanetur. 20
Barbaræ historia cur non possit nisi vera haberi. 25
Barbaræ oratio pro aliis quomodo intelligenda. 22
Barbaræ oratio pro sibi devotis quæ. . 21
Barbaram orasse pro sui memoriam facientibus eamque invocantibus . . . 21
Beatitudine æterna privari hominem per peccatum. 538
beatitudinem cœlestem fore perpetuam. 321
beatitudinem desiderare quando debeamus. 594
beatitudinem post hanc vitam nulli sperandam, qui eam hic neglexerit. . . 165
beatitudines octo quales sint virtutes. . 587
beatitudines supernæ immensitatis causa quæ 596
beatitudo sanctorum quam sit perfecta. . 597
beatitudo sanctorum quando perficietur. 99
beatitudo patriarcharum et prophetarum in cœlis quanta sit 599
beatitudo quibus mediis obtineatur. . . 448
bella et seditiones unde oriantur. . . . 153
benedicta inter omnes mulieres quomodo prædicetur beata Maria. . . 247, 269, 412
benedicta uti fuerit beata Maria multifariam 421
Benedicti abbatis ortus quis. 241
Benedicti sancti justitia quanta fuerit. . 238
Benedictus cur Moysi et Eliæ fuerit æqualis. 241
benedictio conjugatarum quæ sit. . . . 415
benedictio viduraum quæ sit. 413
benedictio virginum quæ sit. 414
beneficia Christus quanta nobis exhibuerit. 470
beneficia septem quænam beata Maria suis exhibeat devotariis. 423
beneficia quænam homines angelico famulatu consequantur. 563
beneficiorum Dei consideratio. 198
beneficium ac eleemosyna quonam animo præstanda. 475
beneficium conferenti circumstantiæ quæ attendendæ sint. 484
beneficium Dei quale ut quis sanctorum venerationi deditus sit 97
beneficium innocentiæ semper servatæ esse nobilius quam restitutæ 443
beneplacito Dei conformandum quidquid agimus. 582
Benjamin tribus unde ortum habuerit. . 105
benignitate quanta usus fuerit Christus erga judæos. 80
Bethleem duplex quæ. 67
Bethleem quomodo cum pastoribus eundum sit. 74
Binos cur Christus apostolos miserit prædicatum. 574
binos discipulos cur Christus miserit ante faciem suam. 574
Blasphemia quanta sit jurare per Christi mortem et vulnera 512
blasphemiæ contra invocationem et merita sanctorum unde originem sumpserint 23
blasphemi in sanctos Deique amicos reprehenduntur. 23
Bona in malis hominibus quomodo Deus remuneret. 176
bona quænam possint fieri mala intentione. 239
bona quænam suis servis Deus tradiderit. 29
bona quæ proveniant ex veneratione sanctorum. 584
bona quanta homo amiserit per peccatum originale. 46
bona quæ quantaque electis præparata sint in cœlis. 322
bona si quæ habentur ut sint occultanda. 506
bona temporaria ut Deus divitibus tantum mutuaverit. 486
boni quidquid habent creaturæ a Deo solo eas id habere. 257
boni quidquid facit homo quo referre debeat. 472
boni quomodo fieri possimus. 507
bonis temporalibus quatenus utendum sit. 551
bonis triplicibus ornatam fuisse beatam Mariam 500
bonitas Dei erga nos quanta. 500
bono summo privari hominem per peccatum. 538
bonorum hominum quam sit hodie numerus parvus. 575
Brigittæ librorum auctoritas quanta . . 95

C

Cadere rarius quomodo contingat in cœnobiis 146
cæcitas hominum hujus seculi quanta sit. 536
cæcitas conscientiæ unde contingat. . . 362
calceamentorum usus quisnam sit prohibitus. 577
calix Domini quam sit omnibus hoc seculo invisus. 448
candela ut significet Christum. . . . 216
carni molesta Christum sanctosque omnes elegisse ac docuisse. 36
carni hosti quomodo resistendum sit. . . 93
carnis desideria quomodo mortificentur. 311
carnis humanæ deformatio uti per Christi resurrectionem sit reformata. . . . 298
caro Christi quomodo dicatur descendisse de cœlo. 369
Cartusianorum afflictiones quo spectent. 83
Cartusianorum professio et institutum quam sit sublime et nobile. 83
caste sese gerere quid sit. 220
castitas beati Rogerii singularis. . . . 384
castitas in cœnobiis quomodo servetur . 145
castitatem semper Deo placuisse . . . 266
castitati servandæ exercitia congrua quæ sint. 83
castitatis pars optima quæ. 499
catholicorum falsorum omnium qualis vita, qualisque mors 400
catholicorum verorum vita ac mors quam felix 400
causa creationis rerum omnium quæ fuerit. 262
Cedro cur comparetur beata Maria . . 268
celebrandi festos dies consuetudo vetustissima quænam olim fuerit 601
celebrare eos male festum divi Martini, qui in profesto ejus atque festo student calicibus exhauriendis 600
Charitas beatæ Magdalenæ erga Christum unde perspici possit 438
charitas quum una sit virtus cur duplex dicatur 237
charitas erga proximum quomodo exercenda 8
charitas Jesu quanta 292
charitas quantæ sit efficaciæ virtus. . . 433
charitas quorumdam sanctorum quanta fuerit 594
charitas quid in nobis efficiat. 309
charitas sanctorum quanta sit in cœlo. . 597
charitas vera quomodo a falsa discernatur. 9
charitas vera ut nunquam possit esse otiosa 470
charitas uti moverit beatam Mariam ascendere montana 418
charitatem sua nativitate quantam ostenderit nobis Christus 71
charitati fraternæ quænam adversentur . 230
charitatis Christi commendatio 29
charitatis encomium quantum 229
charitatis veræ opus quod. 224
charitatis sinum aperit beata Maria universis . . . , ... 496
Cherubim quis ordo, quodque eorum officium 567
choreæ quam sint hoc tempore communes et impuræ ac obscenæ 511
christiani cur adeo desides sint ad communionem sacramenti 370
christianos redigi sub Turcorum jugum propter peccata eorum 535
christianus verus quis sit 30
Christo adveniente in limbo quænam contigerint 296
Christum a conceptu in Matris utero usque ad crucis mortem semper doluisse ac passum fuisse 157
Christum docere voluntatem suam per homines 185
Christum nos sequi dum sanctos ejus imitamur. 11
Christum nos sequi quomodo oporteat. . 338
Christum spoliasse limbum et purgatorium. 296
Christum sumere in sacramento quomodo ipsius sit mandatum. 368
Christus an plus dilexerit Joannem quam Petrum 89
Christus cur ex sua glorificatione exultare merito debeat 295
Christus cur in Ægyptum delatus fuerit . 102
Christus cur in mundum venerit. . . . 92
Christus cur Matrem suam fecerit dispensatricem super regnum misericordiæ . 215
Christus cur post resurrectionem suam comederit 299
Christus cur quadragesimo die a natali suo voluerit offerri in templo 211
Christus cur se nobis reliquerit in sacramento sub specie panis et vini. . . . 273
Christus cur sese vocet hominem in Evangelio 28
Christus cur suos electos sinat multifa-

riam hic affligi 306
Christus in qua ætate sua pati cœperit. . 102
Christus in quanta claritate et gloria Matri suæ apparuit 299
Christus quamdiu manserit in limbo . . 296
Christus quomodo nos dilexerit 223
Christus quomodo catholice et vere credatur esse in sacramento 373
Christus quomodo dicatur peregre profectus 28
Christus quomodo quibusque sit lux . . 347
Christus quomodo sedere dicitur a dextris Dei 332
Christus uti ab instanti conceptionis pati cœperit 253
Christus uti habitus fuerit pene ab omnibus filius David 39
Christus uti in membris suis patiatur . . 185
Christus uti nobis lux sit multis modis . 347
Christus uti nos instruat per homines . . 348
Christus uti passus sit in pueris pro eo neci datis 104
Christus uti seipsum redemerit 211
Christus uti sit via, veritas et vita . . . 316
Christus uti superbiam Adæ sua humilitate sanaverit 256
Cibum potumque converti in substantiam sumentis 373
cibus corporeus ut falso vocetur cibus hominis 367
cibus hominis quinam jure vocetur. . . 367
cicatrices vulnerum cur Christus servaverit 286
cingulum tradere Chananæo quid sit . . 428
circumspectio Joannis Baptistæ provida quomodo nobis luceat 384
circumcisio quid valuerit, cujusque rei fuerit figura. 379
circumcisio legis ut fuerit contra peccatum originale sicut in lege naturæ fides et sacrificia 47
cives regni Christi mystici quinam simus. 250
Claritas pastores circumfulgens qualis fuerit 69
Cœnobitæ quomodo cito purgentur a maculis culparum. 148
Cognitionem quam lucidam habuerit beata Maria de Deo et de seipsa 207
Colloquia Erasmi plus continere quam Lutheri quædam scripta impietatis. . 143
Colloquia et scripta Erasmi quantum damni attulerint monasticæ religioni . . . 143
comedere et bibere cum publicanis et peccatoribus cur Christus voluerit . . . 547
comites paupertatis quinam sint. . . . 448
communicandum cur sit frequentius Christi sacramento 371
communicare quid interpretetur. . . . 374
communicare rarius sacramento cujus rei sit indicium 370
communionis frequentioris damna quæ quis incurrat 371
communionis sacræ frequentioris fructus qui. 371
compassio beatæ Mariæ mixta cum gaudio. 214
compatiendum cur sit beatæ Mariæ puerperæ 67
compatiendum quatenus sit Christo ejusque Matri. 590
compendium doctrinæ christianæ quodnam sit. 554
Conceptionis Mariæ festum celebrandi ratio quænam sit. 46
concionatores qui cur parvum aut nullum referant fructum 376, 478
concordia beatæ Mariæ et Joseph quanta fuerit 418
concupiscentia carnis ex peccato originali. 47
concupiscentia insatiabilis ut faciat homines vere pauperes. 485
conditiones nativitatis Christi ad quid valeant 72
confessio divi Thomæ cur fuerit præ aliorum apostolorum confessione gloriosior. 56
confessio quid signet. 2
confessio triplex quæ 2
confessionem quantum desuadeant dæmones. 570
confessor ut sit Joannes Baptista . . . 386
confirmatio Angelorum quæ 564
confirmatos fuisse in gratia apostolos . . 551
confusio Mariæ Magdalenæ publica qualis. 430
congratulandum quantum sit patrum liberationi ex limbo 295
conscientias suas bonos et malos diversimode examinaturos in extremo judicio. 164
consilium sanctissimæ Trinitatis super salvatione generis humani quale 261
consolatio magna pœnitentibus quæ . . 441
consortia hominum quantopere fugienda sint. 380
consortia pravorum quantum noceant incautis 146

consuetudinem malam emendandi modus quis 362
contemnendum fore neminem 562
contemnendus quanto studio sit mundus. 551
contemptum mundi uti nos docuerit Christus cruci affixus 553
continentia in matrimonio quomodo servanda 234
contemplanda quænam sint in vulneribus Christi. 290
contemplatio beatæ Mariæ quam fuerit altissima 489
contritio vera quam sit præcellens donum Dei 198
contritio vera quantam habeat efficaciam. 198
conversatio Pueri Jesu cum Joseph qualis fuerit 101
conversio quibusnam difficilis sit . . . 197
conversio sancti Pauli quam utilis fuerit Ecclesiæ 194
conversio sancti Pauli ut fuerit potens, miraculosa ac divina. 194
conversio sancti Stephani quomodo contigerit 81
conversio vera cuinam necessaria sit . . 196
conversionis initium Mariæ Magdalenæ quale fuerit 429
conversionis veræ forma quæ sit. . . 185,546
convertenti se ad Deum quæ septem servanda 197
convertere se volens ad Deum quid facere debeat 197
convivia celebrandi qualis hodie mos servetur 601
convivia luxuriosa quanto studio cavenda 512
convivium Matthæus quale Christo exhibuerit 547
cor nostrum quomodo Deo tradendum sit. 72
coronam præmiumque quænam præcedere debent. 505
coronari neminem in cœlis nisi fuerit tribulatus in terris 178
corpori proprio quænam quisque debeat. 241
corpus et sanguis Christi quid in sumente digne efficiant 367
corpus quale Christus discipulis dederit. 374
corpus suum cur Christus post resurrectionem suam palpabile præbuerit . . 286
Cor suum cur Christus perfodi permiserit. 293
correptio fraterna quanti sit meriti. . . 510
correptio fraterna quomodo fieri debeat et per quos 510
correptionem delinquentis quandoque differendam certa ratione 55
correptiones libenter gratanterque esse suscipiendas. 348
correptionis fraternæ incitamenta quæ. . 510
Crapulosos homines suam abbreviare vitam. 602
Cratis philosophi opum contemptus quantus. 240
creationis beneficium quantam exigat gratitudinem. 372
creatura omnis uti merito subjiciatur beatæ Mariæ. 208
creaturæ omni cur Evangelium prædicandum. 329
creaturam nullam potuisse satisfacere pro omnibus hominibus. 263
creaturas omnes factas propter hominem. 262
credere in Christum quid 536
credere in Deum quid sit. 343
credere quænam quilibet christianus teneatur. 62
credere tantum non sufficere ad salutem. 469
crucem ferre quam sit necessarium salvando. 172
crucem suam quomodo quisque post Christum portare debeat. 6
crucem tollere quotidie quid sit. . . . 172
cruces cujusmodi ex quanto amore Deus mittat homini. 7
crucis mysterium uti vocetur arbor. . . 542
crucis sanctæ merito quosdam Angelorum confirmatos. 540
crudeles in pauperes cur peccent mortaliter. 484
crudelitas quorumdam in pauperes unde. 482
crudelitas judæorum in pios quosque quanta fuerit tempore Christi. . . . 77
crux quænam sint cuivis homini, quove per eam perducatur. 7
crux sua cuique quomodo ferenda. . . 109
crux ut sit gaudium commune hominum et Angelorum. 540
Culpam dimitti absque pœna peccatorum. 434
cupiditas quibus fomentis crescat. . . 230
curam animarum sollicitam quænam impediant. 577
curiositas quibus quantum imponat. . . 558
Cypresso cur comparetur beata Maria. . 268

D

Dæmon hostis quomodo superandus. . 94
dæmon quam sit deformis et turpis. . . 358

dæmones quomodo et cur in hominibus exstinguant charitatem. 230
dæmonia ejici quomodo mystice contingat. 330
dæmonia quomodo dicantur ex Magdalena ejecta. 435
David regem Evangelica fuisse perfectione insignem. 42
Debitorem se Deo agnoscere debet homo non solum pro commissis peccatis, sed etiam a quibus præservatus est. . . 443
decipi quosdam citius a dæmonibus eo quod pigri sint ad implorandum divinum auxilium. 584
delectatio divinæ fruitionis quanta sit. . 596
delectatio quæ sentitur comedendo, etc. quando sit bona vel mala. 240
denarius Deo solvendus quid signet mystice. 66
descensus Christi ad inferos quomodo, quandove acciderit. 295
descriptio facta in Christi nativitate mystice quid. 66
desertionis monasticæ vitæ quænam quibusdam occasionem præbuerint. . . . 146
desideria carnis quanto sint studio fugienda. 509
desideria etiam licita quando sint mortificanda. 83
desideriis vitiosis et superfluis renuntiare, quam sit Deo gratum. 36
desiderium patrum antiquorum pro Christi adventu quantum et quale fuerit. 71, 204
desolatio Jerusalem a Christo prædicta quando contigerit. 80
desponsata quare fuerit beata Maria viro. 246
detractio ut sit furto gravius peccatum. . 332
detractionem libenter audire quam sit periculosum. 331
detractionis species sex quænam sint. . . 332
detractores ut sint filii diaboli. 598
detractoribus quid fere semper proprium sit. 548
Deo quidnam debeamus. 1
devotio apostolorum Christum sequentium quanta. 4
devotio et gaudium beatæ Mariæ in Filii oblatione quanta 213
devotio Joannis Baptistæ ad Christum quanta fuerit. 385
devotio Simeonis ad Christum infantem quanta. 213
Deum multifariam malorum christianorum reprehendere vitam. 329
Deus cur subinde vocetur Deus Israel . . 382
Deus quænam in nobis coronet. 304
Deus quam fuerit mirabilis in conversione, vita et morte Barbaræ. 19
Deus quantum sese naturæ humanæ communicaverit in ejusdem assumptione. . 258
Deus quomodo prædestinat vocatos ad gloriam 52
Deus quomodo seipsum præbeat in afflictionibus 109
Diabolus quam fallaciter decipiat temporis promissione longioris. 323
Didymus cur fuerit vocatus sanctus Thomas apostolus. 54
dies quam fecit Dominus quæ sit. . . . 293
dignitas beatæ Mariæ quanta. 521
dilectione quali sanctus Joannes præ aliis sit amatus a Christo. 88
dilectione Christus quanta nos dignatus sit 373
dilectionis Dei erga nos argumentum quod. 52
dilectionis Dei et proximi pars optima quæ sit. 498
dilectionis differentia triplex quæ. . . . 89
dilectionis fraternæ incitamenta quæ. . . 228
dilectionis fraternæ indicia quæ. . . . 225
diligentibus Deum quomodo omnia cooperentur in bonum. 51
diligere eum plus cui plus remittitur, ut sit intelligendum. 437
diligere proximos vitiose multifariam. . 228
diligere sese quosdam perverse. . . . 9
dimitti plus agnoscenti et dolenti.. . . 443
Dionysii sancti cupido videndi beatam Mariam unde. 527
discere quænam debeamus in sanctorum celebritate. 554
discipuli quomodo olim omnes dicti fuerint christiani. 75
discipulos septuaginta duos cur Christus elegerit. 574
discumbere quidnam mystice sit. . . . 235
discussionem sui proficere volenti necessariam esse. 35
displicentiam sui status cur diabolus quibusdam infundat 361
divina ac spiritalia cur multis adeo desipiant. 539
divites aut pauperes cur Deus quosdam esse sinat. 485
divitiæ et deliciæ ubinam vere reperiantur 450
divitiæ veræ ut sint solæ virtutes. . . . 486

divitiæ ut sint dulce venenum. 138
divitiæ ut sint tentatio periculosa. . . . 486
divitias habere ac divitiis servire quid differant 486
divitias non esse nisi aliorum non propria bona. 483
divitias opulentorum necessitates esse pauperum. 485
divitiis posse laudabiliter uti. 141
divitiis quam impie hodie plurimi abutantur 588
divitiis quomodo utendum sit. 189
Docti quinam vere dicantur 399
doctiores quinam Sacram Scripturam lectitent ut sese venditent. 147
doctores veritatis cur quibusdam subtrahantur 576
dogmata hæreticorum quanto studio sint omnibus vere catholicis vitanda. . . . 399
dolores nostros quænam non sentire nos faciant. 53
Dominationibus quomodo nos conformemus. 567
Dominationum officium quod sit . . . 566
Dominationum proprietates quænam sint. 567
dominatum quomodo in quemquam diabolus accipiat. 533
Dominus quomodo miro modo fuerit cum beata Maria. 247
domum gloriosam efficientia sex quæ sint utque fuerint in beata Maria. . . . 521
domus Dei quo jure dicatur et sit beata Maria 520
domus Dei simul et nostr aut sit beata Maria. 521
domus diversæ a Deo constructæ. . . . 520
domus Jacob allegorice quæ sit. . . . 250
domus refugii et hospitium misericordiæ ut sit beata Maria. 522
dona Dei quam sint varia. 82
dona Dei uti proximis communicanda sint. 8
dona gratiæ et gloriæ Angelis collata quæ. 565
dormire quomodo dicantur mortui. . . 163
dormitio Mariæ cum Christo mystice quid. 416
dotes quasnam Christus glorificatus assumpsit. 298
Dubitare cur Christus permiserit apostolos de sua resurrectione. 328
dubitare cur Dominus permiserit divum Thomam. 54
duces cæci ut sint omnes hæretici. . . 355
dulcedo Dei quam omnem excedat in infinitum dulcedinem. 321

E

Ecce sponsus venit, quibus tristitiæ quibusve lætitiæ erit. 163
Ecclesia catholica quænam vere dicatur. 398
Ecclesia catholica quam pulchre navi comparetur.. 400
Ecclesia cur per novas hæreses turbetur. 529
Ecclesia quibus modis olim creverit. . . 175
Ecclesia quomodo sit super sanctum Petrum ædificata. 396
Ecclesiæ catholicæ institutor et rector ut sit Spiritus Sanctus. 531
Ecclesiam bifariam aliquem abjicere a se. 401
Ecclesiam judicare de Scripturis. . . . 468
Efficacia charitatis triplex quæ sit. . . 579
Egeno quod contuleris id non posse tibi perire. 483
Ejectus foras uti dicatur diabolus. . . . 533
Electis Dei nunquam deesse certamina quibus probentur. 151
electorum omnium Mater uti sit beata Maria. 415
electos Dei hic affligi ob causas diversas. 178
electos suos cur Deus in mundo affligi permittat. 153
eleemosyna quando sit merito digna. . . 242
eleemosyna quomodo sit eroganda . . 483
eleemosyna uti sit lavacrum animarum. 486
eleemosyna ut sit triplex. 484
eleemosynarios nunquam passos inopiam. 476
eleemosynarius cur Christus propter nos factus sit. 491
eligenda nobis cum beata Maria optima quæque virtutum. 498
Elisabeth quænam Spiritu Sancto doctore cognoverit. 422
Elisabeth quid interpretetur. 416
Elisabeth reginæ charitas erga pauperes quanta. 242
Elisabeth ut præteritorum, præsentium et futurorum scientiam fuerit consecuta. 422
Emmanuel cuinam soli conveniat. . . . 245
Episcopale munus unde sumptum sit. . 222
episcopos eligendi quis mos olim servari solitus. 33
episcopus factus sanctus Martinus quid egerit 604
Errata electorum uti Deus misericorditer corrigat. 381
errorum omnium in Scripturis quænam causa sit. 288
Esther quomodo signet beatam Mariam

Dei Matrem. 524
esuries sitisque justitiæ quænam exigat. . 591
Ethnicorum modestia christianos omnes merito revocari ad vitæ emendationem. 451
Evam figuram fuisse beatæ Mariæ Virginis. 49
Evam quantum excellat beata Maria. . 415
Evangelista ut sit Joannes Baptista. . . 386
Evangelium cur non recte doceatur a Luthero. 73
Evangelium cur sanctus Matthæus vocet librum generationis Jesu. 39
Exaltatione sui a terra quid Christus intelligat. 533
exaudire suos cur Deus quandoque differat. 305
excellentia beatæ Mariæ in singulis virtutibus, donis ac gratiis quanta. . . . 497
excepisse quomodo dicatur beata Maria Christum in domum suam. 500
excipere quomodo possit unusquisque Christum in domum suam. 500
excitare Angelos ad bona opera homines. 571
exempla viva quantam habeant energiam. 427
exercenda quomodo sint misericordiæ opera 494
exercitationes contra carnis voluptates in cœnobiis quo spectent. 145
exultaverit uti spiritus Mariæ in Deo salutari suo. 414
Ezechias rex propter quam causam fleverit. 44

F

Faciem Dei conspicere quid sit. . . . 320
facultatibus terrenis quomodo utendum. . 192
favus mellis quomodo dicatur Christus. . 287
Felices valde esse contemptores seculi. . 498
felicitas martyrum in cœlis quanta sit. . 598
felicitas pœnitentium quanta sit in cœlis. 597
felicitas quid sit 596
fervor Joannis Baptistæ ad Christum quantus. 385
fervor Joannis Baptistæ ad proximum quantus fuerit. 385
festa sanctæ Crucis cur celebret Ecclesia. 531
festa sanctorum celebrandi scopus quis fore debeat. 600
festa sanctorum quomodo et quam studiose reverenterque sint celebranda. . 579
festi dies cur instituti sint et colendi. 579,582
festis diebus bona amissa recuperari. . 580
festis diebus Missæ sacrum quomodo audiendum. 580
festivitates sanctorum cur ab Ecclesia celebrentur. 231
festum Angelorum cur institutum sit. . 563
festum omnium sanctorum ob quas rationes sub uno celebretur die. 583
Fidei constantia in sancto Petro quanta fuerit 395
fidei signum quodnam sufficiat. . . . 584
fideles omnes uti dicantur virgo et Dei sponsa. 161
fidelitas Dei erga homines quanta. . . 376
fidelitas vera quomodo probetur. . . . 506
fidem salutarem cujusmodi habuerit beatus Thomas.. 58
fidem sine operibus non prodesse, nec opera sine fide 469, 471
fidem suam quando palam confiteri teneatur quilibet christianus. 62
fides ad salutem necessaria quæ. 58, 320, 469
fides ardens, mortua, et informis quæ sit. 58
fides cujusnam civitatis sit fundamentum. 444
fides in pueris baptizatis quæ exigatur. . 344
fides pertingens ad charitatem quæ sit. . 61
fides quanti sit meriti 1,57
fides sine charitate quid monstri. . . . 224
fides vera quomodo probetur. 533
fides viva quæ sit. 58
fides zelans quæ sit. 59
fiducia ubi præcipue collocanda. . . . 473
figuræ crucis Christi mysterium quod. . 541
Filium hominis cur se Christus nominet. 393
Filius Dei quomodo dicitur unigenitus, et quomodo primogenitus 65,67
finis omnis nostri operis quo tendat . . 239
Flagellare Deum iniquos ut resipiscant. . 108
fletus stridorque dentium quomodo intelligatur. 18
Fecunditas virginum qualis sit. 266
feminei sexus ordinem triplicem uti gesserit illustraritque Maria. 414
fœnerator uti dicatur Deus. 432
fons olei circa sepulchrum sancti Nicolai quid designet. 34
fortitudo Angelorum quanta. 564
fructus Ecclesiæ ut sint apostoli. . . . 550
fructus quantus secutus sit martyrium Joannis Baptistæ 515
fructus ventris beatæ Mariæ ut fuerit multipliciter benedictus. 412
frui quodnam proprie sit, quoque solo fruendum. 596
Fuga Christi in Ægyptum pauperrima uti

fuerit. 102
functiones diversæ cur sint in Ecclesia. . 544
fundamenta Ecclesiæ ut sint apostoli. . 550
funiculis qualibus nos ad se traxerit Christus. 534
fur mystice uti quis fiat. 506
furorem suum in quosnam dæmones maxime diffundant. 569

G

Gabriel cur in Galilæam missus asseratur. 246
Galilæa quid interpretetur. 246
gaudendum quomodo sit in Paschali solemnitate. 294
gaudere quinam non debeant ob Christi resurrectionem 294
gaudia æternæ beatitudinis quanta. 320, 553
gaudium accidentale quod sit. 181
gaudium Christi quod 307
gaudium Domini intrare quid sit. . . . 31
gaudium essentiale quod sit. 181
gaudium quomodo sit Angelis de peccatorum pœnitentia. 571
gaudium Virginis Mariæ ex resurrectione Filii sui 297
gaudio quanto Dominus cœlos conscenderit 327
Generatio spiritualis quomodo fiat . . . 359
generationes beatæ Mariæ spiritualiter quæ sint 38
generationes duæ in Scriptura quæ. . . 78
gesta et verba Christi cur non sint omnia scripta. 213
gesta sanctorum crebrius lecta et recitata quantum habeant energiæ. 602
Gloria apostolorum in cœlis quanta sit . 599
gloria in cœlis quanta præstita beatæ Mariæ Virgini Deiparæ 489,599
gloriandi verus modus quis sit 161
gloriari non modo homines, sed et Angelos in cruce. 540
Gordius centurio martyr ardentissimus quis 154
Grano frumenti ut quilibet vere credentium comparetur. 477
gratia charitatis et contemplationis quanta abundarit in beata Magdalena . 438,439
gratia custodiaque divina quamdiu perseveret in homine. 384
gratia Dei duplex quæ sit. 357
gratia Dei quænam possimus. 470
gratia Dei ut sit lux animæ. 358
gratia gratis data, et gratum faciens quæ sit. 357
gratia gratis data ut sit multiplex. . . 358
gratia intercessionis quanta in beata Magdalena. 439
gratia plena quomodo Maria salutata sit ab Angelo. 247,268
gratia præveniens quæ sit. 361
gratia quam invenerit beata Maria apud Deum. 270
gratia quomodo amittatur. 359,360
gratia sensibili subtracta quid quisque agere debeat. 103
gratia Spiritus Sancti quanta in conversione sancti Pauli claruerit. 196
gratia ut animam bonam efficiat. . . . 359
gratia uti animam gratificet. 359
gratiæ bona quæ sint 499
gratiæ divinæ effectus decem qui sint . . 539
gratiæ plenitudinem trifariam fuisse beatæ Mariæ collatam. 268
gratiam quantam obtineant a Deo devoti Mariæ cultores 498
gratiam suam uti Deus nulli deneget . . 360
gratiarum actionem pecudes docere homines suo facto 580
gratiarum quantam actionem tenentur Deo christiani pro vocatione ad fidem . 329
gratias omnium creaturarum habuisse beatam Mariam 269
gratis justificari nos quomodo rite intelligendum 432
gratis quonam modo omnia a Deo habeamus 470
gratitudinem quantam Deo debeamus pro sua incarnatione 257
gratitudo quando exigatur. 381
gratum Deo nihil esse absque charitate . 548

H

Hædwigis reginæ humilitas quanta. . . 242
hæreditas Deum amantium quæ sit . . 38
hæreses oriri ex absentia vel negligentia pastorum. 397
hæresum causa omnium quænam sit . . 395
hæreticorum impudens temeritas . . . 473
hæreticos docere contra propriam conscientiam. 330
hæreticos non intrare per ostium in Ecclesiam 353
hæreticos obstinatos quam consulto et merito exterminet Ecclesia 560

hæreticos porcorum mores habere . . . 251
hæreticos semper quærere latibula ubi sua spargant impietatis semina . . . 327
hæreticum quænam quem efficiant . . . 468
Henrici Susonis vita quam virtutibus fuerit eximia 337
Henricus Suso quam fuerit sitientissimus amator nominis Jesu 249
Herodes crudelis in innocentes quomodo occisus sit 105
Herodes cur principes et primos Galilææ invitet ad convivium 511
Herodes qui divum Jacobum occidit, quis fuerit 391
Hierarchiæ Angelorum tres quæ sint . . 565
Hoc, pronomen, quid signet in consecratione sacramenti 373
homines bifariam attrahi sive ad bonum, sive ad malum 196
homines qui neque ardeant, neque luceant 382
homines seculo dediti, quomodo hodie dies festos celebrent. 600
hominis Filius cur vocetur Christus. . . 76
hominum genera quatuor quæ sint. . . 382
homo an creari debuerit 262
homo quare sit creatus 262
homo quomodo definiatur a sapientibus . 552
homo quonam tendat 553
homo ubinam habitet, et unde venerit . 552
honestas beatæ Mariæ quanta fuerit. . . 524
honorandam ac diligendam a nobis esse beatam Mariam 497
honorandi sanctos Dei modus duplex . . 578
honorando sanctos nihil Deo nos laudis auferre 578
honorari ac invocari merito beatam Mariam ab Ecclesia 497
honorari cur se permiserint sancti quidam. 506
honore quanto Deus affecerit femineum sexum per incarnationem ex Virgine . 169
honores quonam animo apostoli duo affectarint. 445
horam mortis cur Dominus nobis voluerit fore incognitam 236
horrere quidnam super omnia debeat vere christianus 231
hostes animæ capitales quinam sint . . 93
hostiam quam præcellentem obtulerit beata Maria in templo in die purificationis suæ 214
Humanitas Christi quantum gaudium præstet beatis in cœlo 599
humiliandi se modus verus quis. . . . 559
humiliatio quam sit necessaria ei qui cupit humilitatem. 606
humilis quomodo sese habere debeat . . 607
humilis revera qualem se faciat 608
humilis vere quomodo dicatur beatus . . 588
humilitas beatæ Mariæ quanta fuerit . . 267
humilitas beatæ Mariæ quanta in Annuntiatione clarescat 252
humilitas Christi in sua Præsentatione quanta fuerit 212
humilitas Christi quanta 290
humilitas divi Augustini quanta fuerit . . 506
humilitas cognitionis, exhibitionis, et gratitudinis quæ sit. 588
humilitas in Purificatione beatæ Mariæ quanta fuerit 212
humilitas Joannis Baptistæ quanta fuerit. 385,386
humilitas quænam Deum facilius reconciliet. 197
humilitas quam sit omnibus necessaria . 588
humilitas quid sit 208
humilitas simplex quanti meriti sit apud Deum 111
humilitas vera ut homini sua bona semper abscondat, mala autem ob oculos ponat. 110
humilitas ut moverit Mariam ad montana conscendere 419
humilitas ut sit via rectissima ad veram charitatem 607
humilitatem et obedientiam solam viam esse ad regnum cœlorum 210
humilitati obtinendæ quænam necessaria sint. 110
humilitati proprium quidnam sit . . . 270
humilitatis indicia quæ sint 654
humilitatis pars optima quæ sit. . . . 498
humilitatis veræ inductiva quæ 208
Hypostasis una ut semper fuerit in Christo 296

I

Ignis tribulationum uti excoquat animas fideles. 109
ignorantia ex peccato originali cujusmodi. 48
Imago Dei ut perfectior sit in homine quam in Angelo 564
imitanda quænam tria reperiantur in apostolis 551
imitanda quæ nobis reliquerit Mater Do-

mini in visitando cognatam suam . . 410
imitatio Christi triplex quæ sit 6
impassibilitatem uti induerit Christus. . 298
impatientia quanta mala afferat secum . 156
impatientiæ morbus quomodo curetur. . 158
impudentia quorumdam in sacratis templis quanta 585
Incarnatio Christi cur adscribatur Spiritui Sancto 271
incarnatio Christi quam sit abditissimum secretum 252
incarnatio Christi quo tempore facta sit . 266
incarnatio cur potius conveniebat Filio quam personæ alteri. 263
incarnatio Dei cur dilata fuerit 264
incarnationis Christi mysterium quam mirabiliter peractum sit 253
incarnationis Christi necessitas quomodo probetur 256
incedendi in monasteriis cautius ratio quæ 147
indigne communicantis vita quam sit deflenda 366
indignus quisnam dicatur communicaturus 365
infantia Christi quam perfecte nos doceat quæ facienda 106
infantium proprietates quædam, quænam sint 558
infernus ubinam sit 552
ingredi caute quænam faciant cœnobitam. 147
inimici quantum nobis prosint 224
inimicus quomodo diligendus sit ore, opere ac beneficio 85
innocentes martyres quomodo imitandi sint 109
inobedientia protoparentum quam fuerit gravissima 256
inservisse quam officiosissime beatam Virginem Filio suo 501
inspirationem divinam quinam recipiant . 347
instrumenta apta quæ requirantur in conversione 333
integritas virtutum quanta fuerit in sancto Martino 603
intemperantia edendi et bibendi quænam mala afferat. 601
intentio animi ut in Deum unico dirigenda in cunctis sit actionibus 494
intentionis rectæ quæ bona sint. 581
interrogatio pro divitibus ad infantulum Jesum et responsio Jesu ad ipsos . . 68
intrare per ostium in ovile ovium quid sit. 353
invidiæ proprium quid 378
invidiam esse vitium plane diabolicum . 378
ira quænam mala secum afferat . . . 589
ira quænam necessaria sit contra vitia . 589
ire in pace quid sit 434
Isaac et Jacob cur repromissionis vocentur filii 40

J

Jacob quomodo fuerit sacerdos ante legem. 40
Jacobus sanctus cur occisus fuerit ab Herode 391
Jechoniam fuisse multinominum . . . 44
Jeremias quo tempore orsus sit prophetare 44
Jerusalem quid sonet 215
Jesus cur dictus sit magnus 250
Joachim sancti mors quam sancta fuerit. 460
Joannem Baptistam natum ex sterilibus parentibus totum fuisse divinæ gratiæ munus. 378
Joannem Baptistam ad salutationem beatæ Mariæ repletum Spiritu Sancto . . . 411
Joannem Evangelistam corpore et anima esse glorificatum 91
Joannem quomodo Christus manere voluerit opinio diversorum varia . . . 90
Joannes Baptista cur hominum turbas fugerit 379
Joannes Baptista quando et ubi officium suum inchoaverit 420
Joannes Baptista quomodo fuerit datus in lucem gentibus. 376
Joannes quando suum scripserit Evangelium 91
Joannes quid sonet 379
Joannis Baptistæ præconia quam sint præstantia. 377
Joannis Rusbrochii perfectio quanta . . 607
Joannis scribentis Evangelium cura quænam fuerit 92
Joseph Christi nutritii excellentia quanta fuerit 100
Joseph cur afflixerit fratres suos in Ægypto 180
Juda quid interpretetur. 410
Judas et Simon apostoli quibusnam Evangelium Christi prædicaverint gentibus. 574
Judæi cur dicti sint serpentes 187
Judas quomodo fuerit diabolus vocatus . 53
judicare alios leviter quam sit periculosum et impium 432

judices in extremo judicio uti erunt in quadruplici differentia 140
judicii extremi horror quantus erit. . . 164
judicium extremum per quosnam futurum sit 191
judicium temerarium duplex tulisse Simonem pharisæum de beata Maria Magdalena 432
jurandi consuetudo impia quam hodie inoleverit 512
jurare verum quando non liceat. . . . 512
jurasse Herodem ex industria 512
jurationem divino præcepto prohibitam . 513
justificari hominem sine operibus ut intelligendum 471
justificari neminem posse nisi volentem . 349
justitia originalis primo homini data, quam præclarum fuerit donum 46
justitia vera per quæ probetur 549
justitia vera quæ sit. 237,240
justitiam esurire et sitire quid sit . . . 591
justus quis dicatur 216

L

Laborandum quantum sit pro reformatione exterioris interiorisque hominis . . 338
Laboribus parcendum nullis ac molestiis pro bonis æternis 337
lampades mystice quid insinuent . . . 163
lapsus protoparentum quomodo acciderit. 243
laudandam quantum censerit crucem Joannes Chrysostomus 541
laudare digne neminem posse Mariam Matrem Dei. 523
laudes et invocationes quomodo Dei Matri tribuat Ecclesia 497
laudes sanctæ Crucis quænam sint. . . 540
laus hominum quanto studio sit fugienda. 248
lautius paulo quomodo vescendum diebus solemnibus 294
Lazari nomen cur Evangelium exprimat et epulonis tacet 178
Legatio Dei ad beatam Mariam per Angelum qualis 265
legis novæ præcepta quantum præstent antiquæ 586
Levi filii qui mystice sint 201
Liberius vivendo in mundo quæ mala contrahantur. 148
libros scribere quidnam sanctos Dei impulerit 517
linguis novis quinam mystice loquantur . 331
littus maris ut signet finem mundi . . . 1
Loca altiora cur anima amans petat . . 41
locutio Angelorum cujusmodi sit . . . 56
Lucere sed non ardere qui dicantur. . . 38
luci ut comparetur Virgo Maria 52
luctum sanctum quænam efficiant . . . 59
lumbos præcingere quid sit 234
Lumen verum quomodo sit Dominus Jesus. 205
lupis rapacissimis quibusnam hodie mundus plenus sit 577
Lutherani cur jejunia castigationesque carnis rideant 36
Lutherani evangelici quænam alios doceant 191
Lutheranorum communio qualis, et quam execranda sub utraque specie . . . 367
Lutheranorum in sanctos impietas quanta 97
Lutheranorum merces post hanc vitam qualis. 192
Lutheri fides quo spectet 533
Lutheri rebellio in prælatos Ecclesiæ quanta 210
luxuriam quænam mala sequantur . . 452
luxuria quænam mala gignat 452
lux ut sit duplex. 346

M

Magdalena an fuerit meretrix publica . . 435
Magdalena num corpore virgo fuit . . . 435
Magdalenam ut Christus ad se trahere cœperit 435
magnus ut fuerit Joannes in sua conceptione et nativitate 387
magnus ut sit Joannes in gloria. . . . 389
mala quænam homini ex originali evenerint peccato. 47
mali quomodo se diligant. 238
malos hic impune delinquere quantæ sit damnationis futuræ indicium 381
malum nunquam appeti nisi sub specie boni alicujus. 595
Mamertinus sanctus contemptor rerum pereuntium quantus fuerit. 242
manere in Christo quisnam vere dicatur, et Christus in eo. 304,368
manibus et pedibus uti multifariam graviterque peccetur. 561
mansuetudinis quantæ fuerit David erga suos inimicos. 42
mansuetudo duplex quæ sit 589

manus mystice quid signet 290
manuum impositio quid insinuet. . . . 352
mare uti significet præsens seculum. . . 17
margaritam pretiosam signare æternam beatitudinem. 17
Maria cur dicatur desponsata post emissum votum virginitatis. 246
Maria Magdalena cur Christum tangere prohibita sit. 57
Maria Mater Christi uti magistra, dux sit ac speculum omnium virginum. . . 169
Maria quam recte comparetur viti. . . 36
Maria quomodo contriverit caput infernalis serpentis. 244
Maria quomodo intelligatur esse mater pulchræ dilectionis. 38
Maria Salomæ quæ fuerit. 460
Maria ubinam acceperit angelicam salutationem. 247
Maria Virgo ut simul et activæ et contemplativæ vitæ de se præbuerit exemplar. 410
Maria uti omnibus omnia facta sit. . . 526
Maria uti partem optimam elegerit. . . 495
Maria uti sit esca desperatis hominibus. . 214
Maria ut sit refugium tutum omnium peccatorum. 214
Maria ut suis contritionem obtineat peccatorum et tentatis subveniat. . . . 423
Mariæ Dei genitricis potestas quanta . . 259
Mariæ Matris Dei fidelitas erga sibi devotos quanta. 260
Mariæ nominis virtus quanta sit. . . . 247
Mariæ Virginis creatio quam fuerit purissima. 264
Mariam sine peccato originali conceptam, nec ad momentum quidem eidem subjacuisse. 48,49
Mariam fuisse sine væ multiplici. . . . 268
Mariam Matrem suam quibus privilegiis singularibus Deus honoraverit. . . . 49
Mariam novo nomine ab Angelo salutatam. 268
Mariam parientem et se purificantem exceptam fuisse de lege Moysi. 213
Mariam probari filiam David. 45
Mariam subvenire omnibus se invocantibus. 525
Mariam Virginem ab originali peccato præservari, quam bene congruerit. . . . 49
Maria quænam beneficia exhibeat fidelibus. 247
Martham et Mariam sorores, duas expressis e vitas. 491
Martini Lutheri vita, mores fructusque quos sua impietate effecit. 560
Martini sancti liberalitas quanta. . . . 241
martyres Christi unde hauserint suam invictam tolerantiam in pœnis. 159
Martyres sancti ut vitam maluerint amittere quam peccato consentire. . . . 170
martyres ut mystice vocentur Jacob et Israel. 170
martyribus sanctis cœlum aperiri . . . 83
martyrio comparari statum monasticum. 83
martyrium divi Joannis Evangelistæ quale. 556
martyrum memoria quomodo olim fiebat. 23
martyrum sanctorum certamina et triumphi cur nobis ob oculos constituantur. 150
martyr ut sit Joannes Baptista 386
Matrem Dei quinam venerari detrectent. . 413
Matrem qualem sibi Christus præpararit. 259
Matthæus quibus suum Evangelium scripserit. 45
Mathiæ apostoli martyrium quale fuerit. 231
Mathiæ apostoli progenies et propago quæ. 231
Mathiæ apostoli perfectio et zelatio pro animarum salute quantæ 231
Mathiam apostolum fuisse Christi discipulum. 222
Mediatrix nostra ut sit Mater Dei. . . . 503
medicum Christum qui cur semper repulerint. 545
memorias sui instituendas quonam modo sancti optaverint. 24
mendicos perpetuos quomodo nos ante Deum exhibeamus. 35
mercedem operibus bonis solis deberi. . 330
mercenariorum servorum Christi quantus hodie sit numerus. 190
merces iniquitatis quæ fuerit. 222
merces relinquentium omnia terrena Christi amore quanta erit. 139
merita sanctorum quomodo nobis applicemus. 578
meritum unius applicari alteri. 182
Michaelis Archangeli præconium, quomodoque sit a nobis ejus implorandum suffragium. 568
miles Christi quomodo militare debeat. . 481
miles strenuus quo pacto quis fiat. . . 28
mirabilia quatuor facta esse in incarnatione Christi. 272
miracula ad quid in primitiva Ecclesia valuerint 318
miracula externa quando quibusque fuerint necessaria. 330
miracula ut etiam malis sint communia. 318

miser vere quis dicatur. 453
miserationis exempla parentes quomodo prolibus relinquant. 483
misericordiæ beatitudo quænam requirat. 592
misericordiam Dei quis desideret et quis non. 80
misericordiam priorem uti Maria superarit posteriore. 417
misericors adeo cur sit beata Maria in miseros peccatores. 525
mititas, quatenus beatitudo, quæ sit. . . 589
mititas quomodo acquiratur. 589
Modestia Pithagoræ quanta 450
modus redemptionis hominum quis fuerit. 372
monachi veri uti mortem confidenter excipiant. 148
monasticam vitam olim necessario per miracula nutritam. 34
monasticum institutum quam persequatur diabolus per se et per suos 142
mori bene quisnam dicatur. 197
moriendum quibusnam sit dum vivimus. 236
morte Mariæ appropinquante quæ evenerint. 503
mortem Christi annuntiare quid sit. . . 365
mortem quænam faciant homini terribilem. 148
mortiferum quid quinam mystice bibant. 331
mortificanda quænam in nobis potissimum sint. 141
mortificationem vitiorum duo quænam promoveant. 478
mortificatio perfecta in quo consistat. . . 554
mortificatio quanta fuerit in sanctis apostolis 553
mori sibiipsi quomodo anima discat. . . 480
mors amatorum seculi quam sit luctuosa. 498
mors et corruptio hominis unde. 48
mors cur illata sit post peccatum. . . . 255
mors sancti Simeonis qualis. 214
mortaliter peccans quomodo sit damnationi æternæ obnoxius 539
mortua quomodo fuerit beata Anna. . . 461
mortui vitiis quantum fructum sibi faciant. 478
mos amantium quis. 517
Mulieribus cunctis in Scriptura laudatis quomodo Maria sit præstantior. . . . 415
munditia cordis quanta etiam in illitteratis efficiat. 592
munditia Mariæ Virginis quanta. . . . 521
mundum contemnendi ac fugiendi ratio quæ. 153
mundum sumi trifarium. 342
mundus quænam male doceat contra veram Christi institutionem. 106
mundus totus cur sit in errore constitutus. 212

N

Nasci cur Christus voluerit ex semine David. 247
nasci in vili stabulo cur Christus voluerit. 71
nativitas Beatæ Mariæ ut Patribus in lymbo fuerit revelata. 527
nativitas beatæ Mariæ ut fuerit Angelis gaudio, et sit etiamnum omnibus hominibus 527
nativitas Christi quæ bona nobis attulerit. 70
nativitas Christi quibus fuerit gaudio. . 73
nativitas Christi triplex quæ sit. . . . 63
nativitas sanctorum vera censenda quæ sit. 81
natura Dei quæ sit 80
natura hominis corrupta quibusnam malis subjaceat. 298
naturæ bona quæ sint. 499
negotiator quisnam dicatur mystice . . 16
neminem posse vivere sine omni peccato, quomodo intelligendum. 117
nepotuli divæ Annæ qui fuerint. . . . 458
Nicolai sancti abstinentia et misericordia quomodo sit imitanda 36
Nicolaum sanctum apud quos Deus magnificaverit. 27
Nicolaus sanctus absens quonam modo præsens sentiebatur 34
Nobilis moribus quam fuerit sancta Anna. 457
nobilitantia feminam quæ sint 521
nobilitas beatæ Mariæ quanta fuerit. 264, 521
nocte nasci cur Christus voluerit. . . . 72
nomen beatæ Mariæ ut dæmones exturbet. 424
nomen Jesu cur oleo comparetur . . . 250
nomen patris unigenitis imponi consuetum ut fuerit judæis. 379
nomen Virginis Mariæ quis apostolorum primus invocaverit ac per illud miracula fecerit. 574
nomina quando infantibus imponi consuetum. 379
nominis Jesu virtus et dignitas quanta. 249, 250
numerositas Angelorum ut sit incomprehensibilis, et secundum quosdam quanta. 561

numerus centenarius mystice quid signet 99
numerus duodenarius ut sit mysticus et totus sacratus. 585
numerus millenarius quid signet mystice. 99
nuptiæ seculares quantis sint miseriis innexæ. 220
nuptiæ secundæ et tertiæ sanctæ Annæ quam fuerint honestæ. 460
nuptiæ virginum quæ, quam sint felices . 220

O

Obambulantes per ædes sacras sub sacris concionibus quam sint reprehensibiles . 492
obdormiendum in Domino quomodo sit mystice 85
obediendum quibusnam necessario sit ex Dei præcepto 468
obediendum uti sit malis etiam prælatis . 210
obedientia apostolorum quanta fuerit. . 551
obedientia beatæ Mariæ quanta fuerit. . 208
obedientia Christi quanta fuerit. . 207, 292
obedientia fidei sancti Thomæ qualis fuerit. 58
obedientia Lutheranorum qualis. . . . 210
obedientia quibus et quando præstanda. 104
obedientia sancti Andreæ et sociorum ejus velox ut fuerit. 5
obedientia sancti Thomæ quam fuerit magna. 59
obedientiæ exemplum quale Christus et ejus Mater nobis reliquerint in purificatione. 213
obedientiæ pars optima quæ sit. . . . 499
obedientiæ perfectæ forma ubi discatur . 104
obedientiam nasci ex humilitate. . . . 210
obedientiam quibusnam debeamus. . . 210
objurgatio per superiores quomodo fieri debeat, et quot modis. 510
oblivisci quorumnam Deus dicatur. . . 375
obstinatum in malo hominem num Angelus bonus penitus deserat. 570
obviare sponso quid mystice 163
Oculus male custoditus quanta mala animæ inferat. 562
Odiat quisnam probe animam suam. . . 479
odii Lutheri contra Papam origo quæ fuerit. 73
odiosum quidnam Deo super omnia sit . 452
Officia pietatis quænam Christo in suis membris exhibeantur. 492
officium Angelorum quod. 565
Oleo quid mystice significetur. 163
Opera bona approbari a Christo. . . . 191
opera bona quam sint ad salutem necessaria. 330
opera nostra per manus beatæ Mariæ Deo offerenda. 526
opera quænam indifferentia sint, et quæ nullo pacto possint bona fieri intentione 239
operibus quibus præmium reddatur. . . 472
opes augere quam sit periculosum. . . 192
optimus omnium ut sit verus humilis. . 607
opus aliquod ut sit bonum duo necessario concurrere. 162,440
opus clericorum et monachorum quodnam fore debeat. 493
opus indifferens quomodo Deo acceptum fiat. 240
Oracula prophetarum quo spectarint. . 264
orandi modus duplex quis sit. 580
orare Angelos bonos pro sibi commissis hominibus. 571
orare sanctos pro nobis. 352
oratio beatæ Mariæ ad Deum pro incarnatione Filii Dei. 267
oratio hominum mutua quid valeat. . . 22
oratio sancti Stephani quo spectet. . . 84
oratio Simeonis ad Christum infantem. . 213
ordines Angelorum uti cum Thronis conjungantur. 567
ordines qui et quot sint Angelorum. . . 565
ornamenta virginum quænam sint. . . 219
Ostiarius quomodo dicatur Spiritus Sanctus. 354
ostium bis cur se Christus appellet. . . 356
Oves quæ quorum non audiant vocem. . 356
oves suas quomodo vocet Christus nominatim. 354
ovium Christi studia ut sint diversa. . . 356
ovium proprietates quæ quibusnam necessariæ 576

P

Pace vera uti nihil dulcius vel præstantius in vita haberi possit. 401
pacem pectori quænam præstent . . . 215
pacem veram quænam impediant. . . 205
pacifici qui dicantur triplici ratione. . . 592
pacis tempore cur Christus nasci voluerit. 66
pacis veræ fructus qui sint. 401
palatium quo pacto ædificaverit beatus Thomas Indorum regi. 59

parabolis quidnam potissimum et proprium sit. 165
parentes uti cooperentur ad custodiam virginitatis in suis prolibus. . . . 169
partem optimam uti elegerit beata Maria Mater Christi. 495, 496
parturire quid proprie signet. 67
Paschæ solemnitas uti sit omnium celeberrima. 294
pascua ubinam fideles revera inveniant. . 356
passionem Domini memorandam ante Eucharistiæ sacræ communionem . . . 365
pastor ovium quando quis rite dicatur. . 354
pastores suos ut fideles in reverentia habeant. 391
Pater vivens quomodo Deus Pater dicatur. 369
pati quare oportuit Christum. 277
patiens quam fuerit sancta Anna in sterilitate 458
patientia quid sit, et quid ei proprium. . 155
patrini quomodo spirituales filios suos instituere debeant. 62
Paulini episcopi charitas quanta. . . . 241
pauperes spiritu qui sint. 70
paupertas beatæ Mariæ et Joseph quanta. 67
paupertas voluntaria quam sit res laudatissima. 140
paupertatem cur adeo Christus delegerit aliisque consuluerit 189
paupertatis nobilitas quanta sit. . . . 70
pax cum tribus quomodo servanda sit. . 70
pax vera quænam sit, quomodoque obtineatur. 552
Peccantem dæmonibus assimilari. . . . 539
peccata cur vocentur tenebræ. 345
peccata omnia posse vitari per divinum auxilium. 349
peccata parentum quomodo dicantur super filios venire. 78
peccata quamlibet levia quanto luctu olim deplanxerint sancti. 33
peccata quomodo fiant graviora. . . . 78
peccata ut beatæ Magdalenæ profuerint . 436
peccati captivitas quam sit miserrima . 349
peccati effectus et monstra qualia . . . 537
peccato cuique peculiare quidnam sit . . 533
peccatores cur sint gloria beatæ Mariæ. . 215
peccatores quosnam Christus ad se vocare venerat 549
peccatorum multiplicationis hocce nostro seculo causæ præcipuæ quæ sint. . . 95
peccatrix cur dicta fuerit Maria Magdalena 429
peccatum Adæ quotuplex et quam enorme fuerit 255
peccatum originale quid sit, quæ includat, et quomodo remittatur in baptismo. 46,47
peccatum protoparentum quam graviter punitum fuerit 255
peccatum unde ortum habeat. 359
peccaverit cur Lamech gravius quam Cain. 78
pedes mystice quid signent. 290
perdi animam bifariam. 480
peregrinorum conditiones et mores qui . 279
perfectio Angelorum quanta 565
perfectiones Dei uti sint omnimodis infinitæ 322
perfectioni acquirendæ quæ duo necessaria sint. 35
periculis quantis expositi sint amatores mundi. 553
persecutio impiorum quomodo fuerit sanctis in testimonium 155
persecutionem pios quosque hodie pati ab impiis. 155
persecutores Dei amicorum quinam sint . 516
petere in nomine Salvatoris quid sit . . 227
petere quænam debeamus a Deo . . . 581
petitioni aliorum quomodo non præcipitanter nimis annuendum sit 446
Petri apostoli auctoritas et dignitas quanta. 392
Petri apostoli frugalitas et paupertas quanta 402
Petro apostolo cur Christus nomen mutaverit. 396
Petro tantum cur dixerit Christus : Sequere me. 88
Petrum apostolum cur Christus se negare permiserit 402
Petrus quomodo a Christo vocatus sit petra 398
Petrus constitutus est in pastorem universali Ecclesiæ. 88
Petrus ut instar magistri sui sit crucifixus. 88
Pharisæorum in Christum insidiæ et doli inexplebiles fuisse. 429
philosophi quidam quare temporalia sua reliquerint 140
philosophorum quorumdam studium in vitiis edomandis quantum. 478
philosophorum studia pro virtutibus quo spectaverint. 240
Pietas erga parentes pauperes et proles uti exhibenda sit 140
pietas ut moverit beatam Mariam ad visitandam cognatam suam. 419

pietatis opera quomodo exercenda . . . 242
piscatores cur Christus fecerit prædicatores. 4
piscatores ut sint prædicatores veritatis. 17
piscis assus quomodo significet Christum gloriosum. 287
Placendi Deo desiderium quam sit Deo acceptum. 238
placere Deo nihil absque charitate . . . 579
placere proximo quando debeamus . . 238
placere quomodo possumus Deo. . . . 238
placere velle hominibus quem fructum pariat. 391
Pœna damnatorum quænam omnium sit gravissima 313
pœnam quamvis et dolorem ex superbia nasci 607
pœnitendi modus beatæ Mariæ Magdalenæ quam fuerit mirabilis. 430
pœnitentia apud damnatos qualis erit . . 313
pœnitentia beati Joannis Baptistæ quam austera fuit 384
pœnitentia perfecta quæ sit 83
pœnitentiæ fructus qui sint. 83
pœnitentiæ perfectæ forma qualisnam esse debeat. 430
pœnitentiam agendam docetAngelusbonus. 570
pœnitentiam agendi olim modus quis fuerit, et publicam quando quis agere debeat. 431
pœnitentibus cœlum aperiri 82
pœnitentibus quam bonus sit Deus . . . 440
pœnitere differentes quanto periculo se exponant. 165
pœnitere paucos perfecte 436
Pontificis summi audiendam sententiam . 468
potentia et dulcedo apostolorum quanta. 403
portæ inferorum quænam intelligantur. . 393
portæ tribulationum quænam dicantur. . 13
potestatum officium quod 566
Præcellentia beatæ Mariæ Virginis quanta. 265
præcepta Christi quænam comprehendant. 306
præcepta Dei quo scopo servanda . . . 358
præceptum dilectionis fraternæ quomodo intelligendum 228
prædestinatio, et præscientia quid sit . . 52
prædicationis apostolorum ratio mystica quæ. 332
prælati quænam suis subditis debeant . 241
prælati quo referre debeant honorem sibi exhibitum. 506
prælatis nostris quænam debeamus. . . 240
prælatorum indignitas quanta sit patientia ferenda 241
prælatos malos ob subditorum nequitias a Deo permitti 575
præparatio ad sacram communionem omnium optima quæ sit. 374
præsentatio Christi in templo quas virtutes nos doceat 212
præservari a peccato quantum sit donum Dei. 414
præsumendum non esse de divina gratia. 384
præco verbi Dei quid spectare potissimum debeat. 578
præmium Angelorum uti et qualiter crescat. 572
præmium duplex dari pro opere bono. . 181
præmium quam magnificum recipit vere religiosus post mortem 149
preces quomodo mutuo pro se fundant homines quantæque eædem efficaciæ sint. 230
primitias mysticas quas debeant offerre christiani diebus festis 581
princeps hujus mundi cur dictus sit diabolus 532
princeps malorum hominum ut vocetur diabolus 532
principes ut sint apostoli 550
principum et prælatorum decor et ornatus verus quis sit. 566
professio religiosorum quam apte secundus vocetur baptismus. 83
proles ad virginitatis custodiam uti sint a parentibus juvandæ 169
propensio duplex ut sit in homine. . . 499
prophetæ in novo Testamento qui fuerint. 77
prophetia et concio ac canticum Simeonis. 213, 214
propositum Dei in salvatione hominum quomodo intelligendum. 51
prosperitas mundi quidnam sit 106
prosperitates temporales cur Deus aliquibus subtrahat 179
proximo quænam debeamus 238
proximus noster ut sit triplex 240
prudentia beatæ Mariæ quanta fuerit . . 251
Publicani quinam dicebantur olim. . . 545
pueri quomodo instituendi sint. . . . 602
pueritia sancti Martini quam fuerit admirabilis. 602
pugillaris quid. 380
pulchritudo Angelorum quæ. 564
purificandis quænam lex præscripserit . 211
puritas beatæ Mariæ quanta fuerit. . 264, 489

puritas Christi quomodo imitanda . . . 293
puritas conscientiæ divi Augustini quanta fuerit 507

Q

Quadragenarius numerus mystice quid signet 99
quam periculosissime hodie vivatur . . 174
querelas Marthæ fuisse pias 493
quietem veram in mundo non posse inveniri. 148
quietis in cœnobiis causæ quæ sint. . . 147
quinque quæ consideranda sunt in mundi contemptione 551

R

Radices vitiorum omnium quæ sint. . . 93
radix uti sit sancta Anna. 460
Rahab non fuisse meretricem. 41
ratio celebrandi festum de S. cruce quæ. 540
rationem quando ponat Deus cum servis suis. 31
rationes mysticæ eorum quæ Christus ascensurus fecit 332
Recipi Christum vere in membris suis. . 559
reconciliari quomodo homo Deo potuerit. 262
referenda quomodo sint omnia in Deum. 238
refugii civitas cur dicatur beatæ Maria. . 522
reges quinam soli jure vocentur. . . . 557
regina Angelorum et hominum uti jure dicatur beata Maria 489
regna cœlorum cur pauperibus promittantur 588
reginam esse misericordiæ et pietatis matrem cur proprium sit beatæ Mariæ. . 525
regnum cœlorum significare Ecclesiam militantem 16
regnum cœlorum uti duplici jure Christus sibi vindicat. 593
religio cœnobitica cur hodie tot habeat osores. 143
religiosorum paupertas voluntaria quæ sit. 83
religiosos prædicari a Domino Jesu beatos. 587
relinquenda quomodo nobis sint omnia. 141
reliquiæ malæ quænam remanserint ex originali peccato 48
remedium stabile contra chorizandi libidinem. 512
remissionem peccatorum pendere ex charitate 433
renuntiandum quomodo sit omnibus rebus mundi 547
reprehensibile quid cur Christus in apostolis hærere permiserit. 557
rerum temporalium administratio ut necessario animum laceret 494
resistere quomodo possit anima voluptatibus pravis 480
resurgendi modum quem Christus servarit 296
resurrectio nostra cur non fiat die tertia, sicut Christi. 297
resurrectionem suam quibus argumentis Christus veram probaverit. 274
resurrectione sua quænam mala Christus deposuerit. 298
revelationes quando potissimum fieri soleant 100
reverentia quanta suscipienda sit Filii Dei incarnatio 254
Rogare in nomine Jesu quid sit. . . . 318
Romanæ Sedis privilegia et auctoritas quanta. 397
rore cœlestis consolationis perfundi monasticos veros professores 148
Ruditas quorumdam apostolorum ante Spiritus Sancti receptionem quanta fuerit. 318
Ruth contra legem uti mater regum judæorum effecta sit. 42

S

Sacerdos magnus quis in veteri, et quis in novo Testamento dictus fuerit 26
Sacramenta cur quibusdam hodie ablata sint. 576
sacrificia judæorum quomodo Christus æstimarit. 549
sagena mystice quid significet 17
Salathiel quis fuerit 44
Salomon cur permissus sit cadere in idololatriam. 180
Salomonis posteritas quando defecerit. . 43
Salvator cur recte vocetur Christus. . . 69
salutare per viam quid sit curve prohibitum. 577
salutationis angelicæ ad beatam Virginem quanta sit efficacia 412
salutem nostram quomodo vocemus Christum et quomodo ejus Matrem . . . 497
samaritani quinam dicti 351
sancti cur in adversitatibus gaudere soleant 180
sancti cur sint honorandi, diligendi ac

imitandi 10
sancti quinam pro sibi devotis oraverint. 21
sanctificare festos dies quomodo intelligendum 582
sanctitas beatæ Mariæ quanta fuerit. . . 264
sanctitas cur tanta hodie non inveniatur ut olim 32
sanctitas perfectioque nostra in quo sita sit 35
sanctorum catalogo quomodo adscribantur sancti. 176
sanctos curam habere viventium, qui eorum honorant perfectionem. 579
sanctos orare pro aliis quomodo intelligendum 21
sanctos pro vivis apud Deum intercedere. 604
sanctos scire quidquid agitur in creaturis. 352
sapientia æterna Christus uti nominetur margarita pretiosa. 16
sapientia salutaris quæ sit. 302
satanæ tradi a vicario Christi per excommunicationem terribile ac execrandum. 397
satiare animam quodnam solum possit. 597
satietas spiritualis ubi fiet. 591
satisfactione hominem oportuisse redimi. 262
satisfactionis necessitas. 198
satisfecerit quomodo Christus pro peccatis nostris. 431
satisfecisse Christum pro nobis non sufficere ad salutem 289
Scala ad superbiam quæ sit 452
scandala præstantes animabus infirmis quam gravissimis se pœnis involvant. 561
scandala quænam minime sint vitanda. 530
scandalum pusillorum quonam studio præcavendum 560
scientia quando solum sit utilis et laudata. 394
scientia sanctorum quæ sit 137
schisma et hæresis hujus seculi unde præbuerint ansam. 469
scopus cuique ut sit præfigendus. . . . 582
scopus et summa omnium prophetarum et Scripturarum uti sit Christus. . . 288
scribas doctos ac notarios Christi fuisse apostolos. 18
Seculo dediti homines cur monachos existiment infelices ipsi multo infelicissimi. 148
seculum præsens cur mari comparetur. . 5
sensa Scripturarum quænam solo doctore referentur. 288
sensus catholicus de Sacramento altaris quis. 374
sensus hæreticorum de Sacramento cujusmodi sit 374
sequi Christum quam sit glorificum et commendabile 139
servitus Dei quam sit gloriosa. 29
servum bonum quænam constituant . . 505
Signa in conversione infidelium cur fuerint opportuna 333
signa in Ecclesia primitiva quam fuerint necessaria. 75
signa per quæ homo sciat aliquatenus se esse in gratia. 361
Simeon cur fuerit justus 203
Simeon quid signet 215
Simeonis charitas quanta fuerit 204
similitudo Dei quanta in Angelis reluceat. 563
simplices rudesque discipulos cur Christus delegerit 395
simplicitas Jacob quanta fuerit 40
simplicitas vera quantæ sit apud Deum existimationis 394
simplicitas ut constituat servum bonum. 505
simplicitati veræ proprium quodnam sit. 516
sinistra dexteraque quænam insinuentur. 446
Socratis patientia qualis fuerit 158
solemnitates sanctorum celebrandi ratio quæ. 95
Solonis sententia memorabilis quæ . . . 157
sorte sua uti nemo hoc seculo contentus sit 447
sortibus uti num licitum sit 223
Specie quali apparuerit Angelus beatæ Mariæ Virgini 270
spiritalis omnia dijudicans, quis sit. . . 473
Spiritu Sancto pleni quomodo dicti sint apostoli 268
Spiritui Sancto uti locus paretur. . . . 217
spiritus boni aut mali visio quomodo discernatur 69
Spiritus Sanctus quænam agat in eis quos replet ac possidet. 411
Spiritus Sanctus quid gratiæ contulerit hominibus in incarnatione Christi. . . 258
Spiritus Sanctus quis sit 351
sponsum qualem habet virginitas sancta. 219
Stabilitate quanta opus sit in vera catholicaque fide. 400
stabulum cur in nativitate sua Christus elegerit 72
stadium quid sit 275
stella maris cur vocetur beata Maria . . 526
stomachus animæ quomodo purgandus. 591
Substantiam suam uti S. Anna expenderit. 459
subtilitatem quam Christus induerit. . . 299

suffragiis sanctorum nos adjuvari . . . 402
summa christianæ religionis in quo consistat 427
superbi et ambitiosi quam lectionem sibi necessariam discere debeant 559
superbia occulta quæ mala efficiat . . . 606
superbia protoparentum quam fuerit effrenis 256
superbia spiritalis quibus ex donis oriatur. 606
superbiam vitandam quænam nos hortentur 452
superflua ex quibus præstanda est eleemosyna, quomodo intelligenda . . . 484
suppliciorum divo Laurentio illatorum causæ quæ fuerint. 482
supplicium crucis cur Christus elegerit. . 533

T

Talenta sibi commissa quomodo sancti duplicaverint. 28
talentis quinque, duobus et uno quidnam diversum insinuetur 29
talentorum parabola quid Dominus insinuare voluerit 29
talentum quinam in terra abscondant . . 30
Templum misericordiæ cur revera sit beata Maria. 214
templum triplex quod, quomodo intelligendum 211
templum uti signet hominis cujusque animam 215
tempus gratiæ uti fuerit inchoatum ab ortu Joannis Baptistæ. 379
tempus omne vitæ hujus quomodo suspectum haberi debeat. 234
tenebras suas amantes qui sint 348
tentationem qui suam non sentiat . . . 181
tentationes quomodo vincendæ sint. . . 234
tepor hujus temporis quantus ad communicandum Christi Sacramento. . . . 370
terram mitibus promissam bifariam intelligendam. 589
Testamenti veteris a novo distinctio qualis. 365
Thesaurariam Dei esse beatam Mariam. . 497
thesaurum abscondi quid sit 15
Thomas apostolus quomodo dicatur vidisse et credidisse. 56
Thronorum officium quodnam sit . . . 567
Timor carnalis, servilis, filialis et sanctus quis. 86
timor Domini quomodo acquiratur. . . 216
timor quantus omnium erit in extremo judicio 165
timor servilis quanta mala efficiat . . . 226
timor sincerus et castus quis 204
Tormentorum genus maximum quodnam sit 155
Tranquillitas, veritas et suavitas Angelorum quanta 565
tribulatione a carnis tentationibus liberari. 180
tribulatione acquirere quemque gloriam magnam in cœlo 181
tribulatione homines acquirere consolationes et mentem revocari ad Deum. . 181
tribulatio uti cor obstinatum emolliat. . 179
tribulatione quemque venire ad sui agnitionem. 180
tribulationem esse portam ad regnum cœlorum. 178
tribulationes uti de manu Dei sint suscipiendæ. 7
tristitiam quænam et corpori et animæ nociva. 157
Turbari quomodo quisque debeat ob sua peccata 501
turbata cur fuerit beata Maria in sermone Angeli 248, 269
turbata quomodo fuerit beata Maria in Filii sui passione 501
turpitudo animæ peccatricis quanta. . . 359

U

Unctus quomodo dicatur Christus . . . 65
unio duplex in Christo quæ fuerit . . . 295
unitas corporis Christi mystici quanto sit encomio digna 400
unum quodnam solum sit necessarium. . 494

V

Vas electionis cur dictus fuerit Paulus apostolus. 186
Verba Christi ascendentis quanta cum devotione sint auscultanda. 328
verba Filii sui uti audierit beata Maria . 502
verbum Dei quanto studio audiendum. . 492
verbum Dei quod jactant nostri seculi evangelici quale sit 467
vestibus qualibus jam induantur homines. 447
vestium hoc tempore quanta sit petulantia et turpitudo. 447
Via quænam sit quæ ducit ad vitam . . 281
via salutis quam difficile hominibus hodie

persuadeatur 450
via virtutum difficilis quam retribuat mercedem 336
via virtutum quibusnam sit suavis . . . 338
via virtutum quo ducat, et quomodo sit primo congressu ardua, deinde facilior. 334
via vitiorum quæ sit, quove ducat . . . 334
viæ rectæ quænam dicantur 136
viam ad regnum cœlorum quomodo in se nobis Christus ostenderit. 72
viam cur se nobis præbuerit Christus . . 553
Vicarius Christi supremus in Ecclesia catholica quisnam vere censendus . . . 397
victoria contra dæmones cuinam adscribenda 331
victoria per Mariam nobis adepta quam sit gloriosa 417
vigilare vere quinam dicantur 235
vincere mundum quomodo melius possumus. 552
virga ut sit beata Maria. 460
vir fidelis animæ uti Christus dicatur . . 426
virginem esse vere quanta sit dignitas. . 220
virgines esse Christi sponsas et reginas. 220
virgines fatuæ quæ intelligantur. . . . 163
virgines martyres sine miraculo uti raro visæ sint mori 13
virgines prudentes quæ intelligantur . . 163
virgines quanto studio publicum fugere debeant 410
virgines ut omnem suam in Conditorem conjiciant possibilitatem. 218
virginitas carnis quando dicatur pretiosa margarita. 16
virginitas carnis quanta sit gloria. . . 265
virginitas carnis quantum sit laudata a beato Thoma apostolo 61
virginitas quali gaudii corona in cœlo coronabitur. 219
virginitas quæ minus placeat Deo. . . 219
virginitas quam præclara sit virtus. . . 162
virginitas quam sit præcellens munus Dei, et quanta sit cura custodienda . . 166, 169
virginitas uti vere fecunda efficiatur . . 167
virginitas ut sit perpetue duratura. . . 169
virginitatem cum Dei gratia fore servatu possibilem. 218
virginitatem cur Christus non præceperit. 167
virginitatem etiam in veteri Testamento, et omnibus seculis fuisse Deo gratissimam 168
virginitatem tueri ut sit martyrium quoddam 220
virginum excellentia quanta 89
virginum in cœlo quanta sit felicitas . . 598
virginum quarumdam constantia quanta in tormentis horribilibus. 218
virgo Deum conceptura quæ intelligatur. 244
virtus cordis quæ. 290
virtus et voluptas quomodo ex diametro diversæ sint 335
virtutes Christiformes quidnam faciat suaves 93
virtutes esse in quadruplici discrimine. . 338
virtutes quanto studio quasnam Ethnici excoluerint 451
virtutes quasnam beata Maria exhibuerit consentiendo Angelo. 271
virtutes ut sint quædam pennæ quibus animæ in cœlum evolent. 451
virtutes veræ quam felicem eas habentem efficiant 156
virtutum officium quod. 566
visibilia invisibiliaque omnia ut propter homines creata sint 372
visitasse Mariam cognatam suam ut Joannes sanctificaretur. 419
vitem cur se Christus vocet, nosque ejus palmites quomodo simus. 303
vita activa in quibus sita sit. 500
vita activa quænam necessario requirat. 495
vita beatæ Mariæ post Christi ascensum qualis fuerit. 502
vita Christi tota ut fuerit mera humilitas. 206
vita Christi tota ut fuerit semper pœnalis et despecta 447
vita comtemplativa quænam tria a nobis requirat 502
vita contemplativa quare pars optima dicatur 502
vita pastorum inculpata quantum proficiat subditis 354
vita spiritalis triplex quæ sit. 500
vitæ solitariæ laus ex divo Hieronymo. . 562
vitam contemplativam requirere mentis abstractionem a curis. 505
vitam hanc quam periculose homines diligant 299
vitam monasticam eligentes quam sibi sapienter prospiciant. 491
vitia quomodo suos amatores excrucient. 337
vitia subditorum uti in prælatos redundent. 544
vitiis quantis beata Maria Magdalena ante conversionem subjacuerit 435
Vocatione sua unumquemlibet contentum

oportere fore. 361
voluntas hominis quam sit infirma sine gratiæ Dei auxilio 449
voluntatem Dei opere exequi ut a nobis requiratur 556
voluntatis propriæ abnegatio quam sit omni christiano necessaria. 173
voluptas prosperitatesque seculi in quæ mala præcipitent 107
vota monastica contra quænam vitia ordinata sint 145
vota tria monastica quæ sint 83
votifragi desertores monasticæ religionis carnales quam impie vivant 219
voto solemni cur sese adstringant monasticæ vitæ professores 145
votum castitatis uti beata Maria emiserit. 251
vox Elisabeth qualis fuerit. 412
Vulnera Christi ut sint apothecæ munerum divinorum. 286
vulnera cur Christus in corpore suo servaverit 289
vulnera cur Christus post resurrectionem reservaverit 297
vulnera Domini gloriosa quanta cum reverentia Thomas tetigerit 56
vulnera quænam ex peccato protoparentum animæ nostræ inflicta sint. . . . 255
vulneribus Christi quomodo medicinam unctionemve adhibeamus. 36
vulnerum cicatrices cur Christus post resurrectionem servaverit 55

Z

Zacharias quid significet. 410
Zacharias Spiritu Sancto repletus quomodo dicatur 382
Zelandum quomodo unicuique sit pro proximo suo 60
zelo quanto beatus Thomas honorem Dei animarumque salutem zelatus sit. . . 59
zelum cujusmodi omnis christianus habere teneatur pro Deo 59
zelus animarum quantus pectori divi Joannis apostoli infuerit. 96
zelus divi Augustini adversus hæreticos et pro animarum salute quantus fuerit. . 505
zelus pharisæorum adversus Christum quantus 548

INDEX

SERMONUM FESTIVITATUM

In festo S. Andreæ Apostoli. Paraphrasis in Epistolam, ad Romanos X. . . . 1
Exegesis Evangelii, Matthæi IV. 3
Sermo. In quibus beatus Andreas fuerit magnus, a Deo nobis exemplar vitæ bonæ constitutus 8

In festo S. Barbaræ, Virginis et Martyris. Paraphrasis in Epistolam, Ecclesiastici LI 12
Exegesis Evangelii, Matthæi XIII. . . . 14
Sermo. Quibus extollenda sit diva sponsa Christi Barbara encomiis, quomodove sancti pro sibi devotis judicem interpellent. 18

In festo S. Nicolai Episcopi. Paraphrasis in Epistolam, Ecclesiastici XLIV et XLV. 26
Exegesis Evangelii, Matthæi XXV . . . 28
Sermo. Vera devotio ad Deum veraque perfectio vitæ christianæ, quare hoc calamitosissimo seculo sint tam in parvo pretio ac usu. 32

In Solemnitate Conceptionis B. V. M. Paraphrasis in Epistolam, Ecclesiastici XXIV. 37
Exegesis Evangelii, Matthæi I. 39
Sermo. Quid originale sit peccatum, quantumve noceat : a quo beata est Virgo Maria præservata. 46

In festo S. Thomæ Apostoli. Paraphrasis in Epistolam, ad Romanos VIII . . . 51
Exegesis Evangelii, Joannis XX 53
Sermo. Cujusmodi fuerit fides in beato Thoma salutaris 58

In Solemnitate Nativitatis Domini. Paraphrasis in Epistolam, ad Hebræos I . 63
Exegesis Evangelii in nocte sacratissima Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Lucæ II 65
Sermo. Unde gaudendum sit, et quid docuerit, quove nos invitaverit Christi Nativitas 70

In Solemnitate S. Stephani Protomartyris. Paraphrasis in Epistolam, Act. VI et VII 75
Exegesis Evangelii, Matthæi XXIII . . . 77
Sermo. Quibus cœlum aperitur, quibusque clauditur. 81

In Solemnitate S. Joannis Apostoli et Evangelistæ. Paraphrasis in Epistolam, Ecclesiastici XV. 86
Exegesis Evangelii, Joannis XXI 87
Sermo. Ut Christum Jesum per adversa et prospera constanter sequi debeamus : et de quibusdam eximiis donis S. Joanni divinitus collatis 92

In Solemnitate SS. Innocentium. Paraphrasis in Epistolam, Apocalypsis XIV. 98
Exegesis Evangelii, Matthæi II 100
Sermo. Ut mundi hujus prospera tanquam perniciosa contemnenda, et adversa ceu saluberrima amplectenda sint : et de parvulorum innocentia, simplicitate ac humilitate sectanda 105

In Solemnitate Circumcisionis Domini. Paraphrasis in Epistolam ad Titum III. . 113
Exegesis Evangelii, Lucæ II 114
Sermo. Quid nobis sit Jesu nomen, et unde efficiamur filii Dei 119

In Solemnitate Apparitionis Domini. Paraphrasis in Epistolam, Isaiæ XL . . . 124
Exegesis Evangelii, Matthæi II. 126
Sermo. De Magorum devotione, studio ac muneribus 131

In festo S. Antonii Abbatis. Paraphrasis in Epistolam, Sapientiæ X 136
Exegesis Evangelii, Matthæi XIX. . . . 138
Sermo. De monasticæ Religionis commendatione, et de novem illius commodis sive utilitatibus. 142

In festo SS. Fabiani et Sebastiani Martyrum. Paraphrasis in Epistolam, ad He-

bræos XI 150
Exegesis Evangelii, Lucæ XXI. 152
Sermo. De commendatione patientiæ, et quam vitanda sit impatientia, et de laudibus SS. Martyrum 156
In festo S. Agnetis Virginis et Martyris. Paraphrasis in Epistolam, II ad Corinthios X et XI. 161
Exegesis Evangelii, Matthæi XXV . . . 162
Sermo. De laudibus sanctæ virginitatis, quid eadem sit, quomodoque servari debeat : quæ denique veræ virgines vitare debeant. 166
In festo S. Vincentii Martyris. Paraphrasis in Epistolam, Isaiæ XLIII. 170
Exegesis Evangelii, Lucæ IX 172
Sermo. De tolerandis afflictionibus : et de earumdem multiplici utilitate 175
In festo Conversionis S. Pauli Apostoli, Paraphrasis in Epistolam, Act. IX. . . 183
Exegesis Evangelii, Matthæi XIX. . . . 188
Sermo. De S. Pauli conversione plane miraculosa atque divina : quomodo nos a vitiis ad Dominum converti debeamus, et quænam ad veram conversionem pertineant. 193
In Solemnitate Purificationis B. V. M. Paraphrasis in Epistolam, Malachiæ III. . 200
Exegesis Evangelii, Lucæ II 201
Sermo primus. Ut Christi ac Matris ejus humilitatem et obedientiam imitari debeamus. 206
Sermo secundus. Templum triplex in quo Christus mystice offerri debeat, quodnam sit : quas item virtutes in purificatione idem Christus et dignissima ipsius Mater nos docuerit. 211
In festo S. Agatæ Virginis et Martyris. *Paraphrasim in Epistolam et Exegesim in Evangelium quære supra in festo S. Barbaræ virginis et martyris.* 12
Sermo. De servanda mentis et corporis integritate 217
In festo S. Mathiæ Apostoli. Paraphrasis in Epistolam, Act. I. 221
Exegesis Evangelii secundum morem quarumdam Ecclesiarum, Joannis XV . . 223
Sermo. De servanda fraterna charitate, vitandisque illis quæ ei contraria sunt : et quædam de laudibus S. Mathiæ Apostoli. 227
In festo S. Gregorii Papæ. *Require omnia ut supra, in festo scilicet S. Nicolai Episcopi* 26
In Solemnitate S. Benedicti Abbatis. *Epistolæ hujus festi Paraphrasim require supra, in festo S. Antonii Abbatis* . . . 136
Exegesis Evangelii, Lucæ XII 233
Sermo. De charitate et justitia duplici : omnium operum nostrorum quis scopus fore debeat, et de sanctorum exemplis imitandis 237
In Solemnitate Annuntiationis B. V. M. Paraphrasis in Epistolam, Isaiæ VII. . . 243
Exegesis Evangelii, Lucæ I. 245
Sermo primus. De beneficio Incarnationis Dominicæ, et de excellentia Matris Dei. 253
Sermo secundus. Mysteria rationesque Dominicæ Incarnationis, laudes virtutesque beatissimæ Virginis Mariæ explicat. 261
In festo S. Ambrosii Episcopi. *Paraphrasim in Epistolam quære in festo S. Nicolai* 26. *Exegesim in Evangelium reperies ibidem, nisi post festum Paschæ de eodem celebretur : tum namque require Exegesim in Evangelium :* Ego sum vitis vera, etc. *in festo S. Georgii martyris,* 303. *Sermonem autem quære in festo Sancti Nicolai,* 26
Feria II post Solemnitatem Paschæ. Paraphrasis in Epistolam, Act. X. 273
Exegesis Evangelii, Lucæ XXIV 274
Sermo. Peregrini conditiones cujusmodi sint nobis imitabiles : et quid amor faciat. 279
Feria III post Solemnitatem Paschæ. Paraphrasis in Epistolam, Act. VIII. . . 283
Exegesis Evangelii, Lucæ XXIV. . . . 285
Sermo primus. Vulnera quinque cur Christus servaverit, et cujusmodi devotionis exercitio sint honoranda. 289
Sermo secundus. Paschalis Solemnitatis dignitas et prærogativa : quibus, quot modis congaudendum in ea : denique quas, quotque dotes glorificationis Christus per resurrectionem induerit, nobisque quandoque assumendas reliquerit. 293
In festo S. Georgii Martyris. Paraphrasis in Epistolam, Ecclesiastici XIV, XV. . 301
Exegesis Evangelii, Joannis XV 303
Sermo. Ut nos maneamus in Deo, et Deum in nobis manentem retineamus : et de

duplici martyrio 307

In festo SS. Apostolorum Philippi et Jacobi. Paraphrasis in Epistolam, Sapientiæ V 312
Exegesis Evangelii, Joannis XIV 314
Sermo. Quanta sit felicitas videre Deum, et de gaudiis cœlestis patriæ, quibusque studiis eo pertingatur. 319

In Solemnitate Inventionis S. Crucis, *require infra in Solemnitate Exaltationis ejusdem.* 529

In Solemnitate Ascensionis Domini. Paraphrasis in Epistolam, Act. I. 325
Exegesis Evangelii, Marci XVI. 327
Sermo. Quæ nos, quominus post Christum ascendamus in cœlum, impediant : et quæ nobis ad ascendendum adminiculo sint. 333

Feria II post Solemnitatem Pentecostes. Paraphrasis in Epistolam, Act. X. . . 340
Exegesis Evangelii, Joannis III. 341
Sermo. Quomodo Christus nobis sit lux. 346

Feria III post Solemnitatem Pentecostes. Paraphrasis in Epistolam, Act. VIII. . 351
Exegesis Evangelii, Joannis X. 353
Sermo. De gratia Dei, an sit homini necessaria, quid conferat homini, atque id genus aliis scitu jucundis. 357

In Solemnitate Venerabilis Sacramenti. Paraphrasis in Epistolam, I ad Corinthios XI 364
Exegesis Evangelii, Joannis VI. 366
Sermo. Cur et qua charitate in cibum potumque se nobis Dominus Jesus reliquerit sumendum. 372

In Solemnitate S. Joannis Baptistæ. Paraphrasis in Epistolam, Isaiæ XLIX. . . 375
Exegesis Evangelii, Lucæ I. 377
Sermo primus. Quomodo S. Joannes ardebat et lucebat, et de quadruplici hominum conditione. 382
Sermo secundus. Ordines omnium Sanctorum ut S. Joannes Baptista præcellat : quonam sit usus baptismo, utque novem modis fuerit singulariter magnus. . . 385

In Solemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli. Paraphrasis in Epistolam, Act. XII 390
Exegesis Evangelii, Matthæi XVI. . . . 392
Sermo primus. Quantum adniti debeant christiani omnes, ut in S. Ecclesiæ catholicæ unitate permaneant, et de laudibus sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. 398
Sermo secundus. Ut Christum Petrus amarit, et vicissim Christus Petrum. De beneficiis Dei nobis collatis : de laude vitæ monasticæ : ut christiani omnes agni esse debeant, et de virtute obedientiæ. 404

In Solemnitate Visitationis B. V. M. *Epistolam cum sua Paraphrasi quære in festo Conceptionis ejusdem B. V. M.* . 37
Exegesis Evangelii, Lucæ I. 409
Sermo primus. Ut cunctis mulieribus illustribus et in Scriptura laudatis beatissima Virgo Maria sit præstantior. . . 414
Sermo secundus. Quasnam ob causas beatissima Virgo Maria visitaverit cognatam suam Elisabeth : benedicta uti fuerit beata Maria multifariam, deque septem beneficiis ceu visitationibus quibus sibi devotos visitat et afficit. . . 418

In festo S. Margaritæ Virginis et Martyris. *Paraphrasim in Epistolam et Exegesim in Evangelium una cum Sermone quære in festo S. Agnetis virginis et martyris.* 161

In Solemnitate beatissimæ Mariæ Magdalenæ. Paraphrasis in Epistolam, Proverbiorum XXXI. 425
Exegesis Evangelii, Lucæ VII. 428
Sermo primus. Quantis S. Magdalena vitiis ante conversionem, quanta item et quam multiplici gratia post conversionem abundarit. 435
Sermo secundus. Servare innocentiam et ad vitam spiritus per pœnitentiam resuscitari, utrumque divinæ gratiæ esse munus. 440

In festo S. Jacobi Apostoli. Paraphrasis in Epistolam, ad Ephesios II 444
Exegesis Evangelii, Matthæi XX. . . . 445
Sermo. De contemnendis hujus vitæ deliciis, divitiis et honoribus. 450

In Solemnitate S. Annæ matris beatissimæ Deiparæ Virginis Mariæ. *Paraphrasim in Epistolam require supra in festo S. Mariæ Magdalenæ, 425. Exegesim in Evangelium quære in feriis Conceptionis ejusdem Virginis Mariæ.* 39
Sermo. S. Annæ matris Deiparæ Virginis

Mariæ encomium, quod certis panegyricis laudes et præconia ejus tum generatim tum speciatim complectitur. . . 436
Rodolphi Agricolæ Frisii ad S. Annam encomium. 461
Joannis Trithemii abbatis Spanhemensis ad S. Annam supplicatoria Oratio. . . 465

In festo Vinculorum S. Petri Apostoli. *In Epistolam Paraphrasim et in Evangelium Exegesim require supra in Solemnitate Apostolorum Petri et Pauli.* 390
Sermo. Obtemperandum esse Ecclesiæ præfectis : de auctoritate Ecclesiæ : fidem solam absque operibus non sufficere : denique opera nostra quatenus sint meritoria. 467

In festo S. Laurentii martyris. Paraphrasis in Epistolam, II ad Corinthios IX . 475
Exegesis Evangelii, Joannis XII. 477
Sermo. De dandis eleemosynis. 482

In Solemnitate Assumptionis B. M. V. Paraphrasis in Epistolam, Ecclesiastici XXIV. 488
Exegesis Evangelii, Lucæ X. 490
Sermo primus. Quod beatam Virginem amare venerarique debeamus, ejusque exemplo optima quæque virtutum deligere. 496
Sermo secundus. Ut beata Maria Dei Genitrix bonis naturæ, gratiæ et gloriæ, itemque vita activa, contemplativa et cœlesti prædita fuerit. 499

In festo S. Bernardi Abbatis, *require omnia sicut in festo S. Antonii Abbatis.* . 136
In festo S. Bartholomæi Apostoli. *Epistolam cum sua Paraphrasi quære in festo S. Thomæ Apostoli.* 51
Evangelium cum sua Exegesi et Sermonem quære in festo S. Mathiæ Apostoli. . . 223

In festo S. Augustini Episcopi. *Epistolam cum sua Paraphrasi, et Evangelii Exegesim quære in festo S. Nicolai.* . . . 26
Sermo. Quæ ad bonum et fidelem servum Christi pertineant : et cur sancti se permiserint honorari, quum adhuc in terris agerent 504

In festo Decollationis S. Joannis Baptistæ. *Epistolam cum sua Paraphrasi quære in festo sanctorum Fabiani et Sebastiani martyrum.* 150
Exegesis Evangelii, Marci VI. 509
Sermo. Ut semper Ecclesia persecutionibus creverit, et de amore privato, ac de signis quibusdam amoris ferventis, tam carnalis quam divini. 514

In Solemnitate Nativitatis B. V. M. *Epistolam et Evangelium cum Paraphrasi et Exegesi quære in festo Conceptionis ejusdem* 37
Sermo primus. Quo jure beata Virgo Maria domus Dei dicatur et sit. 520
Sermo secundus. Quantis præconiis extollenda sit beatissima Dei Genitrix Virgo Maria : quibusque magno gaudio fuerit illius purissima sanctissimaque nativitas. 523

In Solemnitate Exaltationis S. Crucis. Paraphrasis in Epistolam, ad Galatas Vet VI. 529
Exegesis Evangelii, Joannis XII. 531
Sermo. Ut tenebras peccatorum fugere, et in divinæ gratiæ lumine ambulare debeamus : item de peccati nocumentis, et de gratiæ effectibus, denique de laudibus sanctæ Crucis. 537

In festo S. Matthæi Apostoli et Evangelistæ. Paraphrasis in Epistolam, ad Ephesios IV. 543
Exegesis Evangelii, Matthæi IX. 545
Sermo. De Apostolorum dignitate et excellentia, et in quibus eos imitari debeamus 550

In Solemnitate S. Michaelis Archangeli et omnium sanctorum Angelorum. Paraphrasis in Epistolam, Apocalypsis I. . 555
Exegesis Evangelii, Matthæi XVIII . . . 557
Sermo primus. De Angelis, quid et quales sint : de eorum Hierarchiis et Ordinibus, de ministerio eorum erga nos : et quo pacto nobis imitandi et honorandi sint. 563
Sermo secundus. Beneficia decem bonorum Angelorum ad homines quæ : malorum item Angelorum erga homines quanta crudelitas, quomodoque per bonos Angelos iidem refrenentur. . . . 569

In festo S. Hieronymi confessoris, *omnia require in festo S. Antonii abbatis.* . 136

In festo SS. Undecim millium virginum, martyrum, *accipe omnia ut in festo S. Agnetis virginis et martyris.* 161

In festo S. Severini Episcopi et confessoris,

per omnia in festo S. Nicolai Episcopi. . 26

In festo SS. Simonis et Judæ Apostolorum. *Epistolam cum sua Paraphrasi quære in festo S. Thomæ Apostoli.* 51
Exegesis Evangelii, Lucæ X 573
Sermo. Quibus modis sanctos Apostolos honorare debeamus : et de diebus festis probe colendis. 578

In Solemnitate Omnium Sanctorum. Paraphrasis in Epistolam, Apocalypsis VII. 583
Exegesis Evangelii, Matthæi V. . . . 586
Sermo. Quid nostra efficiant merita : et de æternæ beatitudinis ineffabili felicitate et jucunditate. 593

In festo S. Martini Episcopi. *Epistolam cum sua Paraphrasi et Evangelii Exegesim quære in festo S. Nicolai Episcopi.* . . 26
Sermo. De vitanda crapula et compotationibus : item in quibus S. Martinum imitari debeamus. 600

In Solemnitate Præsentationis B. V. M. *Epistolam cum sua Paraphrasi, itemque Evangelii Exegesim quære in Solemnitate Conceptionis ejusdem B. V. M.* . . . 37
Sermo. De oblatione B. Mariæ in templo, de ipsius miranda nimis humilitate, quæ sit vera humilitas, quomodoque ea acquiratur : item quænam sint veri humilis hominis proprietates 605

In festo S. Catharinæ reginæ, virginis et martyris, et sponsæ Christi. *Paraphrasim in Epistolam et Exegesim in Evangelium require in festo sanctæ Barbaræ virginis et martyris.* 12
Sermo. De charitate sanctæ Catharinæ, et quibus rebus perveniatur ad amorem Dei 609

Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monsterolij.
Ern. Duquat typographus.

208.8
L 293

26378

LANSPERGIUS, JOHN JUSTUS

AUTHOR

Opera Omnia

TITLE

Tome 2
Opera Majora

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

26378